
13
8 M
7

R. P. IOSEPHI
GIBALINI
E SOCIETATE IESV THEOLOGI,
DISQVISITIONES CANONICÆ, ET THEOLOGICÆ, DE SACRA IVRISDICTIONE
in ferendis pœnis, & censuris Ecclesiasticis,

EX VETERI ET NOVO IVRE.

TRACTATIO VTRIQVE FORO PERVTILIS.

Prodit nunc primum.



LVGDVNI.
Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD. & CLAVDII RIGAVD.
M. DC. LV.
CVM APPROBAT. ET PERMISSV.



ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO

D. CAMILLO DE NEVFVILLE

COMITI, ET ARCHIEPISCOPO LVGDVNENSI, GALLIARVM PRIMATI,

&apud Lugdunenſes Foreſienſes & Bellijocenſes Proregi.



PVS *de Cenſuris Eccleſiaſticis* Alphonſo Cardinali Eminentiſſimo *antè animo deſtinatum, tibi nunc* Archiepiſcope Illuſtriſſime, *redono & dico. Nec longè à conſilio aberrauit euentus, eas quippe dotes in Lugdunenſes inſulas intuliſti, vt non modò Anteceſſoris tui, ſed eorum qui per plures annos præfuerunt, deſiderium impleas atque reſtinguas. Vix progreſſus è carceribus, percurriſti ſtadium, & Dignitati tuæ præmaturus, magiſter ante quàm tyro, obiiſti munia nondum delibata. Mirabamur cum tota Gallia, te quod omnibus votis plerique ambiunt, repugnanter & deſtinatione lenta ſuſcepiſſe: nempe callebas, quò te induceres, quo eſſet onere Pontificius*

lituus, quod iugum splendor ille occuleret; ac tam esse obuium Pontificatum gerere, quàm rarum & infrequens perdignè gerere. Succensebamus modestiæ tuæ, & nostri studio virtuti præcellentissimæ subinsensi, optabamus Te cupidiorem, gnari bonorum quæ deriuaret in nos Dignitas tua. At vota nostra & amplitudinem spei superasti; metiebamur te cæterorum instar annorum curriculo, admouebamus tempori virtutes tuas, tradebamus vsui & experimento dignum Pontificem: Ecce iam ab ortu totum te exhibes, prǽteruolas non per gradus scandis, quodque arduum est & in fastigio positum iam decurris; vt qui te gestarum rerum numero pensitet, grandæuum Præsulem & diuturnioris æui credat & stupeat. Diœcesim in Prouincias plures propagatam totam animo capis distinguisque. Mens illa tot tantasque in res antè diuisa, formas nouas admisit; quæ amplissima est, & capacissima plurium, quamquam diuersarum atque pugnantium. Et quanta iam executus es opere! lustrata iam & perspecta prouincia dua, emendata plurima summo studio vitia, institutum seminarium iuuenum, Sacramenta Confirmationis ministrata, vt Lugdunum cum te pluribus locis turbam inter molestam maximisque caloribus cerneret administrantem, cogitaret Potinos illos, Eucherios atque Irenæos, nec vno frui se arbitraretur, sed Episcopis pluribus. Hæc nota omnibus, mihi maximè tua mens, quam optimis instructam consiliis reserasti; in quam admissus sum, admiraturus ipsam, fundum ac fontem eorum quæ per annos plures libris in pluscculis labore multò collegeram. Iure igitur Tibi hoc opusculum, quod Pontificium est, dico & consecro; vt in opere authorem ipsum repræsentem; qui est

Amplitudini Tuæ

Adictissimus & obsequentissimus in Christo
IOSEPH GIBALINVS.

ERVDITO

ERVDITO LECTORI.


Ateriam sæpiùs à viris eruditis tractatam denuò retractamus, vtinam non inutili opera; non vulgari certè & exquisita diligentia. Nam repetitis prisci æui moribus sacrorum Conciliorum sanctiones, & Pontificum scita, longè aliter quàm vulgaris Interpretum & Commentatorum sensus ferat, explicamus. Neque infiniros Legum Ecclesiasticarum indices & allegationes, temerè in fasciculos coniecisse contenti, singularum sententiam accuratè expendimus, ipsarumque æquitatem firmis rationibus demonstramus: Casus singulares, innumerasque controuersias ad vniuersalia certaque principia, scientificâ methodo reuocamus, Ex quibus quotidianarum difficultatum nodos facilè dissoluimus: nonnumquam inter DD. dissidia arbitramur; neque aliorum dumtaxat dicta referimus, quid singula veri vel falsi habeant expendimus & inter sese amicè componimus, & denique, nisi nobis nimium blandiamur, confusam molem digerimus, ac nonnulla luce perfundimus, Tuum erit erudite Lector arbitrari, & non ingrato, vti spero, labore frui, dum tibi grandius opus apparo.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV in Prouincia Lugdunensi.

H*Vgo Guillelmus Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Lugdunensi: iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij ann. 1583. Henrico IV. 20. Decemb. 1606. Ludouico XIII. 14. Februarij 1611 & Ludouico XIV. nunc regnante 23. Decemb. 1650. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant, Permitto Philippo Bordes, Laurentio Arnaud, & Claudio Rigaud Bibliopolis Lugdunensibus, vt librum cui inscripsio est*, Disquisitiones Canonicæ & Theologicæ de Sacra iurisdictione in ferendis pœnis Ecclesiasticis Authore P. Iosepho Gibalino eiusdem Societatis Theologo *ad sex proximos annos imprimere ac liberè diuendere possint. Datum Lugduni 24. Maij anno 1655.*

Locus sigilli HVGO GVILLELMVS.

APPROBATIO.

NIhil Censura dignum reperimus nos infrascripti Doctores Theologi facultatis Parisiensis in opere cui titulus est *R. P. Iosephi Gibalini è Societate Iesu Theologi Disquisitiones Canonica de Sacra Iurisdictione in ferendis pœnis & Censuris Ecclesiasticis* quin potius omnia fidei otthodoxę conformia esse ac redolere solidam Authoris Pietatem eiusque ingenij acumen testamur. Datum in Carmelo nostro Lugdunensi die 17. Iunij. 1655.

PAVLVS LOMBARD Prouincialis Carmelitarum Prouinciæ Narbonnæ

CYRILLVS MOREL Carmelitarum Lugdunensium Prior

PERMISSIO.

LIbrum cui titulus est R. P. *Iosephi Gibalini è Societate Iesu Theologi Disquisitiones Canonica de Sacra iurisdictione in ferendis pœnis, & Censuris Ecclesiasticis*, à Philippo Bordes, Laurentio Arnaud, & Claudio Rigaud, Typis mandari, ego Regis Procurator non impedio, ac nequis citra potestatem eis factam denuo imprimat, interdico. Datum Lugduni XVII. Iunij millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto.

DE PANETTES.

CONSENSVS.

VIso Procuratoris Regis Permissu, vt dictus liber à dictis Bibliopolis excudatur permitto. Lugduni 17. Iunij 1655.



SYNOPSIS TRADITÆ DOCTRINÆ.

DISQVISITIO I.

De natura, & diuisione pœnæ & Censuræ Ecclesiasticæ.



DISQVISITIO II.

De causa finali.

DISQVISITIO III.

De causa efficiente censurarum

DISQVISITIO. IV.

De causa subiectiua censuræ.

Quæst. 3.

DISQVISITIO VII.
De effectibus censuræ.

4. An

Confect. 1.

4. *An*



R. P. IOSEPHI GIBALINI, E SOCIETATE IESV THEOLOGI. DISQVISITIONES CANONICÆ.

DE SACRA IVRISDICTIONE IN FERENDIS Pœnis, & Censuris Ecclesiasticis.



ACRA Iurisdictio sanciendis Ecclesiæ legibus, continenda, & temperanda disciplina, puniendis, & absoluendis in foro tum Sacramentali, tum externo, & Iudiciali Reis, castigandis moribus, emendandis sceleribus, aliisque ad promouendam totius Reipublicæ Christianæ sanctitatem necessariis occupatur. Ex hac verò amplissima, vt vides, materia, quam vniuersam in nostra scientia Canonica fusiùs prosequimur, partem illam, quæ puniendis sceleribus, & coërcendâ peccantium proterviâ, variis pœnis, ac censuris continetur, libare, & seorsim explicare visum fuit operæ pretium; quia & ferè cæteris implicatior est, & frequentiùs in vsum venit, eiusque ignorantia, cottidianis scrupulis plurimos exagitat, & nos continuis ferè dubiis pulsat. Quibus omnibus hac vna opera faciemus satis, si lucem aliquam tam obscuræ tractationi affundamus, quod pro ingenij nostri tenuitate præstare conabimur.



DISQVISITIO PRIMA, De natura & diuisione Pœnæ, & Censuræ Ecclesiasticæ

QVÆSTIO 1. *Quid sit pœna, quid Censura Ecclesiastica.*
QVÆSTIO 2. *Diuisio & multiplicitas Pœnæ Ecclesiasticæ & Censuræ.*
QVÆSTIO 3. *Aliæ diuisiones Censuræ & Pœnæ Ecclesiasticæ.*
QVÆSTIO 4. *Consectaria ex superioribus quæstionibus deducta.*

ORDO r'o'R ab his vniuersalibus, obscuræ enim forent nostræ Regulæ & vniuersalia principia in materia maximè implicata, qualis est tota ista tractatio, quam benè magnis voluminibus Alterius, Sayr, Suarez & alij complures prosequuti sunt, nisi prænosceremus rei, de qua disputaturi sumus, essentiam, & proprietates; Quarè placet hoc ingressu singularem Censurarum ac pœnarum Ecclesiasticarum diffinitiones singillatim explicare.

QVÆSTIO PRIMA, Quid sit Pœna, quid Censura, quid inhabilitas Ecclesiastica?

Quid sit pœna Ecclesiastica. n. 1.
Quid sit pœna spiritualis. n. 2.
Bona spiritualia duplicis generis esse. n. 3.

Quænam bona spiritualia subsint Ecclesiæ potestati. n. 4.
Quid sit Censura. n. 6.



1 POENAM Ecclesiasticam eam appello, quæ à sola Ecclesia in delicti alicuius coërcitionem infligi potest, cuiusmodi est pœna dunraxat spiritualis, quamuis enim non diffiteat variis interdum pœnis temporariis illam deprauatos fidelium mores castigare ex lib. 2. Constit Apostolic. cap. 48. quod constanti vsu iam inde à nascentis Christianæ fidei cunabulis reperito probatur, quia tamen eæ pœnæ sunt illi communes cum politica & temporaria Principum potestate, nôn dicuntur Ecclesiasticæ. Præterquàm quod ne ipsas quidem temporales & corporeas pœnas imponit Ecclesia, nisi aut propter connexionem, quam habent cum pœnis spiritualibus, aut certè propter finem aliquem spiritualem & animarum salutem, quam vnam spectat tota hæc sacra Politia, quarè sola spiritualis pœna, Ecclesiastica iure merito dici poterit: & vicissim omnis pœna Ecclesiastica, spiritualis erit, siue quia proficiscitur à spirituali potestate, siue quia in finem spiritualem tendit, siue quia pœnam spiritualem, quam ex quadam necessaria consequutione comitatur, præsupponit; siue denique, quia obiectum spirituale habet; quæ postrema est omnium maximè propriè pœna spiritualis & Ecclesiastica, de qua hoc libro disputamus.

2 Pœna igitur spiritualis, siue Ecclesiastica est priuatio bonorum spiritualium per Ecclesiasticam potestatem in criminis alicuius punitionem sontibus inflicta. Dixi hanc pœnam esse priuationem, non enim consistere potest in inflictione alicuius rei positiuæ, quæ pœnam afferat, quænam siquidem res spiritualis cogitari potest, quam aut Legistator sua lege, aut Iudex sua sententia sontibus inurat; & si daretur aut fingeretur eiusmodi aliqua qualitas, quanam ratione per illius impressionem torquerentur Rei? Consistat itaque necesse est hæc pœna in morali aliqua bonorum & commodorum spiritualium, quæ potestati Ecclesiasticæ subsunt, priuatione.

3 Bona siquidem spiritualia duplicis generis sunt, quædam singulis interna, vt gratia, habitus supernaturales, fidei, charitatis, aliarúmque virtutum, character, & cætera eiusmodi, quæ ipsi animæ inhærent, & quæ cuiúsque illa possidentis propria aut priuata sunt, v. gr. bona opera secundum omnem suam vim meritoriam, satisfactoriam, & impetratoriam. Alia bona spiritualia sunt tituli publici iuris & omnibus communia, vt Sacramenta, Sacrificia, Beneficia Ecclesiastica, spiritualis Iurisdictio, publica suffragia, & satisfactiones, cæteraque similia, quorum dispensatio credita fuit Ecclesiæ à CHRISTO, quæ proinde eorum vsui tàm actiuo, tum passiuo aliquibus interdicere potest, quoties graues causæ eam interdictionem suadebunt; quarè si in punitionem criminis fiat illa bonorum & commodorum spiritualium priuatio, veram & germanam pœnæ rationem habebit.

4 Non potest verò Ecclesiæ potestas quidquam sibi sumere in bona spiritualia priuata cuiusque, neque illa possidenti eripere, aut impedire ne sit membrum CHRISTI illi fide & charitate coniunctum, aut ne redeat in gratiam cum Deo per contritionē etiam ante relaxatam pœnam Excommunicationis, aut aliam quamcúnque, neque facere, ne eius opera meritoria & satisfactoria sint, maneántque in illius dominio quoad liberam applicationem.

Porrò præter duo illa bonorum spiritualium genera, tertium quoddam existit ex interna necessitudine & veluti cognatione, quæ ratione fidei & charitatis aliorumque bonorum internorum inter fideles, tanquam inter eiusdem corporis mystici membra, vnius domus ac familiæ liberos, eiusdémque ciuitatis ciues intercedit; inde enim fit, vt iisdem omnes gaudeant priuilegiis, eodem iure donentur, eádem fulgeant dignitate, quæ ex communicato & reciproco singulorum inter ciues splendore efflorescit, fitque vt plurima donentur a CHRISTO Domino priuatis quibúsque, eo quod sint membra sui corporis, non quod assumpsit ex Virgine, sed mystici illius, propter quod assumptio illa facta est, vt loquitur Damian. serm. de S. Magdalena, & sanè negari non potest, quin fideles per fidem & charitatem inter sese & cum CHRISTO, tanquam membra cum capite compaginati non modò à CHRISTO communem influxum recipiant, sed etiam sua sibi inuicem bona communicent, sicut inter eiusdem corporis partes, quæ sese mutuis opibus iuuant, fieri videmus; quamuis enim nullus alteri gratiam, aut gloriā rigido & condigno merito mercatur, immò neque quicquam aliis impetret, nisi in eum finem sua opera dirigat; contra Sáyr lib. 1. Thesau. cap. 4. num. 12. vbi existimat fidelem merentem aut orantem, aut satisfacientem, pro aliis quoque fidelibus in charitate existentibus mereri impetrare, & satisfacere, etiamsi de illis non cogitet, quod alibi fusè reiectum fuit, falsúmque omninò est, si de vera & propria impetratione & satisfactione sermo sit, quia tamen singulorum merita propter communionem, quam inter se habent operantes, mouent obiectiuè Deum, vt toti illi communitati & singulis eam constantibus, quamuis dignitate, & meritis inpares sint, facilem sese præstet, & de illis quandam sollicitiorem curam gerat, multaque conferat, quæ deinde in priuatos quosque redundant, & denique quibusdam fortassis minus gratis benè velit intuitu aliorum, ex quorum consortio aliquid bonitatis ac splendoris asciscunt, cùm vix possit toti corpori benè velle, quin membris ipsi insertis ipsúmque constantibus benè quoque velit, optimo iure statuitur interna quædam communio inter omnes fideles.

Quarè subtiliter Scotus quodlib. 20. in quolibet bono opere triplicem fructum agnoscit, specialissimum vnum, qui immanet operanti, éstque meritum de condigno, vnde vulgatum illud Theologorum, gratiam semen esse quod non germinat, nisi in iis sulcis, quibus committitur & in alieno solo non fructificat; alterum specialem, qui ex operantis voluntate in alium transfunditur, cui quidpiam impetrat, aut pro quo satisfacit; quare hic fructus non ita proprius est operantis; quin aliis quoque communis esse possit: tertium fructum appellat generalissimum, quia in vniuersam Ecclesiam deriuatur modo à nobis exposito, in eóque sita est communio Sanctorum, vt explicant Adrian. quodlib. 8. a. 3. & Gabriel lect. 26. in Canon. quos aliósque plures allegat Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 5. n.

5. &

5. & Alteri. lib. 1. de Excomm. disp. 5. cap. 6.

5 Hæc igitur bona interna quamuis aliqua ratione communia non subduntur Ecclesiæ potestati, quarè illis non potest priuare fideles, vnde fit vt diffinitio, per quam pœna Ecclesiastica dicitur priuatio spiritualium bonorum, ad sola externa & publica priori loco superiùs recensita arctanda omninò sit, & ad ista priuata siue potiùs communia, sed interna extendi non debeat, cuius rei ratio perspicua est, quamdiu enim manet fundamentum illius communionis bonorum internorum, tamdiu ipsam quoque communionem manere necessè est, & qui nequibit fundamentum siue radicem communionis eiusmodi tollere, neque ipsam communionem tollere poterit. Prima verò huius communionis radix & origo, est ratio membri corporis CHRISTI, illi enim corpori inseri non potest aliquis, & esse membrum de membro, vt loquitur Paulus, nisi ea commoda, quæ tum à capite, tum à cæteris membris deriuantur, participet, membrum porrò CHRISTI & Ecclesiæ est, quisquis eiusdem fidei professione, ei vnitur & charitate inseritur. Cùm igitur neque charitatem impedire possit Ecclesia, nunquàm profectò efficiat, vt aliquis desinat esse membrum CHRISTI, ac proinde priuare non poterit illud bonis & commodis, quæ ex mutua cum aliis membris & capite communicatione nascuntur: vnde reiicias eos, qui apud Sotum in 4. d. 22. q. 1. a. 1. dub. 2. priuationem communionis, quam inducit Excommunicatio ad hanc internam meritorum communionem extendunt.

Quin imò sapienter dixit Gabr. lect. 26. in Cano. non posse Ecclesiam excommunicatum in charitate existentem prohibere à virtute sacrificij & effectu, vt loquitur, charitatiuo, quod refert ex Gersone tract. 9. super Magnificat. partitione 4. & tenent Caietan. tom. 1. opusc. tract. 19. Petrus Soto. lect. 2. de Excommunicatione. Nau. cap. 27. n. 36. Couarr. in cap. Alma mater 1. p. §. 6. n. 4. con. 6. Sylu. Excommunicatio 5. n. 2. Auila. P. 2. cap. 5. disp. 4. dub. 4. con. 1. Suar. disp. 8. sect. 1. n. 6. & 7. Quarè si minister Ecclesiæ commune Sacrificium pro Excommunicato offerat, grauiter quidem peccabit; excommunicatus tamen si aliunde capax sit, illius effectum participabit, non tamen quatenus offertur nomine Ecclesiæ, vt differit Alteri. lib. 1. disp. 5. cap. 8. quæ verò congerit ex PP. cap. 10. de membri ab Ecclesiæ corpore truncatione per excommunicationem, non aliud probant, quam priuationem omnis externæ communionis, quæ per Excommunicationem infertur, facere, vt qui illa pœna affectus est, tanquam membrum putridum, & à corpore præcisum, habeatur.

6 Censura est pœna spiritualis & Ecclesiastica priuans vsu aliquorum bonorum spiritualium ad Rei correctionem imposita. In qua diffinitione ratio generica iam satis exposita est. Ratio verò specifica per quam ab aliis pœnis Ecclesiasticis & spiritualibus, quæ censuræ non sunt differt est primò, quod priuet hominem vsu tantum bonorum spiritualium communium, cùm aliæ quædam pœnæ ipsa quodammodo potestate & facultate, quantum in ipsis est, Reum spolient, quod faciunt Degradatio, Depositio & Irregularitas, si eam inter pœnas Ecclesiasticas numerare placeat. Secundò differt maximè ab aliis pœnis Censura, quod attendat potius emendationē & correctionem Rei, quàm ipsam punitionem, aut potius quod in punitione Rei, eius procuret correctionem, cùm pœnæ ob alios etiam fines honestos decernantur, vnde dicitur Censura pœna medicinalis cap. ex litteris de Constitutionib. & cap. 1. de sentent. Excomm. in 6. Itaque de Excommunicatione tradunt Theologi in 4. d. 18. & singulariter Bona. a. 1. q. 2. Valfridus Strabo lib. de Rebus Ecclesiast. cap. 17. sub fin. & alij, qui dicunt Ecclesiam censuris vlcisci eodem planè consilio, quo DEVS hominem peccatorem & flagellis castigat, & sibi ipsi relinquit, vt ad sanitatem redeat. Quod obseruauit etiam Gabr. lect. 26. in can. litt. K. & Ferrar. opusc. de Euangelica libertate. cap. 9. sicut autem DEI consilium ea in parte æquissimum est, quod luculenter ostendit Gregor. lib. 11. moral. cap. 8. ad illa verba Iobi, *præcinges fune renes eorum*, ita Ecclesiæ charitas in procuranda fidelium sanitate asperioribus istis pœnis, quas per Censuras infligit, sanctissima est, ipséque Paulus tradidit Corinthium Sathanæ, vt spiritus saluus fieret, quod de Excommunicatione interpretatur Hieron. & eam misericordem seueritatem appellat August. lib. de fide & operibus cap. 3. Hinc fit tertiò, vt Censura ex natura sua & prima institutione infligatur tantùm ad tempus, & perpetua non sit, tollique debeat, quam primùm Reus resipiscit; quare non debuit ius quodammodò radicale ad bona spiritualia auferre, sed illorū duntaxat exercitium & vsum impedire, vt initio monebam.

QVÆSTIO. II.

Diuisio & multiplicitas pœnæ Ecclesiasticæ & Censuræ.

Diuisio pœna Ecclesiastica. n. 1.
Quid sit Excommunicatio. n. 2.
Qualis sit diuisio Excommunicationis. n. 3.
Nomine, Excommunicatio absolutè maior intelligitur. n. 4. & 5.
Pœna quadam Excōmunicatio impropria. n. 6.
Peccatum mortale non est Excōmunicatio. n. 8.
Diuisio adaquata Excommunicationis. n. 9.
Quid sit anathema. ibidem.
Quid sit suspensio. n. 10.
Duplex suspensio, quarum vna est tantum pœna. n. 11.
Suspensio Censura quando differat ab aliis n. 12.
Diuisio suspensionis. n. 14. 15.
Suspensio absolutè sumpta quando intelligenda sit. n. 16.
An suspensio alternatiua sit bona. n. 17.
Quid sit Depositio. n. 18.
Quid sit degradatio. n. 19. 20.
Quid sit interdictum. n. 21. 22.
Quotuplex sit Interdictum. n. 23. 24.
Quid sit cessatio à diuinis. n. 25.

EXplicatâ naturâ pœnæ, Censuræ, & inhabilitatis Ecclesiasticæ, facilè fuerit earum veluti species enumerare; Pœna enim Ecclesiasti- 1

ca, quæ in priuatione bonorum spiritualium consistit, si in sua amplissima significatione sumatur, diuiditur, 1. in eam quæ priuat vsu bonorum spiritualium, & in eam quæ priuat potestate. Prima nominatur censura & continet tres alias species, nimirùm excommunicationem, suspensionem & Interdictum, quam diuisionem adæquatam & sufficientem esse vix ostendi potest, frustràque id conatum esse Vgolin. tract. de Censuris, aduertit. Suar. disp. 1. sect. 3. n. 7. cum facilè fuerit eum numerum augere, aut minuere, quandoquidem quædam ex istis sunt veluti partes aliarum. Certè ad hanc pœnam priuantem solo vsu pertinet cessatio à diuinis, quam si non placeat ad interdictum reuocare, erit constituenda noua species sub genere subalterno pœnæ priuantis vsu spiritualium, si tamen ea cessatio vere pœna sit. Altera pœna quæ priuat non modò vsu, sed potestate bonorum spiritualium diuidi posset in Depositionem & Irregularitatem ex delicto; ex quibus collige septem pœnas spirituales, Excommunicationem, suspensionem, depositionem, degradationem quæ addit ad depositionem externam quandam solemnitatem & apparatum, Interdictum, Cessationem à diuinis, & Irregularitatem. Quod si nolis inter pœnas Irregularitatem recensere, quia reuerà omnis irregularitas pœna non est, dic cum Alterio esse septem impedimenta Canonica, quorum conuenientias differentiasque exequi hoc loco longioris & inutilis esset operæ, id accuratè præstiterunt Sylu. ꝟ. interdictum n. 4. Nauar. cap. 27. num. 164. Sayr lib. 1. Thesau. cap. 2. latissimè, & Alteri. lib. 1. de Censuris disp. 1. cap. 3. & 4. Et certè omnes istæ conuenientiæ & discrimina versantur circa causam effectiuam, subiectiuam, materialem, modum ferendi, modum tollendi & varios effectus.

2 Excommunicatio igitur est Censura priuans excommunicatum communione fidelium: diuiditur in maiorem & minorem; maior priuat actiuo & passiuo sacramentorum vsu, suffragiis Ecclesiæ & communione totali fidelium, quæ vel politica est, vel spiritualis, tùm externa in eorundem sacramentorum & sacrificij vsu aliisque sacris officiis, tùm interna in participatione fructus, suffragiorum Ecclesiæ. Hanc propriam & plenam, vt ita dicam, Excommunicationem vocauit Cyprian. & Tertull. Exclusionem, abstentionem à communione Ecclesiæ, vel fraternitatis; submotionem ab omni non modò limine, verùm etiam tecto Ecclesiæ, Exautorationem & eiectionem ab Ecclesia, eradicationem aliisque similibus nominibus, quibus excommunicatum fine abstentum significant esse citra omnem fidelium cœtum, quæ diligenter congessit Pameli. ad Ep. 38. Cyprian. n. 10. & ad cap. 14. Tertull. de Pudicitia n. 119. Minor priuat solo passiuo sacramentorum vsu, & idcirco minor dicitur, quia paucioribus priuat, & propter minores culpas contrahitur, & veniales aliquando, cùm maior grauiorem culpam semper supponat.

3 Malè verò hanc diuisionem esse Analogi in analogata dixerũt Henriq. lib. 13. c. 2. n. 2. Sayr lib. 1. cap. 54. nn. 18. & Alteri lib. 1. disp. 2. cap. 5. Layman tract. 5. lib. 1. p. 2. cap. 1. n. 1. Cùm enim priuet passiuo vsu Sacramentorum, quæ sunt præcipua Ecclesiæ bona, vera & propria excommunicatio est, neque repugnant Innoc. in cap. illa quotidiana de Election. & ibid. Pan. 1. n. 4. dum vocant simplices excommunicationes, néque enim ea vox tollit rationem excommunicationis, sed solùm quandam amplitudinem illius effectus; néque aliud voluit S. Thom. in addit. 3. p. q. 21. a. 1. ad 4. adductus à Sayro, dùm negat diffinitionem Excommunicationis totaliter illi conuenire, sed tantùm quoad aliquid; vult enim tantum S. Doctor eam diffinitionem, quæ in obiectione allata fuerat, per quam Excommunicatio dicebatur priuare communione bonorum Ecclesiæ, & suffragiis, non conuenire secundum totam materiam illius priuationis huic excommunicationi, quæ tamen vera est Excommunicatio, quæ priuat communicatione fidelium siue omni & totali, siue aliquâ tantum; quamuis autem possent esse plures excommunicationes minores, sicut possunt esse priuationes partiales communionis fidelium, quam totaliter prohibet Excommunicatio maior, in vsu tamen Ecclesiastico non nisi illa, quæ priuat vsu passiuo sacramentorum talis dicitur, vt ostendit Suar. disp. 24. ſ. 1.

Nomine tamen Excommunicationis simpliciter prolatæ intelligitur perpetuò Excommunicatio maior ex cap. si quem. de senten. Excommun. vbi DD. glossa & Pan. id fusiùs tradunt, nisi ex quibusdam adiunctis colligatur aliud, quàm solum vsum passiuum Sacramentorum prohiberi, vt cap. cum excommunicato 11. q. 3. & cap. qui Excommunicato ibid. vbi communicans cum excommunicato eandem cum ipso excommunicationem incurrere dicitur, quod non nisi de minori Excommunicatione intelligi liquet; ratio verò aperta est, cùm enim, vt obseruat Ioann. Monach. in glossa extrauagante 1. de sent. Excommunicatio. vox Excommunicatio ex propria vi significet expertem communionis facere, quod sola præstat Excommunicatio maior, illa sola ex vi & natiua vocis significatione intelligenda erit. Deinde quælibet dictio in potiori significatione accipienda est ex glossa in l. 1. ff. de verbor. obligat. Non diffiteor tamen ante Gregorium IX. cuius est illud cap. pen. de sententia excommunicationis, nomine Excommunicationis simpliciter & absolutè prolatæ significatam fuisse minorem, quod videtur manifestè colligi ex cap. Engeltrudam 3. q. 4. & notauit Auila 2. p. cap. 1. disp. 2. & Mart. Peresi. de traditionibus 3. p. tit. de excom. §. 1. sub finem, tùnc enim magis timebant fideles prohiberi à receptione Sacramentorum, quàm nunc à tota communione Ecclesiæ. Quod obseruat Henriq. lib. 13. cap. 2. n. 2. atque hac ratione facilè conciliantur diuersa iura, distinguenda enim sunt vetera à posterioribus post Greg. nonũ, qui nobis eam Regulam vniuersalem tradidit. 4

Dices, Innoc. IV. in Conc. Lugdun. statuisse, vt qui in iudicio excipit aduersus alium excommunicationem, illius speciem declarare teneatur, vt refertur cap. 1. de Exception. in 6. Glossa autem ibid. ꝟ. *Speciem*, id ait fuisse sancitum propter Excommunicationem minorem, quæ ab agendo non repellit, sicuti maior, ac proinde ab excipiente excommunicationem, declarandum esse, an ea sit maior aut minor. Respondeo omissis, quæ circa hoc caput disputat Couarr. in cap. Alma. 1. p. §. 8. n. 8. malè dixisse Glossam exprimendum esse ab Excipiente excommunicationem fuisse maiorem, id enim satis constabat ex initio cap. & ex eo quòd sola maior excommunicatio repellat Actorem in iudicio. Vult ergo Pontifex declarari speciem maioris Excommunicationis, 5

cationis, siue propter quod peccatū imposita fuerit, cum enim §. *si verò ibid.* dicatur probandam esse exceptionem intra octiduum apertis documētis, id nulla ratione fieri poterat, allegatā tantum excommunicatione in genere, nisi illius causas & varia adiuncta Exceptor declararet. Ita Sua disp. 8. s. 3. num. 6. Kon. disp. 14. dub. 1.

5 Cur verò nomen Excommunicationis in dubio sumendum sit pro maiori, cùm tamen in pœnis benignior interpretatio capienda sit l. si præses, & l. interpretatione ff. de pœnis, varias causas congerit Couarr. Lay. & Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 4. num. 19.

6 Præter excommunicationem minorem, fuit quondam in vsu alia quædam pœna, quâ reus priuabatur consortio & communione aliquorum fidelium in quibusdam officiis & functionibus; sic cap. placuit 2. distinc. 18. Episcopi qui ad Concilium Prouinciale non accesserint, neque suæ absentiæ causam metropolitano probarint, iubentur communione suæ Ecclesiæ esse contenti. Quæ eadem pœna infligitur cap. vlt. dist. 58. Episcopo, qui Monachum ad clericatum promouere, vel Abbatem in suo Monasterio constituere præsumpserat; cap. etiam 1. dist. 34. Episcopus qui correptus à Comprouincialibus Episcopis parere recusaret, primùm iubetur à cæterorum Collegio abscedere, deindè si contumax perseueret, à ministerio abstinere. Et cap. in loco 5. q. 4. ex Concilio Toletano Episcopus, qui concilium tumultibus, contumeliis, aut risibus turbauerit, abstractus à communi cœtu secedere iubetur, & trium dierum sententiam perferre, cap. Episcopi 11. q. 3. Episcopi, qui leues ob causas delinquentes excommunicant, si parere noluerint, priuantur aliorum Episcoporum communione vsque ad futuram synodum, cap. vlt. 6. q. 1. Episcopus, qui excommunicato non communicabat, priuatur a Pontifice aliorum Episcoporum communione. Hinc Riccard. in 4. dist. 18. a. 7. duas facit species minoris excommunicationis, quarum vna priuet vsu Sacramentorum passiuo, & ferè à iure imponatur; alia verò quæ priuet solo consortio fidelium, & non nisi ab homine per sententiam infligi soleat, sed malè omninò, vt iam monui, cùm vnicam minorem excommunicationem DD. agnoscant, & illæ aliæ pœnæ quæ à quibusdam officiis & certarum personarum consortio abstinere iubebant, leuium criminum Reos non essent nisi impropriè admodùm excommunicatio, illa enim vox latiùs aliquando vsurpatur, pro cuiuscùmque communionis cum alio priuatione; vnde in illo cap. placuit, glossa ℣. *communione* ait Episcopos non accedentes ad Prouincialem synodum non fuisse admissos ad definienda communia negotia, neque ad consecrationem alterius Episcopi; quare non propriam fuisse eam excommunicationem, sed potiùs suspensionem quandam ab officiis & negotiis pertractandis obseruauit Turrecremata in summa de excom. lib. 3. cap. 20. quod idem confirmat Cardin. Iacobat, tract. de concil. lib. 2. a. 2. ex con. 2. Arlatens. cap. si quis. d. 18. & ex Conc. Agaten. & Tarrac. in duobus seqq. capitulis, vbi illa pœna propter non aditam Prouincialem synodum dicitur separatio à charitate & communione fratrum. Et in cap. 1. d. 34. glossa interpretatur illud, *excommunicatus abscedat*, vt non intersit cum eis communibus negotiis. Deinde præfigitur aliquando huic pœnæ certus terminus temporis, quo elapso illa cessat absque alia absolutione, vt in cap. in loco 5. q. 4. & cap. Episcopi 11. q. 3. & cap. neminem d. 45. quod non conuenit profectò censuræ, maximè excommunicationi, quæ neque diffinitur certo tempore, neque nisi per absolutionem relaxatur. Eodem modo interpretor excommunicationem inflictam egredienti Ecclesiam sacerdote verba faciente. cap. sacerdote 63. de consecratione d. 1. ex conc. Carthagin. 4. cap. 24. similis quædam excommunicatio impropriè dicta fuit solemnis antiquis Monachis, quibus propter certa crimina collocutio cum aliis, ad eandem mensam discubitus, & similis alia consuetudo prohibebatur, vt habetur apud Basil. in serie pœnæ, n. 15. & in regula S. Bened. cap. 24. vbi consule Anton. Peres; in his enim omnibus, cùm nulla sit priuatio internæ communionis, sed tantùm externa ex aliqua tantùm parte, non reperitur ratio germana excommunicationis etiam minoris.

Potior dubitandi ratio peti posset ex priuatione solius Eucharistiæ quæ prohibetur cap. nemo 11. q. 3. & cap. de Presbyterorum 17. q. 4. cùm enim Eucharistia dicatur per antonomasiam communio propter causas, quas tradit Bayus lib. 2. de Euchar. cap. 18. eiusque quoque priuatio, excommunicatio dicitur, sed minor & distincta ab ea, quæ omnium simul Sacramentorum receptionem inhibet, ita sentire videtur Layman lib. 1. tract. 5. pa. 2. cap. 1. nu. 1. & Sot. in 4. d. 22. q. 1. a. 2. quid enim deesse potest huic priuationi ad rationem excommunicationis, est enim priuatio communionis in Sacramentis, quamuis non in omnibus, & quoad solam receptionem. Erit itaque vera excommunicatio, minor sed non totalis: Veriùs tamen est eam excommunicationem non esse nisi impropriā, vt aduertit Suar. disp. 24. Sect. 1. n. 6. adducens victoriam & alios quibus adhæsit omninò Alteri. lib. 1. disp. 4. cap. 1. Erat enim pœna quædam imposita ob venerationem Sacramenti, & delicti pœnam, vt fecit Gregor. cap. accedens d. 50. & sicut hodie quoque quidam Confessarij faciunt, verum benè disputat Sanchez in suis selectis disputationibus, non tamen dicuntur excommunicare suos pœnitentes, nisi quis admodùm impropriè loquatur. 7

Quam eandem sermonis impropriètatem vsurpauit Maior in 4. dist. 18. q. 2. in illationibus ex conc. 3. dum omne peccatum mortale per quod peccator à perceptione Sacramentorum repellitur, minorem excommunicationem, quam ipse peccator sibi inurat, appellauit; quā in re secutus videtur glossam in cap. si quem, de senten. excomm. ℣. *non tantùm minori*, sed vocis huius impropriationem agnoscit Couarr. in cap. alma mater init. n. 5. & sanè aliud est peccatorem indignum esse Sacramentis, aliud Ecclesiæ lege ab illis suscipiendis repelli, quod fit in minori excommunicatione; non absimili argumento reiiciuntur à Nau. cap. 27. n. 152. qui peccatum mortale nominarunt suspensionem. Hinc tamen grauitatem peccati mortalis rectè deduxit Salian. lib. 6. de timore cap. 27. 8

Ex his omnibus tandem restat diuisionem excommunicationis in maiorem & minorem adæquatam esse; quod enim aliqui voluerunt esse tertiam quandam, quam dicunt maximam, & in iure nominatur anathema, reiiciendum prorsus est; missis enim, quæ de huius vocis varia significatione disputauit Baron. an. Christi, Serari. in cap. 16. Iud. Couarr. latissimè in cap. Alma mater 1. p. §. 8. n. 7. Suar. disp. 8. de censur. sect. 21. Theophil. p. 2. de monito cap. 8. Nau. in comment. de datis & promissis n. 9. ℣. addo septimò. Certum est substantiali- 9

ter, vt ita dicam, excommunicationem eſſe, ſed maiori cum ſolemnitate & apparatu, de quo dicemus inferiùs; quamquam gloſſa in cap. fin. de foro competente, & Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 12. n. 2. & lib. 2. in decalog. cap. 38. num. 91. de excommunicatione intentata ſolùm & differenda; eam vocem vſurpari velint. Suar. diſp. 3. ſect. 3. n. 4. & Sayr. lib. 1. de cenſu. cap. 11. n. 10. denotare dicunt excommunicationem latæ ſententiæ. Quod probabilius quoque videtur, niſi aliud ex adiunctis circumſtantiis colligatur, ſintque eæ coniecturæ quæ ſublatâ eâ voce perſuaderent, excommunicationem non eſſe, niſi ferendæ ſententiæ, de quibus inferiùs dicam. Additur autem ea vox aliquando verbo excommunicationis ad auxeſim quandam. Non placet autem quod Kon. diſp. 24. dub. 1. n. 4. exiſtimat ſolam execrationem & maledictionem ſignificari ea voce, quoties à Conciliis apponitur propoſitionibus, quas damnant, volunt enim Concilia docentem eiuſmodi propoſitiones fieri anathema, non autem ipſam propoſitionem quæ damnatur. Sed multò magis reiiciendus eſt Decius, qui in cap cùm non ab homine, de Iudic. n. 3. ait, quando excommunicationi adiungitur vox Anathematis, excommunicatione, ſignificari minorem, & Anathemate maiorem, citatque Dominicum in cap. penul. §. notandum 3. q. 4. cui ſubſcribit Nau. in comm. de datis & promiſſis n. 9. ℣. addo ſeptimo, iam enim dixi eandem eſſe vtriuſque illius vocis ſubſtantialem ſignificationem. Hactenus de Excommunicatione, & eius veluti ſpeciebus.

10 Suſpenſio eſt pœna impediens ne perſona Eccleſiaſtica functiones Eccleſiaſticas exerceat, aliqua ve poteſtate Eccleſiaſtica vtatur. Ad quam diffinititionem omnes aliæ, quas paſſim DD. afferunt, facilè reuocantur, ſunt enim aut longiores aut breuiores, prout plura adiuncta & proprietates huius pœnæ ac cenſuræ ad maiorem perſpicuitatem continent; nos autem, cùm non deſcribamus duntaxat hanc pœnam, ſed illam propriè, quantùm licet in re morali, diffiniamus, nihil aliud afferre debuimus, quàm proprium eius effectum, qui eſt priuare hominem exercitio officij & miniſterij Eccleſiaſtici, & impedire, ne functionem aliquam exercere poſſit, aut vlla vti poteſtate Eccleſiaſtica.

11 Vſurpaui autem vocem pœnæ potiùs quàm cenſuræ, vt complecterer tùm illam ſuſpenſionem, quæ ob delictum tantùm infligitur, & eſt mera pœna, tum eam, quâ plectitur contumacia, & eſt vera Cenſura recenſita ab Innoc. in cap. Quærenti, de verb. ſignif. Prior illa vindicatiua ſuſpenſio, poſterior iſta medicinalis dici poterit, vtriuſque frequens eſt vſus tùm in iure, tùm in cottidianis iudiciis, illiúſque meminêre DD. teſte Panorm. in cap. Reprehenſibilis n. 3. & in cap. ſæpè. n. 16. de Appellationibus, vtrobiq; allegans Innoc. in c. 11. de exceſſ. Prælatorũ. Eiúſque aperta mentio eſt cap. tam litteris, de teſtibus & cap. in loco 5. q. 4. vti allegat Panorm. in cap. Reprehenſibilis; adducuntur quoque cap. cùm in cunctis §. vlt. de Electione & Clem. 1. §. penult. de Hæreticis, & Clem. 2. de Pœnis, quibus locis cùm imponatur ſuſpenſio ad triennium, aut aliud tempus diffinitum; manifeſtum eſt illam non eſſe Cenſuram, cui nullum certum tempus præfigi poteſt, cùm enim feratur ad cohibendam hominis in Eccleſiam contumaciam, & vt ſibi eandem redditus, à culpa recedat, aliud tempus præſcribi non poteſt, quàm receſſus à culpa; quare non habet abſolutam durationem, ſed conditionatam tantùm, donec nimirum reſipuerit Reus, aut ſi reſipuerit; at verò quando pœna eſt, vel vnam delicti vindictam, ac Rei punitionem intendit, debet æquari culpæ, quæ quò grauior erit, eo diuturniori ſuſpenſione plectetur; vnde ſequitur vt pro grauitate aut leuitate criminis breuiorem aut longiorem terminum habeat, átque etiam aliquando perpetua ſit, ſiue quia indefinitè abſque vllâ certi temporis limitatione fertur, ſiue quia poſitiuè in ipſamet lege aut ſententia eiuſmodi perpetuitas declaratur, & tùnc cenſetur moraliter immobilis & ordinariè carens ſpe diſpenſationis; quando autem indefinitè tantùm imponitur, includit hanc conditionem, donec ſuperior diſpenſet, vel vſque ad beneplacitum ſedis Apoſtolicæ; quare ex vi modi, quo fertur, non videtur prorſus immutabilis. Atque hoc eſt primum diſcrimen inter has duas ſpecies ſuſpenſionis.

Ex quo ſecundum quoddam oritur, ſuſpenſio enim quæ eſt pœna, elapſo tempore ſibi præfixo, ceſſat, ábſque vlla alia abſolutione, cùm prohibitio ad certum tempus facta extra illud non operetur, aſportatus enim in inſulam aliquam, elapſo decennio exilio ſuo præſcripto, liber redibit in patriam.

Suſpenſio verò, quæ eſt cenſura nunquàm niſi abſolutione deſinit, vt commodiùs dicam diſq. 10. 3. ſuſpenſio, quæ eſt pœna ſine præuia monitione ferri poteſt, cùm feretur propter culpam iam præteritam, & quæ non ampliùs perſeuerat, ſiue quæ, vt loquuntur, non habet tractum ſucceſſiuum; cùm ſuſpenſio, quæ eſt cenſura aliquam præuiam monitionem exigat, vt de omni Cenſura, quando fertur ab homine, trademus in vniuerſum diſq. 7. Alia diſcrimina inter has ſuſpenſiones dabit Alteri. diſp. 1. de ſuſp. cap. 1. hæc verò præcipua ſunt; conueniunt autem omninò in præcipuo effectu, cùm eodem modo priuent vſu officij & beneficij.

Reliquæ particulæ diffinitionis ponuntur loco 12
differentiæ, quamuis enim Excõmunicatio & interdictum videantur eandem priuationem inducere non tamen eodem modo. Et quidem Excõmunicatio operatur illud ipſum quod ſuſpẽſio, atque adeò multò plura, cùm plures alias priuationes afferat, vnde ſi ſolam materialem differentiam ſpectemus, comparabuntur vt includens & incluſum; Ideò aliquando in iure ſuſpenſio dicitur excommunicatio, quod obſeruat Maiol. lib. 5. de Irregul. cap. 21. n. 23. & probat ex cap. quidquid 1. q. 1. iuncta Gloſſa, & ex cap. Eccleſiaſtica d. 23. cum Gloſſa, atque Bernard. Dias in practica. Canon. cap. 33. differunt nihilominus ratione formali & ſpecifica ex variis motiuis intrinſecis deſumpta; Excommunicatio enim priuat omnibus illis bonis & miniſteriis ac functionibus, quatenus ſunt quædam communicationes cum aliis fidelibus, quibus iiſdem priuat ſuſpenſio quatenus ſunt exercitia alicuius poteſtatis Eccleſiaſticæ ab officio vel beneficio prouenientis; Etſi enim ſuſpenſus retineat officium & beneficium, non tamen ipſorum liberum vſum habet, vt amplius dicetur diſq. 8. Vnde vides cur hæc pœna ſit tali nomine appellata; quod Reus per illam conſtituatur quodammodo in ancipiti, & in pendenti, cùm neque amittat officium, neque liberũ retineat; quare pro prohibitione quoq;

ministerij

ministerij cuiuscunque vsurpatur ea vox, vt videbis apud Sayr lib. 4. thesau. cap. 1. & Alteri. disp. 1. de suspensione cap. 1. qui varias huius nominis acceptiones latiùs persequuntur, à quibus pœnam istam satis distinguunt functiones Ecclesiasticæ, quibus priuat; is enim effectus non nisi pœnæ Ecclesiasticæ competere potest.

13 Ex eâdem ratione formali assignata differt suspensio ab interdicto, quod priuat administratione aliquorum Sacramentorum, officiis diuinis & Ecclesiastica sepultura, quatenùs sunt etiam communicationes quædam, quare prohibetur illa officia aliquis exercere, quia id facere non potest sine communicatione cum aliis: suspensio verò illa prohibet quatenùs sunt exercitia quædam potestatis Ecclesiasticæ, nam si à Laico fieri possunt, poterunt quoq; à suspenso exerceri; præterquàm quod etiam in ratione materiali differunt hæ censuræ, cum interdictum priuet officiis diuinis & sepultura, quibus non priuat suspensio, cùm suspensus etiam diuinis officiis tanquàm Laicus, præsens esse possit.

Denique tùm excommunicatio, tùm interdictum afficiunt quoslibet; suspensio autem solas personas Ecclesiasticas, quo nomine potiùs, quàm Clerici vti malui, vt abstineam ab ea quæstione, quam disputant DD. an etiam Monachæ vt Abbatissa verè dicantur suspendi, quod disquiram disq. 4. q. 4.

14 Varias suspensionis diuisiones eásque inutiles allatas à Canonistis latè & verbosè satis excutit Alteri disp. 1. cap. 3. Concinniùs vero Suar. disp. 15. sect. 2. vbi, quam idoneum sensum ferre possit celebris illa Pan. in cap. vlt. de Clericor. excomm. min. num. 4. & in cap. cùm dilectus de Consuetudine n. 20. partitio, in maiorem & minorem suspensionem, quam cum minori Excommunicatione, sequutus Glossam in Clem. cupientes ℣. suspensi de pœnis, confundit contra expressissimam iuris mentem, pluribus inquirit à n. 12. Nos his omnibus dimissis præcipuâ, eâque essentiali quantum in re morali licet, diuisione, contenti erimus.

15 Alia igitur est suspensio ab officio, alia à beneficio, alia ab vtrôque simul, quæ simpliciter totalis & integra dici potest; siue constituat tertiam quandam speciem ab aliis duabus distinctam; siue sit tantùm ipsarum concursus in vnam eandemque personam. Nomine Officij intelligitur omnis potestas spiritualis, siue Ordinis, siue Iurisdictionis ad aliquem actum spiritualem exercendum, ac præterea omnis Ecclesiastica administratio, nam etiam varia ministeria, vt thesausaurarij, Custodis, & cætera eiusmodi nomine Officij designantur in iure, vnde est titulus de Officio Custodis, & in cap. perlectis d. 25. varia eiusmodi officia enumerantur, eorúmque functiones declarantur in Extrau. vnic. de rebus Ecclesiæ non alien. inter communes, quæ est Pauli 2. Beneficium autem accipitur, vti vulgò solet pro iure perpetuo ad percipiendos aliquos Ecclesiasticos prouentus; vtraque hæc suspensio vel totalis est, vel partialis; totalis quæ ab omni officio, vel beneficio priuat; partialis qua quis priuatur sola aliqua parte officij aut beneficij vt si quis suspendatur ab ordine tantùm, aut à sola iurisdictione, aut si parte tantùm iurisdictionis, aut actione duntaxat aliqua ordinis; aut cùm cotidianis tantum distributionibus, aut alterâ solum parte fructuum alicui interdicitur: Limitatur enim variis modis suspensio, ratione materiæ, loci, aut temporis.

16 Quando suspensio absolutè fertur, neque determinatur an sit ab officio an à beneficio, intelligenda erit suspensio totalis tùm ab officio, tùm à beneficio simul, vt tradunt Auila. 3. p. disp. 2. dub. 1. Conc. 5. Suar. & Alteri. loco citando; Layman lib. 1. tract. 5. parte 3. cap. 1. num. 2. Tolet. lib. 1. cap. 43. n. 5. Sylu. ℣. suspensio q. 5. sub finem. Henriq. lib. 13. cap. 33. Ferdinand. tract. 29. p. 1. n. 3. Kon. disp. 15. de Pœnit. dub. 1. n. 4. quia non est vnde suspensio ita lata in vniuersum, potiùs ad vnam, quam ad aliam determinetur, & simpliciter accipi debet ea vox, atque in natiua sua significatione, sic autem vtramque suspensionem complectitur, quod ex iis, quæ de Excommunicatione sumpta pro maiori, quando ad neutram in lege aut sententia determinatur, dicta sunt superiùs colligitur. Nunquàm tamen absolutè ferendam esse suspensionem, sed semper determinari oportere an ab officio an à beneficio, an ab vtroque sit, sapienter monet Alteri. disp. 1. de suspens. cap. 4. neque vnquam reperitur lata esse in iure ita indeterminatè, cùm in locis, quæ in contrarium afferuntur, facilè coniici possit ex variis adiunctis, de qua suspensione sit sermo, vt expendit ibidem Alteri. & Suar. disp. 25. sect. 2, n. 8. quod etiam in extrauag. diuina. de priuilegiis, quæ probabilius obiiciebatur, verum esse comperies.

17 Maior difficultas est, & DD. dissensio, quid ferat suspensio quando alternatiuè pronunciatur, suspendo te ab officio, vel beneficio, neque constat de intentione proferentis, illa enim sequenda esset, vt rectè monet Anton. de Buttrio apud Panorm. in cap. Latores de Clerico excommunicat. Minist. n. 7. vt verò concilientur diuersæ sententiæ, distinguendum videtur inter suspensionem, quæ fertur à lege, & eam, quæ fertur ab homine & Iudice, & an incurrenda sit ipso facto, sitque latæ sententiæ, an verò sit tantùm à Iudice iussu legis imponenda. Si igitur suspensio feratur alternatiuè à lege, vt in cap. à crapula. de vita & honestate Clericor. nunquam ipso facto incurritur, neque est latæ sententiæ, sed ferendæ, datúrque optio Iudici, vt quam voluerit ex illis suspensionibus infligat Reo, quod postremum tradit Glossa in illud cap. à crapula. ℣. beneficio, ibique Panorm. n. 4. refert Regulam Ioann. Andreæ à Canonistis & Glossatoribus communiter receptam in pœnis alternatiuis dari optionem Iudici; quam etiam valere, quando verba legis impersonalia sunt, v. gr. suspendatur ab officio, vel beneficio contendit ibid. Panorm. contra Barthol. qui eo casu relinqueret optionem Reo, vt quam vellet ex illis pœnis eligeret, eò quòd iura pœnalia benignius interpretanda sunt, verùm cùm pœna sit imponenda per Iudicem, ipsius fuerit eo in dubio, quod magis æquum & consentaneum existimauerit, eligere.

Nunquàm autem pœnam alternatiuè latam à lege incurri ipso facto, esséque semper ferendam à Iudice, ex eo probatur, quia vel vtraque illa pœna incurritur à Reo ipso iure, vel altera tantùm; non vtráque, vt malè tradidit Glossa in cap. Latores de Clerico excomm. Ministr. ℣. ab officio, ibique Hostiens. quem Panorm. in idem cap. refert n. 7. nam iam ea Censura non ferretur alternatiuè, sed coniunctiuè: non diffiteor particulam, *Vel*, aliquando pro Coniungente sumi; vt cap. in

calicem, de Consecrat. d. 2. vbi sanguine CHRISTI pacificata dicuntur omnia vel in Cælo, vel in terra, rectè enim, *Vel*, eo loco sumitur pro coniunctione, prout interpretatur, Glossa. l. si is qui ducenta. §. final. ff. de rebus dubiis. Et ad hanc interpretationem cogit ipsa subiecta sententia, quod non contingit hoc loco, immò hic modus ferendi pœnas, quando ipso iure incurruntur, est omnino alienus à lege & nunquàm in illa reperitur: in illo enim cap. A Crapula, quod vnicum affertur, relinquitur arbitrio Superioris, quanam suspensione plectendus sit Clericus ebrietati & crapulæ deditus, vt ipsamet Glossa exponit. Et denique si fuisset mens Legislatoris vtramque eam pœnam & suspensionem infligere, aliter loquutus fuisset. Non incurritur etiam altera tantùm ex illis suspensionibus, cuiusnam enim erit determinare? non Iudicis, cùm Censura sit iam ipso iure lata; non etiam Rei, qui ante delictum commissum non eliget, ipso autem delicto commisso statim ipso facto incurrit suspensionem, neque proinde locus electioni relinquitur.

Quando verò suspensio & quæuis alia Censura fertur alternatiuè à Iudice, nulla omninò est. Ita Panorm. in cap. Latores tit. n. 7. referens Goffredum in cap. Quanto, de Magistris. Nau. cap. 27. n. 161. Rosella. ℣. Suspensio. Sylu. ibid. n. 5. Anton. 3. p. tit. 28. cap. 4. Henriq. lib. 13. cap. 32. n. 4. Maiol. lib. 3. de Irreg. cap. 19. n. 14. Qui idcircò addit violantem eiusmodi suspensionem non fieri irregularem, quod dixerat etiam Panorm. l. c. & Sylu. ℣. Irregularitas. q. 13. & Viuald. in Candelab. tit. de Suspens. n. 155. Denique hæc communis est sententia, vt testatur Sayr. lib. 4. Thesau. cap. 7. n. 2. Sequuntur deinde recentiores cum Ferdin. tract. 19. disp. 4. p. 5. §. 3. n. 1. contra Hurtad. tract. de Suspens. diffic. 4. n. 11. & Alteri. l. 3. de Excomm. disp. 9. cap. 3. & disp. 1. de Suspens. cap. 4. qui validam putant eam sententiam, esseque in voluntate Rei, eligere alteram ex eis suspensionibus, aut aliis censuris, vt quando dicitur, Excommunico te vel suspendo. Probatur tamen communis opinio, quia sententia incerta & indeterminata nulla est. l. 3. Cod. de Sententia, quæ sine certa quantitate profertur. Fateor tamen, non apparere firmam rationem, quæ persuadeat non esse in potestate Iudicis facere optionem Reo, quam libuerit pœnam ex designatis eligere, nam l. cùm quidam: C. de verbor. signific. probat legatum disiunctiuè scriptum, sic enim inquit, *sin autem vna quidem est persona, res autem ita derelictæ sunt, illam aut illam rem do, ac lego, tunc secundum veteres regulas & antiquas definitiones iura vetustatis maneant incorrupta*, vbi Glossa notat antiqua iura ferre, vt hæres eo casu habeat optionem rerum relictarum: Quidni etiam mulctare poterit Iudex Reum exilio, vel summa aliqua pecuniaria; quia tamen quoad censuras quæ grauissimæ pœnæ sunt, communis sententia existimat, imò & ratio postulat, ne indeterminatè ferãtur, illi hoc loco ita visum est insistere, vt sententiam Alterij non existimem improbabilem, & omninò certam, quando apertè constabit ex sententiæ verbis, optionem alterius suspensionis aut censuræ relictam esse nocentis arbitrio.

18 Depositio est pœna Ecclesiastica, per quam aliquis ob enorme crimen remouetur ab ordine, iurisdictione, vel beneficio in perpetuum & sine spe restitutionis; quamuis enim variè vsurpetur depositionis vox in iure, vt obseruat Alteri. disp. 2. de Suspens. cap. 1. frequentior est ea acceptio, vt abdicationem siue priuationem officij significet, quæ abdicatio in re Ecclesiastica, quando imponitur tanquam pœna, est ea remotio perpetua, & irremissibilis ab officio vel beneficio; néque rectè Panorm. in cap. insinuatam, de Simon. n. 2. & in cap. inquisitionis, de Accusat. n. 7. vocat depositionem beneficij, quia Iudex priuans per sententiam Clericum aliquem beneficio, aut iurisdictione, non censetur illum deposuisse, cùm possit iurisdictionem & beneficium iterum recipere à conferente, quod non potest depositus, eò quod illa pœna sit perpetua. Abstineo autem ab ea quæstione, an simplex depositio priuet non modò in perpetuum fructibus beneficij & exercitio officij, ac iurisdictionis, sed ipso etiam beneficij titulo, atque ipsa iurisdictione, ordine enim & potestate illi necessariò connexa certum est non priuare, cùm non deleat characterem inustum animæ, per quem illa confertur.

Diuiditur depositio in eam, quæ est à solo officio, & eam quæ est à beneficio, prioris exemplum habes in cap. Si Episcopus d. 50. & in cap. Si qui Clericus d. 51. posterioris fit mentio in cap. querelam de iure iuran. Vtraque iterum subdiuiditur in totalem & partialem, quando ab vnico ordine, vel ab omnibus, ab aliqua iurisdictione partiali, aut beneficio determinato quis deponitur.

Ex quibus vides magnam affinitatem habere hanc pœnam cum suspensione, præsertim, si, quod aliqui volunt, non priuet ipso dominio siue titulo beneficij, sed fructibus, impediatque tantum licitum exercitium iurisdictionis, id enim ipsum præstat suspensio, quæ si perpetua sit positiuè, atque adeò pœna & non censura prorsùs non differt à depositione, vt rectè vidit Suar. disp. 30. sect. 1. n. 11. Et sanè nomina suspensionis atque etiam degradationis confunduntur aliquando in iure. locis ab Sayro lib. 5. cap. 19. n. 3. & ab aliis, quos ibid. magno numero allegat, relatis.

Degradatio est actualis depositio, & priuat degradatum ordine, iurisdictione & beneficio, quoad vsum & quoad ipsam potestatem, quantum ea tolli potest ab Ecclesia; nam potestas ordinis, vt iam monui, indelebilis est, priuat prætereà Clericum & priuilegio fori & Canonis, fitque certis quibusdam ritibus & solemnitatibus. Peregrina autem est ea vox, & non nisi in iure Ecclesiastico vsurpata, eò quod ordines sacri, gradus vocentur, quibus ad summam Sacerdotij dignitatem promouentur Clerici. Itáque ferè eadem est cum depositione verbali, confunduntúrque sæpiùs hæ voces vt dicebam. Vtraque enim est pœna Ecclesiastica, vtráque ex probabiliori sententia non modò vsu potestatis Ecclesiasticæ, sed ipsa etiam potestate priuat, neutra delet characterem, aut ordinem, ac proinde neque tollit onera, quæ illi annexa sunt, cuiusmodi est obligatio seruandi castitatem, inhabilitas contrahendi matrimonij, onus recitandi horas, & cætera similia; Vtráque reddit infamem Clericum; non nisi ob enormia crimina imponitur, & ex sua natura perpetua est. Differunt tamen solemnitatibus; deinde quia degradatio nihil adimit Clerico, si in rigore loquamur, sed tantùm priuationem 19

nem iam inductam per depositionem verbalem publicè denuntiat; Tertio degradatio actualis priuat fori & Canonis priuilegio, & eam sequitur traditio Clerici curiæ sæculari, quod nnn conuenit verbali depositioni, quæ etiam ferri potest in absentes, cùm degradatin præsentiam Rei requirat.

20 Denique in iure nomine Degradatinnis intelligitur tantùm verbalis, non actualis, nisi id exprimatur, vt obseruant Pan. in cap. At si Clerici de Iudic. n. 38. & Feln. in cap. qualiter. 2.i§. vlt. in fin. de Accusati. cùm enim hæc pœna grauissima sit, non debet intelligi imponi, nisi id perspicuò constet. Has aliasque differentias Depositionis & degradationis latius prosequitur Alteri. disp. 2. de susp. cap. 2. & 3. & à nnbis exponentur, cùm de harum pœnarum effectibus disputabimus disq. 7. moneo duntaxat ad clariorem lucem totius tractationis, duplicem esse degradationem verbalem, vt obseruant Iulius Clarus in practica crimin. q. 74. n. 4. & Bernard. Diaz in pract. crim. Canon. cap. 3. n. 6. vna enim fit sine vllo ordine ad sequentes degradationes, altera verò ordinatur ad futuram degradationem, priorem appellat Suar. absolutam, & posteriorem respectiuam, cuius est tantum executio, aut promulgatin actualis degradatin, quam etiam sententinnalem dicunt, & tùm depositio verbalis respectiua, tùm degradatio suas habent solemnitates.

21 Interdictum antiqua & benè latina significatione veteribus vtriúsque iuris conditoribus non incognita, est prohibitin quædam, sicut interdicere est prohibere ac vetare, vnde solemnis illa formula interdicendi aqua & igni exulibus, atque interdicta prohibitoria in iure ciuili; & in iure Pontificio titulus est de contracto matrimonio contra interdictum Ecclesiæ, verboque interdicendi vtitur Cnncil. Aurelian. 3. Childeberto regnante coactum can. 7. 10. & 21. illóque antiquius Eliberitanum Pontifice Siluest. 1. circa tempora ferè Nicæni. can. 16. 40. 49. & 62. apud veteres tamen Iurisconsultos non solùm erant interdicta prohibitoria, sed etiam restitutoria & exhibitoria, vt Author est Iustinian. initio I. de interdicto: Erant enim interdicta, quod nbseruauit etiam Glossa in cap. Pastoralis de causa possess. & propriet. decreta quædam Prætoris inter duos litigantes de pnssessinne, intereà dum causa principalis & proprietatis disceptaretur; nihil enim diffiniebat, aut decidebat Prætor, sed informabat Iudices, ad quem Litigatores remittebantur: Itaque erat rythmus siue ordinatio futuri de proprietate Iudicij. Quare aliqui volunt interdicta fuisse appellata, quod inter duns dicerentur, alij quod interim, dum de proprietate litigabatur: rogarentur; itaque sunt interlocutiones & sententiæ latæ à Prætore in causa possessionis, quâ de controuersia, & nominis huius significatinne vide plura apud Brisson. Budæ. Hotnm. & Cuiac. lib. 5. obseruat. cap. 7. Vsu verò Ecclesiastico iam obtentum est, vt interdictum pro certa quadam & peculiari censura ab excommunicatinne & suspensione distincta vsurpetur cap. Quærenti. de verbo. signifi.

22 Est itaque interdictum censura Ecclesiastica prohibens diuinorum officiorum celebratinnem, Sacramentorum actiuam & passiuam administratinnem, atque Ecclesiasticam sepulturam, quatenus res quædam sacræ sunt & Ecclesiæ bona. Dixi Censuram, quia reuera vt talis ab omnibus agnoscitur, neque placet Couarr. qui in cap. Alma mater. 2. p. §. 1. n. 2. maluit appellare suspensinnem, non sine ambiguitate vocis, quandoquidem suspensin nomen est certæ cuiusdam censuræ, non autem genus, nisi in latissima significatione vsurpetur pro impedimento quidpiam agendi, vnde fiat, vt quodammodo pendeat ille actus, sed tùnc genus remotissimum loco proximi assignatum fuerit in hac diffinitione. Magis etiam displicet, quod idem Couarr. n. 4. neget interdictum esse propriè pœnam spiritualem, cùm animam non afficiat, neque priuet communione suffragiorum Ecclesiæ, sed tantùm suspendat diuinorum officiorum celebrationem, quæ suspensio animam non ligat: nam hac ratione interdictum censura non erit, cùm illam diffinierimus esse pœnam spiritualem, immò neque suspensio, cùm non priuet communibus suffragiis, neque passiuo Sacramentorum vsu, sed tantùm actiuo, & exercitio potestatis Ordinis ac Iurisdictionis, pœna spiritualis propriè erit, neque, quod inde sequitur, censura. Quare ad ratinnem pœnæ spiritualis non est opus vt priuet communione suffraginrum, sed satis est, si prohibeat participatione bonorum spiritualium, cuiusmodi sunt Sacramenta, diuina Officia, atque etiam Ecclesiastica sepultura.

Ex hac porrò diffinitione statim apparet, quomodò hæc censura differat ab aliis, aut cum ipsis conueniat, quod pluribus prosequitur Alteri. disput. 1. de Interdict. cap. 2. & quidem quoad rationem materialem differt ab excommunicatione, eò quod paucioribus priuet, quàm excommunicatio, quæ & illa ipsa, quæ interdicto prohibentur, & alia multò plura complectitur; quare pars quædam excommunicationis dici posset. Certè Excommunicatinnis nomen sæpiùs pro interdicto vsurpatum videbis apud Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 40. n. 7. & apud Ademarum S. Eparchij Monachum in chronico an. 994. & in Conc. Bituricensi Act. 1. vbi Odelricus Monachus proponit seueriorem quandam rationem Excommunicationis aduersus perturbationes Lemouicensis Episcopatus, quam refert Baron. an. 1034. n. 18. & ex ipsa lectione constat, esse interdictum in terram Lemouicensem latum, non excommunicationem propriè dictam suspensio verò non prohibet, quæ interdicto vetantur, sed alia quædam, vt ex ipsarum diffinitionibus manifestum fit.

Quoad rationem autem formalem, siue modum sub quo hæc sacra & bona spiritualia diuersis istis censuris vetantur, manifesta quoque distinctio est; nam hæc bona considerari possunt, vel in sese tantum quatenus sunt talia bona, sacra nimirum & spiritualia, quibus CHRISTVS suam sponsam dotauit, & Ecclesiæ rempublicam instruxit; vel quatenus communia sunt omnibus fidelibus, qui eo quod sint eiusdem Reipublicæ ciues, aut eiusdem corporis membra in illis tanquam re publica communicant; vel denique vt sunt exercitia quædam sacræ potestatis. Primo modo prohibentur ab interdicto, secundo ab excommunicatione, quæ idcirco omnium censurarum amplissima est, & pluribus priuat, quia communionem omnem tollit, quod non facit aut interdictum, aut suspensio. Denique bona spiritualia, vt sunt sacræ potestatis actiones, vetantur suspensione, vnde etiam sumitur adæquata velu-

ti ratio

ti ratio huius numeri, & cur augeri aut minui non possit, quantum in re morali licet (demonstrationes si quidem hoc loco afferre frustrà laborarunt aliqui, vt superius ex Suare monuisse memini) non videntur enim aut alia bona spiritualia esse in potestate Ecclesiæ, aut alij modi, vel rationes formales, sub quibus considerari & ab Ecclesia prohiberi possint.

23 Interdictum duplex est, locale vnum, quo probibetur ne sacra officia, Sacramenta, & Ecclesiastica sepultura alicubi celebrentur; personale alterum, quo prohibetur fidelibus interesse diuinis officiis, Sacramentis tum actiuè, tum passiuè participare, & donari Ecclesiastica sepultura. Quare interdictum locale ad solum locum fertur, nam extra illum hæc omnia licent fidelibus; personale dirigitur ad personas, quæ nullibi possunt hæc sacra percipere. Consentiunt huic diuisioni DD. omnes, cùm manifestè colligatur ex iure cap. præsenti, cap. si sententiam, cap. si Ciuitas, de sententia excomm. in 6. Neque mirum est, locum capacem esse huius censuræ, tùm quia suo modo consecrationis, atque pollutionis capax est, tùm quia pœnâ eiusmodi plectuntur fideles, quibus prohibentur hæc sacra non simpliciter & absolutè, sed ratione loci, in quo celebrare hæc non licet. Addunt Nauar. cap. 27. n. 166. Sylu. ℣. interdictum. 1. q. 2. Tabiena. eod. ℣. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 10. p. 2. Tolet. lib. 1. cap. 18. & alij, nec improbat Sayr. l. 5. Thes. cap. 1. n. 10. tertium genus interdicti, quod mixtum ex locali & personali; seu deambulatorium appellant, eo quod tùm persona ipsa, tùm loca, in quæ deuenerint, interdicantur hac formula, interdico Titium & locum, vbi est, aut vbi fuerit, & quamdiu in eo manserit, cuius exemplum habemus in cap. non est vobis. de Sponsal. & in cap. dilectis filiis de Appellati. Verum hoc interdictum locale dici potest successiuè, neque quicquam peculiare habet; quatenus enim personale est, de illo iudicandum est, vt de personali, & quatenus est locale, iudicandum erit vt de locali, quare eam tertiam interdicti speciem reiiciunt cæteri communiter.

Vtrúmque hoc interdictum tùm locale, tùm personale diuiditur rursùs in generale & particulare, quæ diuisio sumitur ex cap. cùm in partibus de verb. signifi. & cap. præsenti, de sent. Excom. in 6. quibus locis fit mentio generalis interdicti localis, cap. autem si sententia, de sententia Excomm. in 6. habetur. Interdictum generale, personale, vnde necessariò colligitur membrum oppositum nimirum interdictum particulare.

24 Interdictum igitur generale loci est, quod fertur in aliquem locum, qui plura loca particularia continet, cuiusmodi est Regnum, Ciuitas, Prouincia, Diœcesis, castrum, oppidum; particulare verò cùm vnius Ciuitatis vna vel plures Ecclesiæ, non tamen omnes interdicuntur; nomine autem Ecclesiæ intelligimus etiam loca priuata, in quibus celebrari potest, capellas annexas & cæmiteria. Interdictum generale personale est, cùm interdicitur populus totius alicuius Regni, Prouinciæ aut Ciuitatis; particulare dum vna aliqua particularis persona, vel particularis aliqua communitas, vt Capitulum, Vniuersitas, Academia, aut plures etiam personæ singillatim interdicuntur. Inter interdicta generalia vnum est magis generale, quàm aliud, sicut ex interdictis particularibus alia sunt magis particularia aliis; Prouincia enim amplior est Ciuitate, cùm tamen vtráque interdicatur interdicto generali, & vna Ecclesia specialius est situ magis singularis, quàm duæ, in eas tamen fertur interdictum speciale. Qua de causa trimembrem faciunt hanc diuisionem, & distinguunt interdictum speciale à particolari siue singulari. Angel. ℣. Interdictum 1. n. 1. & 11. & interdictum 2. o. 1. Philiar. p. 1. de officio Sacerd. lib. 4. cap. 3. Ita vt ex Angel. interdictum locale generale sit interdictum Regni, vel Prouinciæ, vel Diœcesis. Speciale interdictum ciuitatis, castri, villæ, singulare interdictum Ecclesiæ vnius vel plurium. Generale personale est interdictum vniuersi populi Regni totius, Prouinciæ, vel Diœcesis, speciale cùm interdicitur pars aliqua populi v. g. aliquod determinatum Collegium, aut Capitulum, aut Vniuersitas, & non totus populus. Singulare denique cùm aliqua persona determinata, certa, aut incerta interdicitur. Antonin. autem paulò aliter has voces explicat; nam interdictum Vniuersitatis & Collegij locale dicit: singulare autem interdictum illud solùm appellat, quod fertur in vnam personam determinatam, quare illud solum est interdictum personale. Alij tamen DD. passim hanc diuisionem reiiciunt, cum Henriq. lib. 13. cap. 41. Nau. c. 27. cit. n. 166. Suar. disp. 32. sect. 2. n. 4. & 11. Alteri. disp. 1. de interdicto c. quia Innocetius III. cap. cum in partibus de verb. signific. Interdictum generale appellat interdictum non modo Regni & Prouinciæ, sed etiam Ciuitatis, Villæ, & Castri, quod interdictum speciale nominabat Angel. Deindè obseruat Sylu. ℣. Interdictum 1. o. 7. nunquàm Ius meminisse interdicti singularis, sed illud sẽper speciale appellasse; quarũ nominationum rationẽ reddit Glossa in cap. cum in partibus cit. quia generale dicitur, quod totum aliquod sine exceptione comprehendit, speciale verò, quia non comprehendit totum, sed partes; vnde refert Sylu. ex Archidia. & Caldezi. tract. de Interdicto. p. 1. n. 17. Quod si interdiceretur vel vna tantùm Ecclesia, vel omnes Ecclesiæ alicuius Ciuitatis, aut Prouinciæ, fore interdictum speciale, quia extra Ecclesias interdictas possent in aliis illius Ciuitatis aut Prouinciæ locis celebrari diuina Officia ab incolis, cùm è contrario, si interdicatur ciuitas vel castrum, interdicantur omnia prorsùs loca illius, cùm sit totum quod interdicitur: quando verò omnes Ecclesiæ interdicuntur, etiamsi sit signum & nomen vniuersale, illud tamen distribuitur in omnia singularia, & æquiualet isti interdicto hanc & illam Ecclesiam, non erit igitur generale, cùm neque in totum, neque in aliquod cadat: qua eadem ratione diuisio bimembris interdicti personalis intelligenda erit, nempè generale dicitur, quo vnius alicuius Ciuitatis populus vniuersus interdicitur; speciale illud, quo pars solùm populi, siue sit vnica tantum persona, siue plures determinatæ, aut indeterminatæ, vt habet Sylu. l. c. n. 8. Quid verò intersit inter interdictum generale & particulare siue speciale, & quandonã censeatur generale aut speciále, aliáque nonnulla commodius alibi tradétur.

Tertiò diuiditur interdictum in Totale & Partiale, quæ partitio conuenit vtrique interdicto nimirum locali & personali; Totale est quod omnes effectus interdicti habet, siue quod simpliciter, absolute, & absque vlla limitatione profertur. Partiale verò est, quod est tantùm circa vnum aliquem, aut alterum effectum, vt si quis ab ingressu

gressu Ecclesiæ, aut ab administratione Ecclesiæ tantùm prohibeatur, poterit enim alia omnia æquè præstare, atque si non fuisset interdictus, v. g. domi sacrum celebrare, cui solus ingressus Ecclesiæ fuit prohibitus, & ideò illum non esse verè interdictum contendit Couarr. in cap. Alma Mater 2. p. §. 1. n. 3. qua de re suo loco; satis sit modò annotasse, posse diuidi effectus interdicti, sicut dicebamus alteram suspensionem totalem, alteram partialem esse posse.

Quartò denique aliud est interdictum, quod est vera censura, aliud quod est duntaxat pœna quædam Ecclesiastica, vt de suspensione dicebamus, ex quibus, & iis quæ diximus 1. q. satis apparet, quomodò differant, aut conueniant duæ istæ interdicti species.

25 Restat ex pœnis Ecclesiasticis cessatio à diuinis, si tamen ipsa verè pœna est, aut potiùs signum grauissimi luctus, & mœroris, quo laborat Ecclesia, propter sibi, aut sacris grauem iniuriam illatam, quia tamen intendit Ecclesia ea ratione inducere eum, à quo læsa est, ad reparandam iniuriam, dum enim videt sui causa tantam in sacris perturbationem & omnium consternationem, atque aduersum se concitata plerumque hominum studia, monetur officij sui, & quodammodò plectitur, quare impropriam aliquam pœnæ rationem huic cessationi tribuere possumus; immò illam inter censuras numerabat Soto in 4. d. 22. q. 3. a. 1. Maiol. lib. 3. de Irregul. cap. 20. sub. fin. Francus relatus à Nau. cap. 27. n. 188. & Couarr. in cap. Alma Mater. 2. p. §. 2. nominat iuris censuram, quia imponitur à Iudice Ecclesiastico propter graue crimen, vt ab illo recedatur, & per illam priuantur Clerici functionibus spiritualibus, prohibentur enim diuina officia celebrare, & Sacramenta quædam administrare, quæ leuis est controuersia, & ex diffinitione cessationis huius facilè explicanda. Est igitur cessatio à diuinis prohibitio facta Clericis diuina officia in aliquo loco celebrandi, siue, est præceptum abstinendi à diuinis officiis in certo quopiam loco; cuius præcepti, aut prohibitionis effectus siue executio est ipsa cessatio, siue omissio, siue abstinentia diuinorum officiorum, vnde nominatur suspensio organorum à Panorm. in cap. dilectis filiis, de Appellat. n. 18. Sylu. ✝. Interdictum 1. q. 1. n. 4. Couarr. in cap. Alma Mater. 2. p. §. 2. n. 1. quem loquendi modum ad significandum silentium Ministrorum mœrentis tunc Ecclesiæ desumptum esse monet Soto, ex Psal. 136. vbi Populus Israëliticus captiuus suspendit in salicibus organa; alij cum Nau. cap. 27. n. 188. vocant omnimodam desistentiam diuinorum officiorum. Consentiunt verò omnes cum Panorm. & Couarr. atque Henriquez lib. 13. cap. 52. n. 1. cessationem istam esse quid facti, & non quid Iuris, tùm quia nulla eiusmodi cessatio imposita reperitur ipso iure, tùm maximè quia est ipsamet desistentia à celebratione diuinorum, & imponitur æqualiter omnibus, neque magis nocentes, quàm innocentes respicit. Denique non est vllum vinculum iuris producens aliquos peculiares effectus ex iuris institutione, vt videmus in censura; quæ afficit personam etiam vbicunque existat, & quam violans incurrit irregularitatem; at verò hæc cessatio est duntaxat quædam simplex prohibitio, quæ nullos peculiares iuris effectus inducit; quare neque verè censura est, alioquin quoties Episcopus Clerico prohiberet sacrum facere, aut audire confessiones, illum diceretur ligare censura suspensionis, & Clericus eam prohibitionem violans non modò peccaret non parendo sed etiam fieret irregularis. Sanè quasdam prohibitiones celebrandi in certis Ecclesiis habemus cap. 1. & 2. de iure patr. quas nullus dixerit esse censuras; vnde cùm hæc cessatio sit prohibitio duntaxat facta Ministris Ecclesiæ, ne diuinas laudes & alia officia celebrent, atque suo silentio lugentis Ecclesiæ mœrorem immensum testentur; meritò censuram esse negauit Nau. cap. 27. n. 188. Suar. disp. 39. sect. 1. n. 4. & alij deinceps, éstque ea vera interpretatio communis dicti Canonistarum, cessationem esse aliquid facti, non iuris, non negant enim imponere vinculum & obligationem Ministris cessandi a diuinis, id enim omninò habet omnis prohibitio & præceptum negatiuum, sed quia non imperat aliud quàm omissionem diuinorum officiorum, neque aliud prohibet, quam illam celebrationem, & nullos alios iuris effectus inducit ex sua institutione, vt monui: immo cùm non afficiat magis nocentes, quàm alios quoscunque, æqualiter enim omnibus diuina cessant, propriam rationem pœnæ sortiri negat Alteri. disp. 2. de interd. cap. 1. & Suar. disp. 39. sect. 1. n. 14. quia simplex prohibitio, qualis est in cessatione, nec includit, neque requirit rationem pœnæ, cùm ad illam sufficiat ratio præcepti, & licet imponatur occasione tantùm culpæ, ex eáque resultet pœna quædam in personas culpabiles, cùm tamen quoad proximam obligationem æquè cadat in innocentes, neque istos, qui sua culpa causam dederunt tanto malo, vllo vinculo particulari liget, sed sit quoddam commune grauamen per modum præcepti positum, non nisi admodum impropriè pœna dici poterit, vt monebamus initio.

Hinc vides quomodo cessatio à diuinis differat ab interdicto, licet fortassis eandem priuationem diuinorum Officiorum, Sacramentorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ afferat, qua de re dicemus disq. 7. vnde aliquando interdicti nomine significatur cessatio, cap. dilectis de Appellat. vbi non loqui Pontificem de proprio interdicto, contra quam intellexerit Glossa & Panorm. sed de quadam cessatione à diuinis rectè vidit alia Glossa in Clement. 1. de sententia excommunicationis, formaliter tamen differre non modò, quando cessatio est particularis, sed etiam quando est generalis, & malè illam cum interdicto generali confundi à Maiolo. lib. 3. de Irregul. cap. 20. n. 11. Calderin. Anchara. Felino & aliis sequutis Ioan. Andr. apud Sayr. lib. 5. cap. 17. n. 9. qui idcircò dicunt ex violatione cessationis generalis à diuinis incurri irregularitatem, constat ex dictis, quandoquidem cessatio neque censura, neque pœna est, sed prohibitio quædam, cùm interdictum sit vera censura, quare cæteri ferè DD. negant ex eius violatione nasci irregularitatem, vt dicemus disq. 8. alias differentias dabit Alteri. disp. 2. cit. cap. 2 quæ vix intelligi possunt, antequàm eius effectus singillatim explicemus. Hæc præcipua est, quod interdictum semper respiciat determinatam personam, quæ illo plectitur, quod non contingit in cessatione; quod verò aliquâ sæpiùs dicunt, nequidem afficere locum, negatur ab Hurtado diffic. 1. de cessat. Quod hoc sit contra rationem, cùm aut personas, aut locum tanquàm circunstantiam aliquam afficere necesse sit. Sensus tamen communis dicti est, cessationem

nem non afficere locum eo modo, quo interdictum locale, quod inhabilem reddit locum ad diuina officia celebranda, vnde qui in eo celebrat, fit irregularis, cessatio autem est simplex quædam prohibitio facta Ministris Ecclesiæ, quare non est affectio loci, sed eius quædam externa circumstantia.

25 Diuiditur cessatio à diuinis in generalem & specialem, prout vel generalia quædam loca, puta Regnum, Prouinciam, Ciuitatem, vel determinata & particularia, vt Ecclesiam, Monasterium & alia eiusmodi respicit, vti has voces in diuisione interdicti interpretabamur; nulla porrò est cessatio personalis, cùm, vt dixi, nullas personas liget, sed omnibus æqualiter imponatur.

Ex omnibus istis vides, quàm aptè Speculat. tit. de pœnis. §. 2. pœnas canonicas cum ciuilibus comparârit: Excommunicatio enim comparatur interdictioni aquæ & ignis, in cuius locum successit iure ciuili deportatio l. 2. ff. de pœnis. suspensio temporalis comparatur Relegationi, depositio verò depositioni perpetuæ. Degradatio capitis diminutioni. Ex Panorm. in cap. qualiter 2. de Accusat. n. 9. traditioni curiæ sæculari, quæ consequitur degradationem succedit pœna mortis. Ex Innoc. in cap. qualiter. 2. cit. & Bernard. Diaz in pract. crimi. cano. cap. 133.

QVÆSTIO. III.

Aliæ diuisiones Censuræ.

Quid sit Censura à iure & ab homine. n. 1.
Censura lata & ferenda sententia. n. 2.
Censura generalis & particularis. n. 3.
Censura absoluta & conditionata. n. 4.
Censura iusta & iniusta. n. 5.
Censura valida & inualida. n. 6.

Diuisio hactenus explicata essentialis est, & generis in suas species, cui alias quæ ex variis adiunctis, causa nimirum efficiente, à qua fertur, subiecto in quod fertur, modo ferendi, & eas incurrendi colliguntur, attexere visum fuit.

1 Est igitur alia censura à iure, ab homine alia. Nomen autem censuræ deinceps latiùs accipiam pro omni pœna spirituali super quæstione recensita. Censura igitur aut pœna lata à iure, est ea, quam lex, aut statutum Ecclesiasticum imponit. Censura ab homine infligitur à Iudice per sententiam aut mandatum aliquod transitorium, non condendo legem aliquam stabilem aut permanentem; quod addo, cum enim omnis censura sit ab humana potestate, videretur omnis quoque esse ab homine, quia tamen aliquando legi stabili, & perpetuò obliganti annectitur, aliàs verò non nisi sententia aut præcepto, idcircò dicitur ferri vel à iure, vel ab homine, quo nomine non intelligo vnam duntaxat personam singularem, sed collegium etiam, senatum Ecclesiasticum, cæterósque eiusmodi cœtus, penes quos est potestas aut iudicandi, aut præcipiendi quidpiam interminata pœna aliqua Ecclesiastica, de quibus dicemus disq. 3. Hic moneo duntaxat illum posse ferre censuram à iure, qui potest ius, & legem siue statutũ condere, quod sanè non possunt omnes Iudices & alij, qui tamen præcipere atque contumaces plectere possunt, vt patet.

Hinc sequitur multiplex discrimen inter has pœnas & censuras, quæ enim fertur à iure, perpetua est, sicut & ipsum ius ac lex donec vel reuocetur, vel contra consuetudo abrogetur; quamdiu enim vigebit constitutio, tamdiu quoque subeunda erit pœna per eam imposita violatoribus. Pœna verò lata ab homine extinguitur eo, qui illam tulit, defuncto, aut abdicato; si quis v. g. non resistit intra mensem, vti comminata excommunicatione iussum fuerat, & nondum eo elapso mense Magistratu se abdicauit, aut iurisdictionis vsu per suspensionem vel excommunicationem prohibitus fuit, aut obiit, qui iusserat, non incurrit excommunicationem Reus, si tamen prius illam incurrisset, quàm Iudicis iurisdictio & potestas desineret, non posset nisi ab solutione aut dispensatione eiusmodi censura vel pœna liberari. Ita Glossa. in cap. A nobis. 1. de sentent. excommunicationis ℣. non nisi subditi, Panorm. ibidem n. 12. quem sequuti sunt omnes deinceps Canonistæ, Summistæ & Theologi. Ratio perspicua est, cum enim valor censuræ pendeat à potestate ferentis, eam, vnà cum eius iurisdictione perire necesse est, præcepta enim desinunt obligare, vbi qui præcepit desinit posse præcipere; quod verò censuræ prius incursæ continuò ligent, id non habent ex iurisdictione ferentis, qui nihil amplius potest hac in re, sed ex præscripto legis & iuris communis, quod vetat quemquam liberari censura, nisi media absolutione. 2. Censura lata à lege respicit perpetuò peccatum futurum, quæ verò fertur ab homine, etiam versatur circa peccatum præteritum, quod castigat & cogit Reum, vt pro illo satisfaciat.

Ad extremu moneo hanc diuisionem non conuenire omnibus pœnis sup. quæstione enumeratis, nam irregularitas nonquàm imponitur ab homine, sed solùm à iure, vt dicetur suo loco.

2. Diuiditur Censura in eam, quæ est latæ sententiæ, & eam quæ est ferendæ sententiæ. 1. est quæ vt loquitur Pontifex cap. Pastoralis §. verũ, de Appellat. trahit secum exequutionem, quia vbi admissum fuit crimen, statim absque vlla alia sententia, siue condemnatoria, siue declaratoria incurritur, est enim annexa ipsi iuri vel præcepto, neque vllo alio Iudicis officio indiget, vt suum effectum sortiatur. Pœna verò ferendæ sententiæ, ea est, quæ licet lege, aut præcepto superioris imposita sit, non infligitur tamen nisi à Iudice, qui monetur à lege vel præcepto, talem pœnam & censuram eiusmodi crimen admittenti imponere. Quare ante sententiam Iudicis siue condemnatoriam, siue saltem declaratoriam non obstringitur Reus illa censura. 2

Posse vero legem ponere pœnam incurrendam ipso iure, seu ipso facto, vt loquuntur, nulla expectata Iudicis sententia etiam declaratoria, non modo quando pœnæ sunt priuatiuæ, sed etiam quando aliquam Rei actionem requirunt, sed moderatam, & à qua non abhorreat natura, ostendimus in scientia Canonica disputatione de lege pœnali. Vbi etiam tradidimus vniuersales Regulas, quibus dignosci queat, quandonam pœna sit latæ sententiæ, quandonam ferendæ, quæ omnia valẽt in his pœnis, quas certum est incurri sæpiùs ipso facto, quamuis in reddenda ratione laborent DD. quam nos idoneam tradidimus l. c. moneo duntaxat

tas at depositionem, degradationem & cessationem à diuinis nunquàm ante sententiam Iudicis incurri, vti fatentur omnes, cùm enim grauissimæ sint pœnæ, quæ raro admodùm, & propter enormia tantùm scelera ferri debeant, sapientissimè noluit Ecclesia, nisi cognita causa ferri per Iudicem, qui de pœna subeunda pronuntiet.

3 Diuiditur 3. Censura in generalem & particularem; hæc fertur in determinatas personas, & ob speciale aliquod crimen, excommunicatur v. gr. Petrus ob nuperum furtum, aut qui tali incendio causam dedit. generalis fertur ob factum aliquod generale in vniuersum, & non in vnam aliquam personam v. gr. omnes qui furtum sacrilegum admiserint excommunicantur; aliquando vero causa particularis est, & censura vniuersalis ratione personarum; excommunicantur v. gr. omnes, qui hesternum furtum admiserunt, nisi restituerint; difficultas est quando censura est simpliciter generalis, & de peccatis futuris an ab homine ferri possit, quam explicabimus commodius disq. 6.

4 4. Diuiditur Censura in absolutam & conditionatam; hæc posterior duplex iterum fingi potest, nam vel conditio pertinet ad causam ferendæ censuræ, positâ enim conditione eiusmodi censura integra & completa est, ac proinde suam efficacitatem habet, qua ratione omnis ferè censura conditionalis est, cùm non feratur nisi vel propter delictum futurum, & in ordine ad obseruationem alicuius mandati, vel propter peccatum commissum in ordine ad emendationem aut satisfactionem, est enim pœna medicinalis, quæ aut morbum præuenit, aut iam contractum sanat; quare includitur in omni censura aliqua ex his conditionibus, nisi mandatum seruaueris, nisi satisfeceris, nisi reuelaueris, nisi rem subreptam restitueris, si hoc crimen admiseris, excommunicatus esto. Quædam alia conditio est, quæ ad causam censuræ minimè pertinet; excommunicatur v. gr. qui tale sacrilegium admisit, si ignobilis est, si hostes ingruant, si nauis appellat, & an apponi possint similes conditiones impertinentes ad causam censuræ, disputabimus alibi.

5 5. Alia est censura iusta, alia iniusta, iusta est, si feratur ex causa iusta & rationabili, seruato debito modo & ordine Iudiciorum ab habente potestatem, qui nulla in transuersum actus cupiditate, aut animi perturbatione hunc gladium exerat; iniusta verò erit, si quidpiam istorum desit, vt ostendit Sayr. lib. 1. cap. 4. n. 20. & alij ab ipso relati.

6 Denique Censura aliquando valida est, etiamsi iniusta & illicita sit, multa enim geri illicitè, etiamsi valida sint, iam pridem notum est; alia est prorsùs inualida & nulla: prioris censuræ iniustæ, & nihilominùs validæ habemus exemplum in ea, quam Iudex abusus sua potestate ob prauum aliquem finem tulit, vt v. gr. vlcisceretur sibi aut suis illatas iniurias, vt cupiditati satisfaceret, aut non seruato extrinseco & accidentali ordine iudicij; & dum similia peccat, quæ nihil de iis, quæ censuræ substantialia sunt, imminuunt. Inualida est, vt obseruant Soto d. 22. in 4. q. 1. a. 3. Nau. cap. 27. n. 4. Layman lib. 1. tract. 5. pa. 2. cap. 6. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 17. p. 2. sub fin. n. 1. si fertur à non habente iurisdictionem, aut habente ligatam & impeditam per aliquam censuram, vt si excommunicatus aut suspensus sit ab officio. 2. Si in non subditum, aut exemptum, aut contra illius priuilegia. 3. Si manifestum & intolerabilem errorem in causa contineat. 4. Si post legitimam appellationem feratur. 5. Si non seruetur substantialis ordo iuris; quæ omnia, aliaque quàm plurima, & qua ratione gerere se debeat, iniustè, aut inualidè censurâ innodatus, dicentur reliquo tractatu. Hæc in præsentiarum ad rudem aliquam cognitionem delibasse sufficiat.

QVÆSTIO. IV.

Consectaria ex superioribus quæstionibus deducta.

CONSECTARIVM I. *An Censura sit sententia. n. 1.*

2. *An in facultate generali absoluendi à Censuris sit facultas absoluendi à quacunque suspensione & interdicto. n. 2.*

3. *An Censuræ aliquid faciant in foro externo. n. 3.*

4. *Quibus verbis incurratur irregularitas. n. 4.*

Monitum ad notitiam huius Tractatus. n. 5.

CONSECTARIVM PRIMVM

An Censura sit sententia?

EX superioribus quæstionibus colliges 1. An Censura sit sententia, ita enim in iure appellatur sæpius excommunicatio, cùm sit titulus de sententia Excommunicationis, eademque vox vsurpatur capite prima de Treuga & pace, atque alibi sæpiùs, cum tamen diffiniuerimus superiùs esse pœnam Ecclesiasticam, pœnæ autem ratio cum sententiæ nomine non conuenit. 1

Disputat de hac voce Felin. Panorm. & alij in Rubricam. de sentent. Excomm. quæstio leuis est. Quare respondent, sententiam omissis variis illius acceptationibus, quas dabit Glossa in Clem. Vnic. de dolo & contumacia significare maximè propriè in re forensi diffinitionem controuersiæ per Iudicẽ, qui æstimatâ lite, cuique ius suum tribuit, & in criminalibus pœnam Reo subeundam præscribit, vel vt loquitur S. Thom. in 4. d. 35. est applicatio iuris ad particulare factum; & quamuis alia dicatur sententia iuris ad particulare factum, alia sententia hominis, quando Iudex inter partes litigantes controuersiam diffinit, aut nocenti pœnã imponit, aut illum absoluit: hæc significatio posterior & frequẽtior & magis propria est, atque ita Censura, quæ pœna est, sententia dici non potest, cùm sit potiùs quidam eius effectus, & quia, vt obseruat. Syln. v. Sententia n. 1 sententia rem diffinit iudicialiter, finemque imponit controuersiis. l. 1. ff. de re iudicata & cap. summopere. 11. q. 3. quanquàm & omnes sententiæ diffinitiuæ non sint, sed aliæ interlocutoriæ, aliæ etiam per modum præcepti, vt ibidem tradit Sylu. sed nihil istorum conuenit Excommunicationi, aut aliis censuris, quæ per sententiam siue iuris, siue hominis feruntur. Quia tamen hæ pœnæ spirituales post prolatam sententiam absque vllo externo Iudicis actu, ministrorum ope mandantur exequutioni, & incurruntur à Reo, potiori iure appellantur sententiæ, quàm aliæ pœnæ, quas Reus etiam damnatus non tenetur ipsemet exequi, maximè si sint corporales, potestque expectare donec à Iudicis ministris cogatur.

CONSECTARIVM II.

An in facultate generali absoluendi ab omnibus Censuris sit facultas absoluendi à quacunque Suspensione & Interdicto?

2 Collige a. Qui habeot generalem facultarem absoluendi ab omnibus Censuris & pœnis Ecclesiasticis, siue ex aliqua Bulla aliave ratione, posse quoque absoluere ab Interdicto personali, atque à suspensione, etiam illa, quæ ob susceptos Ordinis cum defectu ætatis legitimæ contrahitur. Ita Ludouic. à Croce. disp. 1. in Bullam Cruciat. cap. 4. dub. 10. & alij ab ipso relati, qui id fatentur in concessione generali, quæ per Cruciatam datur, vbi igitur fuerit eadem facta facultas, idem omnino licebit; quod ad priuilegia mendicantium disertè extēdit idem Author, quia suspensio est verè Censura, ergo in facultate absoluendi à Censuris exprimitur, nisi ex aliqua addita particula excipiatur; & quamuis Sixtus V. an 1589. in motu proprio sibi reseruauerit suspensionem propter susceptos ordines ante legitimam ætatem, plenam tamen eius suspensionis absolutionem permisit in Iubilæo Gregor. XIV. an. 1591. Vt videas eam contineri rectè posse in clausulis amplissimis & generalibus, neque quidpiam obstat, quod sæpiùs amplior esset facultas alicuius priuati Confessarij, quàm Episcopi, nam cùm hic Confessarius agat vices amplioris cuiusdam potestatis, quam sit Episcopalis quid mirum, si plura quoque possit. Idem, vt vides, dicendum est de ioterdicto personali, nam locale vel censura non est, vel cùm forum externum respiciat semper seruabitur, donec auferatur per Iudicem, quamuis qui illi causam dedit, fuerit absolutus, tenebitur tameo Iudex post eiusmodi absolutionem illud auferre cap. Odoardus, de solutionibus. Et Clerici obligantur illud quoque non seruare repugnante licet Iudice, cùm tota illius causa fuerit sublata; quod excutietur iterùm alibi.

CONSECTARIVM III.

An Censura habeant effectum in foro interno

3 Colliges 4. an Censuræ habeant solum effectum in foro externo, an etiam in interno & coram Deo; pœnam enim duntaxat externam esse omnium Censurarum maximam Excommonicationem somniauit Lutherus a. 23. ex damnatis à Leone X. Idem quoque excidit quibusdam Canonistis; Ita glossa. in cap. quodcuoque 24. q. 1. quam meritò singularem dixit Panorm. in cap, Dilectis de Appellationibus n. 23. vbi illam ioterpretatur, vt qui deliquit, sit excommunicatus quoad Deum, qui noo deliquit, noo sit excommunicatus, oisi quoad Ecclesiam; verùm non agimos de Censura inualida, quamuis fortassis iusta, sed de valida, quam pertingere ad ipsam animam, eò quod illam verè priuet bonorum spiritualium vsu, tam certum est, vt contraria opinatio erronea omnino sit, coincidatque cum dogmate Lutheri, vt tradūt Couarru. in cap. Alma Mater initio. o. 9. Nauarr. io cap. ita quorundam, de Iudæis notat. 11. in glossam vltimam n. 8. vbi docet Panorm. Felio. & alios in Rubricam de sententia Excomm. seosisse per Excommunicationē priuari fideles communicatione tantùm externa Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 1. Petrus Soto lect. 2. de Excommunic. & Caietan. tom. 1. opusc. tract. 19. idem argumentum versant; quamuis enim nulla censura neque ipsa Excommunicatio priuet, vti diximus, q. 1. commuoione interna, quam charitas, per quam CHRISTO tanquam capiti coniongimur, & eius corpori mystico compaginamur, causat, priuat nihilominus fructu publicorum suffragiorum, & reddit ita illicitam sacramentorum susceptionem, vt si in eo statu suscipiantur, grauiter peccetur, atque ita non modò inutilia sint, sed etiam plurimùm noceant, vt ampliùs constabit ex iis quæ de effectibus Excommunicationis & singularum Censurarum dicemus disq. 7. Quarè reiiciendi sunt Maior in 4. d. 13. q. 2. Con. 3. illatione 3. & Gabr. ibid. q. 2. Ecclesiam suis Censuris authoritatiuè tantùm ostēdere peccatorem damnificatum esse, non autem damnare, oam etiamsi Censura supponat peccatum positum fuisse, reuerà tamen damnat, vti exposuimus, peccatorem qui fortassis iam io diuinā amicitiam per pœnitentiæ actum rediit.

CONSECTARIVM IV.

Quibus verbis incurratur Irregularitas.

Colliges 5. nunquàm incurri Irregularitatem, quoties Ius vtitur verbis futuri temporis, nisi addatur ipso facto, aut ipso iure, vt fiat Irregularis, quia Irregularitas semper incurritur ante senteotiam Iudicis, quarè oisi ita incurrenda dicatur, reuerà non imponitur Irregularitas; verba autem futuri temporis significant pœnam iniungendam à Iudice, aut exprimuntur per verbum substantiuum siue æquiualens, sit Irregularis, fiat Irregularis, ambigua sunt, & io Iure pœnali benignius ioterpretanda, quarè quoad Irregularitatem, quæ nunquàm imponitur per sententiam, oihil prorsus operabuntur; sed de depositione, quæ mandatur Iudici, interpretanda erunt. Quarè hæ locutiooes, proprij gradus periculo subiacebit, Executionem officij sui non obtinebit, multò minus significabunt Irregularitatem, sicut neque si feratur Irregularitas conditionatè, conditiooe quæ postulat sententiam Iudicis, v. g. si coouictus fuerit, non est sermo de vera Irregularitate, quæ nullâ sententiâ iodiget, vt incurratur; illa autem conditio suspeodit effectum, donec positum fuerit, significatque Irregularitatem non contrahi, nisi post eam criminis conuictiooem. Quoties etiam sententia Iudicis meotionem facit Irregularitatis incurrendæ, peccat, & nolla incurritur. 4

E contrario verò quoties fit mentio depositioois, additúrque clausula, ipso facto, ipso Iure, aut nulla pœna incurritur, aut si textus patiatur, de Irregularitate exponendus erit, quia depositio nunquàm incurritur, nisi per senteotiam Iudicis. Hæ regulæ colliguntur ex q. 3. & traduntur à Villalobo. tract. 21. difficult. 8. variis porrò modis, quibus exprimatur in Iure Irregularitas agit Tiraquell. in l. si vnquàm. C. de donationibus, sed hæc omnia fusius disputauimus lib. de Irregularitate, sicut vtrū Cēsuræ nomine, etiā pœoæ aliquādo designētur, & an cui licet absoluere ab omnibus cēsuris & pœnis, possit quoque ab Irregularitate pœnali absoluere.

Moneo ad extremū nōnulla petenda esse ex vltima parte operis de scieotia canonica, in qua agemus de Iudiciis, nam cùm hæ censuræ & pœnæ illis adiūctæ pertineant ad forū contentiosum, quæ eo loco de Iudiciis disputabuntur, faciēt ad huius libri intelligentiā, & maximè ibi de degradatione, quātùm ad causam degradantē & deponeotē, atq; ad crimē eâ pœnâ dignum de qua tameo quæstione licebit interim adire Sayr. lib. 5. cap. 12. Thesau. effectus tamen huius pœnæ, quia sunt affines cum effectibus Suspensionis, vti vidimus, simul cū illis explicabūtur, sicut & solemnitas degradatioois cum solēni denuntiatione censurarum exponetur.

DISQVISITIO II.

De Causa finali.

QVÆSTIO 1. *Quis sit finis Censuræ.*

2. *Quidnam colligatur ex fine interno Censuræ explicato,*
3. *An aliquid temporale possit esse finis Censuræ, & quando.*
4. *Quomodo ferenda sint monitoria & Censuræ de re temporali.*
5. *Quomodo obligemur ad restitutionem vi monitorij, ne excommunicationem aut aliam Censuram illi annexam incurramus.*
6. *De Excommunicatione ad finem reuelandæ veritatis occultæ.*

19 PRosequimur causas omnes Censurarum, ordimúrque ab externis, quarum prima est finalis, quæ in his moralibus plurimum confert ad ipsarum rerum, quarum causas inquirimus, naturas dignoscendas.

QVÆSTIO PRIMA,

Quid sit Finis.

Duplex Censuræ finis internus & externus. n. 1.

Propositio. n. 2.

Expositio & Confirmatio propositionis. n. 3.

Pœna & Censura differunt fine interno. n. 3.

Primus finis Censuræ emendandi culpam præteritam. n. 4.

Alter finis Censuræ impediendi peccatum. n. 5.

Discrimen inter alias leges pœnales, & leges comminantes Censuram. n. 6.

Quandonam lex sit purè pœnalis, aut obliget etiam in conscientia. n 7.

Lex ferens Censuram semper obligat ad culpam si violetur, & nulla est merè pœnalis. n. 8, 9.

Grauitas culpæ admetienda erit grauitati Censuræ adiunctæ legi. n. 10.

Censura comminatoria arguit grauem culpam in violatione legis eam comminantis. n. 11. 12. 13.

Quomodo Censura conferat ad suum finem. n. 14.

1 DVplex est Censura finis, vnus internus, & ad quem ex sua natura tendit, alter externus, quem sibi præfigit operans; de vtroque ita sentiendum est.

R. P. Ioseph. Gibal. de Censi.

PROPOSITIO.

Finis proximus Pœnæ & Censuræ Ecclesiasticæ est bonum spirituale tùm Ecclesiæ, tùm Rei in quem fertur, punitionem quidem & vindictam peccati commissi intendit Pœna, Censura verò peccatum emendandum aut impediendum spectat. 2

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO

PROPOSITIONIS.

Distinguo pœnam à Censura, quod iam præstiti disq. 1. ex diuerso ipsarum fine intrinseco, pœnam enim inferens Ecclesia nihil aliud primò & per se spectat, quàm criminis commissi punitionem, qui scopus est iustitiæ vindicis, quæ in commensuranda pœna cum delicto occupatur; vnde ad iustitiam commutatiuam eam pertinere omnes æquè consentiunt, non modò quia Iudex obligatur ex quodam veluti contractu, quem iniit cum Repub. tùm partis læsæ satisfactionem petentis ius tueri, tùm Rempubl. ipsam ab illatis iniuriis vindicare, sed maximè quia seruat æqualitatem rei ad rem, & pœnæ ad culpam. Dum igitur Ecclesia Reum aliquem vel suspendit suspensione, quam à Censura distinguebamus, vel deponit, vel priuat alicuius rei sacræ vsu, absque eo, quod illum censuris innodet, non intendit primò & per se nisi punitionem criminis admissi, quæ tamen punitio tùm ad Rei salutem, tùm ad continendam Ecclesiasticam disciplinam, quæ tota bonum animarum procurat, plurimùm confert. Huc pertinent suspensiones & interdicta, quæ Censuræ non sunt, prohibitio ingressus Ecclesiæ, concessio solius cōmunionis Laicis, Clericis, peccantibus, prohibitio à communione, præterquàm in periculo mortis & aliæ pœnæ, quæ tùm in veteri iure, tùm maximè in sacris Canonibus pœnitentialibus reperiuntur, de quibus aliquid attexemus in fine huius libri. 3

Censura verò tùm criminis continuationem, tùm eius susceptionem antequam admittatur, impedit, atque ea de causa pœnam medicinam appellatam fuisse diximus disq. 1. q. 1. & singillatim de Excommunicatione, quæ omnium Censurarum grauissima, probat late Alteri. lib. 3. disp. 6. cap. 1. vt verò finis iste emendandi atque impediendi peccati, quem sibi præfigit Censura, intelligatur.

Obseruandum est Censuram ferri pro culpa præterita vel pro futura: Culpa verò præterita aliquando eiusmodi est, vt momento tota transeat, neque aliquod sui vestigium relinquat, quia neque censetur moraliter continuari, neque ex ea vlla alia obligatio præterquàm pœnitendi coram Deo remanet; aliàs verò ita actio peccati commissi desiit, vt perseueret quodammodo moraliter, siue quia status ille peccati perdurat, vt contingit in pellicatu, siue quia defectu satisfactionis faciendæ proximo, qui violatus fuerat, persistit, aut etiam crescit iniuria facta, & damnum illatum, vt vides in restitutione rei alienæ; aut non restitutione; & in non reparatione famæ læsæ; siue quia præceptum Ecclesiæ pergit obligare, & illi tamen non paretur à Reo, qui idcircò in contumacia perstare, atque adeò in peccato perseuerare dicitur. Quando igitur culpa prorsùs desiit, non eget nisi punitione, quandò verò per- 4

durat aliquo modo, emendanda est, & cauendum ne peccator persistat in statu peccati, siue ne pergat in admittendo peccato, atque si opus est, satisfaciat parti læsæ, & contra legem aut præceptum Ecclesiasticum non pergat esse contumax, quod totum intendit Ecclesia per Censuras, quæ idcircò medicinales dicuntur, etsi enim omnis vindictæ & pœnæ, quatenùs tùm ipsum peccatorem, tùm alios auertit, ne quid simile audeant, medicina nominari possit, vt monuisse, me memini ex Couarru. eaque ratione Excommunicatio dicatur a pluribus Patribus disq. 1. q. 1. relatis, ad salutem totius corporis putridi membri resecatione plurimùm conferre, cùm tamẽ pœna vt sic, non intendat primò & per se educere peccatorem ex statu peccati, in quo permanet ab eo tempore, quo peccauit, neque attendat statum præsentem peccatoris, emendatusne sit, an non, sed duntaxat quod peccauerit, commeruúsque fuerit punitionem, quam culpæ commensurat, censura verò potissimùm cùm primariò ac per se feratur ad impediendam continuationem peccati, liberandúmque peccatorem à statu, in quo ratione peccati perseuerat, medicinæ rationem quandam peculiarem sortitur, vnde fit, vt neque perpetua sit ex natura sua, neque sine spe absolutionis, vbi enim emendatus fuerit Reus, desinet esse materia Censuræ, vt dicam in Corallariis.

5 Quod attinet ad alterùm finem seu proprium effectum Censuræ impediendi nimitùm peccata futura, non ita illum accipias velim, vt Censura ea tantùm ratione præcaueat futura, quia & Reus ipse, & alij eius exemplo, castigatione territi caueant, ne similia scelera committant, sed quia cùm Ecclesia quidpiam imperat, aut prohibet, timor Censuræ, quam interminatur, cogit fideles ad parendum, atque ita impedit, ne peccent violando imperium Ecclesiæ; quod conuenit ferè omnibus legibus pœnalibus, quas metus pœnæ adiunctæ seruare compellit.

6 Est tamen aliquod discrimen inter legem pœnalem in vniuersum & legem Ecclesiasticam comminantem Censuram. Lex enim pœnalis aliquando purè pœnalis est, & non obligat, nisi disiunctiue, vel ad pœnam subeundam, vel ad imperata facienda, ita vt licet legem violans non peccet, teneatur tamen pœnam deinde sibi iniunctam subire, atque etiam ipse Iudex pœnam imponere, quando ad ipsum lex dirigitur. Quamuis itaque in omni lege includatur semper obligatio, ea enim est proximus eius effectus, & illa obligatio violari non possit absque culpa, quia tamen in legibus istis, quas purè pœnales appellant, obligatio non cadit in rem primò & per se prohibitam aut imperatam, sed in pœnam subeundam à non seruante legem, aut imponendam à Iudice, dicuntur obligare ad pœnam, & non ad culpam, quamuis reuera peccet Iudex, si pœnam non imponat, & Reus si impositam non subeat, vt cum Suar. Vasq. & aliis, quos dabit Baldell. lib. 3. Theolog. moral. disp. 19. n. 12. & seqq. diximus in scientia canonica.

7 Vt verò lex aliqua sit purè pœnalis, non satis est, quod habeat adiunctam violanti pœnam, sed vt præceptum & obligatio non cadat in ipsum actum, cui pœna adiungitur, sed in solam impositionem pœnæ, si enim præcipiatur actus, & ob eius omissionem imponatur pœna, reuerà obligat ea lex in conscientia ad ponendum eiusmodi actum, atque ad subeundam pœnam ob eius omissionem deinde infligendam à Iudice ex eiusdem legis præscripto; dicuntúrque eiusmodi leges mixtæ, quia præcipiunt & puniunt simul; adiectio enim pœnæ non destruit rationem præcepti, sed potius illam vrget aut roborat, immò & indicat subesse culpam, nisi aliunde constet de intentione Legislatoris, quandoquidem pœna refertur essentialiter ad culpam, quam supponit; quod enim vel relinquatur arbitrio Iudicis, vel determinetur à Legislatore, non mutat rationem eius, neque impedit, quominùs actus, de quo agitur, præcipiatur à lege; neque igitur impediet culpam ex obligatione talis præcepti resultantem, cùm hæc omnia præceptum, obligatio, & culpa sint inseparabilia: pensanda igitur erit intentio Legislatoris, quam ex verbis legis, natura præceptæ materiæ, & ipsius pœnæ adiectæ cognoscemus.

Intentio quidem Legislatoris examinanda est, quia actus agentium non operantur vltra eorum intentionem l. non omnis & l. si quis nec causam ff. si certum petatur; & l. non agris ff. de acquirendo rerum dominio. Non est autem necesse, vt Princeps intendat obligare ad culpam, sufficit enim, si aliquem actum præcipiat, velitque ad illum ponendum subditos obligare, eo enim ipso obligat ad culpam, & in conscientia, neque pœna adiecta eam obligationem minuit, quando cadit in ipsum actum, cui annexa est pœna, vt iam monui, & latè ostendit Couarr. in Regul. peccatum 2. p. §. 5. n. 2. & 3. Quarè malè Nouarr. cap. 23. n. 55. & in cap. fraternitas 12. q. 2. 22. & alij Canonistæ, atque è Theologis Valent. vti diximus l. c. eo quod Principes Laici, maximè gentiles vix de obliganda conscientia, aut de culpa coram Deo contrahenda cogitent in ferendis legibus, colligebat eorum leges maximè pœnales obligare tantùm ad pœnam: Hæc porrò intentio Legislatoris præcipiendi actum, & ad illum obligandi, & non tantùm ad pœnam, Colligitur 1. ex verbis ipsius, quæ sunt formaliter præceptiua actus, in pœnam ponunt. 2. Ex consuetudine & communi opinione, quæ ista legis verba iam diu interpretatur. 3. Ex ratione materiæ legis, si enim illa sit materia iure diuino vel naturali, aut etiam positiuo iam præcepta vel prohibita, vel si sit indifferens quidem, moralis tamen, aut ad bonos mores Reip. plurimum conducens, certum est illam præcipi in conscientia; si verò vel moralis non sit, vel parùm ad bonum moris conferat, obligabit tantùm ad pœnam, vel saltem, vt aliqui volunt, non obligabit ad grauem culpam sed leuem duntaxat; eiusmodi sunt leges de certo vestium genere, de non cædendis lignis communibus, de non ferendis armis noctu, cæteræque similes. 4. Denique expendenda erit natura & grauitas pœnæ quæ adiicitur legi, si enim ea pœna eiusmodi est, quæ vel ex natura sua supponat culpam, vel ratione grauitatis, quia alioquin esset imprudens & iniusta lex, quæ propter actum inculpabilem id genus pœnæ adeò grauis statueret, omninò dicendum est præcipi actum, cui adiungitur ea pœna, quis enim prudenter pœnam capitis, aut mutilationis, aut perpetuæ infamiæ ferat propter actiones, quæ carent omni culpa, aut non nisi leui respersæ sunt.

Leges verò Ecclesiasticæ, quæ habent annexas 8
censuras sunt perpetuò præceptiuæ, aut prohibitiuæ actus, propter quem Censuras adiungunt, ita vt obligatio cadat in ipsum actum, quia istæ

pœnæ

pœnæ sunt eiusmodi, vt ex sua natura supponant culpam, atque adeò si nulla reipsa commissa sit, inualida erit & nulla censura imposita, quamuis non fortassis iniusta, vt trademus ex communi doctrina disq. 5.

8 Deinde leges istæ interminantes, aut imponentes Censuras, vel cadunt in materias iure naturali vel diuino, aut etiam positiuo prius imperatas, vel prohibitas, vel præcipiunt aut prohibét actus, ad quos faciendos, aut omittendos nulla præcesserat obligatio. Priores quidem esse præceptiuas, & non merè pœnales, hoc est obligantes solùm ad pœnam Censuræ, sed etiam ad culpam nemo negabit, cùm actus, in quos cadunt, & quibus adiungitur Censura sint iam prohibiti, vel imperati aliis legibus, quarum obligationem hæc posterior non tollit aut minuit, sed potiùs auget adiectione pœnæ; immò aliqui volunt, his omnibus addi nouam & peculiarem obligationem ex lege Ecclesiastica Censuras adiiciente, ita vt gemina sit obligatio vitandi furtum sub excommunicatione prohibitum, quarum vna est iustitiæ, altera obedientiæ, & si quis furtum tale committat, duplicis criminis Reus erit, nempè furti contra iustitiam, & inobedientiæ siue contumaciæ contra legem Ecclesiasticam illud interminatâ censurâ prohibentem. Ita Henriq. lib. 5. cap. 7. §. 2. quia Censura non fertur propter peccatum solo iure diuino, aut naturali prohibitum, nisi accedat quoque violatio legis Ecclesiasticæ, vt ex communi DD. sensu fusius explicabimus disq. 5. ergò geminum erit tunc peccatum, alterum contra ius diuinum & naturale in materia peculiaris alicuius virtutis, Iustitiæ v. g. aut Religionis, alterum contumaciæ contra legem Ecclesiasticam.

Rectiùs tamen Auila 2. p. de Censur. cap. 5. disp. 1. dub. 11. Hurtad. tract. de Censur. diffic. 17. Layman lib. 1. tract. 5. 1. p. cap. 5. n. 1. Corduba q. 11. Summæ, negant hoc loco peccatum formalis & peculiaris inobedientiæ, sed generalis tantùm & interpretatiuæ, quæ in legis cuiuslibet infractione, atque adeò in omni peccato includitur, neque enim multiplicatis præceptis materialiter tantùm diuersis, hoc est, quæ respiciunt motiuum & honestatem eiusdem virtutis, multiplicantur peccata, cùm tamen propter Ecclesiæ authoritatem tam seuerè quidpiam præcipientis, & spiritualia bona, quorum priuationem incurret peccator, oporteret hominem maximè abstinere à peccato, quod habet annexam Censuram. Censetur itaque in Ecclesiam contumax, eiusque authoritatem contemnere, contemptu non formali, sed interpretatiuo, qui non affert nouam & distinctam malitiam.

9 Maior videtur esse difficultas circa alias leges aut præcepta quæ feruntur de aliqua re indifferenti cum interminatione Censuræ, an eæ sint purè pœnales, an etiam obligent ad rem præceptam sub culpa, siue in conscientia, vt quando Iudex Ecclesiasticus citat aliquem ad comparendum intra certum tempus sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, si non comparuerit; aut si lex Ecclesiastica iubeat aliquid, ad quod nulla aliunde est obligatio, v. gr. ne quis cum armis ingrediatur Ecclesiam; cur enim dicemus eiusmodi leges Ecclesiasticas non esse merè pœnales, vti reipsa sunt leges ciuiles circa eadem obiecta & materias versantes.

℣. Nihilominùs his legibus & præceptis imponi fidelibus obligationem faciendi quod præcipitur, etiamsi ad illud anteà nullo iure obstringebantur, addique tantùm illi præcepto Excommunicationem, aliamve Censuram, vt eius timore excitati fideles præceptum eiusmodi seruent, quod ni faciant, & peccabunt, & Censuram incurrent. Atque hac in parte dixi superius leges Ecclesiasticas Censuram ferentes distingui à legibus, quæ aliquando sunt merè pœnales, quod ex natura Censuræ, quæ medicina est, & ad corrigenda, vel præcauenda peccata instituta, necessariò efficitur, cùm enim supponat culpam aliquam, & nulla alia eo casu fingi possit, quàm quæ reperietur in transgressione legis ferentis pro ea re, licet ex se indifferenti, Censuram, necesse omninò est eam legem obligare ad culpam, quod facere omnem legem suppono contra Gerson. tract. de vita spirituali. lect. 4. Alphab. 63. littera. G. collecto. apud Angel. ℣. inobedientia. Felin. cap. 1. de sponsalib. n. 19. & alios, qui negant, secluso contemptu, vel consuetudine, peccatum mortale per se loquendo reperiri in violatione legis Ecclesiasticæ.

Pro grauitate autem Censuræ adiunctæ legi præcipienti quidpiam indifferens, grauior aut leuior erit obligatio per eam legem imposita, cùm pœna debeat proportionari culpæ; si igitur intentetur tantum Excommunicatio minor, vel suspensio leuis, aut breue aliquod interdictum, & leue, prout distinguit Suar. disp. 4. de Censur. sect. 4. n. 7. & Villalob. tract. 16. diffic. 9. n. 7. Et materia præcepta non sit grauis ex natura sua, signum erit eam legem non obligare nisi ad culpam venialem, aut saltem ex adiectione pœnæ & censuræ illius leuioris, non licebit nisi leuem obligationem inferre. Maiores verò Censuræ, vti loquuntur isti Doctores, Excommunicatio maior, interdictum & suspensio, vt communiter ferri solent, atque depositio & degradatio, cùm sint grauissimæ pœnæ, vt ex ipsarum diffinitionibus disq. 1. q. 2. traditis constat, & non possint infligi nisi propter culpam mortalem, vt disq. 5. Videbimus, indicant omninò legem, cui adiunctæ sunt, obligare ad grauem culpam. Quod fusius tradunt Vasq. 1. 2. disp. 158. cap. 5. n. 47. Sal. disp. 10. de legibus, s. 9. n. 62. Suar. lib. 4. de legib. cap. 18. n. 7. & Hurtad. tract. de Censur. diffic. 10. n. 43. Quod idem dicendum est, quotiescunque graues aliæ pœnæ iniunguntur, quænam verò sint eiusmodi, non attinet singillatim recensere, atque ita conciliantur DD. quorum aliqui existimant suspensionem & interdictum arguere leuiorem obligationem, vt Caietan. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 2. Medin. C. de pœnitent cap. 7. de Ieiunio. Castro. lib. 1. de lege pœnali. cap. 5. Alij censent has etiam pœnas esse signum grauioris obligationis. Ita Sylu. ℣. Præceptum. q. 3. Armilla. ℣. Lex. n. 4. citans Archidiac. & alij, sed priores illi loquuntur de leui aliqua suspensione, posteriores agunt de his Censuris, vt ordinariè ferri solent, hæ enim cum graues omninò pœnæ sint, arguunt necessariò grauem obligationem seruandi legem cui apponuntur. Vide Salam, disp. 10. de legib. sect. 9. n. 6. & seq.

Restat tamen difficultas, eáque grauis, an maior Excommunicatio, quando est tantum ferendæ, & comminatoria, sit signum grauioris obligationis sub mortali; si enim sit latæ sententiæ, & ipso facto incurratur; nemo negat legis transgressionem esse mortalem, cùm statim puniatur grauissimâ pœnâ, quam diminutioni capitis passim DD. comparant, & vt optimè ratiocinatur Couarr. in cap. Alma mater 1. p.

1.p.§.9.n.1.vel lex habenda est iniusta, vel præsumendum est legislatorem habuisse intentionem obligandi ad mortale, & ad culpam commensuratam pœnæ, quam inflixit; comminatoriam verò excommunicationem arguere mortalrm obligationem dubitat Antonin. 2. p. tit. 4. cap. 2. §. 3. & omninò negat Driedo. lib. 2. de libertate Christiana. cap. 1. proposit. 2. allegari quoque solet Petrus Soto. lect. 3. de excommunic. §. primo igitur. Sed ibi tantùm dicit non semper peccare mortaliter eum qui transgreditur legem præcipientem sub pœna excommunicationis, quia non semper ea est contumacia quæ sit mortalis: vult itaque aliquando excusari posse à mortali transgressione illius legis, quod in alijs quoque legibus contingere certum est. Ratio tamen huius sententiæ non inidonea sumi videtur ex eo, quod multi Canones minentur excommunicationem pro rebus omninò leuibus, vt videtur, & sanè longè minus est comminari excommunicationem, quàm illam ferre; Quare licet non possit re ipsa imponi excommunicatio, nisi pro culpa mortali, nihil tamen impediet, quominùs intentari possit etiam pro veniali, quia deinde propter contumaciam nouam contra Iudicem monentem, alijsque de causis poterit eò vsque transgressio legis crescere, vt etiamsi esset tantùm venialis, fiat mortalis posteà, & digna in quam Iudex interminatam à lege excommunicationem infligat; quarè vides neque excommunicationem maiorem, neque aliam quamcunque grauiorem censuram interminatam dumtaxat arguere obligationem legis, cui adiuncta est, ad mortalem culpam.

11 Alij verò constanter affirmant ex comminatoria excommunicatione necessariò colligi grauem obligationem præcepti vel legis, ad quam seruandam intentatur. Ita communius Doctores, quos affert & sequitur Salas disp. 10. de legibus sect. 9. n. 58. & Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 4. n. 5. quia licet lex tunc non excommunicet, præcipit tamen Iudici, vt pro illo actu, quem prohibet, excommunicet; supponit igitur, eam transgressionem esse materiam grauem & dignam excommunicatione, alioquin præcipit rem iniquam, præscribit enim Iudici, vt ferat pœnam admodum improportionatam culpæ: quis enim probet illam legem ciuilem, quæ leuem aliquam prohibeat culpam, sub pœna capitis, quamuis enim ea pœna sit imponenda deinde à Iudice, lex tamen, quæ illam imponi præcipit, iniqua prorsùs est, si enim nequit Iudex absque iniustitia damnare capite eum, qui leuiter deliquit, neque lex poterit eam damnationem præcipere; quarè si neque Iudex pro culpa veniali eiusmodi excommunicationem ferre, vt supponimus ex disq. 5. neque etiam lex eam imperare poterit. Ex quibus sequitur excommunicationem atque omnem aliam quamcumque censuram, quamuis sit tantum comminatoria, seu ferendæ sententiæ necessariò arguere grauem obligationem & sub mortali peccato seruandæ legis, aut præcepti, cui annectitur.

12 Distinguunt alij quidam; nam eiusmodi est aliquando excommunicatio, aliave censura comminatoria, vt Iudex absque vlla alia præuia monitione possit excommunicare, legis, quæ excommunicationem comminabatur, transgressores; aliquando verò intentat censuram & excommunicationem lex, vt non modò non incurratur ipso facto, ferendaque sit per Iudicem, sed etiam indigeat aliqua admonitione Iudicis, antequam ab illo excommunicetur transgressor, id enim non faciet, nisi ille Reus pergat esse contumax, quando excommunicatio vel censura ita est comminatoria, vt lex sufficientem monitionem contineat, neque vlla alia, facienda per Superiorem, necessaria sit, indicat legem obligare sub mortali; cùm enim tunc sola legis transgressio sufficiat ad incurrendam excommunicationem, siue incurratur ipso facto, siue imponatur à Iudice, planè oportet eam transgressionem fuisse mortalem, quod necesse non est, quando requiritur noua monitio Superioris, priusquam feratur censura in legis violatorem, potest enim vsque adeò crescere ea contumacia & inobedientia, vt licet prima legis violatio fuerit leuior, eius tamen continuatio, frustrà monente & comminante Iudice, grauior euadat ob maiorem tum legis, tum Iudicis ipsius contemptum. Atque ita quamuis nunquam incurratur maior censura, nisi post commissum mortale; eius tamen comminatio non arguet necessariò obligationem ad mortale in lege, quæ illam comminatur, neque sufficienter significabit primam & quamcunque eiusmodi legis transgressionem esse mortalem. Ita docet Caietan. in sum. v. præcepti transgressio, & v. Clericorum peccata, quibus locis non retractauit, quod dixerat 2.2.q.186.a.9. vti malè existimauit Suar. disp. 28. de censu. s. 3. n. 21. etsi enim 2.2. dicat comminatoriam excommunicationem arguere peccatum mortale in transgrediente præceptum, intelligit de excommunicatione quæ non indiget alia monitione, vt patet ex ratione, quam assignat, quia eo ipso, quod quis transgreditur tale præceptum, meretur excommunicationem; in summa autem ideò negat mereri excommunicationem illam, quia necessario debet moneri à Iudice, vt desistat à frangenda lege & præcepto, antequàm excommunicari possit, ac idcirco negat hanc excommunicationem indicare, aut supponere transgressionem mortalem legis, à qua intentatur; quæ dicta non pugnant inuicem, vt pridem obseruarat Auila 2. p. de censu. cap. 5. disp. 1. dub. 3. Hanc eandem distinctionem geminæ censuræ comminatoriæ, seu ferendæ sententiæ probant quoque Nauar. cap. 23. n. 53. Suar. lib. 4. de legibus cap. 18. Vasq. 1.2. disp. 158. cap. 5. n. 42. Baldel. lib. 5. Theolog. moral. disp. 23. n. 4. & Auila loco cit. vbi ait ita sentire multos viros doctissimos, Ferdin. à Castro tract. 3. disp. 1. p. 15. n. 13. qui hanc præuiam monitionem perpetuo necessariam esse putat, quoties peccato ipsi non est annexa censura, Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 4. n. 51. & 52. Cordu. in Regul. S. Franc. cap. 10. q. 3. Tolet. lib. de peccatis mortalibus, cap. 19. n. 3. Val. 1.2. disp. 7. q. 5. p. 6. §. 3. v. quartum signum. Grauem tamen difficultatem patitur illa distinctio, quam pluribus vrget Suar. disp. 13. de censu. s. 3. n. 22. quo loco in communem sententiam, quæ in vniuersum pronuntiat, ex quacunque maiori censura comminatoria colligi legem obligare ad culpam mortalem, magis inclinabat: vel enim materia legis aut præcepti excommunicationem comminantis est capax grauioris & mortalis obligationis, vel non est, si primum, quoties ab habente potestatem imperabitur, reuerà obligabit ad mortale, nisi fortassis eam obligationem minuere velit legislator, quia qnoties simpliciter & absolutè rem aliquam præcipiat, iniicit omnem obligationem, cuius ea materia capax est, vti tractatu de legib. 1.2. & dictum à nobis fuit ex communiori sententia. Hoc autem loco præcipitur ea materia, vt fatentur Aduersarij, quæ affert grauem obligationem etiam

seclusa omni excommunicatione, quæ non efficit obligationem seruandi legem esse grauem, aut eius violationem esse mortalem, vt malè existimasse videntur aliqui, sed supponit & indicat; quarè ea seclusa, vt dixi, violatio talis legis erit mortalis, quandoquidem est vera lex grauem materiam, seu grauioris obligationis capacem præcipiens, licet nullo alio iure ad eam aliunde obligaremur, atque ex sua natura indifferens sit, vt præcipiatur, aut non præcipiatur, si tamen præcipiatur, erit materia grauis præcepti; quod igitur adiuncta excommunicatio, aut alia quæpiam censura sit latæ sententiæ aut ferendæ tantum, quod possit ferri absque præuia monitione vlteriori aut illa egeat, id omninò impertinens est ad constituendam rationem legis & præcepti grauiter obligantis, vbi materia præcepta iam supponitur esse grauis. Si verò ista materia vsque adeò leuis esse supponitur, vt non sit capax obligationis ad mortale, quando legitima potestate imperabitur, non accipiet grauitatem, neque crescet ex adiuncta comminatione excommunicationis, vt patet, neque etiam ex eo; quod denuò per monitionem Superioris, prohibeatur eius transgressio, fiet mortalis ex illa contumacia, vti malè contendit Caietan. quia Superior non habet maiorem potestatem obligandi, quàm ipsa lex, quæ ab æquali, aut altiori etiam aliquando potestate profecta est: si igitur legis transgresio propter leuitatem materiæ præceptæ non sit mortalis, neque profectò erit transgressio monitionis superioris. Quandoquidem omne omninò præceptum etiam diuinum supponit capacitatem obligationis in materia præcepta, vt ad illam obliget, & monitio superioris nihil sit aliud, quàm quædam repetitio legis: Quarè si omnia immutata restant, & accedat sola monitio superioris legis: Quarè si omnia immutata restant, & accedat sola monitio superioris præuiæ excommunicationi, illa nunquam efficiet vt transgressio legis, quæ venialis tantùm fuerat, mortalis euadat, & digna excommunicatione, quam lex intentabat.

13 Existimo igitur omnem censuram maiorem, vt distinguam à leuioribus quibusdam, excommunicatione vtpote minori, & aliqua fortassis suspensione & interdicto, adiunctam legi aut præcepto, licet comminatoriè tantùm, siue postulet posteriorem aliquam monitionem superioris antequam feratur, siue statim à violata lege ferri possit, indicare obligationem mortalem secundæ legis, & supponere grauem culpã in eius transgressione. Alioquin vel eam comminationem fieri tantum ad terrorem, vt aliquando expedire existimat Castro lib. 1. de lege pœna. cap. 5. docum. 4. vel in ea lege cõtineri grauem errorem, quod probant rationes hactenùs allatæ: quandoquidem contumacia in superiorem monentem non potest esse grauior contumacia in ipsam legem, quæ tamen propter leuitatem materiæ, non nisi venialis est, & incapax maioris censuræ.

Non nego tamen, quin aliquando per accidens contingere possit ex variis adiunctis, vt contumacia per superioris admonitionem sit mortalis, quæ fuerat tantùm venialis, quia v. gr. ante monitionem quis ex bona fide, aut probabili ignorantia excusabatur à culpa, eò quòd existimaret eam materiam esse leuiorem, ex qua conscientia non licebit ampliùs deinde operari, aut quia propter consuetudinem & frequentiam actus prohibiti existimat Iudex iam materiam esse grauem, & posse prohiberi sub excommunicatione, aliisque eiusmodi de causis, ex quibus fieri poterit vt idem actus, qui in vniuersum imperatus a lege non erat mortalis, talis euadat, vbi ab homine præcipitur propter accessionem nouarum circumstantiarum aggrauantium: Nostra verò assertio erat de eodem actu quoad omnia prorsùs immutato, quem negabamus ex eo præcisè, quod prohibeatur à superiore, esse materiam culpæ mortalis, si talis non erat præceptus à lege, ac proinde, quando illi præcepto annectitur excommunicatio aut alia maior censura, quæ in solum peccatum mortale ferri potest, illam semper siue sit latæ sententiæ, siue ferendæ duntaxat, siue egeat, aut non egeat noua monitione Iudicis distincta ab ea, quæ in ipsa lege & præcepto continetur, supponere obligationem ad mortale in illa lege siue præcepto.

Vides igitur, quo pacto censura tendat in emẽdationem peccati præteriti, & prohibitionem futuri ex transgressione legis naturalis, vel diuinæ vel etiam positiuæ duntaxat & ecclesiasticæ oriundi, tanquàm in finem proprium, quod ferebat nostra propositio, & communis DD. sensus, dum hanc pœnam medicinalem peculiari quadam ratione nominat, vti fuit hactenùs explicatum.

Dices, censuram non videri aptum medium ad 14
obtinendum hunc finẽ, quãdoquidẽ priuet peccatorem spiritualibus bonis, quibus maximè iuuaretur ad resipiscentiam, quod imprimis apparet in excommunicatione, quæ vsu Sacramentorum, & Sacrificij, omniumque rerum sacrarum interdicit excommunicato, cùm tamen non habeamus potentiora remedia ad sanandos animæ morbos; expertem prætereà facit communium suffragiorum, quibus impetrantur gratiæ actuales, sine quibus hominem ex peccati cœno emergere impossibile est, videturque hæc medicina acerbior omninò, & parum cum ea lenitate, quam in emendandis castigandisque peccatoribus præseferre debet Ecclesia, cui Paulus commendat, vt instruat in spiritu bonitatis, cohærere. ℞. Ipsum met Paulum, de cuius charitate nemo dubitat, hoc remedio vsum fuisse, & tradidisse incestuosum Corinthium Sathanæ, vt spiritus saluus fieret, & aliis virgam ferream intentasse nullo charitatis damno; neque crudelis audit ille medicus, qui putridum membrum rescecat, aut pastor, qui scabiosam ouem à grege separat, quo simili sæpiùs vtuntur Patres, & luculenter Ambros. lib. 2. offic. cap. 27. & in Psalm. 118. aliique à Couarru. in cap. Alma mater 1. p. initio, n. 9. & à nobis disq. 1. q. 1. adducti. Et sanè medicinam expedit aliquando asperiorem esse, quod obseruat Cyprian. l. de lapsis sub medium, & Innoc. 1. ep. 91. inter Augustinia. Imperitus omninò medicus est, qui ægrum perpetuò palpat, accusandusque est ipse peccator, qui tam austero remedio volens causam dederit, vt fusè persequitur Chrysost. serm. in terræmotum & Lazarum; cùm è contra lugendus sit ægrotus, qui & inuitus morbum contraxit, & ferrum ac ignem pati cogitur. Ad argumentum verò allatum dico hanc medicinam huic morbo persanando esse præsentissimam; neque alia fermè ratione funditùs exscindi posse, quamuis simul afferat grauia incommoda; omnis autem medicina dum corpus prauis humoribus purgat, simul damnum aliquod affert, in illa enim actione & reactione temperamenti cum vi medicamenti, vtrimque aliquid deperdi necesse est, quia tamen damnum illud minus est sanitate, laudatur medicina; quod idem contingit hoc loco. Neque damnum censuræ est circa præcipua

non adeò grauis est,& tamen,quia peccatorem pudore suffundit, illum ad resipiscentiam vehementer incitat. Denique est in potestate excommunicati hæc omnia incommoda excutere, & Ecclesiæ satisfaciendo pristinam dignitatem ac statum recuperare; quare se ipsum, non Ecclesiam accusare debet, si diutius hæc damna patiatur, atque vt ait Bonau.in 4.d.13.parte vltima dist.q.2.excommunicati malum primordialiter & radicaliter prouenit ab ipso excommunicato, non ab Ecclesia, quæ tantum supposito peccato, & necessitate illius, hanc medecinam austeram, sed salubrem propinat. Plura vide de hoc argumento apud Suar. disp.1. s.1.n.16.Neque fauet Chrys.homil.de anathemate,vti existimant Aduersarij, quia tum ea homilia satis apertè admittit vsum & potestatem censurarum, tum inuehitur in eos, qui abutebantur sua potestate, & nullâ relictâ spe veniæ præscindebant ab Ecclesia, vt ex toto eius discursu & rationibus, quas subiicit, facile licebit colligere;de hoc tamen Chrysostomi sermone plura dabit Sixt. lib. 6. Bibriothec.ann.267.Baron.an.Christi 382. sub Damaso Papa eius anno 16.& ex illis Alteri. lib.1.de excomm.disp.3.cap.2.

QVÆSTIO II.

Quidnam colligatur ex fine interno Censuræ explicato.

CONSECTARIVM I.

Resipiscente Reo Censura tollenda est.

ITa stabilito fine interno censuræ multa illi subterstruere licebit,nam 1. hinc fit, vt censura statim, atque resipuit Reus tollenda sit, cap. qua fronte de appellationibus. Quarè licet aliæ sententiæ transeant in rem iudicatam,nisi intra decem dies,Reus appellauerit & deinde tolli non possint, cap. quod ad consultationem, de sententia & re iudicata;Censuræ tamen siue à iure,siue ab homine per sententiam latæ quocumque tempore Reus resipuerit,tollendę omninò sunt, cap.ex litteris de constitutionibus. Ratio huius Corollarij perspicua est, cùm enim censura sit medicina, & emendationem Rei spectet, eâ obtentâ tolli omninò debet,quia contumacia,quæ ipsius obiectum & materia fuerat, subtracta est, pœna quidem, quia non attendit nisi punitionem & peccatum fuisse commissum perpetua est,vt notant glossę in Clement. 1.de rebus Ecclesię non alienandis.℣.pœnam,Panormit. in cap. ex litteris de constitutionibus, n. 10. & Felin. in idem cap. n. 34. At quando simul medicina est,obtenta sanitate,omittenda erit. Itaque tenetur superior aut iudex reo, qui resipuit postulanti, absolutionem non denegare; quamuis absque absolutione non desinat censura, etiamsi contumacia,quæ erat causa proxima obiectiua cessarit, quod sapienter ab Ecclesia institutum fuisse dicemus,cap.10. 1

CONSECTARIVM I.

An vbi censura futura est inutilis ferenda sit

Ex eodem fine proximo censurę Ioann. Andr. atque alij quidam Canonistę relati à Couarr. in cap.Alma mater 1.p.initio n. 10. colligebant abstinendum esse censura,quoties inutilem fore,immò potiùs nocituram Reo, qui non modò non emendabitur, sed obstinatior fiet, iure merito suspicamur; neque enim Medicus propinare debet pharmacum, quod mortem potiùs quàm sanitatem ægro allaturum opinatur. Quæ ratio ostendit quidem, quamdiu ex dilatione censuræ speratur potior emendatio Rei,qui semel perculsus censurâ ad flagitia fiet audacior, omninò sustinendum esse censura, & blandioribus remediis prius agendum, atque vitanda damna, quę ex præpropera censura,& temerarij Iudicis concitatiore zelo,non ipsi tantùm Reo, sed toti quoque Ecclesię prouenient, si aut eius authoritas concutietur, aut alia ratione impugnetur ab efferato Reo prępotente. Quarè Hostiens.apud Felin. in cap. Apostolicę de exceptionibus n. 3. damnat Legatum Apostolicum, qui duos duces in armis stantes, & iam ad congressum signo dato exercitus & signa explicantes iussit intentata excommunicatione abstinere à pugna, quod imperium illi contempserunt, & plerique milites innodati censurâ perierunt. Negat etiam idem Hostiens.in cap. 1. de diuort. mulierē cogēdā esse à Iudice per excōmunicationē 2

ne

ne insidietur marito, si à scelere minime destitutam præuideat, potiùs facienda erit marito venia ipsum abiiciendi. Plura similia dabit Felin. in cap. Apostolicæ citatum, vt doceat non esse proiciendam Censuram incassum, & cauendum ne habeatur despicatui, atque propter vitandum scandalum, rigorem Iuris aliquando molliendum esse, quod monet etiam glossa. in cap. Nihil cum scandalo, de præscriptionib. Si tamen Iudex Ecclesiasticus videat Reum abuti sua patientia, & lenitate Ecclesiæ magis obfirmari in scelere, quod in graue damnum Communitatis vergit, suntque eiusmodi causæ, quæ re diligenter attenta exerendum esse gladium ad abscindenda putrida corporis membra suadeant, tunc omninò ad Censuras & alia austeriora medicamenta veniendum erit, generoso illo animi vigore, quem sanctissimi quondam Præsules in tuenda Ecclesiæ disciplina præ se tulere, & quem spirantem adhuc leges in Chrysost. homil. 26. ad populum. Ita rem hanc diffiniunt S. Thom. in 4. d. 18. q. 2. A. 5. q. 2. ad 2. Abb. in cap. ab Excommunicato de Rescriptis. n. 20. Felin. in cap. Apostolicæ de Exceptionibus n. 2. Couarr. in cap. alma mater. 1. p. Initio. n. 10. Sayr. lib. 1. Thesaur. cap. 12. n. 3. Canonistas allegans. Alteri. lib. 3. de Excommunic. disp. 6. cap. 2. Auila 1. p. de Censuris cap. 4. disp. vnica dubio 1. Bonaci. de censur. dis. 1. q. 1. punct. vl. qui omnes consentiunt secluso contagij cæterorum periculo, vix posse ferri Censuram in peccatorem obduratum, & cuius emendationis nulla prorsus spes affulget ex tam importuno remedio, immò & Charitatem id temporis aliud omninò videri postulare. *Blanda enim pietate portandi sunt, qui increpari pro sua infirmitate non possunt*, vt inquit Prosper, aut quis alius lib. 2. de vita contemplat. cap. 5. disputans de sanctorum prudentia in discernendis, quos debeant temperata seueritate corripere, quos verò sacerdotali magnanimitate portare.

CONSECTARIVM. III.

Quod censura sit vltimum remedium.

3 Ex eodem fine medendi, quem intendit Censura colligunt S. Thom. & Abbas locis citatis, & Alteri. lib. 4. disp. 6. cap. 2. quoties spectatur emendatio Rei procuranda aliis remediis, inutilem absolui & posse, qua de re alibi, atque etiam debere, quod verum quoque est quando ex Censura magis induratur, si tolli possit à perseuerante in contumacia cum aliqua vtilitate Ecclesiæ, & sine scandalo atque contemptu authoritatis Ecclesiasticæ, alias enim non debet, nisi petenti donari absolutio.

CONSECTARIVM. IV.

Superior, qui non agit Iudicem, abstineat à Censura inutili, & tantum nocitura.

4 Quoties Censuram imponens non procedit vt Iudex, sed per viam Correctionis fraternæ, nullaque est spes emendationis ex Censura, sed potiùs periculum obdurationis, ab illa omninò abstinere debebit: Suppono enim delictum neque notorium esse, neque in Iudicio probabile neque vergere in damnum communitatis; tunc enim poterit Prælatus non modo illum solum corripere, sed etiam adhibito vno, aut duobus testibus pro rei grauitate obiurgare, pœnam aliquam iniungere, grauiorem comminari, atque demùm sub pœna Censuræ Excommunicationis v. g. imperare, vt abstineat aliqua occasione peccandi vt optimè docuit Bann. 2. 2. q. 33. art. 8. dub. 4. con. 3. & sanè in his omnibus nihil fit quod excedat fines correctioni fraternæ præscriptos, vt obseruat Suar. lib. 10. de societat. cap. 10. sub finem. Si tamen his omnibus nihil moueatur subditus, nihil quoque reliquum est Prælato, nisi vt quantum licuerit inuigilet subdito, absque eius tamen infamatione & scandalo vt ait ibid. Suar. quia correctio fraterna nihil aliud, quàm emendationem fratris prorsus spectat, & nequidem vt sic, bonum commune & punitionem attendit, quod maximè verum est, quando crimen est occultum, neque in aliorum damnum vergit; si igitur tunc futura est inutilis Censura, imprudenter omninò illam fert Prælatus, aut si iam tulit, temerè omninò in illa insordescere Reum patitur cum maiori animæ periculo, & obstinationi proposito; quare ex charitate eam etiam inuito tollere debebit, & aliud remedium corrigendi tentare. Qui à de re plura Suar. cap. 12. lib. cit. à n. 34. n. autè 39. Excommunicationis censuram posse infligi, qua cogatur Reus fraternè tantùm denuntiatus fateri crimen, aut satisfacere, pluribus docet.

CONSECTARIVM. V.

Censura non imponitur pro culpis omninò præteritis.

5 Sequitur Censuram non posse imponi pro peccatis præteritis, nisi habeant tractum aliquem successiuum, vt loquuntur, hoc est, habeant perseuerantem aliquam contumaciam, vel obligationem satisfaciendi reliquerint, vel quidpiam aliud ratione cuius censeantur virtualiter adhuc perseuerare, & non omninò præteriisse, aut nisi antea fuissent prohibita sub pœna Censuræ alicuius incurrendæ. Ita Nauarr. cap. 27. n. 9. & in cap. inter verba 11. q. 3. Couarr. in cap. Alma Mater 1. p. §. 9. n. 4. & §. 10. n. 1. Vgolin. de Censur. tab. 1. cap. 9. §. 5. Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 9. n. 25. Henriq. lib. 13. cap. 17. Auila 2. p. cap. 5. disp. 1. dub. 10. Layman lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 5. n. 3. Suar. disp. 4. de Censu. sect. 5. n. 6. Alteri. lib. 3. disp. 1. cap. 4. Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 2. Villalob. tract. 16. diffic. 9. n. 9. & alij passim sequuti Canonistas contra Caietan. 2. 2. q. 69. a. 2. Cordub. lib. 2. quæstion. q. 27. Almain. de potestate Ecclesiastica cap. 10. Philia. de officio sacerdot. 1. p. lib. 3. cap. 3.



Ratio huius Corollarij perspicua est, vt enim diximus in nostra propositione, finis essentialis Censuræ est emendare peccatum commissum & impedire futurum, eo quod impellat peccatorem ad resipiscendum, & ne in peccatum, cui ea Censura adiungitur, incidat, qua de causa Medicina nominatur, mederi autè nemo potest peccato præterito vt sic, si nulla ratione pendeat amplius in futurū, neque etiam illud amplius cauere: quare duplex tantùm Censura distinguitur cap. ex parte 1. de verbor. signific. vna quia citatus comparere noluit; altera quia noluit iussus maleficium emendare; prior illa respicit peccatum futurum, posterior præteritum, sed propter obligationem satisfactionis & emendationis imperatæ aliquo modo futurum aut potiùs hactenùs perseuerans; quare glossa ibid. ℣. *pro contumacia*. in vtroque illo peccato

cato fuisse contumaciam obseruat: contumaciam verò essentialiter requiri ad Excommunicationem aliamve censuram omnes æquè consentiunt, & colligunt ex CHRISTI verbis, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus*, vti fusius ostendemus disq. 5. q. 2. Vnde neque ipsum Pontificem posse ferre Censuram formaliter, vt censura est pro peccato præterito colligunt Suar. Villalob. & alij, eo quod non acceperit à Christo hanc potestatem nisi conditionatè, & in peccatores duntaxat obduratos, qui Ecclesiæ, quam audire nolunt, rebelles sunt, quod in peccatu præterito, & cui nunquàm fuerat adiuncta ea pœna contingere non potest.

6 Neque Aduersarij quidquam habent quod obiiciant, cum quæ afferunt; aut contineant peccatum aliquod pendens in futurum, aut si fuerit omninò præteritum, puniatur tantùm pœna Ecclesiastica non Censura, quæ vt tam sæpe monemus punitionem aut vindictam non attendit sed resipiscentiam & medelam: afferunt imprimis Paulum Corinthium incestuosum tradidisse sathanæ, sed nemo non videt nobis potiùs fauere hunc locum, pergebat enim ille sceleratus in propudioso suo facinore, ita vt inquit Paulus, Vxorem fratris sui quis habeat; an verò Paulus priùs eum incestuosum monuerit, quàm illum feriret Excommunicatione, vt optimè conicit Suar. disp. 3. de Censu. sect. 11. n. 9. dicam disq. 4.

7 Expendamus igitur, quæ promunt ex Iure, nam 1. Caiet. affert cap. quidam maligni. 5. q. 1. vbi Gregorius excommunicat famosi libelli authorem, nisi prodiret, vt vel doceret veritatem eorum, quæ scripserat, aut crimen fassus veniam obtineret. Caieta. autem censet eam excommunicationem solùm delictum omninò præteritum reperisse, conditionem verò illam adiectam fuisse, vt si eam præstaret Reus, latæ Excommunicationis relaxationem acciperet. Quod confirmatur ex eo, quod non poterat ille detractor obligari ad se prodendum, ac proinde pro peccato non se prodendi non poterat excommunicari, igitur excommunicatus tantùm fuit propter delictum commissum in traducenda fama notarij illius Apostolici. 2. Idem Gregorius cap. inter querelas 23. q. 4. arguit Episcopum, qui excommunicârat eum, à quo iniuriam acceperat, neque eam Censuram pro peccato præterito impositam nullam fuisse dicit, sed solam vindictæ cupiditatem damnat. 3. Siluerius excommunicat eos, à quibus captus, & in exilium asportatus fuerat, cap. Guilisarius eod. c. & q. 4. cap. impunis 2. q. 1. excommunicantur, qui Episcopum iniuria deposuerant. 5. cap. duo sunt 96. dist. Arcadium ab Innocentio, & Theodosium ab Ambrosio pro culpis sanè præteritis excommunicatos fuisse refertur, neque enim illis fuerat ab Ecclesia intentata prius censura. 6. cap. Episcopi 11. q. 3. requiritur ad excommunicationem grauitas causæ & idcircò communione priuantur Episcopi, qui pro minimis excommunicant, de contumacia nihil prorsùs dicitur; quarè si grande aliquod facinus admittatur, etiamsi absit contumacia, censurâ plecti potest. Et sanè non apparet cur Ecclesia non possit æquè punire Censuris atque aliis pœnis scelera contra Ius diuinum, & naturale patrata; quandoquidem eiusmodi crimina sæpiùs grauiora sint, quàm contumacia & inobedientia aduersus Ecclesiam: qua ratione Nicola. excommunicat duos Episcopos, qui Lotharij sceleribus fauerant cap. vlt. 2. q. 1. Denique sæpius in Iure pro iniuria iam illata ferri Censuras obuium est, vt pro raptu cap. Raptores & cap. eos qui rapiunt 36. q. 2. Neque dicas in his omnibus subintelligi aliquam conditionem nondùm positam, sed ponendam sub pœna excommunicationis, v. g. nisi satisfeceris à peccato, nam perspicuum fit ex ipsis verbis, nun incurri, neque infligi Censuram propter omissam satisfactionem, & non positam aliquam conditionem, sed propter ipsum peccatum iam commissum; vnde ea conditio non exprimitur neque subintelligitur, nisi pro arbitrio tanquàm necessaria ad incurrendam Censuram, quamuis nemo neget requiri ad impetrandam solutionem Censuræ; quandiu enim aut in peccato perstiterit aut parti læsæ non satisfecerit, non absoluetur vt dicimus disq. 10. sed aliud est conditionem exigi à Reo ad incurrendam Censuram, aliud eandem conditionem requiri ad consequendam veniam.

Respondeo ad primum, Gregorium priuare communione Eucharistiæ authorem libelli famosi, donec se proderet ad tuendum quod scripserat, aut fatendum crimen, si verò ad Eucharistiam accederet ante exhibitam illam satisfactionem, anathema esse voluit. Itaque Excommunicatio non fertur propter infamationem præteritam, sed propter impiam Eucharistiæ susceptionem in illo statu peccati, in quo erat ille infamator, quamdiu non satisfaciebat, neque iniuriam illatam reparabat; ipsa autem infamatio punita fuit priuatione Eucharistiæ, quæ vt monui q. 2. disq. 1. excommunicatio aut Censura propriè dicta non est, sed pœna quædam, quam etiam Confessarius atque alius, qui non haberet Iurisdictionem ferendi Censuras posset imponere. Illa autem priuatio Eucharistiæ indiffinitè fertur, duratura enim est, donec se prodat ille Reus, ac proinde si ante Eucharistiam accipiat, illâ susceptione peccat, & in Excommunicationem incidit; quam quidem fateor consistere non posse, nisi demus factum esse præceptum isti Reo occulto se prodendi, quod tamen inquit Caietan. fieri non poterit, neque illius Reus parere tenebatur. Verùm Respondeo Gregorium nullum propriè nouum præceptum posuisse, sed supposuisse naturalem obligationem, qua tenebatur ille infamatus, satisfaciendi & reseruandi famam læsam alterius, quod eo casu præstare non poterat, ac nisi aut sese ipse proderet aut probaret quod obiecerat, vel falsitatem fateretur, vt optimè aduertit Soto, Relectio. de secreto tegendo. memb. 2. q. 6. in fine, qui prudenter omninò existimat, non fuisse iustum illum præceptum, neque illo obstrictum fuisse si aliqua alia via, quam sui proditione, infamatio impediri, vel reparari potuisset: quarè absque periculo vllius Censuræ incurrendæ potuisset corpori Christi communicare. Neque aliud voluit Pontifex, quàm vt satisfieret læso, vnde si Reus vel possit docere, quæ scripsit, vel si errorem fateatur, negat communione priuandum, aut eiiciendum extra Ecclesiam: Fuit itaque totum illud præceptum sese prodendi latum ex suppositione, quod nulla alia esset via restituendi famam, ad quod tamen tenebatur ille Reus etiam cum graui suo damno, vt aliquando contingere posse latè diximus 2. 2. tract. de Iustitia, & ex communi tradit Adrian quodlib. 11. quo supposito iustum erat præceptum Gregorij, & ob illius violationem iure meritu Anathemate percelli volebat illum Reum, non pro peccato omninò præterito, sed futuro vt vides.. Ita Suar. Ferdinand. Alteri. & alij passim respondent. 8

9 Ad 2. R. Episcopum, quem arguit Gregor.cap. inter querelas, tulisse quidem excommunicationem pro iniuria illata, sed nondum reparata, atque ita perdurante; neque enim negamus peccatum præteritum aliqua ratione perdurans, & contumaciam adiunctam habens esse materiam censuræ, peccauerat tamen ille Episcopus quod in propria causa in vindictam, & non in defensionem, gladium excommunicationis vibrarat, quod sacris canonibus prohiberi dixit ibidem Gregor.& constabit alibi.

Atque hæc eadem responsio reliquis obiectis satisfaciet, nam & Siluerius declarat tantùm excommunicatos, qui ipsum cœperant, vel excommunicat, qui eum in exilio detinebant. Theodosium & Arcadium, Ambrosius & Innocentius anathemate perculerunt, donec satisfacerent, & publica pœnitentia crimina commissa eluerent. Raptores quoque in iniuria inferenda perstare, quamdiu raptam detinent, nemo negabit. Nicola. denique Episcopos Lotharij fautores deponit & abdicat munere sacerdotali; & licet vtatur voce excommunicationis, non fuit tamen neque propria excommunicatio, neque censura, sed perpetua depositio: pœnas autem spirituales infligi posse pro peccatis commissis iamdiu concessimus.

Neque aliud probat ratio superiùs allata ab Aduersariis, nempe posse Ecclesiam punire censuris peccata commissa contra ius diuinum & naturale, maius enim peccatum est adulterium, aut periurium, quàm contumacia in legem Ecclesiasticam, fatemur enim pœnis spiritualibus, vt depositione, puniri aliquando peccata commissa, atque etiam censuris, non quatenùs censuræ, sed quatenùs pœnæ sunt, plecti iure aliquando posse.

10 Obseruant autem Suar. disp. 4. de censu. sect. 5. n. 28. Alteri. Villalob. Layman, locis citatis, Bonac. disp. 1. de censu. q. 1. p. 3. n. vlt. in censuris duplicem esse priuationem, vnam rerum spiritualium, quæ non exiguum detrimentum animæ afferunt, eiusmodi est priuatio vsus rerum sacrarum, communium Ecclesiæ suffragiorum & similium; altera est consequens quædam priuatio commodorum temporalium, vt honoris, dignitatis, officij, iurisdictionis, fructuum beneficij, consuetudinis & commercij politici; quæ priuatio molesta quidem est, non affert tamen graue nocumentum animæ, quamuis sæpiùs homines magis moueantur priuatione temporalium, quam spiritualium. Censura igitur prout priuationem temporalium dicit, potest ferri in punitionem delicti commissi per modum puræ pœnæ in vindictam, & sine vllo ordine ad resipiscentiam Rei, vnde etiam aliquando perpetua est, & emendato Reo perseuerat, aliàs est certi & distincti temporis, cessatque illo elapso, siue Reus ad meliorem frugem redierit, siue non, Quando verò censura sumitur adæquatè secundum omnem suum effectum, siue formaliter, vt censura est, & continet priuationem spiritualium, quæ animæ admodùm grauis est, nunquam imponitur, neque imponi potest pro peccato præterito sine aliquo ordine ad futuram emendationem, quæ austeriori illo remedio quæritur. Ratio est, quia spiritualis pœna, quæ tantum incommodum affert animæ, irrationabiliter omninò imponeretur, nisi simul esset efficax & potens remedium ad liberandum hominé à maiori periculo, & spirituali malo, non constat autem Ecclesiæ, quando præcessit paruum delictum, neque habet adiunctam contumaciam, an peccator indigeat tam austero medicamento ad resipiscendum, vti quando post sufficientem monitionem non resipuit, sed obfirmatur & contumax perstat, tunc enim donec resipuerit, priuatur illis subsidiis & bonis spiritualibus; Priuatio autem temporalium quæ molesta est, prudenter ad peccata commissa punienda suscipitur, atque ea ex parte censura quoque per modum pœnæ, & non censuræ formaliter & adæquatè vsurpatur; eiusque plurima vestigia habemus in iure, nam Rei à communione & cœtu cæterorum aliquando separabantur, vt dum loqueremur de impropria excommunicatione disq. 1. q. 2. obseruauimus, & ex cap. in loco 5. quæstione 4. & capite præsenti 5. quæstione 2. colligitur, atque cap. neminem distinctione 45. dicitur Clericus priuandus honore per triduum, vbi exigit culpa; quod erat genus quoddam suspensionis, vt ibidem obseruat glossa, & sanè nihil est hac in re quod superet legitimam potestatem puniendi hac in parte.

Dices, non tantùm priuationem temporalium, sed etiam spiritualium inflictam aliquando fuisse pro peccato præterito. Ergo censura adæquatè sumpta & vt includit priuationem bonorum spiritualium pro eodem peccato infligi poterit; quam consequentiam negare non possumus, si adæquata ratio, propter quam non fertur censura pro peccato præterito, est, quia priuatio spiritualium non poterit iustè imponi in pœnam, nisi sit simul remedium ad liberandum hominem à grauiori quodam malo; nam si aliquando eiusmodi spiritualium priuatio verè pœna est, nullo habito respectu ad futuram resipiscentiam, poterit quoque censura, quæ est similis, immò & eadem priuatio, sine eiusmodi ordine ad futurum, & pro culpis duntaxat præteritis ferri. Antecedens autem manifestum fit ex antiquo vsu abstinendi à communione Eucharistiæ quosdam peccatores; quam abstinétiam non fuisse excommunicationem colligebamus, disq. 1. q. 2. ex eo quod in cæteris rebus etiam sacris non prohiberetur communicatio cum aliis fidelibus, & hæc pœna determinati temporis esset, quo elapso cessabat, & in cap. tanta dist. 86. Gregorius excommunicabat quosdam, qui quoddam consilium prauum dederant, sed excommunicatio illa limitatur ad duos menses, quibus illi abstinere iubentur à communione corporis Christi nisi ingrueret mortis articulus. Quarè non fuisse plenam excommunicationem optimè coniicit Suar. disp. 4. sect. 5. n. 22. & idem Gregorius in loco adducto à Caietano primum abstinuit authorem libelli famosi à participatione corporis Christi, & deinde, si antequàm imperata faceret, accederet ad Eucharistiam, voluit anathemate percelli. Plura similia dabit Alteri, lib. 1. disp. 2. cap. 1. ex quibus patet priuationem spiritualium fuisse impositam in meram pœnam, quod liquidò confirmatur ex eo quod omnes consentiunt, duplicem esse suspensionem, vnam quæ pœna est, alteram, quæ est censura; quæ habent eosdem prorsùs effectus, & iisdem omninò tum spiritualibus, tum temporalibus bonis priuant, licet differant tum fine, quia vna punitionem, altera emendationem Rei attendit, tum duratione, aliisque nonnullis, vti diximus q. 2. cit. Idem omninò dico de interdicto, quod verè censuram esse diximus contra nonnullos, qui meram pœnam esse contendebant. Poterit igitur censura adæquatè sumpta, & secundum omnia, quæ includit, siue spiritualia, siue temporalia in pœnam peccati

imponi

imponi absque vllo ordine ad futuram emendationem, quæ non attenditur perpetuò in ferendis pœnis vt liquet.

Accedit his omnibus Ratio à priori, Censura enim etiamsi sit medicina, est tamen pœna etiam adæquatè sumpta, & secundum omnem priuationem, quam causat, & idcircò dicitur pœna medicinalis; immò ex eo grauior pœna est, quo pluribus bonis spiritualibus priuat, atque idcircò efficax est ad curandam resipiscentiam, ad quam destinatur, quia est austera admodum & grauis pœna.

11 Non placet itaque communior illa sententia dicens Censuram non posse vsurpari per modum solius pœnæ & vindictæ peccati præteriti secundum omnia quæ continet adæquatè, & secundum priuationem bonorum spiritualium, cum reuerà constet eiusmodi priuationem pœnam esse, & sæpiùs culpæ proportionatam, atque sæpiùs ab Ecclesia vsurpatam; cùm enim, vt dicebamus q. superiori sub finem, hæc priuatio non versetur circa bona interna, sed solùm circa quædam externa: neque peccator idcircò destituatur auxiliis necessariis ad salutem, prudenter Ecclesia vtitur aliquando eà pœnà, tum ad puniendum peccatorem, tum ad aliorum terrorem, aliosque fines, quos in designandis pœnis solent sibi præfigere legislatores.

Neque dicas, priuationem suffragiorum communium, quam affert excommunicatio, nusquàm fuisse impositam, tanquàm puram pœnam, nam iam quæstio ad solam excômunicationem restringeretur, & haberemus cæteras Censuras adæquatè sumptas, aliquando rationem meræ & solius pœnæ inducere, ac proinde rationem, quam afferebant laudati DD. propter quam Censura adæquatè sumpta non habeat pro obiecto peccatum præteritum, quia nimirùm adæquatè considerata continet priuationem spiritualium, nulla omninò erit. Deinde expendendum erit, an priuatio Sacramentorum, maximè Eucharistiæ non sit maius incommodum, quàm priuatio communium Ecclesiæ suffragiorum, cùm plura subsidia & bona spiritualia ex vsu sacramenti, quam ex illis suffragiis percipiamus. Docendum præterea erit, cur vna priuatio spiritualium possit in punitionem solam peccati commissi imponi, alia verò non possit, cur enim habebit aliqua ex his priuationibus ordinem essentialem ad resipiscentiam.

12 Existimo itaque tricas tantùm esse hoc loco de nomine, & reuerà totam Censuram adæquatè sumptam ferri posse in pœnam criminis commissi, atque adeò ipsam Excommunicationem, quod concedit Villalob. tract. 16. diff. 9. n. 10. non dicetur tamen tunc temporis Censura, quia ipsa habet pro fine Resipiscentiam Rei, & supponit illius contumaciam ex institutione Ecclesiæ, quæ sapientissimè potestatem sibi à CHRISTO factam puniendi in bonis spiritualibus communibus fideles, illosque à suo cœtu separandi, ita temperauit, vt nolit illà vti, nisi ad ipsius Rei bonum, nisi ipsemet obfirmatus medicam manum respuat, & sanari nolit; tunc enim si reliqui corporis bonum ita postulat, putridum membrum resecare cogitur, vnde etiam fit vt nunquàm Excommunicationem adæquatè sumptam vsurpet tanquam pœnam, solam punitionem & vindictam attendens, quod tamen facere posset, si liberet, haberetque eundem omninò effectum in Reo excommunicatio, quæ esset pœna, quem modo habet Excommunicationis Censura, vti dicebamus de suspensione & Interdicto, quæ idem omninò efficiunt, siue pœnæ, siue Censuræ sint.

Addo nihilominus cum eodem Villalob. solum Pontificem posse seiungere rationem Censuræ in Excommunicatione adæquatè sumpta à ratione pœnæ, quia cæteri omnes Prælati non possunt Condere nouum Ius, sed ex eius præscripto censuras ferre debent, ac proinde non nisi propter contumaciam, & vt pœnas medicinales, & quod necessariò consequitur, propter peccatum aliquo modo pendens in futurum; Pontificem autem, qui in Iure positiuo Ecclesiastico dispensare potest, & istis legibus non alligatur, has rationes Censuræ & pœnæ diuidere, nihil omninò prohiberet.

CONSECTARIVM. VII.

Non potest præcipi res leuis sub graui Censura

Sequitur ex fine Censuræ, non posse imponi præceptum de re leui & incapaci obligationis ad mortalem culpam intentata grauiori aliqua censura v.g. Excommunicatione. Ita Auila 2. p. cap. 5. disp. 1. dub. 3. Medina 1. 2. q. 96. a. 4. post regulam 5. & alij passim; Quarè Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 5. docum. 2. iure inuehitur in Prælatos, qui ex supina quadam ignorantia, aut animi temeraria leuitate, omnia etiam leuissima præcipiunt sub peccato mortali, aut in virtute obedientiæ, aut sub pœna excommunicationis, quod etiam arguit Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 2. 6

Ratio Corollarij perspicua est, quia pœna debet esse proportionata culpæ, cùm igitur in violatione talis præcepti non committatur nisi leuis culpa propter leuitatem materiæ, quæ incapax est, grauioris obligationis, non nisi temerariè grauissima pœna infligeretur, & leui morbo persanando Cauterium adhiberetur. Suppono verò solam voluntatem præcipientis non posse obligare ad culpam mortalem, nisi materia capax sit talis obligationis, quamuis necesse non sit legislatorem perpetuo obligare secundum totam amplitudinem & capacitatem materiæ, possitque ad culpam tantùm venialem obstringere circa materiam maioris culpæ capacem, non tamen Iure diuino, aut naturali prohibitum, ea enim iura imminuere ipse non posset: quæ omnia fusiùs probata sunt 1. 2. & in scientia canonica ex communi sententia, quam videbis apud Sanch. lib. 1. 10 decalog. cap. 4. n. 3. Suar. lib. 3. de legib. cap. 25. n. 2. & lib. 4. cap. 18. Vasq. 1. 2. disp. 158. cap. 4. Baldell. lib. 5. Theolog. moralis. disp. 20. n. 7. quamuis enim Superior millies prohibeat leue mendacium, aut verbum otiosum sub peccato mortali, & in virtute obedientiæ, non idcircò tamen, qui leuiter mentietur, aut verbum otiosum proferet, peccabit mortaliter.

Sayr lib. 3. clauis Regiæ cap. 7. n. 17. & alij ab ipso relati distinguunt hac in parte inter potestatem ciuilem & Ecclesiasticam; hanc enim existimant posse grauiter obligare in materia leui, atque ita si præcipiat sub pœna Excommunicationis rem leuem, obligare ad mortale, cùm ea pœnæ adiectio significet voluisse obligare ad mortale; id autem posse probant ex eo, quod illi maior obedientia debeatur, & ad grauem obligationem non requiratur grauitas materiæ, vt patet in comestione pomi prohibita Adamo, quæ tamen tam immani supplicio punita fuit, atque ipsa eiectione à Paradiso, quæ fuit vmbratilis quædam Excommunicatio, vt iam olim aduertit Hieron. in cap. 6. Oseæ,

Oseæ, ad illud, *ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum*. August. lib. 11. de Genesi ad cap. 40. Bracharius Ep. ad Ianna. initiò. Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini. cap. 9. sub initium. Idemque insinuat Clem. lib. 1. Constitu. cap. 42. cùm iubet induratum peccatorem tradi gladio ignis, quem de gladio flammeo à Cherubim vibrato, & gladio excommunicationis Turrian. lib. 9. pro Ep. Pontifi. cap. 29. interpretatur. Displicet tamen ea distinctio, neque materiam vndequaque leuem præcipi posse cum obligatione ad mortale, etiam ab Ecclesiastica potestate sæpiùs monui cum Sanch. & Suar. l. cit. 1. 2. disp. 7. q. 5. p. 6. Azor 1. p. lib. 5. Salas c. 6. q. 5. disp. 10. de legib. s. 6. n. 31. reuerà enim hæc potestas foret in destructionem, & non in ædificationem, & cum neque lex naturalis, neque diuina vnquàm obliget ad mortale in materia leui, quis hoc dicat facere legem humanã Ecclesiasticam licet, quis nõ stultam & iniquã eam legem existimet, quæ pœnam capitis pro leuissima culpa statueret; quis igitur probabit illam, quæ pœnam æternam verbo otioso aut leui mendacio sanciat. Addit Salas, si concendata foret hæc potestas Ecclesiæ vni Pontifici concedendam fore, quanquàm non videri illi factam eam fuisse à CHRISTO. quia vt iam monui, noceret potiùs animarum saluti, quàm prodesset.

Verùm existimo cum Suar. cap. 25. lib. 3. de Legib. n. 5. neq; ex mera diuina voluntate pendere, vt quodcunque peccatum in omni & quacunque materia etiam leuissima à se imperata, sit mortale, quia diuinum præceptum iustum esse oportet, quod non erit, nisi commensuretur materiæ, quæ est prima radix & origo obligationis, supposita intentione præcipientis; neque diuina voluntas, cùm extrinseca sit, reddit materiam capacem, aut incapacem obligationis; Quarè si obligat sub mortali, cadet necessariò in materiam grauem, saltem formaliter, prout ordinatur in finem à DEO intentum. Quod confirmatur ex eo quod peccatum mortale & veniale differant ex natura rei, & non est sola diuina voluntate, vti ostendimus 1. 2. quod tamen falsum esset quia non attenta natura rei præceptæ, DEVS pro arbitrio leuem aut grauem obligationem injiceret.

Ex quibus omnibus tandem efficitur res leues numquã esse præcipiendas sub pœna grauioris censuræ, aut æternæ damnationis, aut alijs similibus, quæ necessariò grauem culpam requirunt; alioquin iniqua est, & omninò temeraria illa præceptio, neque timenda tunc est excommunicatio, quia reipsa nulla erit. Quarè rectè dixit Driedo lib. 2. de libertate Christ. 1. in 2. proposit. vel vt fert alia editio lib. 1. cap. 2. & 3. temerarias mandantium intentiones, pro quibus libet rebus parui ponderis, non obligare subditos ad illud peccatum, quod ipsi incurri volunt.

Fateor tamen cum Suar. tunc ea præcepta obligare sub veniali, atque proinde ex parte valida esse, quia intendit superior tunc obligare, quantum potest, neque conditionatè tantum præcipit, ita vt si non obliget sub mortali, velit suum præceptum esse nullum; cùm itaque ea præceptio sit tantùm iniqua quoad excessum obligationis, non quoad obligationem, valida adhuc manebit ad obligandum, sed non ad obligandum mortaliter. Vnde tamen non sequitur obligare sub pœna Excommunicationis minoris aut, alterius leuioris censuræ, quæ potest pro veniali culpa imponi, quia hæc nomina simpliciter prolata pro maioribus censuris accipiuntur in Iure, vt ex Regula Gregorij IX. cap. penult. de senten. Excommunic. in 6. monuimus disq. 1. q. 2. Nisi igitur ex sint circunstantiæ, quæ doceant præcipientes voluisse imponere leuiorem Censuram, non erit de illa explicandum præceptum: & sanè non addebat leuitati materiæ Censuram superior, nisi vt momentum & pondus adderet suo præcepto, quod propter leuitatem materiæ contemnendum verebatur, atque vt inde significaret grauem obligationem illud seruandi, quod non assequeretur adiectâ minori excommunicatione, à qua quilibet Confessarius absoluere potest vti dicemus inferius. Quia tamen consentiunt DD. timendam esse Censuram latam à Prælato, etiamsi de eius æquitate dubitetur, & videmus interdum leuia quædam in speciem præcipi in Iure sub pœna Excommunicationis.

Obseruandum vlterius est, materiæ leuitatem aut grauitatem non attendendam esse ex sola natura rei præceptæ, sed ex varijs circumstantijs, ratione quarum interdum grauis fit. Quare Caietan. v. præceptum, ait impossibile videri ex sola materia discernere præcepta in Iure humano, cùm inueniantur minima præcepta sub mortali peccato, vt patet de concidentibus cadauera, vt transferant ad alia loca, quod de se nullum est peccatum. Et Val. p. 6. cit. putat Prælatos aliquando sub mortali posse præcipere silentium propter adiunctam aliquam circumstantiam; quod idem dicit Suar. disp. 6. de Censu. sect. 6. n. 11. de præcepto comparendi facto à Iudice Ecclesiastico sub pœna Excommunicationis, & de vocatione eadem pœna proposita ab inquisitoribus, ad audiendum publicũ Edictum fidei. Similia plura omnino leuia in Vese spectata, quæ tamen ratione circunstantiarum grauia censentur, atque adeò sub obligatione mortali, & grauiori Censura, vt excommunicationis præcipi possunt, refert Sayr lib. 3. clauis cap. 7. n. 14. & Medina 1. 2. q. 96. A. 4. ad 2. dubium contra Regulas ab eo allatas. Res itaque tota relinquenda est iudicio prudentis, qui ad dignoscendam istam materiæ leuitatem & grauitatem, hæc duo maximè attendere debet.

5. enim comparandu est præceptum cum fine, quem intendit superior, si enim ille finis grauis sit, & res præcepta, aut prohibita multum ad eius assecutionem conferat, aut illam impediat, iam erit grauis materia in ordine ad finem intentum. Hinc comestio pomi vetiti fuit mortalis in Adamo, quia prohibita fuerat in tributum quoddam humanæ subiectionis. Vnde etiam colligit Sanch. lib. 1. in decalog. cap. 4. n. 6. Vasq. 1. 2. disp. 158. c. 6. n. 60. & Villalob. tract. 2. diffi. 19. n. 5. eandem materiam imperatam ab vna lege obligare sub mortali, ab alia verò imperatam obligare tantùm sub veniali, propter diuersos fines quos ex leges sibi præscribunt; nam auditio missæ diebus festis præcipitur sub mortali ab Ecclesia ex commum sententia, & sub eadem obligatione præcipi posset diebus profestis in religione, si tamen alicuius vniuersitatis leges idem præcipiant, non obligabunt ad mortale, quia ea sacri auditio comparata cum fine spirituali, quem intendit Ecclesia & Religio, ad quem multum conducit grauis existimatur, leuis autem comparata cum fine vniuersitatis, ad quem non ita confert

quarè aliquot eius omissiones non erunt mortales, vt censent laudati DD.

Finis porrò, qui medio ex se indifferenti, aut admodum leui momentum & grauitatem addere potest, ille est, qui bonum commune primariò & per se spectat, bonum autem priuatorum non nisi secundariò,, & quatenus sunt partes illius communitatis; quando igitur maximè interest ad bonum commune quidpiam poni vel omitti, quod præsumitur ex graui pœna lege statuta Censet Couarr. in Regulam, peccatum. 2. pag. §. 5. n.º 4. obligationem esse ad mortale, etiamsi fortassis ea res aut omissio in sese leuis alioquin sit, quam regulam fusiùs expendit Sanch. lib. 1. in decalog. cap. 4. n. 7. & 8. sed præsertim lib. 3. cap. 9. à n. 33.

Secundo expendendæ sunt circunstantiæ rei præceptæ, quæ aliquando illi grauitatem maximam afferunt, eæque sunt duæ potissimùm, scandalum nimirùm & offensio aliorum, quam pariunt, & periculum peccati mortalis, in quo constituunt hominem. vt enim obseruauit Suar. disp. 18. de Censu. sect. 3. num. 16. nosque diximus 1. 2. peccatum veniale transit in mortale, quando est proxima dispositio ad mortale, qui enim sponte se constituit in morali & proximo periculo peccandi mortaliter, iam illud ipsum peccatum animo committit, eiusque Reus habetur; & quamuis, quia ille actus non est fortassis adhuc omninò vltima & proxima dispositio ad mortale, nō etiā ipse adhuc in se spectatus sit mortalis, est tamen capax, vt prohibeatur sub mortali à superiore, qui potest & fortassis tenetur subditum remouere ab occasione vtcumque proxima peccandi mortaliter, siue actus ille est capax terminandi obligationem mortalem ex superioris præcepto, ita vt si heret secluso omni præcepto, foret tantum venialis adiuncto autem præcepto fiat mortalis, quod mirum non est; si enim Superior potest aliquando præcipere, aut prohibere sub mortali actum ex se indifferentem, si grauis aliqua causa occurrat, cur non æquè poterit actum ex suâ tantùm natura venialem, sub eadem obligatione mortali prohibere, vbi similis & æquè grauis causa id postulabit, ab ordine enim ad illam causam, suam grauitatem accipiet, vt dicebam superiùs de ordine ad finem intentum per legem, cum quo comparari debet res imperata aut prohibita. Id verò faciliùs contingere in Religione obseruat idem Suar. eò quod peculiari quadam ratione teneantur Religiosi vitare venialia, & mortalium pericula vtcumque proxima cauere sollicitiùs, habeantque proinde superiores amplam quandam potestatem prohibendi non modò ea quæ creant periculum aliquod vtcunque proximum mortalis, sed etiam, quæ grande impedimentum perfectioni subditorum afferunt; secluso etiam periculo proximo amittendæ vitæ spiritualis.

Ratione autem scandali posse quoque actum venialem fieri mortalem, immò & actū indifferentem, aut etiam bonum ab ea circumstantia infici, nemo est, qui dubitet; & quamuis aliquando scandalum ita graue non foret, vt actum indifferentem aut venialem redderet, spectata sola rei natura mortalem, poterit tamen sufficere, vt eiusmodi actus rigidiori præcepto obligante ad mortale, prohibeatur.

In hoc igitur casu, quando aliqua ex duabus explicatis circumstantiis adest, poterit actus non modo venialis, sed etiam indifferens prohiberi sub grauiori Censura v.g. excommunicationis, quæ valida erit an verò prudens & iusta ex aliis adiunctis diiudicandum fuerit. Prohibebitur igitur peccatum veniale, aut actus indifferens, atque etiam, si placet, bonus, non in sensu composito, sed disiunctiuo, neque enim prohibetur sub excommunicatione peccatum veniale vt sic, siue quia est veniale, sed prohibetur peccatum ex se quidem veniale, sed quod propter adiunctam circunstantiam iam est mortale, & Censura adiuncta non cadit in illum actum, nisi vt prohibitum, & vt iam mortalis est, quem impedire intendit superior. Eodem modo actus indifferens aut bonus non prohibetur sub mortali, quia indifferens aut quia bonus est, neque vt sic punitur Censura, sed prohibetur præcepto obligante ad mortale, quia scandalosus est, & ad illum vt sic impediendum vsurpatur Censuræ timor, eamque reuera incurret, qui eiusmodi actum ita prohibitum faciet. Si verò actus venialis neque ratione finis, neque ratione aliorum circunstantiarum possit fieri mortalis, non poterit prohiberi sub mortali, neque sub pœna maioris grauioris-que Censuræ; quæ non modò imprudenter, sed etiam inualide ad leue damnum impediendum assumeretur, non secùs, atque qui, vt aie Gerson Sermo. in Concilio Rhemi. partitione 2. Considerat. 2. promissione 2. & Maior in 4. n. 18. q. 2. con. 2. ad abigendam muscam à fronte alterius securi ipsum excerebraret; quod ex grauibus damnis, quæ infert Censura, comparatis cum veniali culpa, quæ aliis mediis facile impediri, & si commissa fuerit, abstergi, atque emendari potest, manifestum omninò fit.

Atque ita manet probatum & explicatum nostrum Corollarium, ex quo lōgè alia plura deducuntur.

15 Hinc colligit Suar. disp. 4. de Censu. Sect. 6. n. 11. non facilè contemnendas esse Censuras, quæ pro leuibus culpis impediendis ferri videntur, neque facilè existimandum esse comminatorias, & ad solum terrorem appositas, quia sæpè ignoratur grauis ratio, vel necessitas talis præcepti, quod materialiter consideratum leue apparet, formaliter autem & in ordine ad talem finem est satis graue, & ideo oportet satis certò & indubitanter constare leuem esse culpam, & Censuræ improportionatam, vt illa contemnatur.

Sapienter nihilominùs monent Vasq. prima secundæ disp. 158. capite 5. num. 45. & Sanch. lib. 6. in decalog. cap. 4. num. 53. quoties ex Consuetudine, aut aliis circumstantiis conijcere licet Censuram non fuisse appositam præcepto, nisi ad terrorem, non fore nisi venialem eorum præceptorum transgressionem; Quarè malè deinde faceret Iudex, si mutata sententia velit pœnam quam animo solùm terrendi fuerat comminatus, infligere, & si materia reuerà non esset grauis, nulla esset eiusmodi Censura. Atque ita Sanch. plerosque excusat à mortali, dum non obtemperant superiori in materia admodùm leui, neque necessario præcipienti, intentata excommunicatione, eo quod communis sapientum sensus ferat, eas cōminationes esse potiùs ad terrorem, quàm ad pœnam reipsa infligendam, nisi fortassis ita deinde cresceret contumacia, vt propter sæpiùs iteratā monitionē censeretur grauis & mortalis contēptus, tunc enim in hac cōtinuatione inobediētiæ & contumaciæ culpa mortalis reperiri posset, & pœna, quā ad terrorē tātùm incutiendū cōminatus fuerat superior, infligi iure merito videbitur. Cùm itaq; Iudex Ecclesiasticus præcipit Clericis interesse publicis

precibus

precibus, coram se comparere, aliaque similia sub Excommunicationis pœna, existimat Sanch. leuem admitti culpam à non parentibus propter rationem allatam.

Si verò nullæ sint côiectnræ, quæ probabiliter suadeant non incuti solùm terrorem cōminatione Excōmunicationis, qui præceptum violabit, peccabit mortaliter, etiamsi materia sit leuis vndequaq; & inualida futura sit adiecta excommunicatio, sed non incurret excommunicationem, siue sit latæ, siue ferendæ sententiæ, vt docent Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 5. docum. 4. Sayr lib. 3. clauis cap. 7. n. 17. Vasq. disp. 158. cit n. 45. & Sanch. n. 53. citato. peccat enim mortaliter ex conscientia erronea, qui admittit aliquid, quod falsò existimat esse contra legem mortaliter obligantem. Excommunicatio vero & censura nunquam incurritur ex sola conscientia erronea, ad illam enim opus est potestate, quæ illam imponat, qualis non est, vbi materia eius capax non reperitur: si enim, vt diximus, potestas præcipiens non se extendit pro eius arbitrio ad quamcunq; materiam, vt quam libuerit, obligationem imponant superiores, neque poterunt etiam grauem pœnam pro ea transgressione, quæ tenera leuis est, infligere: Excommunicatio autem non imponitur errori conscientiæ, sed violationi legis, quæ leuis omninò existit. Vnde colligit Suar. lib. 3. de legib. cap. 26. n. 1. & 6. peccare Prælatos, qui res leues sub pœna excommunicationis præcipiunt, etiam si ad terrorem tantùm id faciant, eo quod præbeant occasionem peccandi ex conscientia erronea, quod etiam tradit Sal. disp. 10. de legib. s. 6. n. 82. & s. 9. n. 61. Sānch. tamen & Castro volunt hos terrores licitè aliquādo vsurpari. Res tota prudentis arbitrio relinquenda videtur.

Addo tamen ex Val. t. 2. disp. 7. q. 5. p. 6. §. 3. quidquid sit de alijs Legislatoribus, certum esse materiam legis Pontificiæ obligantis totam Ecclesiam sub mortali, grauem esse, vel secundum se, vel secundum aliquam circumstantiam, quia Pontifex in ijs, quæ pertinent ad vniuersam Ecclesiam, siue circa fidem, siue circa mores errare non potest, vt latè ostendimus 2. 2. esset verò intolerabilis error, si aliquid proponeretur vitandum tanquàm mortale peccatum, quod tamen reipsa esset tantùm veniale.

16 Hinc præterea intelliges plures prohibitiones factas in iure sub pœna Excommunicationis, quæ tamen videntur esse leuium omninò rerum. 1. enim in Extrauag. detestandæ. de sepulchris, excommunicantur, qui cadauera concidunt. Respondet Reginald. lib. 15. n. 43. inde magnum horrorem & commotionem ortam fuisse, & eam consuetudinem, quæ iam inualuerat, aliquid feritatis & sæuitiei quod minus deceret Christianam mansuetudinem, habuisse, atque ita tanquàm rem grauem prohiberi à Pontifice illa extrauag.

2. cap. peruenit. de sententia Excommunicat. permittitur Episcopo absolutio eorum, qui leuiter percusserant Clericum. Respondet Nauarr., in cap. inter verba 11. q. 3. & ex illo Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 9. n. 2. eam percussionem non fuisse ita leuem, vt peccatum mortale non esset, alioquin non incurrisset ille percussor excommunicationem; vnde longa est dissensio inter DD. quænam sit calcuis percussio.

3. cap si quis. dist. 23. & cap. si quis ex clericis, de vita & honestate clericorum, fertur excommunicatio contra comam laxantem, quid verò tandem in ea re magni criminis subesse potest. Respondet Turrecrem. ibi non excommunicari, sed excommunicandum esse clericum, quia vt ait Suar. disp. 18. Censu. sect. 3. n. 19. laxare comam cum tanta pertinacia, & monitionis repetitæ contemptu graue quidpiam censetur. verius est, quod obseruat Baron. an. Christi 58. In eà comæ laxatione quandam fuisse apostasiam à clericatu. cap. vero clericus. de vita & honestate clericorum, quod desumptum est ex Concil. 4. Carthagin. cap. 44. latum est contra Monachos, quos crinitos appellat Aug. lib. 2. Retractat. cap. 21. & lib. de opere Monacho. cap. 31. qui muliebrem comam circumferentes vagabantur, vt testatur Epiph. hær. 80. erantque Eucaitarum & Missalianorum impia germina, vt obseruat Baron. an. Christi 398. vnde videas, cur rigidiores aliquando canones in comatos clericos editi fuerint, & num comæ nutritio peccatum mortale sit, quod fatentur Innoc. & Panorm. in cap. illud. si quis ex clericis, de vita & honest. t. clerico. & alij. verùm quamuis id colligeretur ex citatis Canonibus, non benè inde damnarent hodiernos clericos, cùm causæ eiusmodi seueriorum Canonum, non eædem sint, qua de re alibi. Interim consule Marchin. tract. 1. de Ordine parte 1. cap. 6. & Dian. 2. parte. tract. 4. de sacram. Resolut. 183.

4. cap. sacerdote 1. de Consecrat. dist. 1. Excommunicatur à Concil. 4. Carthagin. qui de auditorio egressus fuerit, sacerdote faciente verba. Neque satisfacit Suar. qui disp. 18. citat. sect. 3. n. 1. de Excommunicatione tantùm ferenda interpretatur, cùm, vt iam monui ea comminatio fieri non possit nisi pro peccato mortali committendo, violando legem, cui talis comminatio adiungitur.

Respondeo itaque percelli illo canone quosdam, qui sacerdotem inconcinnè loquentem contemnerent, & deriderent, quod solemne fuisse quibusdam de scholis Grammaticorum Oratorumque venientibus testatur August. lib. de catechis. rudib. cap. 9. eosque sedulò monendos esse ait, dum Christiani fieri volunt, vt *discant non contemnere, quos cognouerint morum vitia, quàm verborum amplius deuitare, & cordi casto linguam exercitatam nec conferre audeant, quam etiam præferre consueuerant.* Quia verò etiam delicati quidam Christiani eandem verborum concinnitatem sectantes, exibant ex auditorio ob imperitiam loquentis sacerdotis, atque ipsius doctrinæ Christianæ, quam vt barbaram oderant deinde alij, iure merito hic diuini & sacri sermonis contemptus per Excommunicationis metum prohibetur à Patribus Carthaginensibus. Neque alia mens est glossæ in cap. si sacerdote. citatum.

5. cap. 2. de vita & honestate Clerico. excommunicantur Clerici arma portantes. Panorm. in illud cap. 2. damnat eos peccati mortalis, nisi illa in sui deffensionem portent, tunc enim ipsis licere constat ex cap. Olim de Restitut. spoliato. & cap. dilecto de sentent. Excommunic. in 6. & sanè rem hanc grauem esse, eò quod dedeceat omninò statum Clericalem inde colligitur, quod qui tertio monitus non resipiscat, priuetur priuilegio Canonis. si quis suadente. 17 q. 4. vt constat ex cap. in audientia de sententia Excommunication. vnde vbi saltem monitus. ab Episcopo a gestandis armis more militum non

destiterit, iure propter illam contumaciam in re graui, & quæ statum Clericalem dedecet, excommunicari poterit.

6. capite quæcumque dist. 3. anathema dicitur mulieri comam amputanti, sed ea amputatio fiebat in signum superstitionis & superbiæ, sic enim existimabant se ponere signum subiectionis, quam viris suis debent.

7. qui communicant cum excommunicatis ab aliis, quàm à Papa, non peccant mortaliter, & tamen ipsi excommunicantur. ℞. quidquid sit de peccato communicantium cum excommunicato, de quo dicemus inferius, si non peccent nisi venialiter, non incurrent nisi minorem excommunicationem, quæ etiam pro culpis venialibus ferri potest.

8. Gregorius XIII. & Pius V. prohibuerunt Clericis initiatis sacris Ordinibus & Beneficiatis sub pœna Excommunicationis interesse agitationi Taurorum, quod Religiosis quoque Clemens VIII. vetuit, licet indulserit Clericis; non apparet tamen, quæ culpa sit eiusmodi spectaculis interesse. De hac agitatione Taurorum quæstionem agitant magna contentione DD. Hispani, quos adeas. In his Salas disp. 10. de legib. s. 9. n. 5. & Auila 2. p. de Censu. cap. 5. disp. 1. dub. 4. vbi contendit Clericos & Religiosos publicè assistentes illis spectaculis peccare mortaliter ratione scandali: qui tamen occultè adesset, aut ex loco ita distante spectaret, vt non censeretur moraliter interesse, non peccaret mortaliter, atque ita excommunicationem, quam esse ferendæ tantùm sententiæ putant hi DD. nequaquam incurreret.

Ex his plures alios similes casus, qui fortassis in Iure occurrent, facilè fuerit exponere, nam vel materia grauis est cum fine & variis circunstantiis comparata; vel Excommunicatio aliave censura, quæ propter illam imponitur, est leuior; qua in re retinendum est memoria, quod sæpiùs diximus, Excommunicationis nomen non semper in Iure ante Gregorium IX. pro sola maiori vsurpatum fuisse, immò & pro variis communicationum priuationibus, quæ Censuræ non sunt, sed quædam suspensionum genera, aut prohibitiones tantùm merè pœnales, sumptum fuisse.

Denique attendendæ sunt causæ, quibus antiqui Pontifices aut Synodi adductæ sunt, vt Canones in certa crimina ea ætate communia conderent, & Censuras aduersus ea statuerent; & statim apparebit, quàm graues fuerint eiusmodi causæ, & non exigua illa scelera etiamsi hoc sæculo mutatis rerum vicibus, eiusdem momenti non censeantur.

CONSECTARIVM VII.

An Episcopus possit imponere Excommunicationem non audientibus Missam Parochialem.

17 Ex disputatis priori Corollario colligit Auila 2. pa. capite 5. disp. 1. dub. 12. non posse Episcopum præcipere sub pœna Excommunicationis, vt subditi audiant diebus festis Missam in Parochia, eamque excommunicationem fore tum iniustam, tum inualidam; quod idem docent Sylu. ℣. Missa 2. §. 5. Nauar. capite 21. numero 5. dicto 5. refert quoque Auila Medinam & Gutierrez, qui duo dicunt Episcopū ita præcipientem peccare mortaliter. Subscribit Villalobos tract. 8. diffi. 35. n. 12. adducens Farinacium & Marsillam, qui id ita toto orbe receptum esse dicunt, vt non possit amplius esse dubio locus, & eam in rem afferunt duas declarationes Congregationis, quæ interpretandis Tridentini decretis præest.

Quod etiam testatur Azor tom. 1. lib. 7. cap. 8. q. 6. alios dat Barbosa in collectan. ad Trident. sess. 22. in decreto de obseruandis in Missa num. 35. & in tract. de officio Parochi capite 11. num. 15. & allegat 24. de potestate Episcopi num. 25. & lib. 1. de Iure Ecclesiast. cap. 11. n. 34. & Fagund in 1. præceptum Eccles. lib. 2. cap. 3. n. 8. & 12. Ratio huius Corollarij aperta est, cùm enim Censura vsurpari non possit, nisi ad vitandum graue peccatum, & in auditione Missæ extra parochiam nullum sit peccatum, neque ex prohibitione Episcopi possit oriri, quandoquidem Episcopus contra receptam totius Ecclesiæ consuetudinem, quæ vim legis obtinet, & priuilegia Pontificum, quibus inferiores Prælati frustrà derogare tentarent, nequeat eam auditionem in propria parochia imperare, non nisi imprudenter, iniustè, atque etiam inualidè excommunicationem decerneret in hoc casu. Neque est quod obiiciant Trident. quod sess. 22. in decreto de obseruandis & euitandis in missæ celebratione, iubet vt Episcopi ea, quæ eo decreto recensita sunt, in quibus frequentatio parochiarum est, seruari curent etiam adhibitis Censuris Ecclesiasticis; nam primò Conc. non dicit audiendam esse missam solùm in parochia, immò neque de auditione missæ loquitur, ait enim *moneant etiam eundem populum vt frequenter ad suas parochias saltem diebus Dominicis & maioribus festis accedant*; vbi nullum est præceptum de auditione Missæ: & Congregatio interpretatur de frequentatione ad audiendum verbum Dei, & discendam doctrinam Christianam, vt habet idem Concil. sess. 24. capite 4. de Reformat. in quem locum tamen negat Congregatio Cardin. posse mulctari censuris non audientes verbum Dei in sua parochia, eo quod Concilium dicat duntaxat, moneatque Episcopus populum. Secundo quia ea clausula vltima, quæ facit potestatem Episcopo vrgendi obseruationem illius decreti per Censuras Ecclesiasticas non refertur ad auditionem Missæ in parochia, de qua nihil dixit Concil. sed solùm voluit moneri plebem, vt frequentet parochiam, quod ipsum alibi quoque explicat de frequentatione ad audiendum verbum Dei, vt iam monui. Pertinet igitur ea vltima clausula ad cætera, quæ seuere præcipiuntur in eo decreto, neque nouum est, vt clausula vltimo loco posita non respiciat, quæ proximiori sede constituta erant, sed anteriora. Immò id necessarium esse, quoties alioquin sequeretur aliqua absurditas dixit Panorm. in capite postulasti. de Iure patronat. numero septimo, qualis omninò hic sequeretur; non enim tantùm monendi essent parochiani de frequentanda paræcia, vt voluit Conc. sed vrgendi per præcepta & Censuras, atque ita secum pugnaret Concilium. His omnibus accedit non modo concors ferè Theologorum, quorum dabunt laudati DD. sententia, sed summorum Pontificum Leonis X. 13. Nou. 1517 Pij v. an. 1567. & Clement. VIII. 2. Septemb. an. 1592. indulta; quibus accessit declaratio Congreg. Cardin. negotiis Episcoporū & Regulari, præposit.

1. Iu

1. Iunij an. 1606. quæ omnia adducit Barbosa. cap. illo, 11. de officio Parochi. Du Portel Roderic. & alij ab ipso laudati. Siquis tamen in contemptum Parochi alibi Missam audiret, peccaret; atque etiam aliquando mortaliter, vt fatentur ijdem DD. non in præceptum Ecclesiæ de audienda Missa, illi enim vbique satisfaceret ex communi totius Ecclesiæ sensu, sed contra præceptum naturale de exhibenda obseruantia superioribus spiritualibus, atque de hoc contemptu loquitur Concil. Nannet. Quod proinde malè aliqui obiiciunt, sicut & alia quædam quæ aut eodem sensu loquuntur, aut de priuatis quibusdam oratoriis agunt, aut si quid probant æque de Episcopi missa audienda, & conuentu ab illo habendo probant atque ad oblationes panis & vini obligant, & alia quædam continent, quæ ad prisci æui mores pertinent & quibus neque ad hodiernos mores licet argumentari, & si id liceret, ex ijs plurima contra hanc audiendæ missæ in propria Parochia obligationem, quam malè quidam inducere conantur, colligerentur argumenta, vti fusiùs ostendit Fagund. l. c. & alij deinceps recentiores tum Theologi, tum Canonistæ. Nō erit igitur auditio Missæ in propria parochia imperanda sub pœna Censuræ, quæ non nisi ad vitandum peccatum mortale quale nullum est ea in re, vsurpari potest, quæ erat nostri Corollarij assertio.

CONSECTARIVM OCTAVVM

Priuatio Eucharistiæ imponi nequit pro leuioribus culpis in pœnam Sacramentalem.

Denique si ad vitanda sola peccata venialia non possint vsurpari Censuræ, eo quod priuationes bonorum spiritualium, quas afferunt, sint acerbiora remedia malis, quibus curandis adhiberentur; patet quoque neque Confessarium ad eadem venialia emendanda posse similes aliquas priuationes spiritualium bonorum pœnitenti imponere loco pœnæ, prohibere v. g. vsu Eucharistiæ, donec leue illud delictum emendârit, aut imperfectionem aliquam absterserit. Immò neque superiores aut Prælati Religiosi easdem ob causas, aut vt subditos mortificent, illos abstinere possunt à communione. Quæ omnia latè & eruditè ostendit Ioann. Sancti disp. 28. 29. & 30. alioquin monet fieri grauem iniuriam tum pœnitenti, tum subdito dum prohibetur à susceptione beneficij, quod dignè percipere potest, & imprudenter omninò assumi ad acquirendam perfectionem illud, quod nos à perfectione longius retrahit, prohiberique id, quod nos ad eandem perfectionem promoueret. Quod si frangenda sit subditi voluntas, etiam in istis piis exercitiis, illa potiùs imperentur, quàm inhibeantur, vt subditus ipsa ex obedientiæ præscripto potiùs, quàm ex propria voluntate obeat Sacramenta. Denique disp. 29. contendit non modò pœnitentem non teneri obsequi Confessario ita imprudenter præcipienti, sed melius omninò & sapientius acturum, si non obsequatur adeatque Eucharistiam, quàm si ab illa abstineat prætextu obsequij Confessario præstandi.

QVÆSTIO TERTIA,

An aliquid temporale possit esse finis Censuræ & quomodo.

RATIO *dubitandi n. 1.*

Propositio. numero 2.

Expositio, & Confirmatio propositionis. n. 3.

1. *Pars propositionis. Res temporalis potest esse finis aliquis Censuræ. ibid.*
2. *Pars propositionis. Res temporalis est tantùm finis materialis & indirectus Censuræ. n. 4.*

Quid sint monitoria n. 5.

Quomodo se habeat præceptum Iudicis Ecclesiastici imperantis restitutionem aut reuelationem n. 6.

Probatur 2. pars propositionis n. 7.

Præceptum restituendi aut reuelandi à iudice Ecclesiastico, si careat fine spirituali nullum est. n. 8.

Interdictum generale locale ferri non potest pro ære alieno restituendo. n. 9.

2. *Propositio, dari possunt Monitoria in criminalibus n. 10.*
3. *Propositio, quando debeant concedi monitoria pro temporalibus. n. 11.*
4. *Propositio. Quo affectu debeat duci Iudex in concedendis monitoriis. n. 12.*

DIximus q. 1. finem proximum internum censuræ esse, vitare ingens aliquod damnum spirituale, emendare scil. peccatum commissum adhuc aliqua ratione perseuerans, & impedire futurum. Quæritur modo, an vitatio quoque damni alicuius temporalis possit esse finis censuræ, cuius timore percussi homines abstineant ab illo inferendo vel illatum reparent.

Ratio difficultatis est, quia pertinet ad Ciuilem potestatem non sacram & spiritualem vlcisci & resarcire temporales iniurias, neque medicina spiritualis adhibenda est, nisi animi morbis, præterquam quod damnum temporale, quod vitari curatur minus omnino est damno, quod animo affert ipsa censura, si incurratur. Pro leui igitur & exigua re, qualis est omnis temporalis comparata cum bonis animæ, non videtur exponendus esse fidelis periculo amittendi tam ingentia bona spiritualia per censuram. Quarè excommunicationes pro vitandis damnis temporalibus ferri nollet Gerso lect. 4. de vita spirituali, Corollar. 14. proposit. 5. ne res temporales repetantur cum maiori detrimento eorum, à quibus repetuntur, quàm sit vtilitas proueniens ad repetentes, & ne Ecclesia grauius puniat in his temporalibus delinquentes, quàm puniat ipsa sæcularis potestas, quia licèt inquit, *coërcitio corporalis apud grossè intelligentes & carnales austerior iudicaretur, certum tamen est excommunicationem morte corporali deteriorem, existere,* sic etiam tollerentur vexationes

vexationes incredibiles, quas *pauperibus laborantibus promotores Curiarum his baculis fulti præstant* Vnde etiam Soto qui in 4. d. 22. quæst. 1. a. 2. has censuras perstringit auaritiæ fœtũ Mamonæ sacrificantis dixit. Deniq; sacræ & ciuilis potestatis Iura sic illæsa seruabuntur, quod vnum maximè vrget non bonus author Molinæ in Trident. & Laur. Du bouchet in Bibliotheca Iuris Gallicani. ŷ. monitio In contrarium verò pugnat constans & perpetua totius Ecclesiæ praxis, quam damnare imprudentis & temerarij hominis est. Vt tamen rem totam facilè componam, sit

PROPOSITIO PRIMA.

2 Res temporalis potest esse finis materialis aut indirectus censuræ Ecclesiasticæ, cuius finis directus & proximus, siue ratio sub qua tendit in aliquid temporale, est semper aliquod bonum spirituale.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONES.

3 Dixi primo, Rem temporalem posse esse finem propter quem censuræ ferantur ab Ecclesia, quod apertissimum est ex monitorijs, quæ pro recuperandis ablatis, soluendis debitis, & reuelandis occultis cottidie pronuntiantur. Quam Ecclesiæ praxim honestam & licitam supponit omninò Trident. dum modum, qui in ea seruandus est, vt prudenter exerceatur, præscribit sess. 25. cap. 3. de Reformat. Et quamuis hæ Excommunicationes frequentiores fuerint à Pontificatu Pauli III. vnde & Paulinæ nominatæ sunt, vti obseruauit Henriq. lib. 13. cap. 18. l. A. non fuerunt tamen incognitæ veteribus, nam harũ meminit Gregor. Ep. ad Natalem Episcopum Salonisanum, quem immeritò de eiusmodi aliqua excommunicatione conqueri dicit. *Cum igitur*, inquit, *quadam contumacia hominem implicauerit, quacunq; ex causa illa processerit, seu ex fide, qua omnium est maxima, siue ex bonis temporalibus, qua censentur omnium minima, eiusdem seueritate censura potest iure percelli.* August. Ep. 54. ad Macedonium testatur morẽ Ecclesiæ Africanæ, quæ interdum priuabat communicatione altaris eos, qui malè ablata non restituebant, cum possent. Vsum etiam fuisse his censuris Innocent. III. patet ex cap. ad nostram de Iureiurando, & Ioann. XXII. Extrau. Vnica, de furtis. Ratio verò petenda est ex 2. Pa. assertionis, ex qua parebit, quomodo res temporalis subijciatur sacræ potestati, & vestiatur aliqua ratione spirituali, sub qua prohibetur aut imperatur adiecta Excommunicationis pœna.

4 Dixi igitur 2. Rem temporalem non esse nisi finem materialem & indirectum censuræ Ecclesiasticæ, quæ semper habet pro fine directo & proximo, siue formali aliquid spirituale.

5 Obseruandum vero imprimis est has excommunicationes pro rebus temporalibus esse præcepta, quibus Iudices Ecclesiastici compellunt rei alienæ detentores, aut alicuius arcani conscios, vt ablata restituant, vel occulta detegant, subtractas V. gr. scripturas, aliaq; eiusmodi reuelent, intentata, nisi pareant, excommunicatione, quam præmissis solemnibus monitionibus, & elapso termino per eas præfixo incurrent, vel facto ipso si sit latæ sententiæ, vel quam, si fuerit sententiæ tantùm ferendæ idem Iudex intorquebit. Itaque in ea Excommunicatione includitur imprimis præceptum restituendi, vel reuelandi, deinde comminatio Excommunicationis in violatores illius præcepti, & imperata non facientes, nisi causam habeant legitimam non parendi, quam afferre intra terminum præfixum fas erit, semper enim in omnibus istis præceptis & monitorijs exprimenda est clausula iustificatiua, vti appellant, & audientiæ permissiua, si te grauatum senseris intra talem terminum compareas, alioquin iniusta & nulla essent eiusmodi præcepta exequutoria, vt tradit Gutierrez lib. 1. qq. Canonica. cap. 4. n. 18. Sayr lib. 1. Thesaur. cap. 12. n. 28. qui alios allegant, quibus subscribit Nauar. cap. 27. man. n. 11. & in cap. cum contingat de Rescriptis in 8. causa nullitatis n. 1. & 3. & consili. 15. de sententia excommunicat. n. 2. Præiuerat Innoc. qui in cap. tua de cohabitat. Clericorum. n. 7. & 8. perspicuè docet eiusmodi monitiones per clausulam audientiæ promissiuam non iustificatas, contra eum qui excusationes habet, iniustas & nullas esse, neque vim citationis habere, & in cap. cum venissent de in integrum restituend. n. 8. scribit mandata, quæ non fiunt cum causæ cognitione, sed ex abrupto, non tenere vim sententiæ diffinitiuæ, vel interlocutoriæ, & ideò non transire in rem iudicatam, etiamsi non appelletur. Denique certum est præceptum exequutiuum factum sine causæ cognitione, ac sine clausula iustificatiua esse Ipso iure nullum, & posse sperni, nec eum, qui illi non paret, incidere in pœnam vllam præcepti. Ita Barthol. Bald. Iason. Decius, Oldrad. & alij relati à Nau. in cap. cùm contingat, vnanimi consensu docent. Rationem reddit Nau. ibid. quia initium & fundamentum totius Iudicij est citatio §. fin. Inst. de pœna temere litigant. & cap. 1. de causa possess. & propriet. Idque ratio ipsa & Ius naturæ vsque eo postulat, vt ne à Principe mutari possit ille ordo & necessitas citationis tolli. Clem. pastoralis. §. cæterum, de re iudicata idque præstantissimè probat Ioan. Monachus in extrau. Rem non nouam, de dolo & contumacia. Qui autem ab executorio mandato sine clausula iustificatiua, *si te senseris grauatum*, incipit, sine citatione procedit. ergò inualidè omnino; nam processus Iudicis ab exequutione incipientis est ipso Iure nullus. L. 1. C. de exequutione Rei iudic. clausula verò illa iustificatiua vim habet citationis, vt obseruat glossa ad cap. Ex parte. de verb. signific. & l. de pupillo. §. meminisse ff. de Noui operis nunciat. & Nau. in cap. cùm contingat cit. in 5. causa nullitatis. n. 9. Quarè ad valorem præcepti exequutorij Iudicis, omnino necessaria erit ea clausula, ne processus, vt dicebam, inchoetur ab exequutione, & non à citatione.

Atque ex his colligit Nau. in 8. causa nullitatis citat. n. 4. Alteri. lib. 3. cap. 6. sub finem. alijque DD. superiùs adducti quidquid tandem de necessitate monitionum præuiarum ad valorem censuræ statuatur, eam tamen omninò requiri ad Excommunicationes annexas monitorijs siue præceptis Iudicialibus exequutorijs de rebus restituendis, aut reuelandis, quæ sine causæ cognitione, & clausula iustificatiua, *si te senseris grauatum* &c. sunt ipso Iure nullæ; quia ipsum præceptum exequutorium Iudicis Ecclesiastici, tunc nullum est, vt pote carens citatione. Ergo & Excommunicatio ipsi apposita nulla erit, illa enim apponitur tantùm ad vrgendam exequutionem præcepti, quod validum proindè supponit, neque auget obligationem implendi

plendi illud, sed ipsam potius impletionem etiam ab inuitis sæpiùs extorquet! & cum accessorium sequatur principale, l. non dubium C. de legib. & Regula, accessorium, de Regulis Iuris in 6. quoties principale nullum est, accessorium quoque nullum sit oportet.

Atque hinc fortassis ortum est vt hæ excommunicationes monitoria dicerentur, quod illis essentiales sint præuiæ monitiones, & non alijs. Quam nomenclaturam videtur insinuare Trident. sess. 25. cap. 3. de Reformat. quanquam præceptum ipsum Iudicis Ecclesiastici hoc loco propriè dicatur monitorium; hoc enim nomine appellant Iurisconsulti mandatum siue præceptum, quod citationi æquipollet, quando nimirùm mandat Iudex alicui vt compareat, cap. consuluit. de officio delega, & cap. 2. Testibus. Quarè mandatum, quo Iudex Ecclesiasticus mandat generaliter, & in vniuersum, vt quisquis talem rem detinet, illam reddat, aut qui tale quidpiam nouit, illud reuelet, aut sistat se, rationem allaturus, propter quam non exequatur mandata, iure meritò dicetur Monitoriū, quod nomen deinde excommunicationi annexæ tali præcepto, donatū fuit, atque hac peculiari voce ab alijs omnibus celuris, & excōmunicationibus distinguitur. De is monitorijs illustrem tractatum edidit vir in paucis eruditus Theophilus Rainaudus innumeris editis operibus clarus, quem hoc loco semel laudasse sufficiat, nosque in hac ipsa materia ex hoc profecisse testatos esse

Addo denique hanc excommunicationem esse tantùm comminatoriam, quod omnes fatentur cum Nau. Consil. 3. de sentent. Excommunic. qui sequutus est glossam in cap. 1. de sagittar. ac proinde æquiualere tantùm citationi, & nihil per se operari, quod de comminationibus in vniuersum tradunt DD. in cap. Is qui de sentent. Excommunic. in. 6. & cap. relatum, de Iure patronatus.

6 Obseruandum præterea est, præceptum Iudicis Ecclesiastici, de quo agimus hoc loco, aliquando supponere naturalem & diuinam obligationem restituendi rem alienam, aut reuelandi secretum, quod quæritur; siue in illa rei alienæ acceptione & detentione, aut reticentia veritatis occultæ, eiusue non manifestatione commissa fuerit culpa, siue non fuerit adhuc peccatum, quia nondum aduenerat dies soluendi, aut occasio, aut potentia, fuitque alia quæpiam hactenùs legitima excusatio, quæ vbi desinet reuera peccabitur in retinenda re aliena, & non manifestanda veritate, cùm ad id teneatur aliquis Iure diuino, & naturali; secluso quocunque præcepto humano.

Aliquando verò nulla naturalis obligatio restituendi, aut reuelandi præsupponitur à præcepto Iudicis, sed tota obligatio hæc præstandi oritur ex mandato superioris; posse enim ferri tum legem, tum præceptum de actu quopiam, ad quem faciendum aut omittendum nulla omninò fuerat naturalis obligatio, nemo dubitat; quidni igitur præcipi restitutio rei alienæ, aut manifestatio veritatis occultæ, etiamsi nulla præcesserit obligatio, orietur enim ex nouo præcepto, vt in pluribus alijs contingit, & hoc in negotio obseruant Suar. disp. 20. de censo, s. 1. & Gutierr. lib. 1. qq. canonic. cap. 7. n. 31.

7 Quando igitur præceptum restituendi, aut reuelandi interminata excommunicatione, nisi intra terminum præfixum id præstetur, additisque alijs circumstantijs, vel ad valorem, vel ad Iustitiam censuræ necessarijs, supponit obligationem naturalem reuelandi aut restituendi, siue in acceptione rei alienæ & reticentia veritatis fuerit iam commissa culpa, siue deinceps etiam seposito omni superioris præcepto, committenda sit, manifestum est Excommunicationem ferri propter finem spiritualem: nimirùm ad emendandum, peccatum, quod adhuc perseuerat, aut ad impediendum futurum; Quarè ratione finis debiti, neque inualida neque iniusta erit ea Excommunicatio, sed illum ipsum finem, quem q. 1. dicebamus intrinsecum Censuræ, habebit, nempè vt contumacia & inobedientia Ecclesiastici præcepti impediatur, aut emendetur. Præceptum autē Ecclesiasticum id temporis non intendit, nisi impletionē naturalis obligationis, & emendationē peccati perseuerantis, aut futuri impeditionem.

Quandò verò præceptum Ecclesiasticum nullam supponit obligationem restituendi ablata, aut detegendi occulta, sed illam totam imponit, debet finis illius præcepti esse quidpiam spirituale, alioquin nullum est. v. gr. si Prælatus præcipiat alicui, vt rem alienam restituat, ne ille, cui detinetur, patiatur temporale incommodum, quod ipsi ex subtractione rei suæ prouenit, inualidè omninò imperat; neque, qui imperata non faciet, peccabit, neque incurret Excommunicationem adiunctam; quia potestas spiritualis non cadit in temporalia, sed in sola spiritualia, quæ quia aliquando trahunt necessaria quadam connexione temporalia, idcircò ea subijciunt eidem potestati, v. gr. quia peccat quis non restituendo, & spirituale bonum est, impedire peccatum, quod Prælatus intendit & procurat per spiritualem potestatem; id verò non potest, nisi imperet rem aliquam temporalem, nimirùm restitutionem rei alienæ; idcircò eam restitutionem impetare poterit, eamque vrgere timore censurarum, atque peccatum contumaciæ in eo præcepto, quod ad bonum animæ & spirituale dirigebatur, non obseruando, Censura & Excōmunicatione punire, donec Reus resipiscat & obtēperet. Si prætereà ad alendos pauperes, graui aliqua vrgente inopia, & temporum calamitate, aut ad diuinum cultum necessarium esset aliquid à singulis fidelibus conferri, posset id præcipere prælatus sub pœna censuræ, quia illa subuectio pauperū & diuini cultus decentia est quidpiam spirituale. 8

Itaquè nunquàm hæc temporalia præcipere potest spiritualis potestas, nisi propter aliquem finem spiritualem, modo explicato, neque eiusmodi præceptis authoritatem & pondus conciliare comminatione censuræ; vbi verò adest aliquis finis spiritualis, & hæc tēporalia præcipi poterunt, & ne violentur, metu censuræ cōmuniri, etiamsi ea præcepta materialiter temporalia sint, formaliter tamen sunt spiritualia, siue, quod eodem recidit, res temporalis præcipitur sub ratione formali spirituali, qua vestitur, atque ita fieri, quoties contrariū non est euidēs, existimandū est, ne temerariè aut dānentur prælati, aut eorū impēriū inutili prætextu detrectetur, & cens. quas incutiunt, nō sine dāno contēnantur.

Atque ex his Rationes dubitandi initio propositæ manent explicatæ; non enim damnum tēporale plectitur pœna spirituali, sed peccatū aut corrigitur, aut impeditur eodē modo, atque in alijs omnibus censuris fieri cōtingit; neque vna potestas Iura alterius inuadit, sed vtraque suis circumscripta limitibus continetur; quamuis enim pars, quæ Iudicem Ecclesiasticum interpellat, non attendat nisi dānum vel incommodum suum temporale, Iudex tamen

Eccleſiaſticas altiorem finem ſpectat, & bonum quoddam ſpirituale detinentis rem alienam, aut tacentis veritatem, quam reſtituere, aut reuelare tenetur, modo ſuperiùs explicato. Quod verò interdum aliqua incommoda ex huius poteſtatis abuſu oriantur, commune admodùm eſt cæteris rebus.

Interdictum nihilominùs generale locale ferri non poteſt, niſi authoritate Apoſtolica propter iniuſtam retentionem æris alieni Domini, aut Epiſcopi loci: ſuppono autem non interdici loca, niſi ob culpas Dominorum, vt dicetur diſq. 5. ita enim ſanxit Bonifac. VIII. in extrau. proindè attendentes, de ſent. excommunic. quam deinde Clemens VII. an. 1530. nono Kalend. Iunij confirmauit bulla quæ, eſt 35. in eius bullario, & incipit. Licet ea quæ, vbi irritat quod ſecùs præſumptum fuerit; hanc tamen licentiam factam fuiſſe Commiſſario Cruciatæ, & collectori ſubſidij in Hiſpania teſtatur Henriq. lib. 13. cap. 50. n. 3. & Sayr. lib. 5. cap. 11. n. 18. Ratio porrò huius reſeruationis Pontificiæ æquiſſima fuit, cùm enim ſolutio debiti pecuniarij alijs vijs facilè obtineri poſſit abſque innocentium periculo, fruſtrà tentabitur hoc remedium adeò auſterum, & quo tam plectentur innocentes, quàm ipſi nocentes. Cùm verò Bonifacius dicat nullam Prouinciam, Ciuitatem, Caſtrum, Territorium, locum ſupponi poſſe interdicto pro eiuſmodi debito pecuniario inconſulto Pontifice, eam extrauagantem iure merito extendunt ad interdictum locale ſpeciale. Couar. in cap. Alma mater 2. p. §. 1. n. 5. Auila 5. p. diſp. 3. dub. 3. Conc. 2. neque multùm refragatur Layman lib. 1. tract. 5. part. 4. cap. 4. ſub fin. contra gloſſ. in eam extrauag. Alba. in cap. in partibus de verbor. ſignif. Nau. in cap. 27. n. 168. Suar. diſp. 36. de cenſu. 5. 3. n. 8. & Sayr. lib. 5. cap. 11. n. 19. Obſeruat autem omnes DD. quos adduxerat n. 17. excepto Couarruuia ad ſolum interdictum locale generale conſtitutionem Bonifacij reſtringere, ipſeque ſicut & Alteri. diſp. 10. cap. 2. dub. 20. exiſtimat interdictum locale ſpeciale pro debito pecuniario imprudenter quidem ferri, non tamen eſſe irritum, & quia exiſtimat interdictum Parochiæ eſſe generale, idcircò ne à legato quidem à latere pro debito pecuniario ferri validè poterit. Verùm ea Extrauagans manifeſtè videtur comprehendere etiam interdicta ſpecialia, quia omnem locum prohibet, ſupponi eiuſmodi interdicto: locus autem tam de generali, quàm de ſpeciali propriè accipitur; quin immò interdictum generale prohiberi ea extrauaganti dicunt Alteri. Auila, Layman cum Calderi. non quidem expenſis ſolis verbis illius conſtitutionis, ſed attenta Legiſlatoris mente, quidquid repugnet Sayr. cap. 11. cit. num. 21.

Interdictum quidem ſpeciale perſonale pro eiuſmodi debito pecuniario imponi poſſe ab authoritate ordinaria, cùm nullibi prohibeatur, & neque verba, neque intentio conſtitutionis Bonifacianæ de eo interdicto agant, omnes æque conſentiunt apud Henriq. lib. 13. cap. 50. n. 3. Auila diſp. 3. cit. con. 4. & Sayr c. 11. iam adducto. n. 19.

PROPOSITIO II.

1 Nihil impedit, quominùs cenſura & monitorium in cauſa criminali ferri poſſit; quamuis ea in re varij ſint gentium mores.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Et quidem ſi tantum Monitorij & Excommunicationis illi annexæ naturam attendamus, certum ſtatim apparet ex iis, quæ proxima propoſitione ſtabilita fuerunt, nihil prorsùs repugnare, quominùs in cauſa quoque criminali feratur; cùm æquè hæc materia veſtiri poſſit aliqua ratione formali ſpirituali, ſub qua præcipiatur ad vitandum graue aliquod peccatum, aut ad illud iam commiſſum emendandum, æquè ac contingit in cauſa ciuili. ſiue quia aliquis tenetur ad manifeſtandum quidpiam in eiuſmodi cauſa, aut reſtituendas chartas, aliaque, ſiue quia iã peccauit iis non exhibẽdis aut reticẽdis, ſiue quia graues ob cauſas, quæ bonum ſpirituale reſpiciant, poterit obligatio ad reſtituendum aut reuelandum in cauſa quoque criminali imponi modo ſuperiùs expoſito, quod enim cum ſpiritu lenitatis id pugnare videatur, oſtendit tantùm rarò eiuſmodi monitoria concedi, quanquàm & cauſam criminalem appellem hoc loco etiam illam, in qua crimen mulctâ tantùm pecuniariâ appplicandâ punitur, nullo effuſo ſanguine, à quo ſibi abſtinendum putat Eccleſiaſtica pietas; quæ tamen non violatur, neque incurritur irregularitas, quoties, inquit, Zerola in praxi Epiſcopali: ℣. Excommunicatio. tit. de cauſa materiali excommunic. ad 4. Prælatus concedens monitoriom proteſtatur ſe intendere vnam innocentis tuitionem, non punitionem nocentis; atque etiam vt reuelatio vi monitorij extorta valeat tantùm ad intereſſe: ſed quomodò ea proteſtatio eximat ab irregularitate, latè diſputat Couarr. in Clem. ſi furioſus 2. p. §. 5. toto, & DD. in cap. 2. de Homicidio, in 6. qui paſſim dicunt eiuſmodi proteſtationem non valere ad vitandam irregularitatem, niſi dum quis accuſat alium in cauſa propria, aut propinqua, non verò ſi agat pro aliena iniuria, qua de re diximus lib. de irregularitate; ſed quidquid ſit de eiuſmodi proteſtationibus, nulla timenda erit Iudici Eccleſiaſtico irregularitas in hoc caſu, cùm non niſi admodùm remotè concurrat ad ſanguinis humani effuſionem, ſicut dum per degradationem tradit noxium Clericum Curiæ ſeculari, non fit irregularis, quia nempè ad contrahendam irregularitatem ex homicidio oportet fuiſſe illius cauſam proximam ex doctrina gloſſæ in cap. de cætero. de Homicidio, quam communiter receptam eſſe teſtatur Nauarr. cap. 27. nu. 219.

Obiiciunt alij apud Barboſam allegat. 96. de poteſtate Epiſcopi n. 32. hæc monitoria in cauſa criminali creare infamiam illi, qui detegetur. Sed ſi ille verè commiſit crimen, ex quo vbi notum fuerit, infamabitur, ſibi ipſi imputare debet, non Iudici aut teſtibus, qui illud crimen ex officio aut puniunt, aut propalant. Deinde non exiguâ ſæpè infamiâ aſpergitur in cauſa ciuili is, contra quem monitorium fertur, quod tamen non facit, quominus in cauſis ciuilibus paſſim concedantur. Itaque cogi poterunt aliqui vi monitorij, vt in cauſa criminali teſtes agant, & crimen occultum detegant, quando vel ad illud iure naturali obligabantur, vel propter commune bonum illudque ſpirituale à Iudice Eccleſiaſtico, qui fungitur ea in parte ſuo officio, obligantur nouo præcepto, quod, ſi violent, reuerà incurrent excommunicationem annexam.

Prohibere

monitoriorum cap. delictorum. de cogendis testibus, & à Pio V. Constitutione peculiari tradunt Barbos. n. 32. cit. & qui ab illo referuntur. Quibus adde Ludouic. Vitalem tract. de Reis & testibus per Censuras cogendis. Neusan. lib. 3. sylux nuptial. 47. & vt videtur Felin. in cap. delictorum. de testibus cogendis: quanquam videatur sequi distinctionem Bartholi, vt testes cogendi non sint, quando imminet illis aliquod periculum, alioquin cogi & ipsos posse. Fauet praxis Romana, aliarumque Ecclesiarum; additur enim Clausula, quæ prohibet reuelationem vi monitorij obtentam in Iudicio, aut extra Iudicium nisi ad interesse Ciuile, & vt ciuiliter ex illa agi possit; alij tamen contrarium affirmant cum Zerola l. c. vbi testatur se eam vidisse praxim in Curia Romana. Lelohier. lib. 4. de spectris cap. 10. Nau. in cap. inter verba. con. 46. Corollar. 66. n. 382. Lælij Zecchi. de Republ. Ecclesiast. tit. de Prælatis in genere. cap. 1. §. 5. Hostien. in Sum. lib. 2. tit. de testibus cogendis. §. in quibus, & §. qualiter Panormit. in cap. ad nostram 2. de Iureiurando; qui pronuntiat in vniuersum cogi posse testes per Censuras ad manifestandam veritatem, neque causam criminalem excipit, immò illam potius includit, eo enim cap. agitur de crimine vsurarum, & sanè sæpius to Iure fit ea facultas cogendi pro criminum testificatione testes interposita Excommunicatione, vt super crimine falsi, cap. cum Contra. & cap. super his de testibus cogendis, in crimine simoniæ, & adulterij, cap. peruenit 2. eod. titulo in crimine Coniurationis contra Episcopum cap. vlt. eod. titul. in crimine furti, cap. qui cum fure. de furtis. in crimine vsurarum. cap. Ad nostram 2. de Iureiurando. In crimine ambitus dignitatis Ecclesiasticæ. cap. super his. de testibus cogendis. In crimine Incendij cap. pessimam 23. q. 8. Ex quibus omnibus constat in causa criminali Censurarum vsum licitum esse ad extorquendā veritatem.

Quod autem cap. Delictorum. de testib. cog. contrarium dicatur, varie soluitur apud Tolerium in practica criminali. Canoni. 2. p. cap. 8. n. 20. & apud glossam ibi. Respondeo Ego, duas causas agitatas fuisse inter Episcopum Vulterranensem, & eius Capitulum, quarum altera, eaque principalis, ciuilis erat, cuius cognitionem cuidam Abbati, & Canonico Pontifex commiserat; accessit subinde causa criminalis, nam inter litigandum Episcopus & Capitulum plurima sibi crimina obiecerant. Hanc posteriorem causam noluit Pontifex cognosci à Iudicibus delegatis ad causam ciuilem: quare prohibuit testes compelli per Censuras circa veritatem eorum criminum vtrinque obiectorum, ne inutiliter infamarentur tum Episcopus, tum Capitulum; quandoquidem Iudicium eorum criminum agitandum non erat apud cognitores causæ Ciuilis; Inde tamen non rectè colligitur Ius vniuersale nouum, quod summus Pontifex condiderit, vetueritque, ne deinceps super criminibus testes compellerentur censuris Ecclesiasticis, & sanè sæpissimè ex priuatis Pontificum responsis super casus particulares, male colligi Iura vniuersalia, & leges quæ totam Ecclesiam obstringant, ostensum fuit in scientia Canonica. Adde Trideot. Sess. 25. de Reformat. cap. 3. apertè affirmare licitum esse Iudici in causis criminalibus, in quibus non erit locus Exequutioni, vti hoc spirituali gladio in delinquentes. Pij autē V. constitutio paucis in locis recepta fuit. Ex quibus omnibus sequitur nostra propositio, videlicet, nō esse cōtra naturā harū Censurarum, vt in causis criminalibus ferantur, quoad vsum autem attendendos esse varios diuersarum gentium mores.

Edictum Aurelianense prohibebat concedi hæc monitoria, nisi propter aliqua scandala publica; sed iure querentibus Prælatis suam Iurisdictionem ea in parte imminutam fuisse, Edictum Parisiense an. 1571. a. 18. prius illud correxit, & permisit liberum vsum omnium Censurarum Ecclesiasticarum in omnibus casibus, in quibus à sacris Canonibus, & Conciliorum decretis permittuntur: Quare optimè aduertit Adamus Theueneau, in Comment. ad Constitutiones Regias lib. 1. titul. 14. a. 10. Carolum Molinæ. Constitutionis Aurelianensis authoritate ductum in virulenta illa satyra, quam scripsit contra Trident. ineptè omninò carpsisse synodum, quod prohiberet Monitoria pro recuperandis rebus ablatis, cùm alia non fuerit synodi mens hac in parte, quam veterum omnium à nobis superiùs explicata, & in vniuersum posteriori ista Parisiensi Constitutione probata.

CONSECTARIVM III.

Non debent Monitoria & Censuræ pro temporalibus, nisi vrgente necessitate, & frustrà tentatis omnibus aliis remediis, ferri.

11 Hæc Propositio traditur à Trideot. Sess. 25. cap. 3. de Reformatione, & sequitur ex prioribus, cùm enim in subsidium tantùm Iuris recurratur ad Iudicem Ecclesiasticum, quandiu poterit causa ista temporalis aliis modis obtineri, imprudenter omnino Iudex spiritualis immiscebit se temporalibus negotiis & causis: Et ideò Concil. Trident. permittit tantùm in Iudicialibus, deficiente omni alia probatione, vel vbi exequutio realis aut personalis fieri non potest, ita vt si duo obligentur in aliquo contractu in solidum, & contra vnum procedi possit realiter siue personaliter, non verò contra alterum, hic tamen non poterit excommunicari, quia cum alter in solidum obligetur, creditor potest totum suum debitum recuperare absque subsidio Excommunicationis. Ita Galetus in Margarita casuum Conscientiæ v. Censura. 2. & sanè alioquin miscentur omnia, & potestas sæcularis innadi sua Iura queritur ab Ecclesiastica, cui sese opponit non exiguo vtriusque damno, & bonorum omnium offensione. Quare Gutierres cap. 11. cit. n. 39. laudat Antistitem quendam Hispanum, qui solitus erat exigere Iuramentum à petente monitoriales litteras, se omnibus aliis subsidiis Iuris carere; quam eandem praxim communem esse asserit Auila 2. p. de Censu. cap. 5. disp. 2. dub. 1. & Roderi. 1. parte Sum. cap. 79. n. 5.

Ex his omnibus plura colligere licet, quæ ad duas præcipuas qq. reuoco. Nimirùm ad modum ferendi istas Censuras pro temporalibus, & ad obligationem, quā premimur parendi eiusmodi monitoriis & præceptis.

CONSECTARIVM IV.

Quo affectu debeat duci Iudex in concedendis monitoriis.

12 Non debet Prælatus in concedendis monitoriis vllo prauo affectu odij, aut iræ aut alio quopiam

quopiam moueri, alioquin iniustum præceptum faceret; quod omninò perspicuum est, & habetur cap. Episcopus 11. qu. 3. & cap. cùm externi de re iudicata in 6. Hæc tamen iniustitia non tollet valorem præcepti, & annexæ excummunicationis, si nihil aliud obstet, vt tradit S. Thom. in 4. dist. 18. qu. 2. A. 1. q. 4. & Soto ibid. d. 22. q. 1. A. 1. con. 3. neque etiam obligabit ad restitutionem vt obseruat Nau. cap. 25. n. 15. cùm Ius alterius non lædat, immò neque ordinariè erit mortalis, quod monet Soto. lib. 3. de Iustit. q. 4. A. 2. v. circa harum.

QVÆSTIO IV.

Quomodo ferenda sint monitoria & Censuræ pro re temporali.

Tridentinum non præscripsit formam essentialem Monitoriis. n. 1.
Consectarium 1. persona Laica in quam fertur monitorium, debet esse occulta. n. 2. 3.
Iure Gallico Clerici non coguntur Censuris ad sua debita soluenda n. 4.
Consectarium 2. Materia Monitoriorum debet esse res grauis n 5. 6.
Quæ materia censeatur grauis, n. 7.
Consectarium 3. Monitoria alicuius infamatoria minimè concedenda sunt, n. 8.
Consectarium 4. Monitoria in causis Laicis concedi non debent nisi instante parte, aut Iudice Laico. n. 9.
Quis possit postulare Monitorium à Iudice Ecclesiastico. n. 10.
Consectarium 5. Concedi possunt Monitoria etiam pendente lite n. 11.

1 EX natura harum Censurarum & fine spirituali, quem in illis præfigere sibi debet Ecclesia, quamuis ille qui eas sibi concedi postulat, non aliud intendat, quàm commodum temporale, licebit colligere, quænam seruanda sint in tota hac materia; & quæ Tridentin. sapientissimè decreuit cap. 3. citat. Vbi tamen non præscripsit formam quandam essentialem, ita vt si quid aliter fiat, quàm ferat illa constitutio synodalis, infectum haberi debeat, & Excommunicationes nullæ, atque irritæ censeantur. Instructionem enim tantùm edidit synodus, vt prudenter Iudex Ecclesiasticus in illis omnibus procedat, quod obseruauit Barbosa, alleg. 96. de potestate Episcopi. n. 39. Suar. disp. 20. de Censur. s. 1. n. 17. Gutierr. cap. 11. qq. Canonic. num. 59. vbi dicunt imprudenter fieri contra eam constitutionem, non tamen inualidam esse Censuram aliter latam, nisi in quibusdam aliis substantialibus superiùs indicatis deficiat. Ita quoque docent Auila 2. Pa. cap. 5. disp. 5. dub. 1. Con. 4. & Neuizan. in sylua nuptia. lib. 3. n. 48. neque abnuit Nauarr. cap. 17. num. 10. vt obseruauit Auila. Et sanè Congregatio Concilij declarauit, vti refert Garc. 1. P. de Benefic. cap. 5. n. 587. quando litteris Apostolicis detur facultas excommunicandi morosum in solutione pensionis, executorem non teneri in ferenda sententia Excommunicationis, seruare formam huius decreti Tridentini. cap. 3. de Reformat. sess. 25. & huiusmodi facultatem non censeri datam in subsidium; Vnde apparet, Conc. eo capite non agere de Censuris, quæ conceduntur in subsidium Iuris, cuius omnia remedia prius inutiliter intentata sunt. De quibus etiam maximè Censuris nos agimus hoc loco, quamquam & omnes alias, quæ dantur pro fine aliquo materialiter temporali, v. gratia ad soluenda debita, complectamur, cum vt prudenter & licitè procedatur, eædem ferè conditiones in omnibus istis censuris seruandæ sint, vt liquidò constabit & sequentibus Corollariis; & sanè Rota etiam in censuris pro non soluta pensione præmittendas esse diligentias requisitas iuxta dispositionem Tridentini sæpiùs decidit, vt eodem oum. refert Garc. qui benè tamen aduertit à Rota reiectam fuisse sententiam declaratoriæ incursæ Excommunicationis ob non solutam pensionem, antequam præmitterentur diligentiæ requisitæ à Tridentino; non quod ea Declaratoria esset nulla, sed quia erat tantùm iniusta, nam Excommunicatio absque illis diligentiis lata, valida est, cùm nullo verbo irritante annulletur à Tridentino vt legenti facilè cōstabit His obseruatis venio ad nostra Corollaria.

CONSECTARIVM I.

Persona Laica, in quam fertur monitorium, debet esse occulta.

2 I. igitur persona Laica, in quam datur monitorium pro re temporali, debet esse occulta & incerta, non quasi sit persona aliqua vaga, sed quia etiamsi determinata sit in se, est tamen incognita atque adeo incerta, alioquin enim fatentur omnes, Censuram non posse ferri vagè & indeterminatè in hanc vel illam personam; quod pluribus probas Say. l. 1. Thesau. cap. 8. n. 26. & 27. & nos docebimus disq. 4. Etsi autem persona sit occulta, nihilominus certa & determinata est, quoad naturam id est, quoad se; Excommunicatur v. gr. omnes, qui furabuntur, vbi quis est furatus, iam ille certus & determinatus incidit in excommunicationem, eodem modo fit, quando excommunicatur, qui non restituerit aut non reuelarit.

3 Occultam autem & incertam hoc sensu debere esse personam laicam, in quam pro re temporali; & materiali fertur Censura, latè disputat Suar disp. 20. de censu. s. 1. n. 22. Alteri lib. 3. disp. 1. cap. 6. Auila 2. p. cap. 5 disp. 2. dub. 1. con. 2. Roderig. 1. p. sum. cap. 70 n. 5. & alij, quos laudat, & sequitur Barbosa allegat. 96. de potestate Episcopi. n. 25. & Guido Papa singular. 707. Ratio Corollarij manifesta est, si enim rei alienæ detentor, aut veritatis manifestandæ conscius notus sit, conueniri potest coram suo Iudice ordinario, & qui agit aduersus illum habet subsidia ordinaria Iuris quare non est quod recurrat ad iudicem Ecclesiasticum, qui etiam non debet se illi causæ temporali inter personas laicas immiscere, quandoquidem illæ spectant ad aliud forum, vt Alexand. III. in cap. causam, Qui filij sint legitimi, disertè fatetur. Quando verò persona incognita est, nihil habet, quod agat iudex laicus, ac proinde subsidium Ecclesiæ postulatur, vt diximus superiori quæstione.

Quamquam contingere aliquando possit; sed rarenter ad modùm, vt aduersus certam & cognitam personam laicam pro eiusmodi temporalibus stringa-

stringatur iste gladius, & intorqueantur monitoria, quod pluribus explicant Suar. & Alteri. Si nempe Iudex Laicus nollet ad cognitionem causæ procedere, nec accusationem eius, qui iniuriam passus est, admittere, posset Iudex Ecclesiasticus aduersus illum rei alienæ detentorem excommunicationem decernere; potest enim ad bonum commune Reip. peccata publica corrigere, cap. mulieres, 2. de iureiurando. in 6. & cap. qualiter de Iudic. quod maximè verum erit, si Iudex sæcularis, qui per summam iniuriam officium suum denegat, nullum habeat superiorem, ad quem prouocari possit. 2. Si persona illa sit tantæ dignitatis, vt à nullo alio cogi possit, tunc à potestate spirituali compellendus erit per censuras; in quibus omnibus aliisque causis vides nunquam deueniri ad hoc remedium, nisi omnibus aliis frustrà tentatis, quod exigebamus q. proxima propos. 3. Atque ita cessat ratio Corollarij, quando enim notitia personæ non facit, vt contra illam agi possit iure ordinario, tunc in illam quoque opem ab Ecclesiastica potestate poscere licebit, nisi quidpiam obstet; si tamen in personam cognitam & non tentatis aliis iuris mediis ferretur excommunicatio, valida esset, vt aduertunt Alteri. nar. Gutierres, & alij super laudati, & fauet glossa in cap. 1. vt lite non contestata sub fin.

Restrinxi hoc corollarium ad personam laicam & materiam temporalem cum Alterio, quia quando agitur inter personas Ecclesiasticas, aut in materie, quæ ad forum Ecclesiasticum pertinet, poterit Iudex Ecclesiasticus litigantes, aut alios eiusmodi sibi subiectos, vel ratione personæ, vel ratione causæ, quæ tractatur, cogere pœnis spiritualibus, atque etiam excommunicatione, si opus fuerit, tunc enim non procedit prælatus in subsidium Iudicis & fori ciuilis, sed vtitur mediis sui fori, in quo controuersia disceptatur. Quarè non placent, qui indistinctè pronuntiant non debere, neque posse saltem regulariter concedi litteras monitoriales, nisi aduersus personas occultas, vt Gutierres cap. 11. cit. n. 59. Felin. in cap. 2. de constitution. §. circa tertium, & alij adducti à Barbosa illa allegat. 96. n. 25. sunt enim intelligendi de personis laicis, vt vno verbo dicam, quando hæ litteræ postulantur in subsidium iuris.

Edicto tamen Parisiensi Caroli IX. an. 1571. A.
4 18. prohibetur ne Clerici ad soluenda sua nomina compellantur excommunicatione, sed Creditores contra ipsorum mobilia & immobilia bona agere possint. Cuius edicti prior pars conformis est capitulo, Odoardus de solut. quo loco consentiunt omnes DD. personas Ecclesiasticas non posse conueniri, nisi quatenùs facere possunt, & deductis necessariis alimentis, vnde neque incarcerari, neque excommunicari possunt. Quanquam glossa ibid. ℣. Recognoscentem, & ℣. pinguiorem, videatur velle, eos cogi posse ad cessionem bonorum, vt se Creditorum importunis molestiis liberent, quod sine dubio derogaret plurimum priuilegio huius capituli, Odoard. Quarè satis fuerit, si vel dent cautionem si liceat, vel saltem iurent se bonâ fide debita soluturos, cùm ad pinguiorem fortunam venerint, vt ibid. asserunt Abbas & Immola. Quoties itaque Iudices Ecclesiastici excommunicarunt aliquem Clericum pro non soluta pecunia, si prouocetur ad Curiam, illa Iudicis Ecclesiastici sententiam abusiuam pronuntiat, vt an. 1602. 16. Aprilis in causa inter M. Petrum Dor., & M. Petrum Brulenam factum scimus, non quod Curia excommunicationem nullam esse decernat, aut ab illa ai soluat, id enim sibi non arrogat, sed tantùm declarat, eam excommunicationem, cùm contra canones & receptos mores data sit, esse abusiuam & iniustam, & Creditores posse nihilominùs via ordinaria iuris agere, contra debitorem Ecclesiasticum, qui etiam ratione excommunicationis sibi inflictæ non cogitur in foro externo, siue illa reuera ligetur in foro interno, siue non, id enim non attendit Curia.

Quod verò addebatur in illo edicto Regio, de pigneratione bonorum mobilium & immobilium, qua vrgendus sit Clericus ad nomina sua soluenda conforme est Trident. sess. 25. cap. 3. quod tamen eam facultatem captione pignorum vrgendi debitorem facit Iudici Ecclesiastico ex iure communi, iure autem Gallico Ecclesia non cognoscit de actionibus realibus, mixtis, & hypothecariis, vt alibi diximus. Vbi verò Clerici bonis mobilibus & immobilibus carent, nihil diffiniuit constitutio Regia, quidnam aduersus debitorem eiusmodi Ecclesiasticum acturus sit Creditor, tamen ne id quidem temporis compellendus est per censuras. Vsus autem cottidianus est tum Romanæ Curiæ, tum Gallicæ, vt captione & pigneratione redituum beneficij, si quod habeat, relicta tamen congrua portione vrgeatur. Quod mirum non est fieri in Gallia à tribunali laico, quando, vt iam monui, omnes causæ reales ad illud deferuntur, vt possessiones beneficiorum, eorumque redditiuum cognitio indulta sit Cognitoribus Regiis à Martino V. aliisque Pontificibus, vt latè docebimus in scientia canonica disputantes de beneficiis. Addo denique Iudicem Ecclesiasticum posse vrgere exequutionem sententiæ, quam pronuntiauit, censuris in contumaces, quod etiam in Gallia frequens est, & Regia constitutio Parisiensis cit. sanciuit.

CONSECTARIVM II.

Non sunt ferendæ Monitoria pro rebus minimis.

Ex hactenùs disputatis sequitur non esse ferendas istas censuras pro quacumque re minima temporali, quod omnes omninò fatentur. Et Tridentinum exigit rem non vulgarem, & sanè si ne quidem pro re spirituali, nisi ea grauis sit, vtendum sit tam austero remedio, vti diximus, & ne quidem pro quolibet peccato mortali aut corrigendo, aut impediendo, vt iterùm fusiùs explicabimus disq. 5 5. quis ferat pro re minima deperdita aut sublata, & non reddita exeri gladium excommunicationis, vt feriantur ij aduersus quos in foro externo daretur actio. Quarè seuerè prohibuit Pius V. an. 1570. in extrau. cuius initium est, sanctissimus in Christo. Sanciens quid seruandum esset in mandatis & monitoriis in forma, significauit; ne in eiusmodi minutias Prælati abutantur potestate sibi facta; multique sunt Theologi in 4. d. 18. summistæ. ℣. Excommunicatio. Et iurisperiti adducti à Neuisan. lib. 5. syluæ nuptia. n. 49. in præcipiti hac temeritate exagitanda, frequentem excommunicationis vsum meritò traducunt: quem etiam damnat Concil. Senonense in decretis morum c. 31. & Tho. Illyricus tr. de potestate Papæ. Inde Blesens

ep.

Ep. 73. queritur Petri gladium rubigine obductum esse, & quia non potest incidere, datum esse, in contemptum; si enim capra deperdita sit, vel gallina occisa, excommunicatio intorquetur; quæ est eadem querela Trident. cap. 3. citat Scotus in 4. d. 18.qu. vnic. n. 17. obseruat Apostolos pernrò vsos fuisse excommunicatione, & non nisi ter à Paulò fuisse vsurparam. Quare illam excommunicandi procliuitatem fatuorum esse dicit; Damnant alij quoque crudelitatis, qua sæuitur in Christi membra, cum tamen eadem saltem animi moderatione, qua prudentes medici in imperanda membrorum resecatione vtendum esse moneant PP. dum præcipitem illũ sæuiendi zelum castigant Chrys. l. de Babyla. & homil. de anathemate. Clemens lib. 2. Constit. cap. 21. & 41. Origen. tract. 35. in Matth. Nazianz. orat. 26. n. 52. Hieronym. in c. 10. Ecclesiastis, ad illud qui subtrahit lapides, dolebit in eis. Ambr. lib. 2. Offici. cap. 27. August. lib. 3. contra Parmenia. cap. 1. & lib. de fide & operibus cap. 3. Cassian. lib. 10. de Institut. Renuntia. cap. 16. Prosper. lib. 2. de vita contemplat. cap. 7. Gregori. hom. 16. in Euangelia & lib. 12. Ep. 16. castigans Maximianum Episcopum qui imprudenter Eusebium Abbatem excommunicarat. Antioch. hom. 121. Damian. lib. 1. Ep. 12. ad Alexand. 11. aliique adducti à P. Theophilo Raynaudo in citata tractatione eruditissima de Monitorijs 2. p. cap. 19. qui suauitatem in parte requirunt ad molliendum rigorem, quo plerique in ferendis sententijs præcipites imprudentissimè vtuntur; & sane Vrbanus V. eo maximè nomine se pontificem esse gaudebat, quod non amplius foret obnoxius Excommunicationibus, quæ tam frequẽtes essent id temporis, vt vix à quopiam vitari possent, vt Maior in 4. d. 18. q. 4. sub fin. & Gerso lect. 4. de vita spiritua. Corollar. 14. proposit. 2. referunt.

Quarè hanc temeritatem vibrandi excommunicationem pro re minima temporali damnant Peccatim. Sayr lib. 1. Thesau. cap. 9. n. 8. adducens Ledesmam, idem quoque docet Bann. & Salon. 2. 2. q. 66. a. 6. de Graff. lib. 4. decision. 1. p. cap. 7. n. 9. quod non tantùm verum est quando materia adeo leuis foret, vt non sufficeret ad peccatum mortale, tunc enim non modo iniusta, sed etiam inualida erit; neque tunc æstimandum est Prælatos velle obligare sub excommunicatione, quam tantùm ad incuriendum terrorem comminantur, vt q. 1. dixisse me memini, & obseruat loco proximè citat. Sayr ex Henrique & Victoria, sed etiam quando obligatio restituendi esset mortalis, si tamen res illa vulgaris sit, & minima, existimo Excommunicationem eius causa decretam iniustam esse, & Prælatum eam decernentem grauiter peccare, quamuis non futura sit inualida censura, quod etiam obseruauit Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 2. Sayr l. 9. clauis. cap. 15. num. 20. & 21. Lazari de monitor. sect. 1. quæstio 12. num. 6. quandoquidem Tridentinum quod postulat rem non vulgarem, non irritat monitorium aliter concessum.

6 Tota itaque difficultas est in diiudicanda rei temporalis grauitate, vt sit sufficiens materia iusti, & non tantum validi monitorij & censuræ. Atque imprimis in vniuersum statui potest, grauitatem huius materiæ non esse sumendam duntaxat ex ordine ad peccatum mortale, sed ad excommunicationem, quis enim dicat pro quarta aurei parte quæ ex communiori sententia sufficit ad furtum mortale, atque ita pro Gallina, quæ eam summam valeret prudenter & licitè ferri excommunicationem.

2. Res hæc cùm ex variis circũstantiis loci, personarum, rei subtractæ & modi subtrahendi diffinienda sit, vti obseruat Zerola. ỽ. Excommunicatio. causa materialis. n. 1. Iudicis arbitrio relinquenda est, neque certa ac immobilis regula circa illam tradi potest; quarè nihil diffiniuit Tridentinum, sed monuit, ne concederetur monitorium, nisi causa per Episcopum diligenter examinata, quod non ita intelligendum est, vt Episcopus nun possit nisi conuocato Concilio, & rogatis singulorum sententiis ferre Excommunicationem, vt ineptè dixit Marsili. Patauinus in defensorio pacis, ex Christi verbis, Dic Ecclesiæ, illud insulsissimè colligens. Sapienter tamen omninò faceret Episcopus, si hac in re virorum quoque prudentum consilium adhiberet, quod factitatum à Paulo fuisse 1. ad Corinth. 5. cùm incestuosum illum sathanæ tradidit, existimat Martin. Peresius pa. tertia de traditionib. tit. de excommunicatione. §. causæ Excomm. & colligit ex illis verbis, Congregatis vobis & meo spiritu; Sed siue vocet alios in consilium Episcopus, siue ipse solus causam examinet, videat ne pro re non vulgari Censuram ferat, quandoquidem magnum & modicum respectiuè dicuntur ad personas, vti obseruat glossa in l. sed etsi susceperit §. primo ỽ. modica. ff. de Iudicio, probatque in Regina Matilde, quæ dicit se aliquantulum terræ donasse Ecclesiæ, cùm tamen illa terra ad triginta milliaria porrigeretur; quam glossam communiter probari tradit Gutierres capite 11. cit. numero 64. ex Curtio Iuniore in l. admonendi numero 67. & in l. 3. numero 18. ff. si certum petatur; causæ magnæ dicuntur secundum qualitatem personarum. Neque vera est vniuersalis regula tradita à Iason. in l. vt vim. ff. de Iustitia & Iure. numero 25. rem vilem censeri, quæ non valet duos aureos, de qua maxima latè disputat in vtramque partem Alciat. in cap. 1. numero 18. ff. de Iudic. nam inter aliquos summa decem aureorum est magna, inter alios verò summa centum florenorum erit parua. Itaque attendendæ sunt diuitiæ vel paupertas eorum, quibus concedentur litteræ Monitoriæ. Zerola l. c. ait ex stylo Curiæ Romanæ non concedi, nisi pro summa. 50. aureorum. Gutierres ait num. 60. se cùm Proepiscopum ageret, nunquàm dedisse pro minori summa, quàm 20. aureorum; Lælius Zechi. tract. de Republ. Ecclesiast. tit. de Prælatis. cap. 1. n. 6. pro pauperibus exigit tantum 10. aureos Nihil, vt iam monui, aliud statui potest, quàm quod prudentis & non præcipitis in iudicando Prælati re diligenter examinata, vti iubet Tridentinum, sententia diffiniuerit in singulis occasionibus; nam in cæteris quoque causis, quænam magna, & quænam parua dicatur, Iudicis arbitrio permittitur, vt fusè disputat Menoch. lib. 2. de Arbitra. Iud. Censura 1. casu. 27. n. 10. Moneo duntaxat reiiciendum esse, quod dicebat Zerola l. c. non esse infligendam Excommunicationem pro eo furto, quod à Iudice Laico non plecteretur capite, nam vix vnquam liceret, quod aduertit etiam Gutierres num. 66. pro debitis excommunicationem ferre; immò neque pro rebus furto sublatis, nam pro furto præcisè, & secluso modo furandi vix vnquam Iure communi infertur supplicium capitis, qua 7

de

de re disputant Couarr. lib. 2. varia resolut. & Molin. tract. 2. de iustit .disp.695.Denique monent plerique apud Barbosam allegat. 96. nu. 27. ex Pij V.constitutione superius landata exprimendam esse in monitoriis rem, de qua agitur ; & eius valorem , nisi fiant pro Ecclesiis,locis piis , communitatibus , vniuersitatibus, successoribus, tunc enim facienda erit in genere designatio rerum subtractarum,eaque non vaga, neq ; inuerisimilis.

CONSECTARIVM III.

Monitoria infamatoria minimè concedenda sunt.

8 3. Colliges non esse concedenda ista Monitoria , si sint infamatoria alicuius personæ particularis,quod Nenizan. lib. 3.sylu. n. 50.Lazarius s. 1.q.10. n.7.& alij à Barbos.allegat.96.n.33.adducti docent. v. gr. non potest concedi monitorium, quo præcipiatur , vt qui nouerit aliquem commisisse adulterium cum Caia , id aperiat sub pœna excommunicationis. Ratio Corollarij est , quia monitorium , quod diximus non concedi , nisi in subsidium iuris , esset causa iniuriæ , cùm tamen cap. Qualiter & quando de accusation. inde nasci non debeant iniuriæ vnde iura nascuntur. Quod omninò cauendum monent Valentinia. & Theodos. l. meminerint C. vnde vi. Vnde aliquando Magistratus laicus opponit se publicationi Monitorij, ne infametur persona, cui conuiriator probrum intulit, & quod probare per monitoria intẽdit,nam etiamsi probationem conuitij sui non obtineret , & Iudicis sententia innocens pronuntiaretur is, qui contumeliis aut calumniis petebatur, infamis tamen maneret ex illa publicatione Monitorij,cũ illi omnes,qui ad talis probri probationem monitoriũ latũ esse scirent,sæpissimè ignorarẽt illũ Iudicis sententia&Senatus decreto famã integram retinere .Huius denegatę&impeditę publicationis à laica potestate meminit C.Fab.l.4.t.14.diffinit.49.

Dices Archiepiscopũ Pisanũ adegisse per monitoria conscios vsurarũ cuiusdã defuncti,illas reuelare ex mãdato Innoc.III.c.Ad nostrã 2.de iureiurãdo, quod sine graui infamia illius defuncti fieri nõ poterat. R. notorium vsurarium fuisse defunctũ illum,qui etiã suo testamento onerarat suos hæredes restituere vsuras & iniquum fœnus omnibus illis, qui probarent se illi dedisse;quarè nullã nouã infamiã ex hac monitorij concessione aut publicatione incurrere poterat ; agimus autem de infamatione,quam ipsum per se monitorium inureret ante omnem reuelationem eorum , qui criminis, quod quæritur,conscij sunt.

CONSECTARIVM IV.

Monitoria in causis laicis concedi non debent nisi instante parte, aut Iudice laico.

9 4. Colliges. Vix hæc monitoria concedi debere , nisi instante parte aut Iudice laico subsidium Ecclesiastici implorante, quod in rebus non pertinentibus ad Ecclesiam perpetuò seruandum erit, alioquin facilè potestas Ecclesiastica deriuaret ad se causas, quæ ad cognitores laicos pertinent. Et sanè cùm Iudex procedat tantùm vel ad instantiam partis, vel ex suo officio , & pro cura , quam habere debet,Reipublicæ , etiam à nemine interpellatus : non potest dici procedere ex suo officio, quoties se immiscet alterius fori negotiis , nisi bonum commune Religionis & fidei ita postulet, vt alibi dictum fuit ; neque causa sufficiens erit, quod alicuius priuati peccatum in detinenda re aliena , aut occultanda veritate impedire velit: nam eo prætextu omnem iurisdictionem laicam ad se traheret. Non poterit itaque in his temporalibus Iudex Ecclesiasticus decernere monitoria, nisi vel à Iudice laico , vel saltem à parte subsidium Ecclesiæ , in defectum aliorum Iuris remediorum, vti diximus, implorante interpelletur: imò non est liberum laicis litigantibus renuntiare foro sæculari,& submittere se Iudici Ecclesiastico, qui eos compellat censuris, & leges,quæ eam fori sæcularis renunriationem; & submissionem coram Iudice Ecclesiastico prohibent, iustas esse contendit Nau. Consili. 1.de Excommunic.& Reginald. l. 9. praxis. n.132. quia ea renuntiatio cederet in damnum Regiæ iurisdictionis , & Ecclesia , quæ cultrix est iustitiæ , non debet aliena iniuria locupletari,neque velle vt iurisdictio sæcularis defraudetur. Quid autem circa censuras & maximè ista monitoria possit Regia iurisdictio , dicemus commodius sequenti disq.3.

In rebus tamen Ecclesiasticis poterit Iudex,nemine petente,promulgare monitoria,quibus compellat detinentes res ecclesiasticas ad restitutionem,& conscios furti illud propalare , vt præstitum fuisse videmus à Ioanne XXII. in extrau. vnic.de furtis,tunc enim procedit in proprio foro, neque alterius iuribus officit,& vtitur mediis,quę propria sunt huius fori. Atque ita intellige illos iurisconsultos , qui volunt monitoria concedi ab Ecclesiastico Iudice procedente ex officio,eò quod ipsi incumbat purgare prouinciam sceleribus & furtis,id enim non incumbit potestati Ecclesiasticæ , nisi esset ea impunitas & grassatio , quæ iniuriam aliquam grauem inferret Religioni , & cui potestas laica non posset,aut nollet occurrere, posset enim tunc Ecclesia censuris eiusmodi malum insequi. Sic conciliabuntur facilè diuersæ DD. sententiæ, quos dabunt Neuizan.lib. 3. syluæ. n. 3.& seq.& Gutierres cap.11.cit.n.12.

Quoad illum autem,qui postulat monitorium à Iudice Ecclesiastico debet imprimis ille esse fidelis , Iudæi enim, Sarraceni & Ethnici, qui legibus Ecclesiæ non obstringuntur , frustrà earundem legum beneficium aduersus fideles implorarent,peccarẽtque Prælatus , qui ipsorum causa præciperet aliquid fidelibus intentata excommunicatione,nisi fortassis ea in re verteretur bonum Religionis, sed tunc non tam ad instantiam infidelis , quàm ex officio procederet ad tuendam Religionem. Vide ea de re Laxari.sect.1.q.9.n.2. 10

2. Excommunicatus aut notorius peccator non potest hoc subsidium petere , vt glossa Panorm. & alij passim docent in c.nouit. de Iudic.quanquàm si peccator ille iã sit emẽdatus, non erit fraudãdus hoc beneficio,vt aduertit Neuizan.lib.3.Sylu.n.4.

3. Qui petit monitorium, damnum passus sit, oportet,aut saltem pati timeat,ita vt ij soli, de quorum interesse agitur, exorent hæc monitoria,quod sanciunt Pius V.constitutione citata, & sanè alioquin magna orietur perturbatio , si quisque pro libito posset alium ita compellere aut vrgere Censuris in alienis causis:non est tamen necesse interesse illius , qui Monitoriũ exorat, certũ esse;sufficit , si dubium saltem sit, & periculum vrgeat, ne comperta deinde veritate monitorium futurum sit inutile , quod si absque petentis interesse concessa

fuetint mooitoria reuocanda erant. Vt Lazari. Sect. s. quæst. 9. & alij tradunt apud Barbosam allegat. 96.n.244. læsorum aut lædendorum procuratores, aut amici, qui ipsorum vices agunt, litteras monitoriales impetrare possunt, ad id tamen procuratorem indigere speciali mandato, Vgolin. & alij tradunt apud Barbos. allegat.96. n.22.

CONSECTARIVM V.

Concedi possunt monitoria etiam lite pẽdente.

11 Colligitur 5. Concedi posse monitoria, tum ante cœptam litem, tum ea pendente, quandiu durat probationum tempus, & denique quoties possunt reproduci testes in eadem causa, aut examinari, siue in causa restitutionis in integrum, siue in causa appellationis, modò desit alia vis probationis. Ita Lazari. Sect. 1. q. 18. à n. 9. Zerola 1. p. praxis. ℣. excommunica. causa materialis.§. 2. Barbos. allegat.96.n. 38. quanquàm non facilè id contingat. Ratio Corollarij est perspicua, si enim conceditur excommunicatio pro rebus deperditis & subtractis, qoando nulla alia via eas recuperandi superest, quidni etiam concedi poterit pro causa, quæ prorsus perdeoda est, nisi litigans iuuetur hoc sobsidio, & demùm dixit Tridentinum cap.3. Sess. 5. de Reformat. in quibuscunque causis, tum ciuilibus, tum Criminalibus, quando noo potest haberi exequutio neque realis, neque personalis, vti licere censuris; quidni igitur litigans, qui peodente lite producere alios testes non potest, non obtioebit, vt censuris compellantur, quandoquidem nulla alia ratione cogi possunt ad manifestandam veritatem, quam obstinatè reticent, aut vt etiam ipse collitigans eodem telo feriatur. Dixi tamẽ rarius pendente lite coocedendas esse Censoras, quia litigans, contra quem imploratur auxilium Censurarum, queri posset se impugnari à duplici potestate, & Reus poterit excipere pendentiam litis coram alio Iudice, quæ est exceptio dilatoria.

QVÆSTIO V.

Quomodo obligemur ad restituendum vi monitorij, ne Excommunicationem, aut censuram illi annexam incurramus.

GEMINA *obligatio ex Monitorio nasci solet. n. 1.*

1. Regula, faciendum est, quod monitorij verba imperant, dum perspicua sunt. n.2. 3.

Probatur Regula. n. 2.3.

Quid faciendũ quãdo verba ambigua sũt. n 4.

2. Regula, soluit ille, qui accipiendo rem ex sua natura grauem, peccauit mortaliter, tenetur excommunicatione lata in fures n. 5.

Probatio Regulæ. n. 6.

Acceptio rei alienæ duplici modo mortalis est n. 7.

Quomodo acceptio rei modica possit fieri mortalis. ibid. & n.8.

Primus modus cumolendo præiacentem summã, & faciẽdo illã notabilẽ. ibid & n.9.10.

Secundus modus, quo leue furtum fit mortale, quando idẽ à pluribus leue aliquid accipit n.12.13.

Tertius modus quo crescit furtũ leue, quãdo ab uno & eodem plures modicum quid capiunt. n.14.

Probatur & explicatur Regula posita n. 6. superiori, n.15.16.

Consectaria circa leuia furta. n.17.18.19.20. 21.22.23.24.25.26.

3. Regula, circa Excommunicationem latam in non restituentes aliena, quæ detinendo mortaliter peccant. n 27.

Expositio & Confirmatio Regulæ n.28.

Ex duplici præcepto oritur obligatio restituendi. ibid.

Quanam excusent à præcepto Ecclesiastico imperante restitutionem. n.29.

An furta modica, mortalia tamen ratione circumstantiarum obligent sub mortali ad restitutionem n. 30. 31.

Variæ sententiæ. n 31.

Notationes ad nostram sententiã. n. 32. 33. 34.

Resolutio & vera sententia, quando ob minuta furta fit obligatio restituendi. n. 35. 36. 37. 38. 39. 40.

Consectaria. n 41.

Quinque Consectaria circa Excommunicationem pro rerum leuium restitutione. 42. 43. 44. 45. 46.

Consectarium 6. an singuli, qui modicum quid ex vineâ capiendo, illã deprædati sunt, teneãtur monitorio ad restitutionẽ lato. n.47.

Consectarium 7. Impotentia eximit Monitorio imperante restitutionem n.48.

Quandonam contingat ea impotentia n.49.

De Excommunicatione pro obligationibus in forma Cameræ n.50.

An debitor impotens teneatur dare cautionem ad vitandum monitorium. n. 51.

An debitor impotens, factus potens durante adhuc monitorio illo teneatur. n. 52.

POterat hæc & sequens quæstio de obligatione parendi monitorio siue præcepto Iudicis Ecclesiastici, ne alioqui Censura apposita contrahatur, differri ad disq. 8. & 9. vbi de obligatione, quam iniiciunt Censuræ, & causis, quæ ab ea obligatione excusant, disputabimus; quia tameo quædã sunt peculiaria monitoriis, quæ ex ipsorum natura hactenùs explicata facilè colligentur, visũ est ea hoc loco tradere, reliquis ad disq. citatam reiectis.

Facio porrò geminam hanc obligationem, quia etiamsi prælatus possit plurima iubere intẽtata excommunicatione, aut quapiam alia censura, eaque præcepta monitoria quoque dici possint in vniuersaliori quadam significatione, cùm tamen Excommunicationes, quæ pro rebus temporalibus ferri solent à Iudice Ecclesiastico iubente quidpiam, non respiciant alios fines, quàm restitutionẽ rei alienæ, aut occultę reuelationẽ vt patet ex Tridẽt. sępiùs citato. Agemus dũtaxat 1

hoc

hoc loco de obligatione restituendi, & reuelãdi vi præcepti Iudicis Ecclesiastici,& metu Censuræ illi præcepto annexæ, inde enim licebit diiudicare de obligationibus ad alia præstanda, si eadem ratione imperarentur, aut si monitoria referrentur ad alios fines, quorum aliquot enumerat Lazari. sect. 1.q.10.n.1.& 2. Circa hanc igitur geminam obligationem has generales Regulas accipe.

PRIMA REGVLA:

2 Quoties verba præcepti perspicua sunt, exequendum omnino est, quod illis præcipitur, nisi legitima sit excusatio, alioquin incurritur annexa censura, quando verò ambigua, aut dubia sunt verba percepti, ita vt ex illis non satis liquida sit mens præcipientis, ex subiecta materia, & alijs adiunctis inuestiganda erit.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLÆ.

3 Vtraq;pars huius Regulæ perspicua & certa est, si enim præceptum legitimum est, vt supponimus, reuera obligat ad præstandum quod imperat, ac proinde si violetur,locus erit pœnæ, quam imposuerat, sunt enim præcepta,de quibus agimus hoc loco,mixta & non purè pœnalia,vt monuimus q. 2.ita vt & ad culpam,& simul ad pœnam pro culpa in eorum infractione commissa, subeundam, obligent. Quare vt quis excusetur a pœna & censura annexa excusari prius debet a culpa & transgressione præcepti,iusta aliqua & probabili de causa; quæ non peritur ex ignorantia mentis præcipientis, quando verba præcepti perspicua sunt.

4 Vbi vero verba præcepti dubia & ambigua sunt, mentem præcipientis ex subiecta materia & alijs circumstantijs, inuestigandam esse dixi altera parte Regulæ, quod nemo sanè negabit, quamdiu enim dubia erit mens præcipientis, non poterit impleri præceptum.Quarè nisi verba præcepti eam mentem liquidò expressetint, aliunde inuestiganda erit, neq; sanè cômodiùs, quàm ex subiecta materia, ad quam verba aptanda sunt; Quarè vniuersaliter tradit Nau. cap. inter verba Conc. 6. coroll. 66. n. 383. verba communiter intelligenda esse secundum suam propriam significationem, quando contrarium non colligitur ex subiecta materia, aut alijs coniecturis, quod latè probat Felin. in cap. Nam. de Constitutionib. Con. 2. & 3. diligenter itaque singula monitorij verba attendenda erunt, videndumque vtrum in propria significatione sumantur, an propter subiectam materiã improprianda sint,nam omninò faciendã esse hanc impropriationem, quando subiecta materia ita postulat, eo quod illi verba sint aptanda, pluribus ostendit Felin. l. c.

SECVNDA REGVLA.

5 Omnis ille, & solus, qui in acceptione rei alienæ ex sua natura, & obiecto grauis ac mortalis, peccauit mortaliter, tenetur excommunicatione lata in fures.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLÆ.

6 Hæc vniuersalissima Regula affirmationem & negationem includit, affirmat enim illum, qui subripit materiam natura sua grauem, & in ea subreptione peccat mortaliter, reum esse monitorij in fures lati. Negat autem illum, qui vel non peccat mortaliter, vel non surripit rem ex suo obiecto grauem,quamuis in ea acceptione propter aliquas alias circumstantias peccet mortaliter,non teneri monitorio aduersus furtum pronuntiato.

Obserua enim iniustam acceptionem rei alienæ aliquando mortalem esse ratione rei acceptæ; alias 7
vero talem esse tantùm ratione grauium damnorum, quæ ex ea acceptione consequuntur aut propter alias circumstantias,nam contingit nonnunquam rem, quæ inuito Domino iniuste contrectatur, grauem esse, atque ex sua natura & obiecto capacem fundandi malitiam,& iniustitia mortalem seclusis quibuscunq; extrinsecis circũstantijs, alias verò res accepta leuis & exigua est, quatè præcisè sumpta non potest facere iniustam acceptionem mortalem, quia tamen ex ea leuis & exiguæ licet rei subreptione maxima damna obueniunt Domino,acceptio quæ illa damna causat,censetur mortalis non ratione rei acceptæ, sed ratione damni,quod ex rei suæ priuatione Dominus necessariò patitur. Exemplum affertur 1. in eo, qui pauperrimo sartori, aut notario, acum vel calamum subripuit,vnde factu sit, vt ille sartor aut Notarius per aliquot dies grauia damna passi sint,cùm destituti illis suæ artis instrumentis nihil quo tenuem vitam vtcunque sustentarent, lucrari potuerint.

Hic enim fur damnatur peccati mortalis, quia 8
etsi leuis sit materia surrepta, neque per se & solitariè sumpta sufficiens ad peccatum mortale, ratione tamen grauium damnorum, quæ ex eius acceptione secuta sunt, peccatum mortale admissum fuisse fatentur omnes. 2. qui rem leuem quidem, sed domino admodum gratam subripit, peccat aliquando mortaliter, quod priuet dominum iure, quod habebat vtendi & fruendi re illa, atque summa oblectatione, quam ex eo vsu capiebat. 3. qui subriperet exiguam pecuniæ quantitatem ad peccatum mortale non sufficientem cum animo accipiendi maiorem, peccaret in ea acceptione mortaliter, non ratione rei acceptæ, quæ exigua est, neque sufficit solitariè sumpta ad malitiam mortalem, sed propter voluntatem subripiendi maiorem summam ad iniustitiam mortalem sufficientem, vti diximus 1. 2. & manifestè tradunt PP. Hieron. in cap. 2. Ep. ad Titum & Chrys. homil. 3. in 2. ad Timoth. & homil. 10. in 1. ad Thessalonicens. & homil. 59. in Ioann. Et sanè vel in ea acceptione est tantum vnus & idem actus, qui simul tendit in modicam quantitatem, quam reipsa accipit, & in maiorem, quam vellet accipere, si reperiret, & statim apparet eum actũ ratione grauioris illius obiecti, in quod æquè primò tendit, atque in minus, esse mortalem, vel distinguuntur duo actus, quorum vnus sit absolutus & tendat in exiguam summam,quæ subripitur, alter sit conditionatus ex parte obiecti, quod acciperet,si occurreret, Qua ratione diuidunt hos actus Salas tr. 13. disp. 16. n. 86. & Lessius cap. 12. de Iustitia n. 35. Vasq. opusc. de restit. cap. 5. §. 1. n. 34. atque hunc actum conditionatum,quem velleitatem nominat Lessius & qui non exit in actum externum, mortiferum esse ratione obiecti sui, in quod fertur conditionatè, nemo dubitat, si eiusmodi actus absolutus ex parte subiecti, & conditionatus tantùm ex parte

obiecti admittat, vt omninò admittendos esse euicimus 1. 2. actum autem absolutum, qui reipsa tendit tantùm ad modicam summam, venialem esse contendit Lessius & Vasq. verius tamen est eam acceptionem rei modicæ tunc esse mortalem non præcisè ratione rei acceptæ, sed quia ea acceptio est veluti medium perueniendi ad notabilem summam, quam conditionatè intendit, & quam intentionem reipsa exequitur, quantum potest hac modica acceptione; atqui malitia intentionis refunditur in electionem & exequutionem, inficiturque medium à fine, vt eadem 1. 2. ostendimus. Vt verò hæc acceptio rei leuis fiat mortalis ex coniuncta intentione furandi aliquid maius, debet hæc posterior voluntas esse positiua, nam si tantùm intendat furari, quod occurrerit, neque de magno aut paruo cogitet, & rem solùm paruam subripiat, quamuis accepturus maiorem, si occurrisset, reuerà non peccat mortaliter, vt ait Petrus Nau. lib. 3. de restitut. cap. 1. n. 41. & Roderiq. 1. summ. cap. 149. n. 2. contra Couarr. lib. 1. varia. cap. 3. n. 12. quia illa præparatio animi ad peccandum, nisi fiat per aliquem actum, non sufficit ad actu peccandum. Neque mulier exposita omnibus obuiis, quolibet actu peccat, sed tunc, quando decreuit ita se exponere, est tamen in statu peccati; quia tamen passim illa præparatio ad peccandum fit per aliquem elicitum actum voluntatis, ideò & ipsa peccatum est, & signum discretiuum voluntatis, vt loquitur Caietan. 2. 2. q. 66. a. 6. ad 3. qui ideò in confessione exprimendam esse dicit.

8 Aliquando furtum leue ratione materiæ fit graue & mortiferum propter coniunctionem cum aliis minimis, non quod ex pluribus furtis modicis coalescat vnum graue, sed quia vltimum furtum, quod in se solitariè sumptum leue est & veniale, ratione tamen præcedentium acceptionum, quas præsupponit, & quas complet in ratione summæ notabilis, & grauis damni fit peccatum mortale, quod contingere potest tribus modis.

5. Si quis ab vno eodem minima subripiat, & tandem summam notabilem illis exiguis acceptionibus interpolatis, & repetitis attingat, etiamsi in singulis non habuerit animum aut accipiendi magnam summam, aut per illas perueniendi ad summam notabilem, siue ditescendi, tunc enim singulæ acceptiones forent mortales, vt superiùs dicebamus. Si autem neque habeat animum quidpiam amplius furandi, quàm quod reipsa tunc accipit, quamuis non excludat positiuè aliam acceptionem, neque etiam aduertit ad furta præcedentia, reuera non peccat etiam in vltima acceptione, licet ea iam compleat magnam quantitatem, nisi venialiter, quia singulæ illæ acceptiones nullum habent ordinem inter se, & sunt tantum coniunctæ per accidens; quare vltima nihil potest accipere ex coniunctione accidentali cum aliis, per quod fiat mortalis, si ex sese venialis foret. Loquor igitur de eo, qui aduertit se iam plurima à Titio accepisse, & hac vltima acceptione compleri summam sufficientem ad mortale, si simul tota fuisset sublata, atque hanc vltimam acceptionem, quamuis alioquin ex se leuiorem, existimo mortalem esse. Ita Valent. 2. 2. disp. 5. q. 10. p. 5. sub finem. Couarr. lib. 1. varia. cap. 3. n. 12. Corduba. in quæstione. q. 70. Vasq. 1. 2. disp. 146. cap. 2. n. 5. & opusculo de rest. cap. 9. §. 1. dub. 5. n. 68. Molina tract. 2. disp. 688. n. 2. Layman. lib. 3. sect. 5. tract. 3. 1. p. c. 1. n. 6. Man. Roderi. to. 1. c. 140. n. 8. con. 8. Rebel. 1. p. de iustitia lib. 3. q. 15. sect. 4. n. 30. Bonac. disp. 2. de restitut. q. 8. p. 2. n. 2. Azor 3. p. lib. 5. cap. 13. q. 5. Turrian. tom. 2. in 2. 2. disp. 35. dub. 2. num. 2. Sanch. lib. 7. in decalog. cap. 21. num. 6. Petrus à Nauar. lib. 3. de restitut. 1. p. 2. editi. dub. 5. à n. 54. Contra Nauar. cap. 17. num. 139. atque alibi, cui adhæsit Lessius cap. 12. de iustitia. num. 42. Nostra verò assertio probatur, quia tunc infertur notabile damnum proximo; actus autem, qui ex se venialis foret, propter grauem tamen damnificationem quam affert, fit mortalis, vt fatentur aduersarij in eo, qui acum sartoris subripiens, illum per aliquos dies impediuit à labore & lucro, deinde concedunt omnes hunc furem teneri sub mortali ad restitutionem saltem illius exiguæ summæ, quam vltimò accepit, igitur mortalis fuit ea acceptio, cùm nunquàm detur obligatio sub mortali restituendi id quod debetur ex mero delicto & iniustitia, & non ex contractu, nisi acceptio vel damnificatio fuerit mortalis, vt latè probat Petrus à Nau. lib. 2. cap. 1. n. 42. Addit Rebellus f. 4. cit. num. 38. non tantùm minimam acceptionem, quæ complet notabilem summam, & graue damnum, mortalem esse, sed illam quoque, quæ deinde consequitur, si aduertat ad præcedentem notabilem summam, quam expressè vel interpretatiuè vult retinere, contra Molin. l. cit. quia notabile damnum præcedens auget, non minuit, & nulla ratio esse potest, cur minima acceptio, quæ compleuit notabile damnum, censeatur mortalis, & non ea, quæ deinde toti isti damno accedit, & quod auget & maius facit, æquè enim cum præcedentibus, ad quas fur aduertit, conflat vnam notabilem summam, atque acceptio præcedens id præstitit.

Hæc nihilominùs communis doctrina limitatur, si eum, qui ita minima repetitis vicibus furatur, vel non aduertat ad præcedentia furta, vel non cogitat per hanc nouam rei exiguæ acceptionem compleri summam notabilem, & graue damnum fieri domino, non peccat mortaliter illa vltima subreptione, etiamsi reuerà per illam compleat summam sufficientem ad mortale. Ita Villalobos tom. 2. tract. 13. diff. 3. n. 2. quia voluntas tunc præcisè cadit in vltimam acceptionem, seclusis omnibus aliis præcedētibus, ad quas nullum dicit ordinem, neque cum illis coniungitur. Cùm igitur ipsa non sufficiat ad peccatum mortale, & non habeat malitiam & connexionem cum aliis, reuerà tantùm venialis erit, qua maximè de causa Caietan. ✠. furtum. excusat famulos, qui diuersis temporibus furantur à domino cibaria, aut alia quæpiam exigui pretij; non enim existimant, neque aduertunt se minimis illis furtis tandem graue damnum inferre domino; immò inquit Caietan. non existimant se subripere, quia modicum est, quod subripitur. Adde non tam esse inuitos dominos quoad rem acceptam, quæ modica est, quàm quoad modum occultè capiendi; vnde sæpiùs contingit, ea furta non esse nisi venialia.

Limitatur 2. conclusio, nam etiamsi aliquis aduertat se per minimæ rei acceptionē cōplere quātitatē notabilem, si tamen habet animum saltem virtualem satisfaciendi, aut compensandi furta præterita, non peccabit mortaliter illa vltima acceptione. Ita Rebell. f. 4. cit. n. 3. & Granado in 1. 2. controu. 6. tract. 6. disputat. 2. sectione 3. numero 51. quem refert Diana tract. 6. Miscellan. 3. part. resolut. 9

Resolut. 25. fauet quoque Molin. disp. 688. cit. num. 2. in primo obseruando, Innuitque Layman cap. 1. & n. 6. citatis.

Ratio est, quia retentio illius prioris summæ acceptæ sit iam inculpabilis, & postrema acceptio non coniungitur cum prioribus ad constandam vnam summam, quandoquidem continuatio retentionis ipsarum est inculpabilis, & sanè, qui de furto decem aureorum confessus animum restituendi suscepit, neque adhuc est in mora culpabili, interea tamen ab eodem domino rem modicam subripit, non peccabit mortaliter ea postrema rei modicæ acceptione; non aliam certè ob causam quam quia prioris summæ retentio iam est reddita inculpabilis, quarè non potest cum subsequente facere vnam retentionem culpabilem mortaliter, quod si huius modicæ summæ vltimo loco acceptæ retentio non sit lethalis, neque acceptio fuit lethalis, cùm exinde maximè Petrus à Nauarra & alij communiter probent vltimam acceptionem rei minimæ continuatam cum aliis præcedentibus esse lethalem, quia illius deinde summæ retentio lethalis erit; Valebit enim argumentum à contrario sensu, si non est mortalis retentio, neque fuit mortalis acceptio; sicut idcircò erat mortalis acceptio, quia retentio erat mortalis. Neque dicas non peccaturum mortaliter, qui furaretur decem aureos cum animo restituendi, quia reuerà illa acceptio est grauiter damnificatiua & iniuriosa & versatur circa grauem materiam, & animus deinde restituendi non minuit grauitatem materiæ, aut dat titulum accipiendi; neque nos hoc contendimus in nostro casu in quo tantum volumus retentionem rei acceptæ, quando est animus satisfaciendi, esse aliquandiu inculpabilem, donec qui retinet, sit in mora, vnde non poterit constare vnam retentionem culpabilem cum noua acceptione, quæ idcircò non accipiet ex connexione cum illa priori retentione grauitatem, si illam ex sese non habeat, vti non habere supponimus, & esse ex natura sua, atque obiecto leuem. Addit Grana. acceptionem rei alienæ non esse mortalem, quando fit animo tam citò restituendi, vt ratione dilationis non inferatur domino damnum alicuius momenti. Qui etiam dum furatur vltimum obolum priores omninò consumpsit, neque habet vnde soluat, habet tamen animum soluendi vbi venerit ad pinguiorem fortunam, non peccat mortaliter illa vltima acceptione, quia non vult retinere inuito rationabiliter domino, nisi vltimum obolum, reliquos enim est paratus reddere, sed inopia impeditur; Quando autem dico animum virtualem compensandi vel restituendi priora furta, impedire ne materia per illa accepta conflet vnam quantitatem cum ea quæ de nouo subripitur, non postulo tantùm, vt fur iste aduertens ad furta præterita, & damnum, quod ex noua acceptione, graue fit, negatiue se habeat quoad compensationem & restitutionem acceptorum, velitque nihilominùs subripere illud modicum, ex quo videt complendum graue damnum, tunc enim peccabit mortaliter quia indirectè vult eam notabilem summam retinere, & graue damnum inferre; indirectam autem volitionem sufficere certum est ex 1. 2. per virtualem igitur animum satisfaciendi, intelligo, vt saltem velit aliquid, in quo implicetur hæc voluntas satisfaciendi, v. gr. dum famulus habet voluntatem computandi in suis operis sub finem anni; si qua in re damnum se intulisse domino comperiat; atque ita sæpiùs eiusmodi famuli excusantur à mortali, etiamsi aduertant tandem per hæc minuta furta iam sæpiùs iterata compleri notabilem Summam. Quanquam vt monet Molina, cùm famuli rudes sint, & idiotæ vix aduertant ad coiunctionem vltimi furti cum præcedentibus, & damnum inde consurgens, atque ita à grauiori peccato excusentur.

3. Aduertendum est cum Rebel. n. 37. & Sanch. 16
cap. 21. cit. n. 10. Less. cap. 12. n. 46. in minimis furtis interpolatis maiorem requiri quantitatem ad inferendum damnum mortale, quàm si simul tota aliqua summa acciperetur, quia & minùs inuitus est dominus, & minoris æstimatur, etiam apud homines, damnum, quod ita interpolatis vicibus infertur, v. gr. si singulis tantùm vicibus vnum racemum colligas è vinea, etsi ex illis tandem conficias vnum canistrum, non tantum damnum diceris attulisse, neque tam grauem iniuriam irrogasse domino, quàm si simul corbem implesses, immò dominus, nisi auarus & sordidus sit, ea minima & leuicula furta condonabit; quarè Rebell. non obligaret ad restitutionem illum, qui spatio trium aut quatuor annorum minimis furtis non peruenisset ad summam duplo maiorem, ea quæ simul accepta sufficit ex communi sententia ad mortale, & ad restitutionem sub mortali inducendam; quarè illa tantùm acceptio, quæ eiusmodi quantitatem duplo maiorem solita cum aduertentia præcedentium complebit, erit mortalis. Immò addit Sanch. num. 10. citat. tantam aliquando esse interpolationem, vt vnum furtum cum alio coniungi non videatur, si quodlibet per se considerandum sit, atque si nullum aliud præcessetit, vt si inter furtum præcedens & hodiernum interiiciatur annus; atque se hac in parte viros doctos consuluisse, qui idem omninò existimarent: Docentque perspicuè Molin. disp. 688. cit. num. 2. in tertio obseruando, & Vasq. opusc. de Restitut. capite 9. §. 1. dub. 5. numero 70. neque abnuit Layman cap. 1. & num. 6. citatis. Et praxis cotidiana Confessorum fauet, neque enim damnabunt vnquàm peccati mortalis puerum, qui singulis annis ex eadem vinea tres aut quatuor vuas colligens, tandem per decennium eam quantitatem acceperit, quæ maiorem corbem impleret: Et sanè cùm tota res ista moralis sit ex communi hominum æstimatione pendens, non censent illi furta tam dissita in vnum aliquod damnum inferendum concurrere, sed potiùs quod exiguum fuit, aut condonatum esse aut saltem cum sequenti non connecti; quare multo minus spatium, quam vnius anni requirerem, vt furta non censeantur esse connexa, sed omninò tùm physicè, tum moraliter interrupta; nam aduertentia ad peccatum præteritum non sufficit, vt moraliter coniungatur cum sequenti circa eandem materiam: vnde ipsemet Rebell. num. 36. excusat famulos ab obligatione restituendi sub mortali, quando furta minuta per longa interualla facta fuerunt, & singula notabilem quantitatem non continebant. Neque abnuit Nau. cap. 17. num. 139 sub fin. & Petrus à Nau. lib. 3. de Restit. numero 221. præcipuè quando sunt cibaria, cap. 1. quæ non accipiuntur ad vendendum aut donandum externis, quia domini non videntur rationabiliter inuiti, & iam communiter existimantur condonasse priora, quando

posteriora committantur. Idem docet Less. cap. 12. n. 49.

15 Alter modus, quo furtum leue ratione rei acceptæ potest fieri graue ex coniunctione cum aliis minimis furtis, eo quod simul cum illis compleat quantitatem sufficientem ad mortale, est quando idem à pluribus dominis subripit, à singulis quidem minima, ab omnibus autem collectiuè summis summam notabilem: & quidem si iste fur habeat animum furandi quantitatem grauem, peccat mortaliter, ratione enim illius voluntatis iam singulæ acceptiones, quæ sunt media ad eam generalem intentionem ditescendi, aut accipiendi aliquid magnum, sunt peccata mortalia, quia, vt iam monui, electio & exequutio inficiuntur tota malitia intentionis; quarè qui per falsa pondera à singulis minimum quid subripit cum eâ, de qua dixi, intentione ditescendi peccat mortaliter in singulis etiam illis furtis. Et quidem peccare mortaliter communis receptaque sententia est. Sot. lib. 5. de iustitia, quæst. 3. art. 3. ad 3. Roderiq. 1. p. cap. 149. n. 9. Cordub. q. 70. summæ. p. 3. in 4. opinione. Sayr lib. 9. clauis. 15. n. 27. Petrus Nau. lib. 3. de restitut. cap. 1. n. 55. Less. lib. 2. cap. 12. n. 36. Sanch. lib. 7. in decalog. cap. 21. n. 12. quam sequuntur & alij ab ipsis relati. Quanquam Sanch. & Less. velint in singulis istis furtis non esse nisi culpam venialem, quibus continuatur & mandatur exequutioni illa intentio mortifera ditescendi; sunt itaque singulæ acceptiones intrinsecè veniales, extrinsecè autem & denominatiuè mortales; vnde ait Lessius fieri posse, vt qui ea ratione furatur, non magis peccet, quàm si vno actu totam eam quantitatem subriperet, immò minus, si cætera sunt paria. Ratio tamen à nobis allata, & ab ipso Lessio insinuata euincit singulas acceptiones quatenùs sunt partiales exequutiones mortiferæ intentionis esse mortales cùm tota malitia intentionis refundatur in electionem mediorum & exequutionem: quarè qui totam illam summam vno actu acciperet, peccaret tantùm semel mortaliter, qui verò per minima furta eandem summam subripit eum ea intentione mortifera, pluries peccat mortaliter, quod mirum videri non debet, cùm toties repetatur ea intentione mortifera, aut potiùs sæpiùs ex ea intentione operetur, ponatque nouas actiones.

Dices eum Hangesto. cap. 9. moral. hunc furem nemini notabile damnum, aut iniuriam inferre, ac proinde non peccare mortaliter, neque ad restitutionem sub mortali teneri. Quam rationem nondum bene solutam fuisse dixit Petrus à Nau. Vasq. verò opusc. de restit. capite 9. §. 1. dub. 5. num. 76. Respondet contrariam sententiam probabilem hoc argumento reddi. Respondent itaque aliqui inferri damnum notabile non singulis quidem sed toti communitati, respectu cuius illa summa censetur magna, si quis enim ex ingenti tritici aceruo ad plures dominos pertinente, quatuor aut quinque modios subriperet, vix sensibile damnum singulis afferret, & nihilominus peccaret mortaliter: sufficit igitur damnum fuisse acceptum à pluribus collectiuè, etiamsi singuli diuisim sumpti non nisi exiguum passi fuerint. Verùm negari potest damnum notabile inferri communitati ex illa summa per minuta furta sublata, quæ simul sumpta esset mortalis, non quia duo aurei non grauant v. gr. ciuitatem Lugdunensem, sed quia reuerà bona, quæ subripiuntur, non pertinent ad communitatem, sed ad priuatos, vnde est alia ratio, quando sumitur ea quantitas pertinens ad plures, quia tunc fur subripit eam quantitatem non ad aliquam communitatem pertinentem. Quare respondet Sot. lib. 5. q. 3. a. 3. furtum aliquando esse in se mortale absque personarum respectu, vt v. gr. furtum ducentorum aureorum quod Regi non est notabile damnum, & tamen nemo negat esse mortale, sed optimè instat Vasq. l. c. non potest enim furtum esse mortale, nisi sit contra iustitiam, nisi quia alicui notabilem iniuriam irrogat, & cùm illi iidem dicant teneri sub mortali ad restitutionem, deberet omninò supponi esse iniuria notabilis, Reges autem solent esse inuiti pro minori etiam summa, quam 200. aureorum; hic autem non fit iniuria communitati, cuius ea bona non sunt. Respondet Vasq. §. 1. cit. n. 76. quemlibet esse rationabiliter inuitum, ita sibi fuisse modicam quantitatem sublatam, vt vna cum aliis faciat furtum notabile, neque aliam difficillimo argumento solutionem accommodatiorem putat. Videtur nihilominus tota vis argumenti manere, quia supponit Vasq. inferri notabile damnum & fieri furtum notabile ex repetitis modicis acceptionibus, atque ita quemlibet dominum inuitum esse rationabiliter de modica re sibi accepta, cùm tamen aduersarij negent esse notabile damnum tum respectu singulorum dominorum, tum respectu communitatis, nec proinde notabile furtum, quod tale non est formaliter, & in ratione iniustitiæ, nisi ratione grauis iniuriæ factæ, quæ non assignatur. Itaq; manendum in ea ratione, quam indicauimus: nimirum has acceptiones esse media exequutionis illius mortiferæ voluntatis ditescendi, & accipiendi summas maiores minoribus acceptionibus, ac proinde singulas esse mortales, etiamsi non inferant reipsa graue damnum, cùm ad illud inferendum ordinentur ex furantis intentione. Et sanè repugnat humanæ societati aliquem perpetuis fraudibus & furtis ditescere velle, & nunquàm admittere peccatum mortale, neque obligari ad restitutionem, cur igitur pondus & statera dolosa abominationes sunt domino, si in his minutis fraudibus, quæ per dolosa pondera committuntur, nulla alia sit culpa, quàm venialis, daliturque occasio corrumpendi impunè omnes artes, non exiguo publicæ rei damno.

Hinc vides quid sentiendum sit de pauperibus, qui tempore messis aut vindemiæ hinc inde modica suffurando non exiguam quantitatem colligunt, illos enim immunes peccati mortalis facit Medina C. de restit. q. 10. §. occurrit hic casus, quod non improbabile putat à Nau. c. 1. cit. n. 54. & sustineri posse ait Less. c. 12. n. 37. si ea sit hominum conditio, vt ipsi alij succurrere à quibus hæc modica subripiuntur, non sint inuiti circa substãtiã, sed tantùm circa modum occultò accipiẽdi. Verũ si eiusmodi fur non premitur graui egestate, reuerà minutis illis furtis peccat mortaliter, si habeat animum sic colligendi ingẽtem aliquem aceruum, ob rationes factas superiùs, neque paupertas eximit lege naturali non contrectãdi rẽ alienã inuito domino, nisi vbi tãta fuerit inopia, vt in ea necessitate õnia cõmunia cẽseãtur. Limitationes verò quas addidit Less. mutãt omninò rẽ, quando enim accipio quidpiã ab eo qui mihi succurrere tenetur, vel non accipio alienũ; vel nõ accipio rationabiliter inuito domino vt Fumus v. furt. n. 20. A. n. 37. & alijsumiste passim 52

passim tradunt, quando etiam non præsumitur inuitus dominus circa substantiam rei acceptæ, sed circa modum tantùm occultè accipiendi, iam monui ex Nauarro non esse nisi venialem culpam, qoia non est furtum nisi in modo capiendi, atque ita facilè excusantur modica furta tum famulorum, vt dixi, tum vt ait Vasq. cap. 9. cit. opusc. n. 73. pauperum, qui vt dicebamus tempore messis hinc inde minuta furantur, præsumitur enim dominus daturus ex ingenti aceruo frumenti modicum aliquam mensuram pauperi petenti, licet ægrè ferat sibi subripi, & ea causa, nisi fallor, est, propter quam Medina distinguebat inter pauperem & diuitem, quod non præsumatur dominus daturus diuiti, sicut præsumetur daturus pauperi.

13 Quando verò aliquis à pluribus dominis modicum quid accipit absqoe animo ditescendi, aut sumendi magnam summam, aduertit tamen ad priora fruta minima, venialiter tantu peccare dixit Nau. cap. 27. n. 139. Tolet. lib 5. cap. 16. n. vlt. neque abnuit Rebell. s. 5. q. 15. cit. quia ista furta neque intentione, neque vlla ratione coniungi & continuari inter se videntur. Quarè quamuis contraria senteotia videatur omninò communior. vasq. 1. 2. disp. 146. cap. 2. n. 6. cap. 21. o. 15. Villalob. tom. 2. tract. 13. diff. 4. Hæc tamen mihi magis probatur, neque obstat præcepto septimo decalogi prohiberi vsurpationem notabilis quantitatis alienæ, & per quam inferatur notabile damnum, nam iam dixi communitatem non lædi, cum bona sublata eius non sint; quarè cùm ea furta fortuito & solo casu coniuncta, grauia non sint respectu communitatis, & respectu singulorum sint omnino leuia, non video quomodo coalescant in vnam summam, & vnum aliquod ex illis propter aliorum coniunctionem euadat mortale; in priori enim casu cùm singula ista furta licet minima erant tamen media generalis intentionis ditescendi per fraudes & furta, & capiendi summam notabilem, quæ minutis illis acceptionibus quærit, igitur coniongebantur inter se, & inficiebantur malitia mortiferæ illius voluntatis, Eaque tandem videtur esse sententia Molinæ tract. 2. disp. 689. n. 1 qui addit non facilè condemnaodum culpæ lethalis eum, qui absque animo congregandi bona, & perueniendi ad notabilem quantitatem per minima furta intra longum tempus furatus esset à diuersis sex ant octo Regales aureos. Certè quidquid sit, eò maior quantitas requiritur, quo plures erunt domini, à quibus subripietur, cum vt damnum mortale notabile sit respectu communitatis, eo maius esse oporteat, quo pluribus constat ea communitas. Prætereà ratione interualli interiecti, & non aduertentiæ ad alia furta, quibus à diuersis dominis sobtracta sunt, aliqua facilè excusabuntur: alioquin qui semel ab vno quantitatem notabilem accepisset, quam nondum restituisset, quoties ab alio minutum quid acciperet memor prioris furti, peccaret, mortaliter, quod durum admodùm videtur, ex hacque senteotia sequi plura incommoda Confessarijs admodum molesta Rebell. sub finem section. 5. citatæ obseruauit.

14 Tertius Modus, quo furtum leue grauitatem ex coniunctione cum alijs accipere potest, contingit, quando plures ab vno eodemque domino modicum quid subripiunt, ita tamen vt ex omnibus illis modicis furtis simul sumptis dominus graue damnum patiatur, exemplum vulgare est in deprædatione vineæ ab exercitu, aut ingenti aliqua multitudine, nam etiamsi singuli vnum aut alterum racemum capiaot, vineam tamen integram deprædantur, quamuis singuli modicum quid omoinò subripiant, quo casu si furtum ex suo obiecto & natura leue, mortale fiat, propter graue damnum, quod coniunctum cum alijs infligit, omnes & singuli, qui vel vnum racemum in illa vinea collegerint, peccabunt mortaliter, quod durum videtur.

R. distinguendum esse, possunt enim isti furunculi tripliciter se habere, nam vel vno consilio vineam eiusmodi diripiunt, & sunt concausæ & consortes in inferendo illo damno notabili, atque ita peccato mortali tenentur ex omnium sententia; vel vnus ignarus est furti & damni illati ab alijs, & tunc ità tunc non peccat, nisi venialiter, si modicum quid capiat, cum eius furtum non possit tunc mortaliter continuari cum aliorum furtis; vel denique singuli conscij sunt damni, quod ab alijs infertur, aut quod iam illatum est, quamuis nullo communicato consilio id faciant & concomitanter tantū se habeant, & singuli leue damnum inferunt, neque hoc grauius intendunt, immo dolent ab alijs inferri. Atque de hoc tertio casu est controuersia; grauioris igitur peccati singulos istos fures damnāt communiter DD. Molin. tract. 2. disp. 689. n. 2. Suar. tom. 5. in 3. part. disp. 20. sect. 2. n. 3. alijque passim relati à Sanche. L. 1. in decalog. cap. 21. n. 21. quia singuli sunt causæ partiales damni, quod sciunt ab omnibus inferri, & singulorum furta etiāsi per sese minima sint, simul tamen coniuncta faciunt quantitatem notabilem, & quia grauem iniuriam & dispendium patitur Dominus, cuius singuli æquè causæ sunt, atque si soli per modicas acceptiones totam eam quantitatem subripuissent. Deinde cùm omnes æqualiter concurrant, aut omoes, aut nullus peccati mortalis damnari debet, graue autem omninò esset aliquem suis omnibus bonis, aut integræ vineæ frugibus spoliari, & tameo manere obligatum sub mortali ad restitutionem.

Existimo tamen probabilius nullum istorum peccare mortaliter, nondum autem ego de obligatione ad restitutionem, de illa dicturus in notis ad proximam Regulam. Ita Sanch. lib. 7. in Decalog. cap 21. o. 22. Sot. in 4. d. 22. q. 1. A. 2. & lib. 4. de Iustitia. q. 7. a. 3. v. dubitum autem. Lessi. cap. 12. lib. 2. dub. 9. n. 52. alijque viri docti apud P. à Na. lib. 3. de Restitut. cap. 1. dub. 5. Neque multum abest. Bonac. disp. 2. de Restit. q. 8. p. 2. o. 6. quāuis admodum dubius sit, & saltem qui post datum notabile damnum aliquod deinde paruum afferet, vt qui post direptam vineam reliquos aliquot racemos colliget, excusant à peccato mortali. Molin. tract. 2. disp. 689. n. 2. Vasq. 1. 2. disp. 146. n. 5. & 6. Ratio est, quia iste paruum damnum infert, oeque est causa cur alij inferant, neque damno ab omnibus simul collectiuè sumptis illato cooperatur, nisi in parua quantitate, eiusque furtum per accidens omninò coniungitur cum alijs, & præter suam intentionem, cum ipsi displiceat tantum damnum inferri, quod ipse non causat, nisi modicum; quis enim dicat pauperem, qui scit quæstorem aliquem ingentem vim pecuniarum harpagasse à Rege, peccare deinde dum ab eodem principe paucos nummos clanculò accipit, neque ant inoitat ad prius illud ingens furtum, aut in illud consentit, quod cōmissum dolet,

neque sequitur præcisè ex modico isto furto magnum damnum vt iam monui, sed quia accidit alios ante iam subripuisse. Ponamus enim decem asses vulgaris monetæ sufficere ad peccatum mortale, per accidens omninò est, quod aliqui suffurati sint nouem, quando Titius subripit vnum qui coniunctus cum aliis nouem prius subtractis,conflat materiam mortalem, non tamen Titius reuerà notabiliter lædit dominum, etiamsi ex acceptione istius vltimi & decimi assis fiat summa notabilis, nisi enim totum illud, quod est notabile,vel accipiat vel retineat, non facit notabilem iniuriam; nam qui additione vnius aurei complet 100. aureos non dicitur donare centum. Ergo neque qui aufert vnum tantùm, dicetur auferre centum, etiamsi alij iam abstulerint, aut simul simulrate omninò accidentali auferant 99. alioqui qui auferet decimum tantùm assem, infinitè amplius peccaret,quàm qui prius abstulerat 9.quia ille tantùm peccauit venialiter, hic autem mortaliter peccabit. Denique omnes qui racemum ex vinea, aut pomum ex horto alicuius accipiunt dānandi essent peccati mortalis,quia vero similiter sciunt alios furari,atque ex illis tandem furtis fieri notabilem quantitatem; quarè deberet saltem Confessarius quærere ab eo,qui racemum accepisset, an aduerterit ad aliorum furta & si aduertit an existimet ea omnia furta magnum detrimentum attulisse,quod tamen nemo hactenus in prudente Confessario desiderabit. Ex quibus vides rationes contrariæ sententiæ admodùm imbecilles esse, concedo enim cooperari singulos per accidens graui damno,sed in minori aliqua quantitate, & quæ solius culpæ venialis capax sit, & consequenter nullum istorum peccare mortaliter,nec teneri ad restitutionem sub mortali præcisè vi acceptionis; an verò aliundè dicam inferius, neque tamen id absurdum est, vt statim apparebit.

15 His paulò fusiùs disputatis perspicuus erit Regulæ superius positæ sensus; Nego enim illum, qui subripuit rem modicam, atque ex sua natura & obiecto insufficientem ad fundandam malitiam mortalem furti, etiamsi ratione damni inde consequuti, aut aliarum circumstantiarum peccarit mortaliter in ea rei modicæ acceptione, vti contingere posse diximus, incurrere Excommunicationem aliamue Censuram in fures latam; quarè ad eam pœnam exigo non modò peccatum mortale commissum fuisse in contrectatione rei alienæ, sed etiam rem acceptam fuisse eius valoris, qui per se seclusis circunstantiis damni consequentis, sufficiat ad peccatum mortale: siue postulo peccatum fuisse mortale ratione rei acceptæ. Ita Petrus à Nau.lib. 3. de Restit.cap. 1. dub. 4. n. 43.Sanch. lib. 7. in Decalog. cap.20. n. 5.

Bonac.disp. 2. de Restit. q. 8. P. 1.n.8. & q.1. de Censu. p. 3. n. 11. Rebell. 2. P. de obligation. Iustitiæ, lib. 3.qu. 15.sect. 2.n. 13. Lopez 1. Pa. instruct. cap. 93. Sayr in Claui. lib. 9. cap. 15. n. 18.Vasq. opusc. de Restitut. cap. 5. §. 1.dub. 6. n. 35. Auila 2. p. cap. 5. disp. 2. dub. 3. sub finem.Lessi. lib. 2. cap. 12. n. 34. Aragon. 2.2.q. 66.a. 6. dub. 4. & alij quibus præiuit.Naua. cap. 17. n. 1. & 3. vbi optimè contendit contra Sylu. v. furtum, & Sotum lib. 5. de Iustitia. q. 2. a. 3. acceptionem rei minimæ, quæ tamen causet notabile damnum, etiamsi sit mortalis in genere iniutiæ & iniustæ damnificationis,non esse mortalem in specie furti, furari enim & damnum inferre longè diuersa sunt, neque qui alium impedit à lucro, dicetur furari, aliique sunt in iure tituli de furtis, alij de damnis illatis;neque qui subrepto calamo à Notario, cum impediuisset à lucro centum aureorum, quod tunc facere potuisset, propterea suspenderetur, aut actione furti teneretur, aut haberetur infamis, aut damnaretur in duplum vel quadruplum illius damni,sed tantum rei subtractæ §. duplum & §. quadruplum Instit. de actione.Erit igitur illa damnificatio ex modicæ rei susceptione mortalis, non in ratione furti, sed iniutiæ aut iniustitiæ, retinebitque, vt notat Vasq. loco cit. dub. 5.nomen genericum ,falsumque est quod aliqui apud Pet. Nau.dicunt omnem speciem iniustitiæ circa fortunas esse furtum vel rapinam, & cùm hæc damnificatio rei alienæ quamuis exiguæ clancularia contrectatione non sit rapina, furtum necessario esse, vt enim rectè reponit idem Petrus, vsura iniustitia est, & tamen neque furtum est,cùm fiat alio sciente,neque rapina, cum nullam vim adhibeat;præterea qui pecuniam ex contractatu licito debitam alteri culpabiliter retinet, neque fur neque raptor est, & tamen iniusta illa retentione peccat contra iustitiam; & iniuriam ac damnum irrogat,est igitur innominata quædam Iniustitiæ species, quamuis impropriè loquendo omnis iniustitia furtum dicatur & prohibeatur præcepto illo, non furtum facies. Cùm igitur excommunicatio feratur propter furtum mortale, & illud furtum, de quo agimus,non sit mortale in ratione furti, sed alterius iniustitiæ, aut vitij, reuerà non erit materia illius Censuræ.

Quod totum Confirmatur ex eo, quod censuræ sint pœnæ; quæ à solo foro externo feruntur, atqui in eo foro istæ acceptiones rerum modicarum, etiamsi propter annexas circumstantias, quibus quædam aliæ virtutes grauiter læduntur, sint mortales non censentur graues, & pro eis non datur actio furti, quod contra communiorem licet sententiam eruditè probat Couarr. lib. 1. varia. cap. 3. n. 12. quia cùm ius sit ars boni & æqui, nulla æquitas dictat,actione furti, quæ infamiam irrogat dari pro vno quadrante,aut aureo nummo, acu aut calamo, aliaue re simili,' & cum iuris Consulti negent dari actionem de dolo pro re minima. l. si oleum ff. de dolo, cur interpretes pro vno, vt aiunt, ouo concedent actionem furti. Quod autem l.si proprietarius ff.de damno infecto, dicitur pro minimo damno cautionem dandam esse,minimum damnum accipit comparatione maioris, non autem seorsim & per sese considera tam; superstitiosum enim esset pro damno vnius regulæ Prætorem adiri, & eius decreto cautionem præstari:igitur Prætor ipse arbitrabitur,sit ne damnum, quod timetur, cautione illa dignum. 16

Difficilius est, quod obijcitur ex §. 'gallinarum instit. de rerum diuisione, ibi enim detentio gallinæ furtum dicitur, & inde colligunt passim DD. in re minima furtum committi, quarè & Theophil. pro re minima dari actionem furti interpretatur. Respondent aliqui non dici verè committi furtum in vnius gallinæ nocumento, sed fictè & quasi per quandam interpretationem, existimat Couarr. vnam gallinam non esse rem minimam, nec minimum damnum ex eius furto inferri, quod bonus & discretus vir ex variis circumstantiis arbitrabitur.

Verùm si attentè expendatur ille textus nihil dicit Iustinianus de actione furti, neque de eius

natura aut grauitate disputat, sed de varia animalium diuisione, obseruatque gallinarum anserumque non esse feram naturam, vnde optimè infert, si gallinæ è conspectu tuo euolarint, nihilominùs tuas manere, nec à quocunque cap. posse vt Contingit in alijs animalibus quæ feræ naturæ sunt, etiamsi enim captæ fuerint, vbi deinde suæ veluti libertati iterum redditæ sunt, fiunt vltimò capientis, neque qui primus eas cœperat, queri potest sibi iniuriam fieri, si igitur gallinas tuas auolantes alius detineat, furtum committit leue nimirum, aut graue pro ipsarum valore; Et nos negamus iniustam rei minimæ contrectationem furtum dici posse, sed tantùm pro quocunque minimo furto dari actionem, ait autem tantùm Imperator, QVI LVCRANDI ANIMO ea animalia detinet, furtum committere intelligitur. Quod totum concedimus aduersariis, qui inde non efficient, quod contendunt pro vnius gallinæ aut pulli furto dari actionem furti, quidquid velit ibi glossa, quæ vbi textus perspicuus est, frustrà consulitur. Cum igitur forum externum non concedat actionem pro leuis rei iniusta acceptione, etiamsi mortalis sit, quis dicat Ecclesiam censuram grauiorem in eiusmodi furta intorquere, maximè, cùm vt iam dixi, non sint furta mortalia, licet sint peccata mortalia, & ea censura, prout sonant ipsa verba, non intorqueatur, nisi in furta mortalia, sintque omnia Edicta pœnalia benignius interpretanda. 31.

CONSECTARIA.

Ex Regula superiori circa leuia furta, aliunde tamen mortalia.

17 Hinc fit 1. vt qui acum à Sartore, aut Calamum à Notario cum ingenti ipsorum damno subripuit, non excommunicetur excommunicatione lata in fures. Ita omnes Doctores superiùs adducti 2. qui magnam & grauem molestiam intulit domino ex acceptione rei leuis, non incurrit excommunicationem furti, quia non peccauerit mortaliter peccato furti, sed peccato contra charitatem, vt ait Petrus à Nau.cap.1. cit. n. 46.

19 3. qui animum habens ditescendi, aut capiendi summam notabilem, subripit rem modicam, peccat mortaliter, vti diximus, etiam peccato furti, non tamen percellitur censura in fures lata, vt obseruat Rebell. qu.15.cit. n. 13. Vasq. dub. 6. cit.n. 34. quia ea pœna non cadit nisi in furtum ex suo obiecto mortale, & sanè Ecclesia non punit intentionem, seu ipsum animum.

20 4. Vsurarij, non soluentes decimas, aut alia iniusta debita non comprehenduntur excommunicatione lata in fures, quia etiamsi illi omnes iniustitiam committant, fures tamen propriè non sunt. Ita Petr. à Nau.cap.1. cit.dub.4.n. 45.

21 5. qui ratione adiuncti sacrilegij aut violentiæ adhibitæ peccant mortaliter in acceptione rei modicæ, quod fieri posse certum est, & de sacrilegio tradit Rebell. sect. 2. n. 11. in eo qui modicum oleum sacrum furaretur, & de exigua pecunia surepta ex altari, aut ex crumena Confessarij audientis confessionem existimat Corduba. in summ. q. 13. sed id benè reiicit Rebell. quod ea pecunia sacra non sit, & circumstantia loci non sufficiat ad quodcunque sacrilegium faciendum, quando per illud non grauiter violatur loci sanctitas; Hi inquam omnes excusantur à censura, quâ feriuntur fures, cùm reuera non peccauerint mortaliter in ratione furti, sed in alia specie peccati, vt patet.

6. Qui per plura minima furta graue damnum, 22
intulit, & in vltima acceptione, quæ compleuit illud damnum, peccauit mortaliter eo, quod aduerterit ad præcedentia, & ad summam notabilem inde conflatam, quam idcircò indirectè simul quoque voluit, tenetur excommunicatione lata contra fures, quia illa vltima acceptio propter connexionem cum alijs, est grauis ac mortalis in ratione furti, & tota prodijt in actum externum eiusque obiectum non est modica res præcisè in se considerata & vltimo accepta, sed connexa cum alijs, cum quibus coniungitur propter aduertentiam, & voluntatem saltem indirectam furantis, & quibuscum conflat grauiorem vnam summam, quam solùm tunc, qui furatur, directè vel indirectè attingit; quarè nihil est in eo casu, quod istum furem excuset à grauiori censura irrogata furto; manetque semper vera Regula tradita, nempe excommunicationem cadere in furtum mortale ratione rei acceptæ; nam res accepta hîc grauis est ex sua natura & obiecto, atque adeò capax est ad fundandam malitiam mortalem; est enim tota summa accepta, & non tantùm exigua illa portio, quam vltimo loco fur subtraxit. Quarè damnum notabile domini non est tantùm circumstantia quædam consequens acceptionem furtiuam rei modicæ, vt contingit in subripienda acu & calamo, cuius defectu sartor aut Notarius non lucrabuntur, quod lucrati fuissent; sed est aliquid pertinens ad obiectum actionis, quæ reuerà ponit illud damnum notabile per se & directè: Quia tamen plurima excusant à grauiori culpa vltimam acceptionem, quæ cum alijs connexa conflaret summam notabilem, nimirùm non aduertentia ad furta præcedentia, aut ad grandiorem summam inde exurgentem, animus virtualis satisfaciendi, & omnia quæ reddunt retentionem summæ iam subtractæ inculpabilem, longior intercapedo temporis inter eas interiecta, & si quæ alia impediunt moralem connexionem harum rerum sublatarum, vt fusius exposui superius; Hæc omnia reddent immunem eiusmodi furem ab excommunicatione propter crimen furti intentata. Atque sicut rarò contingit, vt famuli propter causas allatas peccent in illis furtis mortaliter, rarò quoque in excommunicationem propter modica furta, quamuis crebrius repetita incident, quæ omnia ex disputatis in explicatione Regulæ manifesta fiunt.

7. Quia qui à pluribus dominis per modica 25
furta summam tandem notabilem respectu omnium, quamuis respectu singulorum sit exigua exigit, absque animo ditescendi aut capiendi maiorem aliquam summam, sed fortuitò dumtaxat non peccat mortaliter, vt cum Nau. & Toleto diximus, non incurret itaque excommunicationem pro furto impositam. Quod corollarium ex Doctrina hactenùs stabilità manifestum est, cùm hæc censura necessariò supponat peccatum mortale, quod in furto isto non fuit admissum, vti ostendimus.

8.

24 8. Qui animo ditescendi aut capiendæ summæ notabilis minuta suffuratur à diuersis peccat mortaliter, vti diximus, non tamen excommunicationem, de qua agimus, incurret, quia non constituimus grauitatem huius furti in summa notabili, aut damno illato per eiusmodi modica furta, ex quibus conflatur per coniunctionem materiarum, eiusmodi summa, vt vulgò DD. existimant; eam enim rationem reiecimus sed idcircò dicebabamus peccare mortaliter, quia istæ actiones erant media mortiferæ intentionis ditescendi per fraudes ab eaque inficiebantur, vnde etiam fit vt singulæ eiusmodi modicæ subreptiones sint mortales, & non tantum ea quà fingitur compleri summa notabilis; quarè etiamsi hæc furta sint mortalia in ratione furti, non tamen id habent ab obiecto in quod proximè tendunt, sed à fine extrinseco illi actui, qui tamen finis, quia est etiam malus in ratione furti, non communicat his actionibus malitiam diuersæ speciei, sed illam intra eandem speciem furti ita auget, vt mortalis euadat, quamuis ex fine proximo atque intrinseco, siue ex immediato obiecto non esset nisi venialis, atqui regula posita à nobis postulat ad incurrendam excommunicationem pro furto, commissum fuisse furtum mortale ex obiecto, in quod per se & directè ac proximè tendit, & non tantùm ex aliqua circumstantia, qualis hic est finis extrinsecus, in quem tanquàm medium dirigitur ab operante. Denique Corollario tertio diximus cum Rebell. & Vasq. illum animum ditescendi & capiendi summam notabilem non puniri ab Ecclesia censuris, nisi prodeat exterius per actum, qui reuerà per se attingat summam notabilem, quod in nostro casu non fieri ostendimus. ergo non erit locus Excommunicationi.

25 Quando plures communi consilio ab eodem summam ingentem subripiunt, & notabile damnum inferunt, etiamsi singuli non nisi modicum quid accipiant vt in deuastatione vineæ dicebamus, quia tamen singuli sunt causa totalis damni, peccant mortaliter & incurrunt excommunicationem pro furto, vti in 6. Corollario de eo qui intulit vni & eidem graue damnum repetitis exiguis furtis, dicebamus, reuerà enim in vtroque casu obiectum furti mortalis, est graue ex sua natura, & capax fundandæ malitiæ mortalis, & reipsa ponitur per eiusmodi acceptionem furtiuam.

Quandò verò plures isti vineam deprædantes siue simul, siue successiuè concomitanter se habēt, & fortuito, siue per accidens coniunguntur ad totale illud damnum inferendum, siue vnus conscius sit criminis alterius, siue ignarus, non peccant mortaliter, vti fuit ostensum cum Sanch. & Lessio. Et quod inde necessariò efficitur, non percelluntur censura, qua fures puniuntur.

26 Quoties subtrahitur materia grauis, atque ex sua natura & obiecto fundans mortalem malitiam si tamen ex aliqua circumstantia minuatur malitia ex obiecto alioquin deriuanda, ita vt fiat tantùm venialis, non incurritur Excommunicatio contra furtum. quia Regula nostra postulabat grauitatem quidem in obiecto per furtum subtracto in sese considerato seclusis circumstantiis extrinsecis, & præterea malitiam vere mortalem in clancularia & furtiua rei alienæ contrectatione; quare si altera ex his conditionibus defuerit, vitatur excommunicatio. In casu autem nostri corollarij adest quidem grauitas rei acceptæ, sed non adest grauitas malitiæ, cùm enim non progerminet necessariò ab obiecto nisi positis quibusdam circumstantiis; potest, poni materia grauis, etsi actus circa illam tendens non sit grauiter malus, quod ex iis quæ documus 1.2. in scientia canonica, de moralitate radicali siue obiectiua, & moralitate formali satis liquet; Ita enim moralitas fundamentalis & obiectiua est fons moralitatis formalis, vt deriuetur in actum, prout diuersimodè ab ipso attingitur, vnde si imperfecta sit cognitio aut libertas, actus inde consequens leui tantùm malitia formali aspergetur, quamuis malitia fundamentalis illius obiecti sit omninò grauis, & denique id totum constat ex vniuersalibus Regulis traditis eo loco de variis modis, quibus mortale transit in veniale, atque è contrario veniale euadit aliquando mortale. Atque in re de qua disputamus, facilè fuerit peculiarem causam assignare propter quam etiamsi obiectum & res subtracta sufficiens sit ad fundandam malitiam mortalem iniustitiæ, furtum tamen eius sit duntaxat veniale: ad furtum enim duo concurrere necesse est, nimirùm rem, quæ subripitur, alienam esse, & prætereà contrectari inuito rationabiliter domino, ita vt si alterum ex istis desit, iam illius tractatio furtum non sit, ex qua ratione illa duo minuuntur, malitia quoque furti minuitur, aut crescit illis crescentibus; si enim ius, quod habet dominus in rem sublatam aut pereat, aut decrescat iniuria illi facta decrescit; si etiam vel non sit inuitus rem suam subripi, vel non sit rationabiliter inuitus vt in extrema necessitate pauperis, cui teneretur succurrere, furtum & iniuria non committitur in ea acceptione rei quamuis grauioris; si verò plurimum crescat molestia ex subtractione rei, erga quam plurimum afficiebatur, crescit etiam iniuria eò vsque vt aliquando sit mortalis, etiamsi res accepta leuis omninò sit, vt in expositione Regulæ dicebamus, cum communi sententia. Poterit igitur dari casus, in quo quis etiamsi furetur summam sufficientem ad mortale, non peccet tamen mortaliter, eo quod vel dominus non sit rationabiliter inuitus, vel non multum inuitus, quia v. gr. inuitus est circa modum occultè accipiendi, & non circa rem ipsam acceptam, atque ita probatum manet Corollarium nostrum, quod ex subsequentibus magis confirmabitur.

Hinc enim sequitur vlterius, vt quia, quoties aliquis subripit à domino inuito tantum propter modum accipiendi non petita venia, aut quoad finem propter quem accipitur, v. gr. propter ludum, non peccet nisi fortassis venialiter. Ita Nau. cap. 17. n. 138. allegans Adrian. in 4. de Restitut. & Caietan. V. furtum notab. 2. quibus cæteri passim suffragantur, Rosella, Sylu. Anton. Tabiena. Angel. Sayr. Sanch. Less. Rebell. & alij quos adducit & sequitur Sanch. lib. 7. in decalog. cap. 19. num. 13. Bonac. disp. 1. de Restitut. q. vlt. p. 2. n. 8. & disp. 2. q. 3. p. t. n. 1. quod tamen dixi cum Rebello 1. pa. li. 3. q. 15. n. 14. dominum non censeri inuitum circa substantiam, quando est inuitus circa finem, negat Sanch. & Less. eo quod hæc voluntas in substantiam rei acceptæ tandem reducatur, vt amplius explicat idem Sanch. n. 3. sed quidquid statuatur ea de re, cùm certum sit non esse furtum mortale, quando dominus est solùm inuitus quoad modum, certum etiam erit per eiusmodi furta non incurri excommunicationem sufficitque probabilis cognitio voluntatis domini, neque omninò arcta requiritur, vt ex communi sententia tradit Sanch. contra Molin. tract. 2. disp. 276. dubia tamen voluntas domini non sufficeret, quia in dubio non

licet

licet operari, & præsumitur dominum inuitum esse. l. qui vas. ff. de furtis.

Hinc autem passim excusantur vxores, liberi famuli & amici, qui aliqua subripiunt à marito, parentibus & dominis; atque etiam Religiosi accipientes eo modo munera, aut res domesticas, qua de re consule Sanch. fusissimè toto eo cap. 19. quia verò quando notabilis valdè quantitas est, solent sæpiùs homines inuiti esse etiam, quoad substantiam, maximè quando ea subripiuntur in vsum domino prorsùs molestum, & ad quem nullo modo esset quidpiam concessurus, vix fieri potest, vt ex eo tantùm capite, quod non sit multùm inuitus dominus, eiusmodi grauiora furta excusentur à mortali, ac proinde ab Excommunicatione propter furtum, quarè singulæ circumstantiæ expendēdæ erunt à prudenti Confessario, vt de omnibus arbitretur maiorque quantitas exigitur, quo personæ coniunctiores fuerint, & quo finis magis honestus erit, minusque displicebit domino, vt dicatur inuitus circa substantiam rei acceptæ, & non solùm circa modum.

Hactenus egimus de Censuris, quæ feruntur pro furto, non autem de illis, quæ pro debitis soluendis, rebus restituendis, & damnis reparandis, quæ etiam dici possent ferri pro furto præterito, sed emendando, seu non continuando, censetur enim continuò committi, quamdiu res aliena iniustè & culpabiliter retinetur, aut damnum illatum non reparatur, cùm prior illa excommunicatio esset pro furto futuro impediendo. Quarè de posteriori spectante restitutionem agendum modò restat. Sit itaque.

REGVLA TERTIA.

27 Qui iniustè detinendo res alienas peccant mortaliter, obnoxij sunt Censuris, quæ pro rebus restituendis, soluendis debitis, & damnis reparandis infliguntur, qui verò in ea detētione excusantur à peccato, siue obligatio oritur ex præcepto naturali, siue ex præcepto Ecclesiastico, immunes quoque redduntur ab eiusmodi censuris.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLÆ.

28 Ad huius Regulæ perspicuam intelligentiam repetendum imprimis est ex q. 3. obligationem restituendi alienum, quod detinemus, oriri vel ex naturali præcepto Iustitiæ, qua tenemur resarcire æqualitatem violatam, vel ex præcepto Ecclesiastico, quod non tantùm obligationem naturalem supponit & declarat, atque etiam interpositis censuris vrget, sed nouam omnino aliquando imponit, quod etiam in his temporalibus, vbi alia Iuris subsidia nos deficiunt, fieri posse ab Ecclesiastica potestate propter finem aliquem spiritualem docuimus illa q. 3. in expositione primæ propositionis, quamuis rarò omnino id contingat.

26 Obseruandum 2. illas ipsas causas, quæ legitimè excusant ab obligatione naturali præcepti restituendi, soluendi debita & damna facta reparandi, excusare quoque ab obligatione seruandi præceptum Ecclesiastici superioris ijsdem de rebus latum, quia vel illud præceptum supponit obligationem naturalem, quam tantùm declarat, vel nouam imponit. Si primū sublatâ obligatione naturali cessat quoq; efficacitas præcepti superioris illā veluti promulgantis, aut eius impletionē promouentis; si verò eiusmodi præceptū nullam legem naturalem præsupponat, non imponit tamen maiorem obligationem illâ quæ ex lege naturali iustitiæ oritetur; Quarè quæ causæ idoneæ & sufficientes erunt ad eximendum detinentem rem alienam onere restituendi ex lege naturali proueniente eximent eodē onere ex nudo superioris præcepto consequente.

Quia verò fieri fortassis poterit, vt qui absque culpa mortali furti rem alienā accepit, eā tamen nō retineat absq; mortali iniustitia, atque ita quamuis vitauerit Excōmunicationem aliamue censurā cōtra fures lata, vt vidimus in superiori Regula, incidat tamen in censurā pro rebus restituēdis inflictā.

Videndum 3. est, an illi omnes, quos in contrectanda re aliena dicebamus peccasse mortaliter, nō ratione rei acceptæ præcisè, sed aliarum circumstantiarum, teneantur sub graui culpa ad restitutionem, vt diffinire liceat an omissa restitutione per monitorium imperata incurrant censuram ipsi annexam; Quarè principia nonnulla ex 2. 2. & tract. de Restitutione paucis replicanda erunt; alia deinde in sequentibus corollarijs indicabimus, ne difficilem materiam alibi fusissimè tractatam, alieno loco imprudenter ingerere videamur. Cùm igitur duæ constituantur vulgò causæ obligantes ad restitutionem, res nimirum accepta, & iniusta acceptio, quo nomine quamcunque iniustam læsionem, & damnificationem proximi significant DD. de priori causa non agimus modò, certum enim est, omnem, qui rem alienam retinet inuito domino, siue mala, siue bona fide illam possideat, teneri eam reddere domino, vbi compererit esse alienā, nisi aliquid per accidens liberet eā obligatione. An verò sint etiam restituendi fructus ex re aliena interea collecti, suo loco disputatum fuit. 30

De iniusta igitur læsione obligante ad restitutionem, damnique reparationem constans assertio est fusiùs suo loco stabilita, eum qui est causa efficax & proxima damni alterius, vel directè, positiuè in illud influendo & concurrendo, vel indirectè non agendo, aut non ponendo, quod ex officio ponere & agere debebat, teneri ex iustitia ad restitutionem vel in solidum, si totius damni causa fuit, vel partis, si solius partis damni causa fuit; si tamen damnum tantùm intulit, quia alium impediuit à consequutione rei sibi ex iustitia non debitæ, neque in ijs ponendis impedimentis vi aut fraude vsus fuit, non obligabitur ad reparationem lucri, cuius cessationem causauit quæ vniuersalis & certa doctrina perpetuò attendenda erit in hac quæstione, quâ quærimus quisnam incurrat censurā pro rebus alienis restituendis & dānis reparandis latā, quādoquidē omnis ille, qui tenetur ad eiusmodi restitutionem & reparationē, si eam omittat, percellitur illa censura, vti tradit Regula vniuersalissima posita.

Manet tamē adhuc non exigua difficultas circa damna & res ablatas per modica furta, aut alias iniustitias, sed leuiores, & quæ culpam mortalem nō attingunt, si enim culpa venialis iniustitiæ non obligat sub mortali ad restitutionem, isti qui aliena subripuerunt, aut graue fortassis damnum intulerunt actione tantùm venialiter culpabili, etiamsi omittant restitutiones & reparationes præceptas vi monitorij, non ferientur censura annexa, quæ omninò culpam mortalem prærequirit 31

Et

Et quidem culpam venialem iniuſtitiæ obligare ad reſtitutionem, docent Reginald. lib 10. n. 47. Rebell. 1. pa. de obligat. lib. 2. q. 10. n. 17. Bonac. diſp. 1. de Reſtitut. q. 1. pu. 3. §. vnico. n. 8. quia ea culpa quamuis venialis eſt iniuſtitia, & ponit aliquam inæqualitatem, neque proinde expiari poterit, niſi reponendo æqualitatem violatam, quod non fit, niſi per reſtitutionem, ad quam idcircò faciendam obligabit iſta culpa ſaltem ſub culpa ſimili & veniali. Sed durum omninò videtur aliquem obligari tantùm ſub veniali ad reſtituendam ſummam decem mille aureorum, aut damnum illius valoris reparandum, nam in damno eiuſmodi inferendo potuit ex indeliberatione, atque alijs cauſis contingere tantum culpa venialis. Quarè culpam venialem negant obligare ad reſtitutionem Leſſ. cap. 7. lib. 2. n. 27. Sylu. ℣. culpa, vbi allegat Innoc. & Antonium de Butrio. Sot. lib. 4. de Iuſtitia q. 7. a. 1. ante ſolutionem primi argumenti. Petr. à Nau. lib. 2. cap. 1. n. 48. Henriq. lib. 14. cap. 16. n. 6. ſub finem litt. 9. vbi plures alios allegat, & agit de ea obligatione, quando intercesſit contractus commodati. Idem quoque ſentit. Sà. ℣. Reſtitutio. Sanch. lib. 2. in decal. cap. 23. n. 160. Azor. 3. p. lib. 9. cap. 8. Filluci tract. 30. cap. 2. q. 6. Turrian. diſp. 11. de Iuſtitia. dub. 2. n. 9. qui omnes volunt ſecluſa obligatione, quæ naſcitur ratione contractus vel officij, nullam aliam prouenire ex culpa veniali; etiamſi igitur damnum illatum graue ſit, ſi tamen in eo inferendo nulla commiſſa ſit culpa, nulla eſt obligatio reparandi, vt tradunt ijdem DD. maximè Rebell. lib. 2. cit q. 4. culpam verò venialem non obligare probant, quia in ea culpa non reperitur, niſi quædam imperfecta iniuria, obligatio autem reparationis, & iuris violati commenſurari debet iniuriæ; quarè qui ita ſubitò correptus alium interemit, ita vt non fuerit niſi motus ſecundo primus, non tenebitur ad reſtitutionem ex Petr. Nau. & Leſſ. quod verius etiam erit, quando propter ignorantiam comitantem nulla fuit culpa, vt quia exiſtimans eſſe feram occidit hominem, & primæ ſententiæ DD. fatentur eum, qui peccauit venialiter in inferendo damno non obligari ad integram reparationem damni dati, quia cùm ea reſtitutio ſit pœna Iure naturali culpæ correſpondens, debet eſſe proportionata culpæ, culpa autem venialis minori pœna quàm læthalis digna eſt, atque adeò minori reſtitutione punienda fuit, & graue omninò eſſet; eum, qui per inaduertentiam leuiter culpabilem damnum mille aureorum intuliſſet, compellere ad mille aureos reponendos; quarè Rebell. quem ſequitur Bonac. iuxta grauitatem culpæ Theologicæ, arbitratur quantitatem faciendæ reſtitutionis, nam aliquando tam leuis culpa eſſe poterit, vt ne centeſima quidem pars damni reſtituenda ſit, aliàs tam grauis eſſe poterit etiam intra latitudinem venialis, vt ad decimam partem damni obliget, maximè ſi damnum non ſit ingens, quod ſi dubitetur venialis, an lethalis culpa fuerit ad dimidium damni obligabit, niſi quando æqualia rationum momenta in vtramque partem inclinant, in meliorem partem interpreteris, & ſanè in eo dubio caſu melior fuerit cõditio poſſidentis; addunt deniq; hi DD. obligationem quàm venialis damnificatio affert ad reſtituendam notabilem damni partem eſſe mortalem, quia præceptum reſtituendi ex ſua natura obligat ad mortale, & in eo caſu eſt materia notabilis capax fundandi totam eam malitiã. Quod Petrus Nau. & alij laudati ſuperiùs negant, dicunt enim, quando damnum eſt grauem negligentiã, aut culpã, quæ eius cauſa fuit, aut mortalẽ eſſe, aut nullam propter non aduertentiam. Et ſanè non placet quod ait Rebell. reſtitutionem eſſe pœnam Iure naturæ iniuſtitiæ annexã, alioquin, quando nulla fuit culpa, nulla eſſet neceſſaria reſtitutio, neque vnquã obligaret ratione ſolius rei acceptæ; præterea reſtitutio eſt actus Iuſtitiæ, non pœna iniuſtitiæ, cùm ſit reparatio æqualitatis, ad quam ex ſua natura Iuſtitia obligat. Sed neque probare poſſum quod alij affirmabant, non poſſe dari leuem negligentiam & culpam circa damnum graue, quamuis enim illud ſoleat ſui magnitudine animum aduertere, ſi præuideatur, fieri tamen poteſt, vt indeliberatè cauſetur, & minùs aduertatur.

V idesſidentes ſententias cõponam hac in parte. 32

Obſeruo menſuram & obligationem Reſtitutionis deſumendam eſſe, tùm ex damno notabili, tum ex iniuſtitia & malitia actionis damnificatiuæ: immò quoties grauis eſt damnificatio, malitia illius non poteſt eſſe venialis niſi ratione indeliberationis & inaduertentiæ, ſi ea actio ſit cauſa totalis, ſiue quæ in totum damnum influxerit; nihil enim tunc poſita plena aduertentia aſſignari poteſt, ex quo talis actionis damnificatiuæ malitia ex ſuo genere & obiecto, atque notabili materia, in quam tendit mortalis, fiat venialis, cùm omnis alia circumſtantia non minuat malitiam natiuam, & ex obiecto deriuatam, eſtque ea vniuerſalis Regula 1. 2. ſtabilita, peccatum ex ſuo genere & natura mortale, nunquàm fieri veniale niſi ex iſtis duabus cauſis, nimirùm leuitate materiæ, aut defectu plenæ aduertentiæ & deliberationis; in actione verò, de quâ agimus, eſt grauis materia, nimirùm grande damnum; Ergo non poteſt eſſe venialis, niſi propter defectum aduertentiæ ad plenam libertatem requiſitæ, quamquàm vt monet Leſſius in materia graui & damno notabili vix præſumatur in foro externo eiuſmodi inaduertentia, ex quâ culpa fiat venialis, quia indeliberatio circa actiones externas rarius difficiliuſque contingit, quàm circa motus internos.

Hinc verò fit, vt grauis damnificatio ex ſola indeliberatione venialis, ſi illi accedat aduertentia & plena libertas ſiue conſenſus, fiat mortalis; ſicut enim nihil impedit peccatum ex ſuo genere mortale fieri veniale ratione materiæ, aut inaduertentiæ, vt patet in furto vnius oboli, aut aurei, quem quadrantem, eſſe exiſtimabat, qui furatur, qui non voluit niſi furari quadrantem, non accepturus omninò aureum nummum, ſi talem eſſe ſciuiſſet, ita nihil impedit culpam ex ſuo genere venialem, ex grauitate materiæ, aut damni conſequentis, vbi plena aduertentia acceſſerit, fieri mortalem, vt videmus in mendacio, cuius malitia creſcit ex nocumento, quod infert, diximuſque in vniuerſum 1. 2. cum Vaſq. ibid. diſp. 45. & Sal tract. 13. diſp. 16. ſect. 24. eundem actum tum internum, tum externum in genere naturæ & moris ſpectatum poſſe ſucceſſiuè eſſe venialem, & mortalem

quod

quod de externo nemo negarit, cùm enim propter diuerſos fines imperari poſſit, diuerſam malitiam à fine operantis hauriet, etiamſi idem & immutatus perſtet in genere naturæ, de actu verò interno voluntatis negant quidem Azor tom. 1. lib. 4. cap. 9. quæſt. 9. & Conrad. 1. 2. in quæſt. 88. a. 9. ſed malè, cùm enim idem actus ex bono poſſit fieri malus, aut ex malo bonus, facilius ex veniali fiet mortalis, quia in primo caſu tranſit ab vna ſpecie moris in aliam, in ſecundo verò creſcit tantùm intra eandem ſpeciem, fitque mutatio ſolùm ſecundum magis & minus, & ſanè nihil prohibet voluntatem pergere in eodem actu interno, & propter idem motiuum etiamſi poſita noua notitia, quoc apprehendat illum actum eſſe prohibitum, quem ſibi antea permiſſum exiſtimabat, atque ita nihil obſtabit, quin poſt perfectam conſiderationem, & plenam atque perfectam libertatem pergat eundem numero actum ex eodem motiuo elicere, qui proinde erit mortalis, cùm priùs ob imperfectam voluntatem non niſi venialis eſſet, vbi autem manet idem obiectum & idem motiuum, circa quæ continuatur eadem volitio, manet quoque idem numero actus, tum in genere naturæ, tum in genere moris, etiamſi varietur cognitio, quæ eſt veluti cauſa applicans voluntatem, mutenturque aliæ circumſtantiæ extrinſecæ, ſolum pertinentes ad ipſum operans, quia primaria moralitas ſumitur ex obiecto, atque fine intrinſeco, quæ manent, vt diximus, atque adeò ipſum finem extrinſecum, quem confundimus modò cum motiuo, quo mouetur operans, inuariatum eſſe ſupponimus. Manebit igitur eadem primaria & interna moralitas & ex mutatione apprehenſionis, atque perfectione libertatis creſcet duntaxat intra eandem ſpeciem.

33 Ex quibus vlteriùs in rem noſtram colligo grauem damnificationem, etiamſi fuerit venialis initio propter indeliberationem, ex qua ſolâ diximus accipere hanc leuitatem, vbi deinde continuabitur, & quantum ſit damnum, quod importatur, aduertetur fieri mortalem, cùm ad eam malitiæ grauitatem nihil amplius deſideretur; impoſſibile autem eſt continuari grauem damnificationem, & non aduertere animum ad eius grauitatem, cùm idcircò, cùm primùm cõmiſſa eſt, fuerit indeliberata, quia ex ſubito quodam motu & animi concitatione, aut perturbatione non fuerat ſatis otij ad diſpicienda illius actionis momenta, aut caligine quadam obducta fuerat mens, & æſtu reciprocantis appetitus in tráſuerſum acta, verùm illi concitationes animi motus diuturni non ſunt; Quarè vbi reſederint, poſueritque appetitus procella, mẽs ſit ſui compos, atque diſiectis tenebris, & nubilo diſſipato gaudet ſereno cælo, videtque quàm ſit graue damnum, quod inferre pergit; quarè niſi abſtineat, peccat mortaliter; non poteſt autem abſtinere, ſiue ceſſare ab eius poſitione, niſi illud reparet, non reparatio enim eiuſmodi damni eſt eius continuatio, obligatur igitur illud reparare, quod ni faciat, mortaliter peccat Non quod culpa venialis iniuſtitiæ obliget ſub mortali ad reſtitutionem & damnorum reparationem, ſed quia damnificatio, quæ fuerat tantum venialis, fit dum continuatur, mortalis iniuria & iniuſtitia, à qua proinde ni caueat peccat mortaliter, continuat autem prius ſuſceptam damnificationem niſi illam reparet; ergò peccat mortaliter, non reponendo æqualitatem violatam, & damnum irrogatum.

Aliquis v. g. præcipiti lingua, & animi leuitate de Sodali detraxit, & propter eam inconſiderantiam leuiter duntaxat peccauit, aduertit deinde ſe illius famæ & nomini turpem notam inuſſiſſe, illum iam apud alios malè audire, niſi dedoceat homines pergit iniuſtitiam facere, & famam illius ſui ſodalis violare, quare tenetur omninò ad Iniuriæ reparationem, non propter primam illam iniuriam, quæ leuis & imperfecta fuit, ſed propter illius continuationem, quæ durat, quandiu ille non reparat, quod totum ipſe videt, atque ita hæc iniuria amplius excuſari non poteſt ex indeliberatione & incogitantia, Ita qui ſuffurari voluit alteri leuem aliquam ſummam, accepit tamen plures piſtolas, quas exiſtimabat non eſſe niſi quadrantes, non peccauit niſi venialiter; vbi tamen ſe aduertit accepiſſe grandiorem ſummam, tenetur ſub mortali illam reſtituere, non præcisè ratione venialis acceptionis, ſed quia retentio, ſiue illa continuata acceptio, quæ propter ignorantiam ſummæ acceptæ erat tantùm venialis, accedente cognitione eiuſdem ſummæ notabilis acceptæ, fit mortalis. Niſi igitur à continuata illa acceptione caueat, peccat mortaliter; non verò poteſt non continuare illam acceptionem, niſi reſtituat ſummam acceptam. Quare ad illam reſtitutionem tandem obligabitur ſub mortali; neque qui ex iniuſtitia veniali dicunt oriri obligationem ſub mortali ad reſtitutionem, aut damnorum reparationem, volunt opinor, aliud quam, licet prima iniuria fuerit venialis ex aliquo capite, dari nihilominùs poſſe obligationem deinde ſub mortali ad eius reparationem, modo nimirum explicato. Quod verò addebant de obligatione reſtitutionis commenſuratæ iniuriæ veniali primò irrogatæ, ſignificat tantùm eam obligationem eſſe admetiendam influxui, quem cauſa præſtitit ad graue damnum inferendum, dum enim deinde continuatur, & propter aduertentiam fit mortalis, non eſt obligatio, niſi non continuandi damnum primò illatum quod fit reparatione: Quarè omninò videndum eſt, quantùm damni, & quo modo hæc cauſa intulerit, ne ſuprà quàm commerita fuerit, oneretur. Qui verò DD. negabant venialem iniuriam eſſe obnoxiam reſtitutioni, ſpectabant tantùm præcisè primam illam Iuris alieni violationem, quæ ſi vel inculpabilis omninò ſit, vel non niſi leuiter culpabilis, reuerà non obligabit ad reſtitutionem, quia vel nulla fuit iniuria, vel admodùm leuis, eſſetque iniquiſſimum, ſi ita grauiſſimum onus reſtituendi imponeret: nos verò conſideramus eiuſdem iniuriæ continuationem, quæ iam omni ex parte grauis eſt, & quam ipſi non diffitentur obnoxiam eſſe reſtitutioni. Quod ſi nulla culpa fuit in inferendo damno, quod ex aliqua mea actione tantùm contigit, ego non teneor vlla ratione ad reparationem damni.

Obſeruandum denique eſt aliqua eſſe damna, 34
quæ pendent quodammodò in ſui continuatione & veluti ſui conſeruatione ab inferente, verbi gratia retentio pecuniæ acceptæ, non reſtitutio famæ, quia habent cauſam, quæ adhuc pendet ab eo, qui poſuit, & per eam damnum intulit: alia verò damna, vbi poſita ſemel ſunt, perſeuerant abſque influxu phyſico inferentis, vt damnum incendij, homicidij iam commiſſi, quia ipſorum cauſa non ampliùs pendet ab eo, qui primò ſiue culpabiliter, ſiue inculpabiliter illa poſuerat. Quarè qui habet alienum, etiamſi inculpabiliter acceperit, vbi deinde ſe illud habere

nouit,facit iniuriam domino,si istud non restituat; nam qui videt se posuisse causam damni, nisi habeat Ius aliquod eam ponendi, obligatur eam tollere, si potest atque nisi id faciat, peccat. Quædam verò, vt dixi, damna sunt eiusmodi, vt non habeant causam continuò influentem, quarè si causa semel posita sit inculpabiliter, cùm amplius illa neque perseueret neque ampliùs influat, non obligamur deinde damnũ illud reparare; quia neque fecimus iniuriam ponendo causam illius damni, aut damnum illud irrogando, neque etiam in continuatione eius damni iniustitiam committimus, quia reuerà in illam continuationem non influimus, neque damnum conferimus, neque causam in illud influentem conseruamus. v. gr. aliquis inculpabiliter omninò & casu quodam incendit alienas ædes; etiamsi damnum consequens illud incendium remaneat domino, non tamen pendet ab illo, qui causam incendij dedit, cùm neq; ipse amplius illam causam ponat, neque alia ratione in illud influat: Quare cùm neque dum incensæ sunt ædes, neque post incendium, iniustitiam commiserit; aut alterius ius violarit, non est vnde obligetur ad illius reparationem. Idem dico de illo, qui absque noxa occidit hominem, aut qui crumenam alterius sibi elabi è manibus in flumium inculpabiliter passus est, at verò, qui alienum retinet, quamuis primò inculpabiliter, aut saltem cum leui culpa acceptum, iniuriam facit, quia damnum, quod continuatur, ab illo pendet, atque ex iniusta eius actione, nempè ex retentione, quæ æquiualet acceptioni; quod idem contingit in infamatione proximi propter leuitatem animi, & præcipitis linguæ lapsum non nisi veniali, est enim famæ veluti iniusta detentio, & continuata quædam inhonoratio; Quarè causam in illam influentem tollere debeo, nimirùm verbum quod imprudenter effutij, & quod mortaliter existimor tueri, aut iniuriam illatam fouere.

Hinc Molina reddit rationem tract. 3. disp. 33. n. 9. cur furis receptatores puniantur eàdem pœna cum ipso fure, quod tract. 2. disp. 695. probauerat, & tamen receptator homicidæ post peractum homicidium non puniatur pœna ordinaria homicidij, sed alia arbitraria pro culpæ quantitate ex communi sententia, quam tradit Couarr. in Clem. si furiosus 2. p. §. n. 2. quia auxilia præstita homicidæ nihil influunt in homicidium iam commissum, neque sunt vllo modo illius causæ, & solùm inseruiunt ad euadendam pœnam; at verò auxilium & defensio præstita furi continuat ipsum furtum per asseruationem rerum furtiuarum, aut ipsius furis, qui adhuc sublata retinet, nam si tantùm ad euadendam pœnam iuuaretur, & iam sublata restituisset, non esset furis receptator pœna furis ordinaria plectendus.

35 Ex his omnibus facilè fuerit definire, quandonam contingat obligatio restitutionis circa illa minuta furta, de quibus in proxima regula superiori agebamus, nam 1. qui furando rem leuem intulit graue damnum alteri, vt in acceptione acus, aut calami, cùm peccet mortaliter peccato iniustitiæ damnificationis, tenetur ad reparationem tum eius damni, quod per grauem iniustitiam & iniuriam intulit, tum lucri cessantis & rei sublatæ. Ita Nau. allegans Syluest. cap. 17. n. 3. Rebell. 1. p. lib. 3. q. 15. n. 7. & cæteri. Si tamen credebas bona fide eum sutorem plures alios acus habere, & Notarium alios calamos, cùm non peccaueris mortaliter in ea damnificatione, non teneberis ad reparationem damni, vt idem Rebell. dixit lib. 2. q. 10. s. 4. tenebitur tamen ex iam obseruatis impedire eius damni continuationem tollendo ipsius causam, & restituendo acum, aut calamum acceptum, alioquin ista retentio & continuata acceptio est mortalis ratione damni, quod causat, & quod omninò fuerit deinde reparandum.

2. qui peccauit mortaliter recipiendo rem leuem, eò quod ingentem perturbationem & molestiam creârit domino, qui eius iacturam ægerrimè tulit, non obligatur sub mortali ad restitutionem, nisi quatenùs ea restitutiò causat eandem molestiam, & est mortalis quarè illam leuissimam rem tenetur sub mortali non retinere, sicut tenebatur non accipere, si eiusmodi molestiam præuidisset: quia tamen neq; in prima acceptione, neque in retentione committitur peccatum mortale iniustitiæ. Sed solùm contra charitatem,aut contra illam virtutem,quam dominus rei subtractæ ex molestia iacturæ ipsius, violat, obligatio ad restitutionem hoc loco non est ex iustitia, sed ex ea virtute, quæ alioquin læditur, estque ea generalis obligatio cauendi peccatum mortale in quacunq; materia. Quod idem dicendum est,quoties furtum rei minimæ,eò quod violet aliam quampiã virtutẽ,fit mortale,vt in furto sacrilego olei consecrati dicebat Rebell. tunc enim est obligatio sub mortali ad restituendum nõ vi Iustitiæ, quæ in ea non restitutione mortaliter violanda sit, sicut neque in prima acceptione violata fuit,sed quia retentio erit quoq; sacrilega, atque propter religionem læsam, mortalis cauenda, igitur est ea culpa Irreligionis, quæ perdurabit, quamdiu res sacra subrepta retinebitur. 36

3. Qui animo ditescẽdi accipit summam leuẽ, peccauit quidem mortaliter,si tamen illum animũ ditescendi deponeret, retentio illius summæ modicæ non esset amplius mortalis,sed solùm venialis propter leuitatem materiæ, nõ enim habet amplius ordinẽ medij,& exequutionem ad intentionẽ mortiferã ditescendi per fraudes, à qua intentione suã malitiam hauriebat, & tunc non esset obligatio sub mortali ad restituendam eiusmodi rem, quia ipsa retentio,vt dixi, est venialis, quia tamen passim eodem animo retinetur res furtina, quo primùm fuit accepta, ea retentio est vulgò eiusdem intentionis mortiferæ exequutio, ac proinde mortalis est, & quod necessario sequitur sub mortali reddenda est. 37

4. Quando non fuit accepta res leuis animo ditescendi,cum neq; saltem per coniunctionem cum alijs faciat summam notabilem respectu alicuius; non fuit mortalis culpa,vt dicebamus cum Toleto & Nauar.de eo,qui à pluribus minuta accipit,videtur igitur eius retentio non esse mortalis. sicut neque fuit acceptio, cùm neque ex intentione operantis, neque ex materia & obiecto, ad quod tendit, sumat grauitatem. Quarè quamuis laudati DD. nihil affirment de obligatione ad restitutionem, neganda tamen videtur ex dictis, cùm non appareat, cur retentio sit mortalis in hoc casu, si praua acceptio non fuit, suppono enim per eam acceptionem completam fuisse summam,quæ si ab vno accepta fuisset,notabilis esset, cùm tamen respectu diuersorum sit minima, & suppono etiam coniunctionẽ, quam habet hæc 38

postrema

postrema acceptio cum alijs, fuisse cognitam, ex quibus duntaxat capitibus posset censeri mortalis ista retentio; quarè si ea causa grauioris malitiæ non valet in hoc casu, quo absque animo ditescendi minores summæ per leuia furta subripiuntur, neque etiam valebunt, quando eædem summæ retinebuntur, cùm tunc non faciant maiorem summam, neque magis inter se connectantur, aut ipsarum grauitas cognoscatur. Dices durum videri eum, qui perpetuis fraudibus leuioribus quidem ratione materiæ, atque etiam tantùm fortuitis, eo quod nunquam habuerit animum ita ditescendi, aut accipiendi maiores summas, quàm leues illas; quæ tunc occurrebant; diues euasit, & reipsa ingentes copias acquisiuit perpetuis & continuatis iniustitijs, non obligari ad restitutionem vllam. Fateor hoc argumentum reddere sententiam communem probabilem, quæ docet eam acceptionem, quæ cum alijs coniuncta conflat summam sufficientem ex natura sua ad irrogandum notabile damnum alicui, fore mortalem, etiamsi singulæ istæ minutæ summæ à diuersis dominis subtractæ fuerint, ac proinde totam illam retentionem esse mortalem, nascique tandem obligationem sub mortali ad restitutionem eo modo, quo dicemus statim in sequenti casu.

Nihilominus Respondeo, quod proponitur in obiectione, vix moraliter contingere posse, vt aliquis per minuta furta à diuersis ditescat & id sæpius aduertat, neque habeat animum, ita ditescendi, immò cùm aduertit se iam conflasse grandiorem summam eiusmodi iniustitijs, præterquàm quod difficillimum est aliquam acceptionem non fuisse mortalem ratione rei acceptæ, eo ipso tamen quod vult diuitias sic iniustè acquisitas retinere, iam habet animum ditescendi ex alieno habetque pro obiecto suæ prauæ voluntatis grandem illam summam, conflatam rapinis & fraudibus. Quarè tota ea voluntas mortifera est in ratione iniustitiæ, cuius voluntatis medium & exequutio est retentio minutarum rerum acceptarum, ac proinde mortaliter mala, quare etiamsi singulæ acceptiones, eo quòd tenderent in leues materias quæ non coniungebantur ad conflandam vnam summam defectu intentionis ditescendi, & propter diuersitatem dominorum, à quibus subtrahebantur, essent veniales, earum tamen retentio, quia, vt ostendi, est exequutio intentionis iniustæ & mortiferæ, mortalis erit. atque ita obligatio ad restitutionē sub mortali, etiam in hoc casu omninò fatenda est. Vndè tamen non sequitur acceptiones singulas absque animo ditescendi factas, immò neque postremam, quæ videbatur notabilem summam attingere, ob defectum connectionis moralis cum præcedentibus fuisse mortalē; sed reuerà fuit, vt diximus cum allegatis DD. venialis, sed tota retentio mortalis est eo modo quo exposui.

39 5. Quando minimum aliquod furtum propter connexionem cum præcedentibus, ad quæ aduertitur absque animo saltem virtuali pro illis satisfaciendi, fit mortale, vti contingere diximus in postrema acceptione, quæ iam cum alijs summis ab eodem domino acceptis conflat summam notabilem, est obligatio ad restituendum sub mortali, si enim ea postrema acceptio, eò quod compleat summam notabilem sit mortalis, multò magis totius ipsius summæ retentio eandem malitiæ grauitatē habebit; Immò etiamsi nulla ex illis acceptionibus, & ne postrema quidem fuisset mortalis propter non aduertentiam ad præcedentes, totius tamen summæ notabilis retentio mortalis foret; est enim acceptio quædam, & contrectatio rei alienæ notabilis inuito domino; atque hac in parte omnes æquè consentiunt, neque contraria sententia dicenda fuerat probabilis ab Eman. Sa. v. furtum. n. 8. quod prudenter monuit Sanch. lib. 7. in decalogum. cap. 21. n. 3. vbi etiam ostendit Nauar. etiamsi aliquando videatur illi sententiæ adhæsisse, in Enchir. tamen cap. 17. n. 139. sapienter mentem mutasse.

Difficultas tamen est, an teneatur sub mortali totam illam summam per minuta furta acceptam restituere, an verò eam tantùm partem, quæ compleuit summam notabilem, & cuius proinde acceptio fuit mortalis non præcisè ratione rei acceptæ, quæ modica erat, & solitariè sumpta insufficiens ad fundandam malitiam mortalem, sed quia cum alijs coniungebatur; Et quidem ad totius restitutionem hunc furem obligant sub mortali Medina C. de restitut. q. 10. §. occurrit. & Cordu. q. 70. punc. 2. verius tamen est non teneri sub graui ea obligatione nisi ad restituendam eam partem, qua restituta cessabit notabile damnum proximi, etiamsi eiusmodi pars in sese modica sit, quia modica ea parte non accepta, reliquæ summæ acceptio non esset mortalis, eò quod non inferret notabile damnum, ergo neque eiusdem summæ retentio fuerit mortalis, cùm idem damnum inferatur per retentionem; quod fuit illatum per acceptionem, est enim retentio continuata tantum acceptio: neque mirum fuerit aliquem obligari sub mortali ad restituendam modicam partem alicuius summæ notabilis, quando quidem obligabatur sub mortali ad eandem modicam partem summæ notabilis non contrectandam & subripiendam, falsumque est eum qui simul notabilem summam furto subduxit, obligari sub mortali ad totam & integram summam restituendam, ita vt si exiguum aliquid inde sibi retineat, peccet mortaliter, nam si quod residuum erit, non sit notabile, non peccabit mortaliter illud retinendo; sicut neque peccaret idipsum accipiendo, si nihil aliud accederet; vnde illius exiguæ damnificationis in capiendo, aut retinendo alieno malitia cresceret; atque ita sentiunt Pet. à Nau. lib. 3. de Restit. cap. 1. dub. 9. n. 60. Sayr in claui. lib. 9. cap. 19. n. 25. Rebell. lib. 3. 1. part. q. 15. s. 4. n. 39. Bonac disp. 2. de restitut. q. 8. punc. 2. n. 2. Sotus. lib. 5. de Iustitia. q. 5. a. 3. ad 3. Sanch. lib. 7. in decalog. cap. 21. n. 9. Molin. tract. 2. disp. 688. n. 5.

6. Maior est difficultas, an quando plures graue damnum alicui intulerint, quamuis singuli non nisi leuiter læserint, & modicum quid acceperint siue simul siue successiuè absque consilio & conspiratione damnum inferendi, teneantur singuli sub mortali ad restitutionem, vel partis à se subtractæ, vel etiam totius damni saltem alijs non restituentibus, cùm enim eo casu non peccauerint singuli mortaliter; vt contendebamus cum Sanche, non est vnde obligentur ad restitutionem, durum tamen fuerit aliquem per vim & fraudem spoliatum fuisse omnibus 40

fortunis, & nihilominùs nullum manere obligatum ad restituendum. Quare teneri ad hanc restitutionem volunt ij omnes, qui in accipiendo damnarunt hos fures peccati mortalis, atque alij, quos dabit Bonac. punc. 2. cit. n. 6. sub finem. Qui tamen omnes ibi temperant suam sententiam vt vnus aut plures restituerint suam partem, eaque restituta cesset notabile damnum, reliqui non teneantur ad residuum damnum modicum & leue reparandum.

Perstandum nihilominùs est in nostra sententia, dicendumque cum Sanche & Lessio, alijsque ibidem adductis non teneri hos furunculos sub mortali ad reparandum exiguum illud damnum, quod singuli intulerunt, nam ea damna non nisi per accidens coniunguntur ad constandum vnum notabile, cuius proinde nullus istorum est causa per se, neque maius damnum singuli irrogant non restituendo rem leuem, quàm irrogarint eam accipiendo, neque alio modo, aut magis per se in illud damnum influunt. Quare Layman lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 6. num. 1. vniuersim pronuntiat, quod si plures absque conspiratione, & ideò omninò casu concurrant ad damnum inferendum, singuli duntaxat tenebuntur de damno ab illis illato, & non de eo, quod alij eodem tempore & loco intulerunt, quia tunc nullus est causa influens in totum damnum, sed in solam eius partem.

Si igitur illa pars modica sit, non tenebitur ad eius restitutionem sub mortali, vt patet, cùm ex coniunctione fortuita cum alijs non accipiat eam grauitatem, vt sæpiùs dixi, ex se autem non habeat illam propter leuitatem materiæ, atque vt vno verbo dicam, non magis obligabitur ad restitutionem illius rei exiguæ, quam si solus illam abstulisset, neque alij quidpiam subripuissent, aut damni intulissent; quod enim sciam alium simile damnum inferre, atque ex eius actione, & mea futurum damnum notabile, non facit me conspirare cum illo, aut concurrere ad totum illud damnum, cùm non probem, quod alter facit.

Atque ita tandem docuit Rebell. 2. p. lib. 18. q. 4. num. 2. sub fin. retractans aut explicans, quæ in contrarium dixerat 1. p. lib. 3. quæst. 15. num. 42. eaque est omninò mens Syln. ℣. restitutio. 3. quæst. 6. ℣. quartum, ait enim. Quando multi raptores simul vadunt quasi exercitus, quilibet tenetur in solidum, quando vnus sine alio non auderet ire, vel non possit inferre damnum, quia in tali casu quilibet alios iuuat, & facit fortiores, & sunt cooperatores, si verò non ierunt simul, & quilibet per se fecit damnum, quilibet tenetur pro eo, quod facit. Adducit deinde Panorm. qui in cap. sicut dignum de homicidio, ita distinguit, vt si vnus non fuerit in culpa in subtractione facta per alium non teneatur nisi quantum ipse apportauit; si verò fuerit in culpa, quia nimirum cooperatus est alterius subtractioni, vel dedit consilium vel auxilium. Si primum tenetur in solidum, si auxilium suppeditauit, tenetur in quantum plus peccatum est ex illò auxilio; quarè si vnus sine alio rem subtractam asportare non poterat, vel non iuisset absque socio, quia illud auxilium est causa totius damni, & non tantùm partis alicuius, auxiliator tenebitur in totum, l. & si quis subripit. §. si duo. ff. de furtis, idcircò verò Panormitanum distinguere inter auxilium & consilium existimat Syln. quia consilium vagatur super totum furtum, non autem auxilium quod restringitur ad id, super quo præstatur: quamuis autem Hostiens. qui indistinctè tenet omnes istos obligari in solidum, alleget l. ita vulneratus §. fin. ff. ad legem Aquiliam, & l. si plures, ff. arborum furtim cæsarum & l. 1. §. final. ff. si quis testis liber esse iuss. fiet. Has tamen leges dixit Sylu. loqui de pœna, ad quam omnes tenentur in solidum, vt notat glossa in l. si plures cit. in conscientia autem vbi pœna non habet locum nisi per condemnationem, seruandam dicit distinctionem datam.

Hinc colligit Layman, si vbi plures ex alieno dolio hauriunt, ipse quoque modicum bibas, vel sciens plures à Rege furari solitos, ipse modicum quid furaris, venialiter tantum peccabis, neque plus restituere debebis, quàm accepisti. Non puto autem Layman velle obligationem ad restituendam hanc summam imponere sub mortali, cùm vt iam ostendi, illius retentio non sit nisi venialis. Addit Layman, cùm in rixa subita plures eundem vulnerant, eum solum homicidij reum esse, qui lethaliter vulnus infixit, ex l. vlt. ff. de sicariis, quod docet etiam Couar. in Clem. si furiosus, 2. p. §. 2. num. 3. & Molin. tract. 3. disp. 33. num. 6. quamuis ille à re læsus debilior fuerit ad resistendum, ea tamen cooperatio ad eius necem, non sufficiet ad pœnam ordinariam Homicidij, aut ad damni compensandi obligationem. Ex quibus omnibus vides doceri à Laymano hanc sententiam, quæ negat teneri sub mortali ad restitutionem eum, qui leuiter læsit alium, etiamsi ex ea læsione cum alijs fortuitò coniuncta graue damnum enatum fuerit; atque in vulgari casu de vineæ deprædatione à pluribus casu & fortuitò facta nullum obligari ad aliam reparationem, quàm eius modici damni, quod solus attulit, quæ damnificatio neque fuit mortalis, neque etiam eius non reparatio mortalis erit.

CONSECTARIA EX SVPERIORI REGVLA.

His stabilitis explicata manet Regula vniuersalis à nobis tradita, nimirùm qui iniusta detentione rei alienæ peccat mortaliter, teneri ligatum censura, quæ ad extorquendam restitutionem lata fuit, nisi intra tempus præfixum restituat alteri, soluat debita, & damna reparet, si verò legitimè excusetur ab iniusta eiusmodi detentione non incurrere eiusmodi censuram, quæ grauem iniustitiæ culpam in ea detentione supponit, qualis tamen nulla tunc est; ex qua certissima doctrina licebit singularium difficultatum explicationem facilè colligere. 41

QVINQVE CONSECTARIA circa excommunicationem pro rebus leuibus restituendis.

Primò igitur, qui mortaliter peccauit inferendo graue damnum alteri etiam per subtractionem rei modicæ, & ad illam reparationem obligatur 42

monitorij pro rebus restituendis lati, nisi restituat, ad quod teneri diximus, imprimis qui substrahendo v. gr. acum sartori, illi graue damnum attulit.

2. Qui accipiendo rem leuem peccauit quidem mortaliter, non tamen contra Iustitiam, sed contra Charitatem, quia grauem attulit molestiam domino, aut contra religionem, quia subripuit rem sacram, etiamsi ex eadem virtute charitatis aut religionis, quam retinendo rem substractam violare pergit, teneatur ad restitutionem, non tamen incidit in excomunicationem contra rem alienam detinentes vniuersaliter latam, & nisi de hac peculiari re meminerit, quia ea excommunicatio non fertur nisi pro mortali iniustitia detentionis rei alienæ, qualis iniustitia in hoc casu non est.

44 3o. Qui accipiendo rem modicam animo ditescendi peccauerat mortaliter & posito eo animo nunc eandem rem modicam retinet absque iniustitia mortali vti ostendimus in expositione huius Regulæ, neque incidit in excommunicationem latam contra fures, vti priori Regula probauimus, neque incurret eam, quæ ad restitutionem impetandam fertur, quia ea supponit iniustitiam mortalē in rei detentione, qualis nulla hoc loco est.

45 4. Quia minuta furta, quæ complent summam notabilem vix retineri possunt cum aduertentia, quin sit animus retinendi totam summam, atque ea retentione ditescendi, & ideo ea retentio est mortalis, est etiam materia sufficiens ad incurrendam censuram Monitorij pro rebus restituendis lati.

46 5. Qui restituit eam partem, qoæ complebat summam notabilem non incurrit in Censuram deinde latam pro restitutione facienda, quia residuam summam retinet absque iniustitia mortali, vti fuit ostensum, atque ita quoad excommunicationem istam docent ijdem DD. qoos adduximus, vt ostenderemus eiusmodi furem non peccare mortaliter in retinenda reliqua illa summa.

CONSECTARIVM VI.

An singuli, qui modicum quid ex vinea capiunt, incurrant Excommunicationem pro rebus restituendis.

47 Cùm illi qui absque consilio, & mutuo auxilio, atque consensu alienam vineam ita deprædantur, vt singuli modicum quid accipiant, neque peccent mortaliter in ea acceptione, neque in retentione, quandoquidem vtrobique exiguum tantùm damnum singuli afferunt, neque ad damnum, quod alij causant concurrunt, nisi fortuitò & per accidens non ligabuntur excommunicatione latâ ad restitutionem, aut contra deprædatores illius vineæ, nisi monitorium & præceptum Ecclesiasticum, quod interminata Excommunicatione damni hoius reparationem imperat, nouam obligationem imponat, & non supponat tantùm obligationem naturalem iustitiæ, quam declaret aut vrgeat. Atque ita intricatum casum, & dissidentes sententias conciliamus, tuemurque cottidianam praxim, quæ concedit monitoria pro eiusmodi damnis, quæ à pluribus illata sunt modo explicato.

Et quidem 1. Pars huius corollarij traditor à Sanch. lib.7. in decal. cap. 21. n. 28. & Petro à Nau. lib. 3. de restitut. cap. 1. dubit. 8. qui Nauarrum ipsum sequuti sunt, & liquidò constat ex toties repetitis, cùm enim nolla fuerit inioſtitia mortalis in illo damno modico inferendo, neque sit in non reparando, nullaque existat obligatio naturalis iustitiæ sub mortali ad restitutionem, non est sufficiens materia censuræ grauioris, vt iam diu supponimus ex disq. 4. accedat igitur oportet noua aliunde obligatio, nimirum ex præcepto Ecclesiastico, quod imperare posse hanc restitutionem etiamsi non debitam ex Iustitia saltem sub graui obligatione, quæ erat 2. pars Corollarij, concedunt Rebell. 2. pa. lib. 18. quæst. 4. num. 2. sub fin. Less. cap. 12. lib. 2. n. 54. Petrus e Nau. & Sanch. locis citat. Suar. disp. 20. de Censuris s. 2. nom. 6. Auila. 2. p. cap. 5. disp. 2. dub. 3. cùm enim superior Ecclesiasticus plurima alia, quæ indifferentia sunt, & ad quæ nulla ratione aliunde obligamur, præcipere etiam sub mortali valeat, atque adeò contra violatores sui præcepti decernere censuram; Quarè non poterit sub eâdem obligatione, atque eâdem pœna intentata hanc restitutionem imperare.

Circa hoc tamen præceptum eo casu nonnulla sunt obseruanda atque imprimis cum Suar. non imponi hoc imperio obligationem iustitiæ, sed solùm obedientiæ, cùm enim materia non sit capax fundandi obligationem grauem in specie Iustitiæ, non poterit intra illam speciem crescere ea obligatio, neque materia, ad quam terminatu fieri capax mortalis iniustitiæ ex præcepto superioris.

2. Debet moueri superior non solo damno proximi, sed aliqua ratione spirituali eaque sufficienti ad imponendam tam grauem obligationem, vt quia ad bonum totius Reipul. & plurima vitanda peccata conducet hoc remedium, aut quia necessariū videtur ad salutem iniuriam passi, ne præ inopia desperet, aut alia peccata committat, vt ait Auila. Ratio est quia spiritualis potestas non debet, neque potest se immiscere his temporalibus, nisi vrgeat graue aliquod bonum spirituale, & in defectum potestatis Laicæ, quæ suis subsidiis per summā oscitantiam vti non vult, vt q. 3. dictum fuit, atque ex vtriusque potestatis distinctis iuribus, & mutua consensione, quæ eiusmodi alieni Iuris inuasione turbaretur, certum manet.

3. Si Excommunicatio feratur in vniuersum contra eos, qui vastarunt Vineam, & qui damnum reparare iubentur, non est præsumendum comprehendere eos, qui neque peccarunt in ea deprædatione mortaliter, neque ob leuitatem damni à se illati, absque eo quod concurrerint ad damnum aliorum, tenentur secluso peculiari præcepto restituere sub mortali. Ita Auila. dub. 3. cit. in tertia Conclusione, limitatione 3. quod colligitur 1. ex verbis, quæ in illis monitoriis opponi solent, feriuntur enim ii, qui sine timore Dei, & cum magno periculo suæ Conscientiæ damnum illud intulerunt, quæ verba non comprehendunt eos, qui non peccarunt mortaliter, & supponunt omninò obligationem reparandi damni, & non iniiciunt nouam, vt iterum dicam in seq. Regula. Deinde quia præcepta pœnalia sunt in mitiorem partem interpretanda, & cùm sufficienter intelligantur absque noua illa obligatione, ad eam extendi non debent. 3. quia ad hoc præceptum requirantur graues causæ, eæque spirituales, ne Iura Laica inuadat superior Ecclesiasticus, soleantque hæc omnia monitoria supponere naturalem obligationem, & non iniicere nouam circa ista temporalia, de quibus coram Iudice

Laico agendum est, non debemus existimare, nisi vehemens aliqua ratio ita persuadeat, inijci nouam vllam obligationem conscientiis, atque nisi de mente præcipientis liquidò ex adiunctis circumstantiis constaret, existimarem reuerà eos omnes, qui in illo communi furto eo modo, quo exposuimus commisso non peccant mortaliter, neque enim ad restituendum illud modicum, quod acceperunt, obligantur ex iustitia sub mortali, non ligari Excommunicatione siue pro furto, siue pro damno reparãdo pronuntiata fuerit.

CONSECTARIVM VII.

Impotentia eximit ab obligatione monitorij imperantis restitutionem.

48 Impotentia siue physica, siue moralis restituendi, eximit tùm à peccato tum ab Excommunicatione ad finem restitutionis lata. Ita omnes, quia nemo tenetur ad impossibile, immò etiamsi ille, qui præ impotentia excusatur ab onere restituendi, haberet animum non restituendi, licet commodè posset, atque eam ob causam sibi in sua impotentia placeret, si tamen reipsà impotens est impotentia inuoluntaria, & non malitiosa, vt loquuntur, siue in eam rem affectata, non incurret in eam excommunicationem, quamuis propter malam voluntatem peccaret, vt subtiliter aduertunt Auila. 2. p. cap. 5. disp. 5. dub. 1. §. quarta causa. & Lessius cap. 12. de Iustitia n. 21. quia illa externa detentio est quidem tunc volita & obiectum prauæ voluntatis, non est tamen voluntaria, hoc est à voluntate dependens; vndè etiam fit vt non sit formaliter, sed tantùm obiectiuè mala: quarè non potest puniri tunc, nisi mala voluntas non restituendi, quæ cum nullo actu peccaminoso & iniusto se prodat exterius, non est capax censuræ, aut illius pœnæ à foro externo illatæ, vt ex disq. 4. supponimus.

49 Dixi verò impotentiam tum physicam, tum moralem eamque inuoluntariam & non malitiosè affectatam ad finem restituendi, excusare tum à restitutione facienda, tum ab Excommunicatione, quæ culpam omninò & necessariò præsupponit. Impotentiam physicam nomino impotentiam absolutam & simpliciter talem, quia includit simpliciter & absolutè defectum potestatis ad soluendum, aut restituendum, ad quod tamen non requiritur extrema necessitas, nam etiam absque illa potest aliquis esse simpliciter ad soluendum impotens, cùm v.g. plura debeat, quam habeat in bonis. Moralis impotentia est maxima difficultas & incommodum, quod patietur iste debitor, quod enim difficile admodum est, in moralibus dicitur impossibile. Quandò igitur aliquis restituere non potest, nisi cum suo notabiliter maiore detrimento, quàm sit Creditoris commodum, differre potest restitutionem, quoad difficultas, vel impotentia cesset, qua durante reuerà non peccat non restituendo, aut non soluendo, & creditor rationabiliter contentus esse debet, vt solutio differatur, tenetur enim ex lege charitatis subuenire debitori in graui necessitate, qualem omninò supponit ista impotentia moralis; quarè non nisi irrationabiliter vrget id temporis restitutionem, quam differri pati debet, vt intereà debitor, grauì suæ necessitati subleuandæ vacare possit. Regula verò ad quam ista moralis impotentia exigenda est, iam à me fuit indicata, quantitas enim sola rei restituendæ, vnde debitor deueniat ad paupertatem, non inducit ad hanc impotentiam, sed quando ex ea restitutione eueniret damnum debitoris, quod est maioris æstimationis, quam sit ipsa res restituenda. si v. gr. plures expensæ faciendæ sint in transmittenda re debita, quàm valeat ipsum debitum, si ad eam solutionem cogatur distrahere prædium, aut domum vilissimo pretio, si aut vitam posteà ægrè sustinebit, aut suo statu iustè acquisito excidet, quod vltimum etiam forum externum circa illustres personas attendit. Quarè si sit restituendo fit infamaturus, aut in carcerem conijciendus, aut puniendus, differre poterit restitutionem, eo quod bonum inferioris ordinis restituendum non sit cum detrimento boni superioris in suo genere æquè grauis. Idem dicas de duce qui gradu, à militia excidere debebit ingenti dedecore ac familiæ probro & vxoris ac liberorum querelis. Si tamen quis suum statum iniustis damnis & fraudibus acquisiuisset, non posset ad eam dignitatem retinendam negare restitutionem, quamuis si per partes suis creditoribus satisfaciat, atque compenset, quæ ex ea dilatione creditori pereunt, damnandus non sit. Quæ omnia 2. 2. fusiùs explicata sunt, vbi igitur altera ex illis impotentiis aderit, excusabitur ab Excommunicatione qui non restituet. Ita Sylu. ꝟ. Excommunicatio. 2. num. 23. Nau. cap. 27. n. 56. Auila. disp. & dub. citat. Alteri. lib. 3. disp. 1. cap. 7. dub. 4. sub finem. Suar. disp. 20. de Censuris. Sect. 2. consentiunt omnes, qui excusant eiusmodi debitorem ab obligatione restituendi contra Sotum, qui obligat cum detrimento victus & vestitus ad restituendum, vt vitetur Excommunicatio; Rigidius profectò, quàm ferat præcepti Ecclesiastici vis, quod vt aduertit Auila, non magis obligat propter adiunctam Excommunicationem quàm ipsum præceptum naturale Iustitiæ, quod non extorquebat restitutionem cum tanto detrimento debitoris, vt latè Nauarr. cap. 17. n. 58. cõtra Sotum & nouas eius, vt loquitur, imaginationes ostendit.

Immò neque posse Prælatum Ecclesiasticum præcipere, vt aliquis restituat cum detrimento & indecentia sui status existimat l. c. Auila contra Sylu. ꝟ. Excommun. 2. n. 23. & Corduba lib. 1. q. 43. cùm non inducat maiorem obligationem, quàm ipsa lex naturalis Iustitiæ; quare vel eiusmodi præceptum iniustum est, vel latum ad terrorem duntaxat, nequis falsò illo prætextu amittendi status, sibi blandiatur & retineat alienum. Quodsi aliquando Index Laicus compellat ad soluenda debita cum diminutione status, præsumit id nõ euenturum, alioquin peccaret contra ipsum Ius, nam inhumanum esse spoliatum fortunis suis, in solidum condemnare dixit Iustinianus §. vlt. Institut. de Actionib. Et in cessione bonorum deducendum est aliquid, vt qui cedit bonis habeat, vnde viuat pro suo statu l. in condemnatione. ff. de Regulis Iuris. & l. qui bonis ff. de cessione bonorũ. Deinde cùm Iudex Ecclesiasticus spirituale bonũ attendat, non autem vtilitatem temporalem partis petentis monitoriũ, iniustè faueret, qui ita impotentes cum graui status detrimento cogeret ad restitutionem ad quam ex Iure naturali non obligatur. Si tamen impotentia non esset totalis, quia nimirum potest soluere partem debiti, etiamsi non integram, si illa pars notabilis est, tenebitur eam soluere,

uere, alioquin incurret in Excommunicationem ea de causa latam, vt cum Soto aduertit Auila.

50 Hinc colliges, quid sentiendum sit de Excommunicationibus, quæ ferri solent per auditores Cameræ Apostolicæ aduersus eos, qui se obligarunt in forma Cameræ, ad soluendum pensionem, aut aliud debitum intra certũ tempus sub pœna Excõmunicationis ipso facto incurrendæ; elapso enim eo termino censentur excommunicari, & tales esse declarantur ab Auditore Cameræ, neque habetur ratio, an intra illud tempus soluere potuerint, an non. De hoc casu latè disputat Suar. disp. 20. citat. s. 2. & ex ipso Alteri. lib. 3. disp. 1. cap. 7. quamuis enim nusquàm in suo opere laudârit Suarem, ex ipso tamen non modò profecisse, sed & plurima excerpsisse legenti statim constabit. Antoni. Massa integrum tractatum de hac controuersia edidit; plurima etiam habet Gigas de pensionib. q. 77. alijque laudati à Suare.

℞. igitur, quod attinet ad obligationem conscientiæ eam nullam esse, neque in interno foro incurri excommunicationem à debitore, si reuerà tempore faciendæ solutionis, ad quam se obligauerat, erat impotens modo superius explicato; cessat enim tunc omnis cõtumacia, neque potest obedire mandato Iudicis, quod verò ipsemet sponte se submiserit Excommunicationi incurrẽdæ, nisi solueret, nihil vrget, ea enim promissio fuit conditionata, videlicet si posset tunc soluere, & voluntariè omitteret solutionem Quod verò attinet ad forum externũ, distinguunt Suar. & Alterius ex cõmuni cæterorũ DD. vel enim debitor sese obligauit in forma cameræ ad soluendã pensionem, aut aliud quidpiam personaliter, vt loquuntur, & per propriũ consensum, vel per procuratorem, atque adeò per alienam voluntatem, quamuis constituto à se procuratori volens ipse fecerit potestatẽ, se nomine, suo obligandi. Quãdo priori modo contraxit obligationem debitor, cùm illã non ignoret, & ab ea moneatur continuò de soluendo debito intra tempus præscriptum, aut intra mensem ab eo termino elapso, vt consuetudo fert, nisi soluat, incidit ipso facto in excommunicationem, & à Iudice declarari poterit excõmunicatus, quia reuerà constat in foro externo de obligatione, & de solutione non præstita, de termino elapso, atque adeo de incursa Excommunicatione, & quamuis fortassis propter legitimam excusationem impotentiæ, v. gr. reuerà non inciderit in excommunicationem, donec tamen de ea constiterit, in foro externo præsumetur excommunicatus, atque vt talis declarari poterit etiam absens, & tenebitur se in eodem foro pro excommunicato gerere à die præsumptæ contumaciæ, siue quo fuit in mora solutionis, etiamsi non nisi diu postea citatus fuerit, & à Iudice declaratus, quia reuerà sententia Iudicis est tantùm declaratoria incursæ Excommunicationis, non autem ipsius inflictiua.

Si autem per procuratorem se obligârit, non incurret excommunicationem neque vt excommunicatus declarari poterit, donec illi intimata fuerit obligatio per procuratorem suum contracta, eò quod ante eiusmodi intimationem, Procurationis consensus non sit sufficiens monitio, vt iste dicatur contumax, si tempore diffinito minimè soluat; qua de re vide Alteri. lib. 3. disp. 3. cap. 2. §. hinc dubitari potest; vnde etiam conseruatur in Curia, vt ante intimationem litterarum, quibus pensio constituitur, non incurrat excommunicationem, qui illi pensioni per procuratorem duntaxat consensit, vt testatur Gigas de pension. q. 77. n. 20. & q. 84. n. 21. Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 10. n. 7. Nauar. cap. 27. n. 274. Cassado. tit. de pensionib. decis. 2. & tit. de Rescriptis. decis. 12: obtinuit tamen vsus Curiæ, vti Nauar. cap. 23. n. 204. refert, ex Cassado. & quem etiam impugnat Gigas. q. 77. vt ea excommunicatio non censeatur incursa à debitore, donec creditor declaret se velle illam incurri: quarè si intereà aut soluatur pensio, aut debitor moriatur, aut conueniant partes, nunquàm incurretur excommunicatio: Hæc autem declaratio Creditoris priuata tantùm esse non debet, sed per decretum Iudicis intimata debitori, quem iam annuente Creditore declarauit excommunicatum. Non placet tamen quod Nauar. & alij dicunt post declarationem eiusmodi Creditoris retrotrahi excommunicationem ad diem termini elapsi, quando obligationi debitor personaliter & non per procuratorem consenserat. Excommunicatio enim lata sub conditione aut præfixo termino, nõ manet suspensa, sed elapso termino, atque completa conditione statim ligat. cap. adhæc quoniam, & cap. prætereà 2. de Appellationib. Quarè vel iste creditor ab initio contraxit reuerà excommunicationem, vel tantùm post declarationem Creditoris, Non primum, quia toto eo tempore admissus est ad sacramenta, & necessaria non foret declaratio Creditoris, vti tamen fert stylus & praxis Curiæ; si verò nũ nisi posita ea declaratione tanquàm conditione necessaria incidit in Excõmunicatiunẽ; ergo illa non retrotrahitur, nã declaratio diceret hunc fuisse iam ab initio excommunicatum, quod tamen falsũ fuit, & ridicula omninò foret ea declaratio, quæ diceret se velle debitorem fuisse iam excommunicatum; si enim verè fuit excommunicatus, quidquid deinde velit creditor, excommunicatus reipsa fuit: quare fictionem istã Iuris non habere locum in Censuris aduertit optimè Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 10. n. 6. si igitur toto eo tempore sacerdos, qui reus est violatæ illius obligationis in forma Cameræ, antequàm intimata illi sit ea creditoris declaratio, celebret, non erit irregularis, quamuis si periculum foret scandali, à publica celebratione deberet abstinere; si etiam ex pluribus debitoribus aut fide iussoribus creditor vnum aliquem excipiat, quem nolit incurrere excommunicationem, ille reuerà non incurret, neque in foro interno, neque in externo, etiamsi litteræ sint generales, & omnes comprehendant: Immò & Creditorem posse prorogare terminum solutionis absq; consensu Iudicis, ita vt non incurratur prius excommunicatio defectu solutionis, affirmat Pan. in cap. Prætereà. 2. de Appellationib. n. 4. Toler. lib. 1. cap. 9. & Alteri quia ad hoc non est necessaria vlla Iurisdictio, neque enim aut mutatur, aut suspenditur excommunicatio, sed tantùm Iudex qui ad instantiam partis, atque dependenter ab eius voluntate excommunicationem ferre debet, nõ fert illã nisi à parte requisitus.

An verò Clericus possit ita se obligare in forma Cameræ, vt non possit retinere decentiam sui status, soluendo pensionem & excommunicetur, nisi non obstante illa, in plenum soluat, grauis est difficultas propter cap. Odoardus. de solutionib. vbi contrarium dicitur; neque videtur huic priuilegio, quod concessum est in fauorem totius Ordinis Clericalis, posse singularem & priuatum renuntiare. Quidquid verò statuatur à DD. de ea controuersia commodiori loco excutienda, dum de priuilegijs

diſputabimus, ſtylus Curiæ fert, vt eiuſmodi debitores impetrent à Pòntifice, vt non obſtante quacumque Camerali obligatione, poſſint coram quocúnque Iudice vti priuilegio cap. Odoardus.

Ex quibus manet quod dicebamus, impotentiam, quæ excuſat ab onere reſtituendi, excuſare quoque ab excommunicatione in eam rem inflicta, tum à foro interno, tum in externo, niſi præſumatur potentia reſtituendi, vbi autem conſtiterit de impotentia, non poterit cenſuram infligere, vt in caſu proximo, Iudex Eccleſiaſticus, neque etiam poterit declarare incurſam eſſe excommunicationem ab eo, qui probauerit ſe non potuiſſe implere obligationem cameralem, neque poterit creditor declarare velle, vt debitor, quem certò ſcit non fuiſſe ſoluendo, incurrat illam excommunicationem.

Egi porrò hactenùs de impotentia inuoluntaria, ſi enim malitioſa ſit, quia v. g. videns ſe poſt menſem teneri ad ſolutionem, omnia interim dilapidat, aut diſtrahit, ne ſoluendo ſit, reuera non excuſatur ab excommunicatione ob non præſtitam ſolutionem aut reſtitutionem non factam; quanquàm autem vti omnes aduertunt, tunc peccet iſte debitor, cùm ſua culpa reddit ſe impotentem ad ſoluendum, tunc tamen incurrit excommunicationem, quando non ſoluit, & obligat ſolutionis præceptum, quia tunc tantùm eſt contumax, & violat præceptum de ſoluendo, quod ante illud tempus non obligabat.

51 Circa Impotentiam præterea nonnulla aduertenda ſunt, primum eſt impotentem debitorem non teneri ad vitandam Cenſuram, dare cautionem ſe reſtituturum, vbi fuerit factus potens. Ita Henriq. lib. 13. cap. 18. n. 4. qui litt. V. ait Pennam hac in re conſultum idem reſpondiſſe. Auil. 2. p. cap. 5. dub. 1. Armilla ℣. Excommunicatio n. 34. & Sanch. lib. 6. Conſil. cap. 2. dub. 24. n. 4. contra Nauarr. in cap. Inter verba. Conc. 6. Coroll. 66. n. 298. Cui videtur fauere S. Thom. 2. 2. q. 63. a. 8. dum ait, debitorem impotentem ad ſoluendum debere petere dilationem à Creditore, quia tenetur facere quod poteſt: quibus verbis S. Doctor non vult eam pignoris præſtationem, aut petitionem dilationis neceſſariam eſſe, ſed ſolum conſulit, quomodò eo caſu prudenter ſe geret debitor impotens, vt aduertit Soto. lib. 4. de Iuſtitia. q. 7. a. 4. ad 2. Ratio verò noſtri dicti perſpicua eſt, cùm enim hæc excommunicatio non ponat nouam obligationem Iuſtitiæ, ſi prius non obligabatur ad cautionem præſtandam, neque obligabitur modo, neque Cenſura attendit vtilitatem temporalem Creditoris, cuius ſecuritati prouidebitur dato pignore, ſed ne debitor incidat in peccatum non ſoluendo, aut non reſtituendo, quod peccatum vitatur omninò per impotentiam hactenus aſſertam.

52 2. Notandum eſt, debitorem impotentem, vbi venit ad pinguiorem fortunam incurrere excommunicationem latam per monitorium, niſi ſoluat, etſi adhuc monitorium perduret, neque extinctum fuerit, aut ceſſione partis aut extinctione Iuriſdictionis in ferente, aut alio quouis modo. Ita Auil. Alteri. & Suarr. LL. CC. Molina tract. 5. diſp. 45. n. 4. qui alios allegant, & colligi volunt ex cap. Odoardus. de ſolution. fauetque manifeſta ratio; Monitorij enim præceptum duo imperabat, ſolutionem nimirum, & tempus intra quod facienda erat, deſignabat, atque vtriuſque illius præcepti violatoribus cenſuram infligebat, à qua illos eximit aliquandiu impotentia, quæ cùm deſierit & vigeat adhuc præceptum, tenentur illud implere, nimirùm ſoluere, quod poſſunt, etiamſi alteram præcepti partem, nimirum, vt intra ſpatium præſcriptum ſoluant, ſeruare nequeant, eo quod iam elapſum fuerit illud tempus; niſi tamen alteram partem præcepti præſtent, vti reuerà poſſunt, peccant in illud præceptum, quod vigere adhuc ſupponimus, & obnoxij ſunt pœnæ tranſgreſſoribus impoſitæ, neque enim tempus præfigitur præcepto ad terminandam finiendamue obligationem, ſed ne differatur vlterius exequutio præcepti, quãuis eò vſque liberè prorogari poſſit. Quarè manebit ſemper obligatio debitori, ne vltra illud tempus differat ſolutionem, quotieſcúnque reuera ſoluere poterit.

ALIA SVMMARIA.

CONSECTARIVM 8. *Iuſta compenſatio excuſat à monitorio imperante reſtitutionem. n. 53.*

Quomodò peccetur in compenſatione, & in quibus rebus, & quando licita ſit. n. 54.

Quandonam compenſatio ſit, aut non ſit materia ſufficiens excommunicationis. n. 55.

Conſectarium 9. an donatarius teneatur vi monitorij reſtituere res ſibi donatas donatione illegitima. n. 56.

Conſectarium 10. an qui minùs ſolemni teſtamento aliquid accepit, teneatur monitorio imperante reſtitutionem. n. 57.

Conſectarium 11. an Monitorium obliget promittentem reſtituere rem promiſſam. n. 58.

Conſectarium 12. an qui inhabilis eſt ad capiendam rem aliquam, teneatur vi monitorij illam reſtituere. n. 59.

Conſectarium 13. an fideicommiſſarius teneatur vi monitorij hæreditatem ſuæ fidei commiſſam reſtituere hæredibus legitimis. n. 60.

Conſectarium 14. an Monitorium obliget ad reſtituendam rem legitimè præſcriptam. n. 61.

Conſectarium 15. Creditor capiens rem ſibi debitam non vrgetur monitorio indicente reſtitutionem. n. 62.

Conſectarium 16. an Monitorium ad reſtitutionem obliget depoſitarium iniuſtè negantem rem ſuam domino. n. 63.

Conſectarium 17. An vxor & liberi incurrant cenſuram Monitorij, niſi reſtituant bona, quæ à defuncto Marito, aut parentibus ſubripuerunt. n. 64.

Quandonam aliquid ex defuncti mariti bonis ſibi retinere poſſit vxor. n. 65.

An vxor & liberi poſſint accipere alimenta à marito, vel parente debitis grauato. n. 66.

An vxor vel liberi tutò ſuccedant in hæreditatem à marito vel parente in fraudem Creditorum repudiatam. n. 67.

Potior

Potior est causa creditorum quàm Fisci n. 68.

Consectarium 18. an debitor teneatur Monitorio, quod impetrauit Fiscus ad repetenda bona Dei sibi adiudicata. n. 69.

Consectarium 19. an Donatarius accipiens ab obarato donatore teneatur monitorio ab eius Creditoribus impetrato. n. 70.

Quid sit alienari bona in fraudem Creditorum. n. 71.

Quandonam donatio à debitore impotente sit valida & iusta. n. 72.

Solutio quæstionis Corollarij. n. 73.

Consectarium 20. an accipiens aliquid à debitore grauato contractu oneroso teneatur monitorio, quod eius creditores obtinuerunt. n. 74.

Consectarium 21. an qui vi legitimi contractus aliquid acceperunt à debitore impotente, incidant in monitorium à Creditoribus impetratum, nisi illud restituant. num. 75.

Quandonam licitè contrahatur cum debitore impotente. n. 76.

Consectarium 22. an contrahentes cum debitore in fraudem creditorum ligentur monitorio ab iisdem Creditoribus impetrato; & restitutionem edicente. n. 77.

Consectarium 23. an rem alienam accipiens à non domino, teneatur monitorio, quod dominus ad illam repetendam impetrauit. num. 78.

Quandonam & quomodo res aliena ab iniusto possessore accepta, reddenda sit domino. num. 79.

Solutio quæstionis Consectarij. n. 80.

Consectarium 24. an gener dotem à socero vsurario, aut debitis grauato accipiens teneatur monitorio bonorum illius Soceri restitutionem imperante. n. 81.

Consectarium 25. Quandonam liget monitoriam indicens restitutionem scripturarum n. 82.

Licitum est inquirere scripturas per monitoria. n. 83.

Quandonam sit obligatio restituendi scripturas reposcentibus. n. 84.

Consectarium 26. an incurrat excommunicationem propter restitutionem, qui rem restituendam dederat tertio, qui illam sibi retinuit. n. 85. 86.

An qui fuerit absolutus, dando rem restituendam Confessario, qui tamen non restituit, reincidat in excommunicationem, nisi denuò restituat. n. 87.

CONSECTARIVM VIII.

Qui vsus est iusta compensatione non ligatur excommunicatione restitutionem vrgente.

QVi vsus iusta compensatione rem alienam accepit, non ligatur monitorio ad restituendum pronuntiato. Ita Soto in 4. dist. 22. q. 1. a. 2. Molin. tract. 2. disp. 693. Less. lib. 2. cap. 12. n. 61. Suar. disp. 20. de Censu. s. 2. Alteri lib. 3. disp. 1. cap. 7. in secundo dubio, plures allegans sub fin. quos omnes aliosque congessit Sayr in claui. lib. 12. cap. 14. n. 29. aliquos etiam iurisperitos indicat Neuizan. lib. 3. syluæ nupt. n. 51. Ratio est quia in ea iusta compensatione non peccauit, qui rem alienam accepit, & verè dominium rei ita acceptæ acquisiuit, vt Molina disp. 96. & passim docent Theologi contra Medinam C. de restitutione q. 11. Igitur non ligabitur monitorio quod fertur contra iniustè detinentes aliena, atque vt obseruauit Nald. v. excom. n. 1. contra Iniquitatis detentores & malitiosè temereque occultantes; iste enim, qui se iustè compensauit, neque detinet alienum, quandoquidem illius verum dominium comparauit, neque etiam iniustè accepit, aut detinet. Quia tamen aliquando monitoria iubent etiam illos, qui in compensationem alienum acceperunt, illud restituere, atque vt ait Alteri. post Medinam C. de restitut. q. 11. non tantùm percellunt eos, qui verum furtum, sed etiam qui similitudinarium commiserunt, eo quod licet contrectarint rem alienam inuito domino, non tamen iniustè, neque contra legis dispositionem. 53

Obseruandum est in facienda compensatione peccari posse dupliciter, 1. contra Iustitiam cum debitoris iniuria. 2. contra quamlibet aliam virtutem, aut ordinem seruandum, quamuis reipsa nulla fiat iniuria debitori, neque violetur æqualitas Iustitiæ. 54

Peccat igitur contra Iustitiam, qui se compensat, 1. quando debitum non est certum, aut liquidum, sed dubium, tunc enim fit iniuria possessori cuius in eo dubio potius est ius; quarè obligatur iste Creditor rem ita acceptam restituere debitori, atque reparare damna, in quæ incurrerit ex ea acceptione verus & certus eius possessor, cui per iniuriam subtracta fuit. 2. si plus quàm debeatur, accipiatur, ille enim excessus euidenter violat Iustitiam, quarè omnino seruanda est æqualitas in ea compensatione; vnde videas vt famuli possint occulta vti compensatione, debere constare tùm de inæqualitate stipendij comparati cum magnitudine laborum, & vtilitate, quam afferunt dominis, tum ne quod subripiunt, excedat illud quod deerat stipendiis ad æqualitatem cum obsequiis, vt tradunt Molin. tract. 2. disp. 506. & 548. Villalob. tom. 2. tract. 11. diff. 23. n. 6. Less. cap. 12. lib. 2. n. 63. Layman. lib. 3. Sect. 5. tract. 3. p. 1. cap. 1. n. 10. Vt enim, qui coactus necessitate merces minoris iusto distraxit, potest deinde illum pretij defectum, quem donare non fuit animus, occultè supplere, ita famulus, qui propter necessitatem, errorem, aliamve causam suam operam minoris iusto locauit, exigere poterit stipendij defectum, quod etiam verum erit, vbi liquidò constabit cõsiderato famulorum labore & consuetudine loci, aliisque adiunctis dominum non præbere illis victum sufficientem aut alia, quæ pro more gentis

submi-

ſubminiſtrari ſolent à dominis, locus erit occultæ cõpenſationi, ſed in ea ſeruanda eſt omninò æqualitas. Quarè attendendum diligenter fuerit, num ſuppetat aliqua cauſa, quæ ſoleat ſtipendium imminuere: quando enim domini promittunt ſe aliquo officio aut alia ratione remuneraturos famuli operas poſt aliquot annos, donec ſperatur illos præſtituros promiſſa, etiamſi tenue pactum fuerit ſtipendium, illicita erit compenſatio. Deinde ſi famulus non impendat totam ſuam operam domino, ſed permittat ſibi aliquamdiu laborare, minuitur ſtipendium, quod etiam contingit, quando dominus non indigebat famulo, quem tamen ab ipſo rogatus conduxit, vt aliqua ratione miſerum ſubleuaret, vel denique quia plures alij ſuppetebant, qui locaſſent eodem pretio operas non coacti neceſſitate, ſed ob copiam & multitudinem famulantium, tunc variis ex cauſis occurrentem. Ex quibus aliiſque rationibus, cùm minui ſoleat valor ſtipendij, videndum erit ne quis dum vtitur compenſatione, violet æqualitatem & iuſtitiam Vide Soto lib. 5. de Iuſtitia. q. 3. a. 3.

3. Si qui ſe compenſat attulit graue aliquod detrimentum domino, ad quod reparandum tenetur aliquando ipſam rem, quam in compenſationem acceperat, reſtituere, peccat.

4. Si rem alienam depoſitam apud ſuum debitorem ſibi accipiat, quod ſupponit Petr. à Nau. lib. 3. de reſtitut. cap. 1. 4. parte cap. dubit. 8. n. 406. & tradit Nau. cap. 17. n. 114. Aula 2. p. cap. 5. dub. 1. in 2. cauſa, Corolla. 2. quia iniuria fit deponenti, qui rem depoſitam recuperare non poterit, & iſte creditor, qui ſe ſubtractione depoſiti apud ſuum debitorem compenſat, nullum habet Ius in illud depoſitum, neque in deponentem, neque illius proinde rei dominium ſibi comparabit. Immò neque retineri poſſe in compenſationem à depoſitario, depoſitum ſibi creditum à debitore exiſtimant Medina. C. de reſtitut. q. 3. de reſtitut. cauſa 12. Couarr. Relect. in cap. Quamuis pactum. 1. p. §. 4. n. 9. Comitol. lib. 3. reſponſo. qu. 39. Fernand. p. 4. Examin. Theolog. cap. 5. ſ. 15. n. 3. quia Gregor. IX. cap. bona fides. de depoſit. id prohibuit; Et conſentiunt Iura Cæſarea. C. de depoſit. L. ſi quis & L. vlti C. de compenſatione, tanta fidelitas in depoſitario exigitur, ad id tamen ſeruandum nullus cogitur in foro interno, vt ſubtrepide innuit P. Nauarr. cap. 1. cit. n. 390. & liquido affirmat Leſſ. lib. 2. cap. 27. n. 16. Diana. 3. p. tract. 5. Reſolut. 10. & Tanner. 2. 2. diſp. 5. qu. 6. dub. 14. n. 141. Villalob. 2. tom. tract. 11. diff. 2. n. 3. Eman. Sa. quia vt ait Petrus à Nau. res quæcunque mei debitoris mihi eſt ſubiecta & obligata ſaltem ratione perſonæ, mihi igitur per compenſationem acquirere licebit, quanquam ſi alia via liceret meum debitum recuperare, peccarem contra bonam fidem, ſeu potiùs fidelitatem, aut ſanctitatem contractus depoſiti, ſi rem ita mihi creditam retineam, non tamen committam iniuſtitiam & inæqualitatem, quæ obliget ad reſtitutionem.

5. Locum eſſe compenſationi, vbi ſunt anteriores Creditores, eo quod res debitoris ſint iam aliis obligatæ, negant nonnulli DD. apud Dian. & Comitol. loc. citat. qui Iure contrarium affirmant, cum Homobono. par. 2. Exam. Eccleſ. tract. 10. cap. 3. q. 6. caſu. 7. Fernand. §. 13. cit. n. 4. quia non teneor aliorum cõmodis cum meorum iactura prouidere, neque vlla ratio aut lex eſt, quæ iubeat illum ordinem in compenſatione ſeruare, vt fuſius docet Comitol. neque etiam Creditor poſterior tenetur ad reſtitutionem ſolutionis ſibi factæ, antequàm priori Creditori atque potiori ſatisfieret, etiamſi nihil deinde ſuperſit, vnde illius Iura ſoluantur, ſi agamus de creditoribus Chirographariis, ſiue perſonalibus; nam hypothecarij cum habeant rem ſibi obligatam ſuo Iure priuari non poſſunt. ita docent Molin. tract. 2. diſp. 536. n. 46. Ioan. De la cruz. in dub. 2. 1. p. tract. 5. præc. 7. a. 8. dub. 2. con. 3. Turrian 2. 2. diſp. 19. dub. 4. n. 6. Diana 3. p. tract. 5. Reſolut. 20. a. Azor 3. pa. lib. 4. cap. 36. q. 8. Rebell. 1. p. lib. 2. q. 19. n. 15. Leſſ. lib. 2. cap. 15. n. 41. Nauar. cap. 17. n. 51. Sylu. ꝟ. reſtitutio 6. q. 5. Layman lib. 3. Sect. 5. tract. 1. cap. 11. n. 6. aſſert. 7. Villalob. tom. 2. tract. 11. diff. 14. n. 18. contra Sa. ꝟ. ſolutio. n. 61. Tolet. lib. 2. cap. 25. §. vltimum tenent, qui ſequuti ſunt Medin. q. 2. C. de reſtitut. dub. 5. & paucos alios, quibus adhæſit Valent. tom. 3. diſp. 5. q. 6. punc. 6. qui igitur contra ordinem prioris aut poſterioris debiti rem ſuam repetit per occultam compenſationem, non violabit ex eo capite æqualitatem, neque tenebitur ad reſtitutionem.

6. Debita, quæ compenſantur, eiuſmodi eſſe debent, vt ex iuſtitia aut alio ſaltem ex capite ita debeantur, vt non ex ſola gratitudine, aut decentia quadam & honeſtate diluenda ſint. Ita Petr. à Nauar. cap. 1. cit. n. 394. quia eiuſmodi debitum, non eſt niſi ſecundum quid debitum, ſimpliciter autem eſt indebitum. Hinc fit vt in contractu mutui non liceat deducere in pactum antidota, eſſet enim vſura, vt idem Petr. à Nau. oſtendit eodem lib. 3. cap. 2. par. 2. non poſſum igitur rem mihi ſimpliciter non debitam inuito domino per occultam compenſationem repetere abſque iniuſtitia. Atque hinc colligit à Nau. cap. 1. n. 395. de iis qui mutuo dedere, aut beneficium contulere, aut Eleemoſynam, non poſſunt enim deinde ab illis, quibus ita benefecerunt, aut ab eorum hæredibus quidquã occultè accipere per viam compenſationis, eſto illi ingrati exiſtant.

7. Debita, quæ compenſantur, debent eſſe iam contracta, & non tantùm in potentia ſiue contrahenda, atque ita negat Cordub. & qui ipſum allegat Petr. Nauar. cap. 1. cit. n. 399. licitum eſſe accipere ratione pœnæ, quæ nondum debetur niſi poſt latam ſententiam: ſecus eſt, ſi iam ſit lata ſententia, tunc enim etiamſi non obligetur fortaſſis reus ipſe ſententiam in ſeipſum exequi, tenebitur tamen rogatus ſoluere, quare niſi id faciat, aut ſi inutiliter omninò rogandus ſit, poterit is, cui ea mulcta fuerat adiudicata ſeſe occultè compenſare.

8. Debita ex iuſtitia non poſſunt compenſari gratuitis obſequiis, debes, v.g. decem Titio ex iuſtitia non poteris illa retinere pro officiis, quæ eidem gratuito contuliſti, etiãſi ſint æqualis valoris, quia vt ait Sanch. lib. 1. in Decalog. cap. 13. n. 11. titulus iuſtitiæ & gratitudinis, aut donationis ſunt diſtincti, neque vnus alium extinguit. Quarè etiamſi donaris Titio centum gratuitò, non propterea extinxiſti obligationem, quam ex Iuſtitia contraxeras, ſoluendi alia centum.

9. Si rem, quam alius iuſto titulo, vt commodati, depoſiti, locationis, aliòve ſimili detinebat, occultè recuperas, nondũ finito iure ipſius, teneris peccato furti, & ad reſtitutionẽ obligaris. Ita Molin. tract. 2. diſp. 690. n. 2. quia priuas alium Iure, quod eam in rem adhuc obtinebat, ſi tamen certò cõſtaret, te non recuperaturũ tuã rem finito alterius iure, niſi eam modò accipias, licita foret ea rei tuæ acceptio,

neque

neque enim compensatio propriè dici debet. Ita Less. lib. 2. cap. 12. num. 56. Villalob. diff. 25. cit. num. 2. & Medina quæst. 11. cit. 10. Panorm. in cap. bona fides de deposito, num. 12. existimat non esse licitam compensationem in iis, quæ non admittunt functionem, quia vna res non fungitur vice alterius. Atque ita inquit, si tu teneris mihi in quinquaginta, & ego teneor tibi in equo, non admittitur compensatio, quia satis plus potest interesse & affectio, quam habeo ad equum, quàm illa, quam habeo ad pecuniam, secùs autem est, quando nullum possum prætendere interesse, vt puta, tu mihi mutuasti pecuniam, & ego tibi pannum, vel quid simile. Ea enim, quæ consistunt in pondere & mensura, & quæ sunt vsu consumptibilia, capiunt functionem, & quamuis Panorm. loquatur propriè de compensatione duorum, qui sibi sunt inuicem creditores & debitores, quod enim debeo meo creditori, retineo in compensationem alterius rei, quam ipse vicissim mihi debet, & quam Modestin. l. 1. ff. de compensationibus debiti & crediti inter se contributionem appellat; alij tamen extendunt ad quamcúnque compensationem, per quam Creditor occultè debitum insolutum compensat subtracta clam aliqua re ipsius debitoris & volunt hi DD. faciendam esse eiusmodi compensationem in eadem specie, ita vt pro bucephalo non possit retineri Xantus, aut pro pecunia oleum, aut pro oleo frumentum; atque ea in parte rigidiores sunt, vt vides ipso Panormitano. Verùm Panormitanus solum forum externum spectauit, in quo debitor habet ius repetendi rem suam, obligari enim tantùm potest ad soluendum quod debet, reddendum v. gr. oleum aut pecuniam, quam debet Creditori, non autem ad dandum equum; quarè si equus sibi fuerit sublatus, habet ius & actionem ad illum repetendum. Nos verò attendimus forum internum, quia etiamsi censuræ pertineant ad forum externum, in quo feruntur, supponunt tamen essentialiter peccatum theologicum, & non tantùm culpam iuridicam; quarè vt dispiciamus, an aliquid sit materia censuræ, videndum est, non an licitum sit in foro externo, necne, sed an contrahat illam culpam, pro qua emendanda, aut auertenda fertur censura, vt constat ex 1. q. huius disq. Atque hoc pro reliquo tractatu diligenter aduertendum fuerit. Licitam autem esse compensationem in rebus diuersi generis, vt si equum accipias pro vino debito, aut frumentum pro pecunia vel equo, modò seruetur æqualitas, docent Medina C. de restitut. q. 11. Petr. Nauar. lib. 3. cap. 1. n. 384. Vasq. opusc. de restitutione cap. 5. §. 1. dub. 8. Layman lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 1. cap. 1. n. 9. sub fin. & tract. 2. cap. 5. num. 9. Molina. tract. 2. disp. 691. in 6. conditione; Comitol. lib. 3. Responso q. 39. Sa. ꝟ. depositum. n. 4. Rebell. 1. pa. lib. 2. q. 8. Sylu. ꝟ. compensatio. q. 2. & ꝟ. furtum q. 13. Nauar. cap. 17. n. 112. & 115. Less. lib. 12. cap. 24. dub. 4. n. 16. Qui omnes vniuersim pronuntiant, posse me vti pro recuperando debito, compensatione aut retentione cuiuscunque alterius rei vel debiti, modò seruentur cæteræ conditiones.

11. Addit Bann. 2. 2. q. 66. a. 5. etiam vi adhibita posse aliquem rem suam recuperare, nisi aut scandali aut maioris alicuius damni periculum sit, at verò Villalobos tom. 2. tract. 11. diff. 23. n. 5. existimat eiusmodi violentam compensationem per quam res aliqua æquiualens pro re retenta per vim accipiatur à debitore licitam non esse illa tamen eadem numero, quæ detinetur, possit violenter repeti, ne detur bellum vtrinque iustum, eò quod debitor, qui verus dominus est, rei sibi per vim ereptæ habeat ius illam repetendi, & Creditor, qui illam accepit, habeat quoque ius illam retinendi. Verùm cùm non lædatur æqualitas tam iusta erit aperta & violenta compensatio, quàm occulta, & sanè repræsaliorum à nemine damnatur, vt videbis apud Couarru.

Præterea quis damnet Principem, qui, si nequit ditionem sibi iniustè detentam recuperare, aliam sui detentoris prouinciam inuadit, & sibi subiicit. Neque ratio, quam affert Villalob. quidquam efficit, quandoquidem enim iusta & licita est compensatio in rebus diuersæ speciei æquiualentibus, vt ex communissima sententia tradidimus, quod ea compensatio palam, aut occultè fiat, per vim, aut nulla vi adhibita non affert inæqualitatem. Deinde sicut dominus rei, quæ ipsi per vim aufertur, in compensationem æquiualentis, quam iniustè detinet, habet ius illam repetendi, sic ille, cui occultè subripitur, habebit idem ius repetendi, erat enim verus illius dominus: occulta enim acceptio rei non magis spoliat dominio eius antiquum dominum, quam violenta & aperta inuasio, si æquale sit ius in occultè accipiente, & palam inuadente, vti supponimus, cùm vterque compenset tantùm ea acceptione tum occulta, tum aperta rem suam iniustè detentam, & quam alia ratione recuperare non potest, alioqui cogetur Princeps res aliquo infortunio semel deperditas nunquam recuperare, & illas iniusto possessori relinquere, cùm enim, qui detinet, eius aliquam arcem, ita eam munierit, vt difficillimè possit expugnari, non ipsi liceret aliam iniusti illius possessoris aggredi; an verò dari possit bellũ vtrinq; iustum non moror, dico enim eum, qui rem alienã detinet, non habere ius repetendi æquiualentem in compensationem acceptam, nisi paratus sit eam, quam Creditori retinet, restituere: atque ita quamuis esset dominus rei per compensationem ablatam, amisit tamen eius dominium, quod acquisiuit Creditor, qui se compensauit, saltem conditionatè, si nempè quandiu debitor non restituet rem, quam iniustè detinet. Ex eo igitur, quod occulta vel aperta fuit compensatio, atque etiam vi adhibita non violabitur æqualitas aut iustitia, nisi quidpiam aliud obstet.

Quia verò diximus compensationem fieri posse in rebus diuersæ speciei, quæritur, an fieri quoque possit in diuerso genere bonorum, an v. gr. qui læsus fuit in sua fama & nomine, neque ab illo in eodem genere bonorum potest expectare satisfactionem vel reparationem, possit in compensationem aliquid accipere, vt pecuniam, aut quidpiam aliud simile. Ita omninò affirmat Aragon. 2. 2. q. 62. a. 2. in difficultate de restitutione famæ, dub. 9. dict. 2. quia cùm ex S. Thoma a. cit. ad 2. qui non potest restituere famam, quam iniustè abstulit, teneatur saltem ex aliis bonis illam reparare, si nolit fungi suo munere, poterit, qui læsus fuit, in compensationem suæ famæ eam quantitatem pecuniæ, quæ iusta videbitur, accipere; quæ consequentia, supposita sententia S. Thomæ, quam & tenent alij plures relati à Villalob. eo. 2. tr. 11. diff. 39. de obligatione ad restituendã famã in alio genere bonorũ, quando non potest in eodẽ reparari, certissima mihi est; si enim ille diffamator teneatur in eo casu reddere pecuniam pro fama iniustè alteri erepta, nullam ei faciet iniuriam diffamatus, qui

accipiet,

accipiet; quod sibi ex titulo iustitiæ debitum est; neque rectè vrget Villalob. tract. cit. diff. 23. n. 11. illicitam & iniustam fore hanc compensationem, eò quod debitum compensandum certum non sit, quod graues DD. quos ipse adducit diff. 39. eiusd. tractat. 11. negent eam obligationem in diffamatore ad reparationem famæ in alio genere bonorum; nam eum, qui ita se compensabit, agat ex opinione probabilissima, neque peccabit, neque faciet alteri iniuriam, à quo reperit, quod sibi ex iustitia debitum rationaliter existimat. Quarè etiamsi nihil hoc loco placeat diffinire de hac obligatione, dico tamen eum, qui ex ea probabili sententia, vsus fuerit occulta compensatione pro fama sibi per iniuriam adempta, non peccare contra Iustitiam, si reuerà diffamator non potuit aliter restituere; si enim potuit, cùm tunc non teneatur ad reparationem in alijs bonis, nullum ius erit diffamato ad capiendam compensationem in eo genere bonorum, ad quam faciendam diffamator non tenetur.

Atque his quidem modis enumeratis reddi potest compensatio iusta; aliunde tamen fieri poterit illicita, 1. si non seruauit debitum ordinem, quia sibi ipsi dixit Ius, cùm tamen potuisset solutionem à Iudice via ordinaria obtinere. 2. si inde sequatur infamia propria, aut scandalum aliorum. 3. si timeatur damnum corporale ipsiusmet accipientis nan punietur tanquam reus, quæ & similia reddunt quidem illicitam compensationem, non tamen iniustam, quandoquidem in ea seruatur æqualitas rei acceptæ cum debito. Vbi autem fuit iusta compensatio cauendum diligenter erit Creditori, ne debitor aut illius hæredes rem acceptum iterùm restituant; Immò enitendum est, vt ille debitor sciat se non ampliùs teneri ad illius debiti solutionem aut restitutionem, ne deinde ex Conscientia erronea peccet, si perseuerer in mora culpabili. His positis.

55 Dico 1. quoties compensatio fuit vndecunque iusta & licita, quia omnes conditiones requisitas habuit, non est materia Excommunicationis obligantis ad restitutionem eos, qui aliquid in compensationem ceperunt. Ita Medina. q. 11. cit. dub. 2. Gutierr. lib. 1. qq. Canon. cap. 11. n. 67. Nauarr. cap. 17. n. 114. Molina tract. 2. disp. 691. Bonacin. disp. 6. ex varijs. p. 1. §. 6 n. 1. alios allegans. Sylu. ℣. furtum n. 19. contra Rosellam, quia reuerà tunc illa sententia continet errorem intolerabilem; Deinde vt argumentatur Medin. vel qui se iustè compensauit, iubetur reddere per viam restitutionis, vel per viam punitionis; non primum, quia cùm nihil alienum possideat, non potest obligari, vt se spoliet re, cuius legitimum dominium acquisiuit, non potest etiam in pœnam ad eam restitutionem obligari, cùm enim nihil peccauerit, vt supponimus, plecti non poterit.

Dico 2. Excommunicationem pro rebus restituendis latam etiam in illos, qui per occultam compensationem aliquid acceperint, comprehendere tantum illos, qui in ea compensatione peccârine contra iustitiam violando æqualitatem aliquo ex modis superius assignatis; siue quia debitum erat incertum, aut plus quàm deberetur, fuit acceptum, aut damna maiora sunt allata, aut simili alia ratione. Ita Medin. q. 11. cit. dub. 2. Nauarr. cap. Inter verba. Con. 6. Coroll. 66. n. 394. Philiarc. de officio sacerdot. pa. 1. lib. 3. c. 34. Angelus ℣. furtum. n. 41. Tabien. ℣. furtum. n. 19. quia isti soli, qui contra iustitiam peccarunt in compensatione, iniuste detinent alienum. Illi igitur soli eo monitorio ligantur, neque enim intendit Prælatus Ecclesiasticus suo præcepto & Censura impedire aut damnare iustam compensationem, quia intolerabilem errorem contineret. Immò addit Bonac. eum, qui aliquid supra debitum in compensatione acceperat, & statim intentata per monitorium excommunicatione proposuit restituere illum excessum iniustè acceptum supra debitum, non ligari excommunicatione quia quando iniusta compensatio facta fuit, nondum erat lata excommunicatio; deinde lata quidem fuit, sed non præcise propter culpam præteritam iniustæ illius acceptionis, sed propter contumaciam iniustæ detentionis, vt patet ex assertis q. 1. & 2. huius disq. ea verò contumacia cessat, dum primus iniustus ille compensator proponit restituere, vbi poterit, & reuerà deinde oblata oportunitate restituit. Ita Lazari. de Monito. sect. 1. q. 13. & alij quos ibidem allegat Bonacin.

Dico 3. quamuis Cōpensatio fuerit illicita, quia v. gr. non. seruato ordine Iuris facta est, poterat enim à Iudice suum debitum accipere, qui propria authoritate se compensauit, si tamen non est violata æqualitas debiti cum re accepta; neque præiudicium factum debitori, non ligabitur, qui ea ratione se compensauit, monitorio, quamuis expresse de compensatione meminisset. Ita volunt, quotquot superius laudati DD. ad clausulæ illius in monitorijs apponi solitæ valorem exigebant aliquam iniustitiam commissam fuisse in compensatione, & disertè tradunt hanc nostram sententiam Villalob. 2. p. tract. 11. diff. 23. n. 7. Less. lib. 2. cap. 12. n. 61. Nauarr. cap. 17. n. 115. Molina. tract. 2. disp. 692. conf. 2. Ratio est 1. quia iste non tenetur ad restitutionem, quamuis debitum modum in accipiendo non seruârit; ergo non peccat retinendo. Non potest igitur obligari ad eam restitutionem, neque ligari excommunicatione, quæ supponit peccatum. 2. non potest in pœnam peccati commissi in ea acceptione propter non seruatum Iuris ordinem imperari ea restitutio, atque ob non seruatum deinde tale præceptum ferri excommunicatio, primò quia vt ait Villalob. non fuit peccatum nisi veniale, illum ordinem prætermittere considerato iudiciorum statu, qui nunc est. Cum non nisi magnis expensis, & per longas ambages, atque plurimum temporis spatium tua recuperare possis. Deinde etiamsi tum ratione prætermissi illius ordinis Iuris, tum propter aliquam aliam circunstantiam peccatum fuisset mortaliter in compensatione & acceptione, non tamen peccatur in retentione; vnde propter eam non poterit poni Excommunicatio. Nam illud peccatum omninò præteritum est, neq; amplius pendens in futurum, cùm nullâ ratione perseueret, vt patet; non potest igitur pro illo ferri excommunicatio. Immò neque alia pœna, quia occultum fuit illud crimen, quod proinde non subijcitur punitioni Iudicis, si enim occultum non esset, non ferretur excommunicatio, sed contra illum compensatorem ageretur in foro externo. Adde quod aduertunt contra Medinam Molin. & Less. Iudicem Ecclesiasticum non posse punire peccatum in ea compensatione alioqui iusta admissum pœna temporali cogendo,

restituere

restituere, quod licitè omninò retinet, & vt ipse reus sit exequutor talis pœnę. Quarè cùm Prælati potestas, inquit Molin. eò vsque se non extendat; excommunicatio propter non servatum iniquum & inualidum eiusmodi præceptum lata contineret intolerabilem errorem, neque in Conscientia obligaret.

Dico 4. Iudex, qui intentata Excommunicatione iuberet illum, qui iustè se compensasset, prodere, an rem illam accepisset etiam per compensationem, eludi poterit responso æquiuoco, aut restrictione aliqua mentali, si creditor, qui interrogatur, inde timeret damnum aliquod, quia vel re acceptâ spoliabitur, vel debitum amittet, vel furti infamabitur. Ita Nauarr. cap. 17. n. 117. Molin. tract. 2. disp. 692. n. 3. neque placet quod Lessius cap. 12. lib. 2. n. 62. excipit casum, in quo peccatum fuit quoad modum accipiendi, tunc enim illum, qui ita se compensauit, teneri putat respondere iuxta mentem Iudicis interrogantis. Verùm in neutro casu iuridica est interrogatio, cùm Iudex non habeat Ius puniendi, aut interrogandi de crimine, quod nullum fuit, aut non nisi occultum, quod non potest nisi sola ipsius Rei confessione probare. Qua de re fuit alibi dictum fusius.

CONSECTARIUM IX.

An censura pro rebus restituendis liget donatarium circa res sibi donatas donatione illegitima.

Nonum Consectarium ex Regula vniuersali est, an donatarius teneatur restituere rem sibi donatam donatione contra leges & statuta celebrata, atque adeò ligetur censura pro rebus restituendis.

Distinguendum enim est, nam vel ea donatio facta fuit contra legem irritantem, vel contra legem tantùm, conditiones aliquas & solemnitates ac formam extrinsecam præscribentem: prima illa donatio nulla est, & inualida, vt constat ex ijs quæ de lege irritante, & de contractuum ac cæterarum dispositionum irritatione directa vel indirecta disputauimus alibi. Posterior donatio valida est saltem in foro, conscientiæ, quamuis fortassis eò quod contra legis præscriptum facta fuerit, irritanda sit, sed ante sententiā irrita nō est, vt statim insinuabo.

Donatarius igitur, qui rem sibi donatam donatione inualida, & ipso iure irrita retineret, ligabitur monitorio de rebus restituendis, cùm enim non comparauerit eius rei dominium propter innaliditatem donationis per quam in ipsum translatum fuerat, non potest eam retinere, neque potest expectare sententiam Iudicis per quam res donata reddi iubeatur, cùm nullum planè ius illam retinendi habeat: Multò magis igitur illa n reddere debebit, quando à Prælato per monitorium imperabitur & nisi pareat, reuerà incurret annexam excommunicationem. Et sanè nemo negare poterit rem inualide donatam restituendam esse legitimis dominis illam repetentibus; hoc autem faciunt per monitorium, quod ipsis vrgentibus conceditur, idque totum verum est, etiamsi donatio non fuerit facta immediatè, sed mediante aliquo tertio, qui in hunc secundum donatarium refudit, nam primus ille, siue immediatus donatarius non potuit transferre in secundum donatarium nisi ius & dominium, quod acceptando donationem sibi fa-

ctam acquisiuerat, atqui nullum reuerà acquisiuerat, cùm tota illa donatio, vt supponimus, foret inualida, & ipso Iure irrita.

Hinc solues omnes casus singulares, videndum enim fuerit, an ipso iure sint irritæ donationes; quod discutiemus in Mercurio Lugdunensi. Quando donationes aliæue dispositiones factæ sunt absque solemnitatibus præscriptis, sed extrinsecis tantùm, & quæ formam substantialem non attingunt, validæ sunt in foro saltem interno, quando quidem neque irritatæ sunt directè à lege, quam supponimus nullam in eo casu irritantem esse; neque indirectè assignando certam formam & solemnitatem substantialem, quæ violata fuerit, & sine qua impossibile sit consistere substantiam actus. Cùm dicamus solemnitatem omissam extrinsecam duntaxat, & accidentalem fuisse; neque enim re potest esse difficultas, vt latius ostendemus, disputantes de lege irritante. Qui igitur donatione eiusmodi rem aliquam accepit, dominium illius acquisiuit, sed debile admodùm quod subrui aut cassari possit per irritationem à Iudice, quamdiu tamen ea dispositio reipsa non irritatur, manet rei donatæ dominium penes donatarium, qui illo spoliare seipsum non tenetur, neque obligatur ad restitutionem, quarè non ligabitur monitorio pro rebus restituendis.

CONSECTARIUM X.

An monitorium pro rebus restituendis obliget eum, qui aliquid accepit testamento minus solemni.

Decimò colligitur, an qui quidpiā accepit ex testamento minus solemni incurrat excommunicationem, aliamue Censuram pro rebus restituendis.

Distinguendum enim mihi videtur inter Ius commune & Gallicum, vti disputatione de testament. dicam alibi, nam si præcisè solum Ius commune spectemus, verius est testamentum, quod defectu solemnium inualidum est, & nullum in foro externo, validum tamen esse in conscientia; atque dominium in hæredem & legatarium transferre, vbi constabit certò de mente testatoris. Ita Molin. tract. 2. disp. 81. n. 16. & 22. Less. lib. 2. cap. 19. n. 12. alijque tum Theologi, tum Iurisconsulti relati à Couarr. in cap. cùm esses. de testamentis. n. 4. & Tiraquell. post LL. connubia. glossa 1. n. 21. Comitolis. lib. 7. Respons. q. 1. Reginal. lib. 25. praxis. n. 105. Malder. tract. 1. de Iustitia. cap. 11. dub. 5. contra Couarr. l. c. Vasq. opuscul. de testam. cap. 3. n. 4. & 1. 2. disp. 163. n. 11. Bonac. disp. 3. de restitut. q. 5. p. 3. n. 5. Suar. lib. 5. de legib. cap. 24. n. 9. & alios, quia videtur legislator solam fraudem præsumere, quæ vbi reuerà non fuerit, manet ut naturalis valor & efficacitas eiusdem testamenti. Vnde sequitur, eum, qui aliquid ex eo minus solemni testamento retineret nomine hæredis, aut legatarij, validè omninò & licitè id retinere; immò & illum, qui ab intestato cepisset hæreditatem, teneri illam restituere; poterit tamen vti beneficio legis, atque eius testamenti rescissionem curare; quanquàm qui testamento scriptus erat, hæres, possit vti occulta compensatione, aut quod subtipere potuerit, seruare. Contraria tamen sententia

quæ in vtroque foro facit nullum eiusmodi testamentum, probabilis quoque est, cùm enim certum sit, Principes posse ferre leges irritantes omninò testamenta, quæ aliter, quàm ex præscripta formula fient, neque appareat ex verbis legis eos ductos tantùm fuisse falsitatis præsumptione, sed videantur omninò simpliciter & absolutè ea testamento irritare, id omninò præstitisse, non immeritò sibi persuaserunt isti DD. quia tamen aliquæ leges videntur in speciem secum pugnare, & dubitationi faciunt locum in eiusmodi dubijs benignior pars amplectenda erit.

At verò Iure Gallico. certum videtur, nullum omninò testamentum, & hæredem illo institutum non posse negare in conscientia hæreditatem hæredi legitimo & ab intestato eam repetenti, neque vbi per sententiam Iudicis ablata fuerit, vti occultâ compensatione, licet fortassis non teneatur eam restituere, antequam petatur, aut antequàm legitimus hæres vtatur beneficio legis per sententiam Iudicis suo Iuri restitutus: quæ est media quædam sententia Bannis, Victoriæ, & Soti, vti suo loco dicemus, & quam non improbat quoque in Iure communi Less. & Sa. ℣. testamentum n. 3. neque tandem abnuit Molina. Ducor, quia testamenta Iure Gallico sunt odiosa, neque in fauorem ampliantur, neque Galli adeò solliciti fuerunt fauere liberæ dispositioni morientium, quàm familiarum splendori, & quodammodò perpetuitati studere; quarè non permiserunt omninò liberam bonorum dispositionem morienti, tamque vnanimi consensu in eam rem conspirarunt, vt omnes ferè prouinciæ suas leges municipales habeant, quibus morientium & donantium voluntates regant; quarè cum sæpissimè declarent, nulla esse testamenta defectu solemnium, non est quod in meliorem partem interpreteremur de inualiditate tantùm quoad actionem ciuilem, quam eiusmodi testamentis leges denegant: Nam verba sonant apertè omnimodam nullitatem. *Soubs peine de nullité.*

In illis itaque prouincijs, in quibus seruatur Ius commune, qui aliquid ex testamento minus solemni quidpiam acceperit, non tenebitur ad restitutionem per sententiam etiam Iudicis illud discindentis, quia tum ea sententia, tum lex, ex cuius præscripto fertur, vtuntur præsumptione fraudis, ac proinde non obligant in conscientia, vbi de contraria veritate constat; quare si certa sit testatoris voluntas, retineri poterit, quod ab eo Iure donatum fuit, quamuis contrarium iubeat Prætor, immò hęres ab intestato non potest illud repetere ex opinione probabilissima Molinę & aliorum, quam tutò sequi poterit hęres eo testamento minus solemni institutus, quod idem de legatario dicendum erit. Quarè non ligabuntur censura monitorij ad extorquendam eiusmodi restitutionem lati, vti omnino & euidenter sequitur ex regula vniuersali, in qua diximus eum, qui non peccat mortaliter retinendo alienum, non obligari excommunicatione ad finem restitutionis.

Illis verò in locis, in quibus merum & strictum Ius Gallicum viget, existimarem eum, qui nomine hęredis aut legatarij aliquid accipit propter testamentum minus solemne, teneri ad illius restitutionem, saltem vbi repetetur à legitimo hęrede, qui ab intestato succedit, aut vbi sententia Iudicis, illius testamenti inanitas declarata fuerit, quia leges pręscribentes status quasdam solemnitates, & earum defectu cassantes testamenta, non ducuntur sola pręsumptione fraudis, sed propter bonum commune ea solemnia postulant, & testamenta absque ipsis celebrata omninò repudiant, & simpliciter annullant. Cùm igitur legitimi hęredes res defuncti per illud testamentum inualidum distractas repetant interpellatione monitorij, restitui ipsis debent, neque retineri absque peccato possunt; discissum enim est testamentum à Iudice, alioquin isti hæredes non se immiscerent hęreditati, quia scriptus hęres illis obijceret testamentum; quare nisi restituat, incidet in censuram ad obtinendam eam restitutionem intentatam.

CONSECTARIVM XI.

An promittens teneatur vi monitorij rem promissam restituere.

58 Vndecimò Colliges, an Excommunicatio obliget eum, qui alteri rem promisit, ad illam restituendam promissario, aut eius hęredibus.

Distinguendum enim est, nam aut monitorium iubet pręcisè restitutionem rei alienę, siue rerum ad Titium v. gr. pertinentium, vel iubet promissorem stare promissis; atque hoc posteriori modo promissor obligatur excommunicatione ad rem promissam donandam, quoties res promissa grauis est, talis enim promissio, quam suppono acceptatam fuisse, obligat sub mortali siue ex fidelitate, siue ex iustitia propriè dicta, ad eam autem culpam impediendam poterit ferri censura, quę non propriè est censura ad finem restitutionis, hęc enim solam restitutionem rei alienę spectat, siue potius peccatum, quod in retentione rei alienę committitur, impedire aut emendare contendit. Si igitur feratur eiusmodi Censura imperans restitutionem rei alienę, non ligat promissorem, nam 1. promissio, si nihil aliud spectemus, quàm eius vinculum, neque aliud damnum obtingat promissario ex violata promissione, quam carentia rei simpliciter & liberaliter pro missę, non obligat nisi ex fidelitate, vti latè ostendi 2. 2. cum Suar. Relecti. de libertate Dei disp. 2. s. 2. n. 19. Caietan. in sum. ℣. perfidia, & 2. 2. q. 88. a. 1. Aragon ibid. Becan. opusc. de fide hęretic. seruanda. cap. 5. n. 5. cap. 6. Henriq. lib. 13. cap. 17. n. 5. atque ea obligatio non obligat ad restitutionem, vti patet. 2. etiamsi daremus, quod volunt Vasq. & alij à nobis relati eo loco inijcere obligationem ex iustitia, vel saltem esse in arbitrio promittentis obligare se ex iustitia, vel ex fidelitate etiam stando in simplici promissione, quod existimant Molin. tract. 2. disp. 266. Rebell. 2. pa. de obligat. lib. 13. & Malderi. tract. 1. de Iustitia. cap. 9. dub. 8. ea tamen obligatio non dabit promissario Ius in re, quod per solam rei traditionem & possessionem habetur. Dabit igitur duntaxat ius ad rem, atque etiam fortassis actionem in aliquo casu, illud tamen Ius non facit rem promissam esse promissarij, atque ita quando illa retinetur, retineri alienū. Quarè Excommunicatio contra detinentes iniustè alienum

enum, non ligabit promiſſorem, aut alium quempiam, qui detinebit rem promiſſario vi promiſſionis obligatam, quia reuerà promiſſarius nondum est dominus illius rei, quod tamen ſupponit excommunicatio, de qua agimus, cuius verba amplianda non ſunt, ſed potiùs reſtringenda, ſicut contingit in cæteris pœnalibus, niſi igitur in eo monitorio fiat aliqua mentio promiſſionis factæ impereturque eius impletio, vti poterit imperari, non ligabit promiſſorem.

CONSECTARIVM XII.

An monitorium obliget ad reſtituendam hæreditatem, aut rem aliam, quam, qui ad eam inhabilis erat, accepit.

59 11. Colliges eum, qui inhabilis eſt ad capiendam hæreditatem, aut rem ſibi donatam, ligari monitorio de rebus reſtituendis, quia reuerà retinet alienum, cùm nullum rei ſibi donatæ dominium acquiſieris, aut acquirere potuerit; quarè in ea retentione peccat, potéſtque cogi cenſuris ex Regula vniuerſali tradita. Exemplum eſt in ſpuriis, qui non poſſunt ſcribi parentum hæredes, qua de re fusè diſputauimus 2. 2. vbi aduertimus inter Cæſareo multùm intereſſe inter ſpurios & naturales liberos ſiuè nothos, cùm ius Gallicum nullum planè diſcrimen in iſtis agnoſcat, ſed omnes baſtardorum nomine complectatur, remoueatque ab hæreditare Parentum, faciatque capaces omnium donationum, quas Pater & Mater facere voluerint, etiã omniũ bonorum excepta legitima iis quibus debetur. Quanquam in quibuſdam prouinciis non poſſint capere, niſi vſumfructũ donationũ ſibi factarum à parentibus, non autem proprietatem, quod quoad filios Presbyterorum tota Gallia ſeruatur. Si itaque parentes darent filiis ſpuriis & Baſtardis, pluſquàm dare liceat inter regni aũt municipali; vt ſi totam hæreditatem ad eos deriuarent, peccant mortaliter, & ſpurius donatarius aut hæres tenetur ad reſtitutionem etiam ante ſententiam Iudicis, quæ reſtitutio facienda erit legitimis hæredibus. Ita Molin. tract. 2. diſp. 169. n. 2. & alij paſſim, quia cùm iſte illegitimus ſit incapax eiuſmodi hæreditatis, aut bonorum; dominium illorum manet apud dantem, aut eius hæredes. Quarè in conſcientia obligatur ad reſtitutionem, cum nullo titulo dominij ſibi retineat; validum itaque erit monitorium vrgens eiuſmodi hæreditatis reſtitutionem, aut eius quod ex illa ſibi decerpſerit iſte ſpurius.

CONSECTARIVM XIII.

An fideicommiſſarius teneatur vi monitorij hæreditatem ſua fidei commiſſam legitimis hæredibus reſtituere.

60 Hinc ſolues, quid dicendum ſit de fideicommiſſario, qui accepit hæreditatem ſuæ fidei ita cõmiſſam, vt refunderet illam perſonæ, quæ propter inhabilitatem non poterat ſcribi hæres, an teneatur excommunicatione, quam hæredes legitimi ferri curabunt pro reſtituenda illa hæreditate. Titius v. gr. ſcribit hæredem Caiũ, qui Sempronio Titij filio ſpurio illam donabit; quæritur an teneatur Caius excommunicatione de reſtituendis bonis teſtatoris, illi, cui legitimè erant obuentura.

Ꝝ. Diſtinguendum eſſe, nam aliquando teſtator, dum inſtituit hæredem, eam conditionem apponit, vt totã hæreditatem, aut eius partẽ reſtituat filio ſpurio, aut alicui perſonæ, quam ipſe non poterat inſtituere, & ille hæres illam conditionem admittit, ad eamque ſe obligat; aliquando verò teſtator ſperat quidem hæredem, quem ſcribit redditurum hæreditatem filio ſpurio, alitet omninò non inſtituturus, non tamen apponit eam cõditionem, aut onus, quamuis ſecum eſſe illam mentem, idque ſe omninò expectare ſignificet, atque vti præſtet; omninò roget hæredem à ſe inſtitutum, aut certè eam quidem conditionem refundendi in alium hæreditatem fert, non tamen hæres ad illam ſe obſtringit. Si hæc inſtitutio hæreditatis fiat priori modo, hæres, qui ad eam conditionem & onus ſe obſtrinxit, peccauit mortaliter, & bona illius hæreditatis fiſco cedunt, vt ex pluribus iuribus oſtendit Molin. tract. 2. diſp. 169. num. 5. & ſanè grauiter in bonum publicum delinquit, ſic enim fraudibus eluduntur leges, & fouentur crimina, dum pœnæ illis decretæ eiuſmodi artibus vitantur, ſit præterea iniuria illis, quibus ea bona obueniſſent. Quarè in pœnam tanti criminis bona ea fraude quæſita, fiſco addicuntur; vt tradit Bald. in l. ſi quis Preſbyter. C. de Epiſcop. & Cleric. non tamen tenetur ante ſententiam condemnatoriam hic hæres ea bona fiſco tradere, ſed ſibi retinere poteſt, quia eſt verè hæres, & verum illorum dominium acquiſiuit, quamuis in pœnam violatæ legis, & fraudis admiſſæ priuetur iiſdem bonis, vt dixi, non redditur tamen incapax ea bona capiendi ſicut ſpurius, alioquin eiuſmodi hæreditas non pertineret ad fiſcum, ſed ad hæredes legitimos ab inteſtato, quibus ſuum ius non poſſet abſque iniuria tollere fiſcus, qui tamen poteſt in pœnam illis bonis ſpoliare inſtitutum hæredem, & verum dominum fine iniuria eorum, qui ab inteſtato ſucceſſuri erant, nullum enim ampliùs ius retinebant ea bona, quæ verè ad externum hæredem deuenerant. Ratio eſt, quia ius iſtorum non erat niſi ad rem, & illud quidem remotum ac conditionatum, ſi nempe defunctus inteſtatus decederet, quare condito legitimo teſtamento nullum ipſis ius remanſit: & hæres inſtitutus donec per ſententiam Iudicis mulctetur bonis eo teſtamento quæſitis, ea retinebit, vbi tamen ea fiſcus iuſſerit reddere, reſtituenda erunt vnà cum omnibus fructibus, quia ſententia retrotrahetur ad diem commiſſi criminis. Atque hanc legitimam hæredis ita inſtituti poſſeſſionem ante condemnationem tradunt Molina cit. diſp. 169. conc. 5. Couarrũ. in 4. Decretal. 2. p. cap. 8. §. 5. n. 8. Lazari. ſect. 5. de monito. q. 5. num. 4. Sanch. lib. 4. conſil. cap. 3. dub. 20. num. 9. & 11. Azor 2. p. lib. 2. cap. 10. q. 2. atque alij à Sanch. num. 9. relati, contra Tabien. v. Filius num. 2. Sotum lib. 4. de inſtit. q. 5. a. 1. ad 4. & in 4. diſt. 41. q. vnic. a. 4. Roſellam v. filius num. 6. Ludouic. Lopez 2. p. inſtruct. cap. 19. Ioann. Molinam in different. inter forum conſcientiæ, & contentioſum, different. 25. Barthol. in l. fin. ff. de his, qui vt indigni num. 9. & alios plures Iuriſconſultos relatos à Sanc. dub. 2. cit. num. 4. qui omnes negant verum dominium acquiſitum fuiſſe hæredi ita inſtituto & grauato, ac proinde teneri illa reſtituere, cùm tamen certum ſit apud omnes, vt optimè obſeruat Antoni. Gomezi. lib. 1. variã. cap. 51. num. 1. hæredem grauatum reſtituere

restituere alteri, effici verum dominum hæreditatis, quamuis teneatur ad implendum onus, & grauamen impositum; quod amplius confirmatur ex eo, quod dictio grauamen importans, qualis est particula, dummodo, vt, aliæque similes aliquando faciant donationem, vel institutionem modalem, aliquando conditionalem; quando enim adiiciuntur actui imperfecto faciunt conditionalem, dabo tibi hoc prædium, dummodò dones Titio: Instituam te hæredem, vt refundas hæreditatem in Caium; quando autem apponuntur actui perfecto similes particulæ, faciunt illam modalem. Do tibi centum aureos, vt des ex illis quinquaginta Sempronio, Instituo te hæredem, vt tu deinde scribas Marcellum: quod discrimen istarum dictionum obseruat Tiraquell. de Retractu gentilitio, §. 1. glossa 8. Molin. lib. 2. de primogenit. cap. 15. n. 29. Multùm porrò interest inter dispositionem conditionalem & modalem, conditio enim suspendit effectum dispositionis vsque ad euentum conditionis; quarè donatio, aliaue dispositio conditionalis non transfert dominium, donec ponatur conditio; modus autem non suspendit effectum dispositionis, sed grauamen & onus quoddam affert implendi quidpiam; quarè donatio & institutio modalis transfert verè dominium cum obligatione tamen, quæ imponitur donatario aut instituto, implendi illum modum, qui instar grauaminis cuiusdam adiicitur, si tamen non impleatur ille modus non perit, aut minuitur dominium semel translatum, sed ad modi impletionem cogere licebit nouum illum dominum, ita de conditione & modo disputant Sylu. ✠. donatiò. 1. Initio. Medin. C. de restitut. q. 24. Rebuff. in L. 156. de verborum significat. §. cùm verò & §. vtilitas. Quarè si quis recensitus est inter ciues, dummodò quidpiam soluat non amittit Ciuilitatem, si non soluat, vt ait Molina. cap. 15. cit. n. 28. quando Pontifex confert alicui duo beneficia, dummodò in altero constituat substitutum, si non ponat, non propterea amittit beneficium & valet Collatio; quod obseruauit glossa in cap. non potest de Præbendis in 6. ✠. retinere, quia nimirùm collatio non fuit conditionalis, sed modalis. Cùm igitur in nostro casu Institutio hæredis fuerit modalis, & cum onere transferendi deinde hæreditatem in spurium, reuerà transtulit dominium in hæredem institutum, sed cum aliquo grauamine.

Aliquando verò ita scribitur hæres, vt quamuis non apponatur côditio, aut grauamen refundêdi, id tamen de suo hærede speret testator, suamque mentem illam esse significet, aut ad id præstandum roget hæredem à se scriptum, aut denique conditionem eiusmodi refusionis apponit, quam tamen non acceptat hæres, neque ad eam se obstringit; atque hoc casu hic hæres fit verè dominus relictæ sibi hæreditatis, quia institutio fuit absoluta, & non sub conditione, aut modo, factæque fuit sint personæ capaci & habili; spes autem, aut intentio testatoris nullam inducit obligationem, nisi in conditionem aut modum transeat; Immò etiamsi fuisset apposita conditio, si tamen ad eam se non obligauit hæres, plenum habebit dominium, cùm enim conditio esset in fraudem legis non tenebatur ad eam se obligare hæres.

Poterit nihilominus hæres, siue cum ea conditione & grauamine acceptauerit hæreditatem, siue absolutè fuerit institutus, illam donare spurio, aut alteri personæ, quam leges prohibebant scribi hæredem; quamuis ad hanc restitutionem spurio faciendam non tenetur, quod postremum malè negauit Victor in sum. de matrimon. n. 129. nam ea promissio refundendi hæreditatem spurio facta fuit contra legem, aut in fraudem legis prohibentis spurium scribi hæredem; promissio verò contra leges non obligat. L. Iuris gentium §. prætor. ait. ff. de pactis. Quarè hic hæres, qui tacitam fidem contra legem obligauit, dicitur habendus esse loco prædonis. L. prædonis ff. de petit. hæredit. vt explicat Couarr. L. c. n. 9. quod si hæredi non fuit apposita illa conditio, vel se ad illam non obligauit, multò minus tenebitur refundere hæreditatem personæ illi incapaci, etiamsi ea fuerit mens testatoris.

Posse nihilominus hunc hæredem bona sic acquisita donare spurio, qui illa licitè accipiet & validè retinebit, tradunt ijdem DD. quos in nostra assertione sequuti sumus, quia ille hæres est dominus, potestque, cui libuerit, sua bona donare, neque spurius tunc accipit quidpiam à parente, aut ex eius efficaci voluntate, sed ex mera & gratuita donatione veri hæredis & domini, in cuius arbitrio est ea vel donare, vel sibi seruare; neque illo dominio potest priuari, nisi in fraudem legis, tacitam fidem obligârit ad eam donationem, quod probandum erit iudicio, vt fisco per sententiam condemnatoriam addici queat hæreditas illa; Immò si Iudex roget hæredem, an fidem dederit testatori de restituendis bonis spurio, neque infamia, aut semiplena probatio præcesserit, non tenetur respondere ad mentem Iudicis, quia tunc non interrogatur iuridicè; vt docent Couarru. & Molin. cit. & Sanch. lib. 4. Consili. cap. 3. dub. 23. n. 2. & L. 3. in Decalog. cap. 6. contra Felin. in cap. intimauit de testibus, & Nauar. in cap. inter verba. Coroll. 65. n. 801. Respondebit igitur hæres se nihil alienum dedisse, quia reuerà dedit, quod suum erat; spurius autem, qui vel ex liberalitate hæredis instituti, vel vt fidem testatori datam liberaret, aliquid acceperit, illud vt iam dixi, retinebit donec hæres condemnetur, & bona fisco addicantur, quanquàm si spurius accepisset ista ex Conscientia erronea hæredis, qui sua promissione se teneri falsò existimabat, non posset quicquam retinere, nisi dedeceret hæredem, qui voluntariè non dat, neque suum dominium, quod putat nullum habere, transfert in spurium.

Ex his explicatur quæstio posita in Corollario; nam 1. hæres, qui cum fideicommisso acceptauit hæreditatem, de qua agimus non tenetur eam restituere, neque spurio, cui transfundendam accepit contra legis prohibitionem, neque heredibus, qui ab intestato fuerant successuri; quarè non ligabitur monitorio, quod pro restituenda illa hereditate istis vrgentibus fertur. Quod si fiscus monitorium illud curaret vt sibi bona illius hereditatis vindicaret, tenetur hic hæres post sententiam condemnatoriam sui criminis fisco restituere; ac proinde si quid occultè ex ea sibi reseruaret, incurreret in excommunicationem latam pro recuperandis eiusmodi rebus.

2. Si

2. Si hæres institutus non peccarat in acceptãda ex hæreditate, eò quod non fuerit à testatore grauatus onere transmittendi in spurium, quamuis id spectarit testator, aut quia licet eam conditionem apposuisset, hæres non se ad illam obligauit; non tenebitur monitorio pro restituenda illa hæreditate, etiamsi fiscus illud extorserit, immò etiã si ex præsumptione malæ fidei, & violatæ legis fuerit damnatus, & hæreditas fisco addicta; quia cùm reuerà non peccarit, retinet semper dominium illorum bonorum quod licitè comparauit, & quo priuari non potest propter præsumptionem culpæ, si reipsa culpa non fuerit admissa. Vitabit igitur, qua potuerit ratione, illam pœnam, & rapaces fisci minas eludet, neque monitorio ad extorquendam ipsi totam hæreditatem obtento mouebitur.

3. Spurius, cui fuerit donata hæreditas ab hærede instituto, illam licitè retinebit, & non ligabitur vlla ratione monitorio, si eam accepit eius hæredis liberalitate, qui in ea acceptanda non peccarat. Si verò ab eo, qui violarat legem paciscendo cum testatore, aut obligando se ad iniquam conditionem & in fraudem legis, donec hæres ipse fuerit condemnatus; non incurret excommunicationem vrgente fisco latam. Quod si feratur monitorium instantibus duntaxat illis, qui ab intestato successuri erant, eo prorsus non ferietur, cũ non teneatur restituere nisi fisco, & qui petunt ea bona, nullum ius ad illa habeant, post condemnationem autem hæredis, qui sibi hæreditatem illam donauit, tenebitur restituere fisco, si donationes alienæ dispositiones, quas ij, quorum bona sunt addicta fisco faciunt ante sententiam condemnatoriam criminis, inualidæ sint, aut saltem rescindibiles per illam sententiam, vti reuerà esse latè ostendit Sanch. lib. 2. in decalog. ca. 23.

CONSECTARIVM XIV.

An monitorium obliget ad restituendam rem legitimè præscriptam.

61 14. sequitur ex vniuersali regula nostra eum, qui rem alienam legitimè præscripsit, non teneri excõmunicatione ad eiusdẽ rei restitutionẽ extorquendã concessa, quia titulus legitimæ præscriptionis transfert dominium rei præscriptæ in præscribentem, dominium, inquã, tũ directũ, tum vtile, saltẽ ciuile, vt 12. latè ostendimus contra Felin. in Rubric. de præscript. n. 23. vbi malè distinguit inter mobilia & immobilia, istorum enim dominium tantum vtile acquiri præscribenti contendit: sed male vti fuit à nobis ostensum, si agatur de dominio ciuili, an verò dominium naturale prorsùs extinguatur apud antiquum dominum, an elidatur duntaxat, modò non disputo, sufficiat nobis acquiri verũ dominiũ legitima præscriptione. Quando igitur fertur monitorium ad restitutionẽ rerũ alienarum faciendã, non obligabit legitimè præscribẽtẽ, qui alienum nõ retinet. Quare vides, quàm necessariò hoc corollarium sequatur ex vniuersali Regula, nimirùm eum, qui non peccat in re aliena retinendã non incurrere censuram pro restitutione concessam.

Egi verò in hoc corollario de legitima præscriptione, hoc est, quę bõnã fidẽ & alias cõditiones, de quibus latè disputauimus alibi, habeat: cuiusmodi non est, quando ius ciuile negat duntaxat actionẽ ad reperenda sua debita, aut alia eiusmodi, tunc enim non eliditur dominium antiqui domini, neque qui eas res possidet, liberatur onere restituendi; immò aliquando sunt iniustæ eiusmodi leges; quomodò de ea, quæ negat ius repetendi suas operaš famulo post decennium; docent Naua. c. 17. nũ 85. Couarr. in Reg. possess. 2. p. §. 11. n. 3. & 4. Molin. tr. 2. disp. 67. con. 1. Alphons. à Castro lib. 2. de lege pœnali c. 10. quarè qui ea stipendia retinet, peccaret, & ligaretur monitorio pro restitutione.

CONSECTARIVM XV.

Creditor accipiens rem sibi debitam non vrgetur monitorio indicente restitutionem, etiamsi sint creditores personales ipso anteriores.

Qui rem sibi debitam accepit, non vrgetur monitorio indicente restitutionem, etiamsi sint creditores personales ipso anteriores. Ita Comitol. lib. 3. respons. q. 39. quia ille creditor non tenetur ad restitut. siue ipse per occultã cõpẽsationẽ rem sibi debitã acceperit, siue à debitore precibus importunis, aut actione iudiciali extorserit, siue eius liberalitate gratuita obtinuerit, siue supersint adhuc bona quibus satisfiat Creditoribus cæteris, siue nõ supersint, quod iã cũ pluribus DD. monuimus coroll. 8. in 4. conditione iustę cõpensationis; atq; excõmunicatio lata à Iudice Eccles. in hoc casu vrget tãtũ obligationẽ naturalẽ ad restitutionem, vt vitetur peccatũ, quod in rei alienę detẽtione cõmittitur 62

CONSECTARIVM XVI.

An depositarius negans iustè domino rem depositam reposcenti teneatur monitorio ad restitutionem lato.

Eadem ex causa non vrgenti monitorio præcipiente restitutionẽ, depositariũ, qui iustè negat domino reposcenti rẽ depositã, affirmant Nauar. in c. inter verba, conc. 6. corol. 65. n. 797. Sanch. lib. 6. consil. cap. 2. dub. 24. n. 1. Sayr l. 12. clauis Regiæ c. 14. n. 31. quia in ea negatione non peccat depositarius, vt supponimus, nam vbi cessauerit ratio propter quam iustè denegabatur depositũ, si adhuc vrgeat obligatio excommunicationis incurretur, nisi restituatur. 63

Plures verò caussas alibi enumerauimus, propter quas depositarius rem depositam negat deponenti, de quibus passim DD. in contractu depositi explicando disputant 1. si deponens eã in proprium, vel proximi damnum vsurus sit, armis, quæ repetit, aliũ occisurum, si enim depositarius id præsciat, peccat reddendo arma, est enim iniusta causa damni inde sequuti, vt obseruauit Soto lib. 4. de iustitia, q. 7. a. 2. & Roderiq. 1. P. sum. cap. 153. n. 8

2. Si res deposita furtiua sit, eiusq; verus dominus compareat, illi domino non furi deponẽti reddẽda erit. 3. quãdo bona omnia fisco sunt addicta, liberũ erit ea vel deponenti, vel fisco reddere, vt ait Less. lib. 2. cap. 27. n. 14. quamuis deponenti restituendum depositum tunc affirmet Sa. ℣. depositum, 4. denique quando in compensationem detinet, vt diximus coroll. 8.

COROLLARIVM. XVIII.

An vxor & liberi aliquid ex bonis defuncti mariti vel parentum detinentes ligentur monitorio ad reddenda illa bona lato.

64 Ex nostra quoque Regula soluitur, an vxor & liberi, qui sibi aliquid ex bonis mariti, aut parentis defuncti retinuerunt, vrgeantur monitorio; quod Creditores defuncti, aut fiscus ad recuperanda eiusmodi bona ferri curant: statim enim apparet, eos non teneri eiusmodi monitorio si illa bona sumere & retinere sibi possint absque iniustitia; si verò retinendo res subtractas Iustitiam violant, ligantur monitorio ad illarum restitutionem concesso. Tota itaque difficultas est in assignandis certis causis, quæ vxorem & liberos defuncti hæreditatem expilantes reddant omnis iniustitiæ immunes.

65 Et 1. quidem, quæ in compensationem suæ dotis, aut ad repetenda bona paraphernalia accepit vxor, aut illi donata sunt in remunerationem quandam obsequiorum, retineri ab illa possunt absque culpa, vt coroll. 8. & 9. diximus.

66 2. Quæ à marito donata sunt, si confirmata fuerit donatio morte donantis mariti, vti fit appositis quatuor conditionibus, de quibus latè disputat Sanch. lib. 6. de matrim. disp. 14. & 15. retinentur validè, nisi fortassis facta fuerit in fraudem creditorum; qua de re dicam statim.

3. Quæ vxor & liberi recipiunt à marito & parente debitis grauato in sustentationem & alimenta, etiamsi inde crescant noua nomina, fiatque impotens ad illa dissoluenda, validè & licitè retinentur, neque quicquam propterea Creditoribus vir aut liberi debent, quia tenetur ex Iustitia vxorem & liberos alere; quarè nulli faciunt iniuriam, dum accipiunt sibi debitum. Sicut igitur, quando debitor impotens ad soluendum, pecunias mutuatur, vt antiquiori creditori satisfaciat, nullam ille creditor contrahit obligationem aduersus nouum istum creditorem, à quo debitor accepit mutuo pecunias, cùm enim ex solutione eius, quod sibi debitum erat, non fiat ditior; pecunia illa tanquam in rem ipsius versa condici non potest, quod constat ex L. eum qui. C. de Actionib. & obligat. neque vxor aut liberi tenentur de debitis, quæ Maritus aut Pater in ipsis alendis & sustinenda familia contraxit, vt pluribus disputat Sanch. lib. 9. disp. 4. n. 29. qui addit n. 30. vxorem, cui vir dederit centum ferenda Creditori, si ea expenderit in familiæ sustentationem, teneri de suo reponere, quià causam dedit, ne Creditores debitum reciperent; qui tamen deinde sapienter limitat, vt si familia grauiter pateretur, neque vir subueniret, vxor iustè expenderit istos nummos, & acceperit tantum sibi debitum à marito, in cuius dominio manebant adhuc illi nummi nondum facta traditione creditoribus. Quod verò attinet ad liberos non placet, quod vbi suas operas alijs locando absque dedecore viuere possunt, eos in fraudem creditorum alendos negant Vasq. cap. 11. de Restitut. n. 87. Sylu. ỳ. vsura. 8. q. 2. Nau. cap. 17. n. 269. Bonac. disp. 1. de restitut. q. 8. p. 2. n. 31. Molina. tract. 2. disp. 330. n. 10. nam reuerà liberi, quamdiu sunt de familia patris, neque sunt emancipati, neque habent bona Castrensia, ab illo ali debent, neque tenentur onus seruiendi subire, vt alijs Creditoribus faueant.

4. Maritus vel Pater, qui in fraudem Creditorum repudiaret hæreditatem, aut legatum sibi delatum, vt in ijs vxor vel liberi succederent, peccaret quidem mortaliter; vxor tamen & liberi tutò eiusmodi hæreditatem vel legatum possiderent, neque creditoribus mariti repudiantis obligarentur.

Et quidem valere hanc repudiationem in vtroque foru, neque Creditores posse quidquam exigere ab vxore, aut liberis succedentibus in hæreditatem aut legatum à marito, vel parente repudiatum, constans est omnium assertio apud Sanch. lib. 6. de matrim. disp. 4. n. 8. & 9. & quo ad forum externum manifestè traditur L. qui autem 6. ff. quæ in fraudem Creditorum, & Regul. non fraudentur. 177. ff. de Regulis Iuris. quibus locis optima ratio redditur, quia talis debitor desinit tantum acquirere, non autem alienat, aut diminuit, quare non possunt Creditores quem debitorem sua bona in fraudem dissipasse, sed tantùm non acquisiuisse, vnde soluere potuisset sua nomina. Dices saltem non posse repudiari hoc modo legatum in specie factum, maximè vbi cessit dies legati, eò quod legatum statim à morte testatoris non expectata aditione hæreditatis ab hærede, transeat in dominium legatarij L. à Titio. ff. de furtis. & L. 1. §. sed vtrum ff. si quid in fraudem patroni; quarè si legatarius eiusmodi legatum repudiet, iam imminuit sua bona, & illa alienat, atque ita qui illa capient, obligabuntur Creditoribus, in quorum fraudem facta est ea repudiatio siue potiùs cessio vel donatio. Respondeo cum Molina in Consuetud. Parisi. tit. 1. §. 1. gloss. 3. q. 1. n. 13. & Couarru. in 4. Decretal. 2. p. c. 7. §. 1. n. 12. dominium legati non acquiri nisi imperfectè & reuocabiliter à legatario ante acceptionem, nempè sub tacita conditione, si acceptetur, aut si non repudietur; quarè vbi deinde vel repudiatur, vel non acceptatur, fingitur nunquam fuisse quæsitum; quod ipsum obseruauit gloss. in L. qui autem. cita. ỳ. legatum. & tradit L. 1. §. vtrum autem. ff. si quid in fraudem patroni. Quamuis autem, inquit, legatum retro nostrum sit, nisi repudietur, attamen cùm repudiatur retro nostrum non fuisse palam est. Qua simili ratione reijciuntur, qui hanc repudiationem hæreditatis in fraudem Creditorum negabant fieri posse ab hæredibus suis, quia eiusmodi hæredibus etiam ignorantibus statim à morte partis acquiritur hæreditas ipso iure. L. in suis. ff. de suis & legitim. hæredibus, atque proinde ea repudiatio futura sit circa bona quæsita, & non tantùm quærenda. Respondeo enim eam acquisitionem esse reuocabilem, & non nisi conditionatam, si nimirùm hæres non repudiet, quare si repudiet, retrotrahetur repudiatio, vt per Iuris fictionem numquàm acquisita fuerit hæreditas.

Quod verò attinet ad forum internum validam esse eam repudiationem & eos, qui deinde succedunt in ea bona, licitè ea possidere, certum quoque est, eò quod neque donatio, neque alienatio fit hoc loco, sed solùm non acquisitio, & siue peccarit siue non, qui ita repudiat in fraudem Creditorum, qui tamē succedit post eam repudiationem, nihil confert ad illud damnum creditorum, sed solùm vtitur Iure suo, & capit, quod reuerà suum est, repudians enim donat huic succedenti in hæreditate,

redita te, vt ait Couarr. L. cit. sed tantùm inquit Molinæ gloss. 3. adducta n. 15. tollit id, quo impediebatur à successione, alius qui remoto illo impedimento legitimè successurus erat.

Existimo tamen hunc repudiantē hereditatē aut legatum in fraudem creditorum, & ne cogatur illis sua debita soluere, peccare mortaliter. Ita Sanch. n. 9. cit. Molin. disp. 435. sub. fin. tract. 2. Nauarr. lib. 3. de Restituti. cap. 1. n. 1 t 2. Villalob. 2. p. tract. 19. diff. 8. n. 10. Illuc tract. 3 2. n. 139. Bonac. disp. 1. de Restitut. q. 8. punct. 2. n. 36. quia cùm teneatur iste debitor ad soluenda debita, tenetur quoque eādem lege adhibere media ad id necessaria, saltem vbi facilia sunt, cuiusmodi est acceptatio hæreditatis sibi delatæ, alioquin causa est damni quod patiuntur Creditores ex delatione solutionis, quam reparare debebit, si inde ad pinguiorem fortunam veniat. Sanè si quis amisso breuiario nollet acceptare aliud, quod ipsi offertur, peccaret non recitando horas defectu breuiarij; & qui propter sublatum pallium non auderet prodire domo ad audiendum sacrum, teneretur aliud, qnod ipsi offeretur, acceptare, ne die festo careret sacro; Et filius qui in graui necessitate constitutus parentes alere tenetur, peccaret, si nollet exercere artem, ea qua sibi & parentibus alendis lucrari potest. Neque obstant Iura quæ hanc repudiationem approbant, illa enim solùm negant actionem aduersus eam repudiationem, quam nolunt esse reuocabilem, etiamsi creditor queratur in sui fraudem factam fuisse.

Vnde fit vt qui eiusmodi debitoribus similes repudiationes consulunt in fraudem Creditorum, peccent grauiter, teneanturque soluere Creditoribus illa debita.

Aliud verò est repudiare hæreditatem in fauorem eius, qui erat alioquin successurus; aliud vero cedere Ius suum, vt alius qui non erat succedat, quia cessio supponit priorem acquisitionem, vnde tunc est vera donatio, & alienatio boni in fraudem Creditorum facta. In his autem omnibus obseruandum est, tum vxorem, tum liberos aliosque donatarios sæpissimè conscios non esse fraudis Creditorum, in quam fiunt eæ donationes, atque ita nihil conferre ad ipsorum damnū, quare ad nihil tenentur, nisi sollicitârint ad eam fraudem, vt statim dicam Coroll. 19.

5. Etiamsi vxor ex proprijs bonis se familiamque suam alere possit, si tamen ex bonis mariti vsurarij sese alat, indeque videat impotentem reddi maritum ad soluendum, non peccat, neque ad restitutionem creditoribus faciendam vllo modo tenetur. Ita Nau. cap. 17. n. 268. Molin. tract. 2. disp. 330. n. 8. neque dissentit Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 4. n. vltimo. & omninò affirmat Layman. lib. 3. sect. 3. tract. 2. cap. 12. sub fin. Bonac. disp. 1. de restit. q. 8. p. 2. n. 52. contra Sylu. v. vsura q. 2. cui consentit ea in parte Vasq. cap. 11. de restit. dub. 3. n. 8. quia cùm maritus æque obligetur ad alendam vxorem, atque soluendas vsuras; vxor vtitur iure suo, & non accipit alienum, sed sibi debitum, quanquàm vbi est communio & societas bonorum inter vxorem & maritum teneatur deinde vxor ad medietatem debitorum mariti defuncti.

6. Possunt vxor & liberi ex bonis defuncti mariti & parentis tantùm sibi vendicare, quantum ad sustentationem necessarium erit, cùm ipse etiamsi maritus, excusaretur à facienda restitutione, ex inopia alimentorum aliorumque eiusmodi; quare vtensilia quædam, & alia nonnulla ad victum necessaria absque culpa asportantur ab vxore & liberis.

In his igitur similibus euentibus non tenebuntur vxor & liberi monitorio, quod creditores mariti defuncti ad eius bona distracta recuperanda, obtinuerunt.

Quod verò ad fiscum similia bona repetentem, idem omninò dicendum erit, cùm causa creditorum potior sit, quàm fisci; creditores enim agunt de damno vitando, fiscus autem de lucro captando; quarè creditor priuatus potioris est conditionis, quàm fiscus pœnam exigens. L. vnicum C. pœnis fiscalibus creditores præferri; quarè in eo casu fiscus nullo priuilegio gaudet, nam ante sententiam nulla illi pœna conceditur, quia non est creditor. L. si qua pœna. Et L. aliud. §. inter multa. ff. de verb. significat. post condemnationem autem nullam habet hypothecam respectu aliorum Creditorum ex contractu. L. quod placuit. ff. de Iure fisci. præfertur tamen tunc cæteris Creditoribus ex delicto, & respectu illorum habet hypothecam; qua de re Vid. Couarr. lib. 1. Varia. cap. 16. n. 8. Quando igitur Monitorium obtentum à priuatis Creditoribus, non vrgeret vxorem aut liberos ad restitutionem, neque etiam vrgebit ad instantiam fisci latum. Videndum duntaxat erit, an bona fuerint ipso facto ante sententiam condemnatoriam fisco addicta, an verò condemnatione ad hoc opus sit, vt adiudicari possit, an ea bona debita essent fisco, quando ab vxore substracta sunt, an non: si primum enim contigerit, omninò erunt restituenda, nisi causæ superius allatæ excusent. Si secundum, nullâ opus erit restitutione.

CONSECTARIVM XVIII.

An debitor vrgeatur monitorio, quod obtinuit fiscus ad repetenda debita Reo, cuius bona ipsi fuerunt addicta.

Debitor tenetur soluere fisco, quod debebat Reo, cuius bona confiscata sunt; quarè obligatur monitorio in eam rem lato, etiamsi Reo, aut eius vxori, alijsque similibus ea reddiderit, quia revera eorum non sunt sed fisci, cui bona Rei sunt adiudicata; nomine enim bonorum intelligi debita in posterum soluenda obseruauit Molin. tract. 2. disp. 741. n. 7. neque liberatur obligatione soluendi, qui soluit alteri, quàm Creditori, tunc autem creditor fiscus est. Duo tamen hunc debitorem eo casu excusabunt, primum est, si Reus aut vxor, eiusque liberi potuissent sibi ad alimenta, aut propter alias causas superiori Corollario enumeratas tantundem ex bonis Rei retinere. 2. si res debita certa esset in specie, & Reo, aut eius consanguineis tradita fuisset per ignorantiam inuincibilem, ex eo quod ille debitor nesciret esse fisco reddendā, tunc enim non tenebitur restituere fisco ratione rei acceptæ, quàm amplius non habet, neque ratione iniustæ acceptionis, quam inuincibilis ignorantia omnis culpæ fecit expertem.

CONSECTARIVM XIX.

An donatarius accipiens ab obærato donatore teneatur monitorio, quod eius creditores impetrant.

70 19. Colliges an donatarius qui aliquid accepit ab obærato donatore impotente ad dissoluenda sua nomina, vel qui ea donatione fit impotens teneatur monitorio, quod deinde Creditores ad extorquendam restitutionem bonorum illius debitoris & donatoris obtinent.

℞. Ex Regula vniuersali hunc donatarium aliquando ligari hoc monitorio eiusque censura; aliàs verò illius immunem esse, prout videlicet rem, quam ab obærato donatore accepit, tenebitur ante eiusmodi Monitorium restituere, aut sibi licitè retinere poterit; quod vt dignoscatur,

71 Obserua imprimis debitorem retinere adhuc sua bona, tanquam verum ipsorum dominum, neque enim aliena sunt nisi in potentia, quatenùs, inquit Rebell. 2. p. de obligat. lib. 1. q. 7. n. 1. aliqua ex illis tradenda sint Creditoribus ad extinguẽda nomina, actu tamen manent adhuc in iure & dominio debitoris; quarè potest illa distrahere, & alienare titulo oneroso, vt venditione, permutatione, & cæteris similibus contractibus, vel titulo gratuito & lucratiuo, vt donatione, ex qua alienatione fit aliquando, vt bona, quæ supersunt debitori, non sufficiant ad debita soluenda Creditoribus, quam impotentiam si debitor distrahens & alienans sua bona præuideat, dicitur illa alienare in fraudem Creditorum, etiamsi reuerà non habeat animum eos defraudandi, scientiam enim futuræ impotentiæ, & damni, quod inde creditoribus obtinget, Iura nominant fraudem & consilium fraudandi Creditores. L. si quis cùm haberet. ff. quæ in fraudem Creditor. & §. in fraudem. Instit. quibus ex causis manumittere non licet. Qui verò rem sibi à debitore vel donatam, vel quopiam alio contractu traditam accipit conscius impotentiæ satisfaciendi creditoribus, in qua est, vel in quam se conijcit debitor per eam alienationem, dicitur accipere mala fide, aut in fraudem Creditorum; quarè si à Creditoribus admoneatur, ne aut acceptet, aut emat rem debitoris, eò quod inde ipsi damnum passuri sint, censetur emere & accipere fraudis conscius; quarè datur actio rescissoria creditoribus aduersus illum, l. ait Prætor. §. quod ait. ff. qui in fraudem Creditorum; quando verò neque debitor donans rem suam, neque donatarios acceptans conscij sunt impotentiæ, dicuntur esse in bona fide; contingit autem aliquando vt in vtroque sit bona fides, aliquando in altero tantum, siue in donante & distrahente rem suam, siue in acceptante, emente, aut alia ratione de ea paciscente, de quibus singulis ita quondam statuebamus circa donationes siue alienationes factas à debitore titulo gratuito & lucratiuo.

72 1. Igitur quoties debitor donans aliquid ex suis bonis, neque est, neque fit ex ea donatione impotens ad soluenda debita, etiamsi deinde incidat in eam impotentiam, transfert dominium rei donatæ in donatarium, qui nulla ratione obligatur ad restitutionem Creditoribus, etiamsi vterque tum donans, tum donatarius falsò existimarent, eam donationem fieri in fraudem Creditorum. Ita Rebell. 2. p. lib. 1. q. 7. n. 11. Villalob. 2. p. tract. 19. diffi. 8. n. 2. Sot. lib. 6. de Iustitia q. 1. art. 4. Caietan. tom. 2. opusc. tract. 8. de vsura q. 4. Molin. tract. 2. disp. 328. n. 7. quia nihil apparet, vnde reddatur inualida eiusmodi donatio, cùm donans sit verè dominus rei donatæ, & illa donatio in nullius fraudem, aut damnum reuerà cedat, quod enim ita falsò existimârit siue donator, siue donatarius, siue vterque, sufficit quidem ad peccandum, siue contra Iustitiam, siue contra charitatem, quod modò non disputo, non tamen ad constituendum donatorem re ipsa impotentem ad satisfaciendum Creditoribus, aut ad obligandum donatarium ad restitutionem, vti contingit in alijs, qui enim existimaret se sua actione afferre graue damnum Titio, peccaret mortaliter contra Iustitiam, si tamen nihil obfuisset Titio, non teneretur ad compensandum damnum, quod nullum fuit, quamuis esse falsò existimaretur.

2. Donatio facta à debitore, qui soluendo non est, per vltimam voluntatem, testamentum, Codicillum, fideicommissum, vel donationem causa mortis, non transfert dominium, in donatarium, qui in Conscientiæ foro res ita sibi donatas retinere non potest secundum illam quantitatem, secundum quam ex ea donatione impotens est, aut fit ad soluenda debita. Ita Less. lib. 2. cap. 20. dub. 19. n. 172. Molin. tract. 2. disp. 328. n. 6. vbi ait id verum esse, quamuis tum donans, tum donatarius sint in bona fide, modò reuera ea restitutio necessaria sit ad debita defuncti exsoluenda, neque donatario aut legatario expectandum esse, vt res donatæ reposcantur à Creditoribus. Et quidem quod attinet ad forum externum, quod dat actionem Creditoribus in hæredes defuncti, atque etiam in ipsos legatarios, si bona hæreditatis non sufficiant, & reprobat omninò istas vltimas dispositiones in fraudem Creditorum factas, manifesta est. L. quod autem. §. 9. ff. quæ in fraudem Creditorum & L. vlt. §. etsi C. de Iure deliberandi: quoad obligationem autem fori interni, quam incurri dicebamus ab istis donatarijs Ratio perspicua est; cum enim inualidè de suis bonis disposuerit testator in fraudem creditorum, non potuit transferre dominium illorum in donatarium, legatarium, aut alium quemcunque, inualidam autem esse eam dispositionem; patet tum ex legibus, quæ illam annullant, tum ex eo quod cùm careat post mortem potestate compensandi illud, quod ex suis bonis dandum fuerat Creditoribus, & in alios contulit, non videtur rationi consentaneum, vt possit ita de suis bonis in fraudem & damnum creditorum disponere: quandiu enim viuit, id quidem potest, quia eius persona manet semper obligata, & sperare potest se aliquid lucraturum, vnde satisfaciat creditoribus, at verò post mortem, illius persona manere non potest obligata, quare in eius defectum obligantur bona; dispositiones igitur in illud tempus factæ in fraudem creditorum inualidæ omninò & nullæ sunt.

3. Qui prudens & sciens incitaret debitorem ad sibi donandum quidpiam in fraudem creditorum, peccaret peccato iniustitiæ eadem ratione, atque si persuaderet debitori, ne creditoribus satisfaceret, quare teneretur ad restitutionem illius damni illati creditoribus, cuius ipse causa principalis fuisset. Ita Molin. Less. locis cit. & alij passim.

Ad hanc autem obligationem restituendi, quam imponimus huic donatario incitanti ad donationem debitorem, oportet vt illa impotentia soluendi,

uendi, in quam per eam donationem se coniicit debitor, sit reuerà causa non soluendi, nam si ille ea sit industria, vt possit lucrari, vnde soluat, eius negligentia erit causa non autem donatio, licet per eam imminuerit sua bona; si præterea statuerat non soluere, potes ab illo petere aliquid, ex quo fiat impotens, quia inopia non est tunc causa non soluendi, sed mala voluntas: vbi tamen ille debitor mutaret prauam voluntatem, velletque soluere, qui ad donandum incitasset eum, non posset retinere rem, ex qua factus est impotens, si apud se adhuc illa extaret, & non consumpta esset.

4. Qui bona fide aliquid accipiet à donatore debitis grauato, etiamsi reuerà illud in damnum Creditorum cederet, non obligabitur ad restitutionem. Ita Molin. disp. 328. Petrus à Nau. lib. 3. cap. 4. n. 223. reiiciens Antoni. 2. p. tit. 1. cap. 12. §. 17. vbi hunc donatarium, aut alium quempiam, qui aliquid bona fide accepit, & consumpsit rem acceptam, obligat, ad restitutionem, quando deinde agnoscit eum, qui donauit, non fuisse soluẽdo.

Probatur nostra sententia, quia ille neque tenetur ad restitutionem iniustæ acceptionis, cùm non peccauerit contra Iustitiam propter bonam fidem, in qua erat, neque ratione rei acceptæ, quæ non erat obligata Creditoribus, vt supponimus, si enim fuisset illis hypothecata, iam habuissent Ius in re, & actionem ad illam repetendam; quarè vbi ipsorum Ius innotesceret, retineri non posset absque ipsorum iniuria. Confirmatur, quia qui rem alienam bona fide accepit & consumpsit, neque ex ea factus fuit ditior, non tenetur illam restituere ex communissima veraque sententia, etiamsi illius rei dominium nunquam sibi comparauerit.

Ergo qui bona fide accepit & consumpsit rem à vero domino, & cuius sibi quoque verum dominium acquisiuit, non obligabitur eam restituere, non tantùm si illam consumpsit, sed etiamsi illam apud se retineat, cùm vt dixi absque fraude & legitimo titulo dominus illius factus fuerit, quod iterũ confirmatur ex eo quod emens bona fide domũ alteri iam venditam, eam neque in foro externo, neq; in interno teneatur primi emptori restituere, alioquin iniquissimæ forent leges, quæ eam secundã emptionem probarent, fouerent enim peccata, & tamẽ primus emptor potius quoddam Ius habebat ad illam domum determinatam & singularem, quam habeant creditores ad bona debitoris, ad quæ non habent actionem realem, sed tantùm personalem aduersus ipsum debitorem. Ex quibus etiam sequitur, quod aduertit Molina n. 16. quod si quis bona fide & ignorans donationem fore in damnum creditorum, ad eam incitaret debitorem, non teneretur ad restitutionem, quamuis debitor donans huius fraudis conscius esset, quia illa sua incitatione non peccaret contra iustitiam propter bonam fidem, quarè iniusta acceptio, quæ ibi nulla interueniret, non obligaret eum ad restitutionem; Neque etiam res accepta, vt iam dixi. Ergo hic donatarius siue incitet, siue non incitet debitorem ad donandum, non tenetur ad restitutionem creditoribus si bona fide vsus est.

5. Etiamsi mala fides sit vel in debitore donãte, vel in donatario, vel in vtroque, eò quod vterque, vel alter tantùm sciat fraudem fieri creditoribus, quibus non poterit ex reliquis bonis satisfieri: Valida tamen est donatio, neque donatarius obligatur ad restitutionem aut in conscientià, aut in exteriori foro, nisi petatur à creditoribus intra annum à die scientiæ alienationis, eo enim elapso neque ius petendi habebunt creditores, neque donatarius restituere tenebitur.

Et quidem validam fuisse hanc donationem, & verè per eam translatum fuisse dominium consentiunt Molin. disp. 328. n. 9. & 14. Less. cap. 20. cit. n. 68. Petrus à Nau. lib. 3. de restituti. cap. 4. n. 220. neque abnuit Filluc. tract. 34. n. 127. & 128. & tract. 35. n. 202. contra Rebell. 2. p. lib. 1. q. 7. n. 11. Villalob. 2. p. tract. 19. diff. 8. n. 3. Bonac. disp. 1. de Restitut. q. 8. p. 2. n. 27. Valent. tom. 3. disp. 5. q. 1. p. 3. Azor. 3. p. lib. 5. de vsura. cap. 15. Vasq. cap. 11. de Restituti. dub. 3. à n. 70. & alios quosdam. Probatur, quia res illa erat verè in dominio debitoris donantis, & non Creditorum, qui tantùm habent actionem personalem aduersus donantem, qui sufficienti titulo transfert dominium suæ rei in donatarium, qui illius dominij acquirendi capax omnino est; cur igitur non erit valida translatio, & cur tenebitur iste donatarius ad restitutionem, non sanè ratione rei acceptæ, quæ ipsius facta est illa donatione, neque iniustæ acceptionis, cùm non peccauerit contra iustitiam, vtitur enim iure suo, esto peccet debitor donando in fraudem creditorum, non præcisè donando rem suam, sed quia ea donatione impotentem se reddit ad soluendum: Donatarius autem non violat Iustitiam, quia vtitur iure suo, accipiendo rem liberam omninò, & nulli alteri obligatam, vtiturque peccato dantis in suum commodum, sicut qui accipit mutuum cum vsuris, vtitur peccato vsurarij in suum commodum; quod confirmatur ex eo, quod non possit assignari vllum Ius quod violetur à donatario, non enim violat Ius donantis, qui lubens & volens rem suam donat, non ius Creditorum, qui nullum habent in illa re, vt sæpius monui; atqui non potest committi iniustitia sine iuris alicuius violatione.

Existimant quidem aliqui hunc donatarium peccare contra charitatem, quia sciens alterum non esse soluendo, accipit illud, ex quo damnum creditori contingit. Id tamen negat Petrus à Nau. & Molina. quando magni interest donatario rem illam accipere, quod idem de emptore dicerem, cui condonatur à venditore maxima pars iusti pretij; quia accipiens hanc rem iustis illis titulis vtitur iure suo, & suis commodis consulit, neque lex, aut ordo charitatis obligant illum reddere creditores indemnes cum æquali, aut maiori suo damno; quarè non peccat contra charitatem debitam Creditoribus, immò neque in debitorem peccare dicendus est, ille enim iam peccauit in eo quod voluerit in fraudem Creditorum donare, ipsaque donatio est tantùm vsus seu exequutio peccati iam consummati, quarè sicut pauper licitè reciperet Eleemosynam ab eiusmodi debitore, qui statuit fraudare creditores, ita & donatarius.

Confirmatur hæc ratio ex eo, quod vt statim dicam, Iura concedant creditoribus actionem rescissoriam, id est ad rescindendam alienationem illam; supponunt igitur validam fuisse & dominij translatiuam, alioquin non diceretur rescindi, sed ipso iure nullam fuisse; quarè glossa in §. item si quis in fraudem. Instit. de Actionibus, supponit translatum fuisse dominium per eam alienationem, & dari actionem rescissoriam quidem, sed quæ personalis sit aduersus personam, quæ rem emit, aut accepit in fraudem Creditorum, non autem esse realem in rem acceptam, quod æquè docent omnes. Perspicua etiam est L. si sciens, ff. de contrahenda emptione, ait enim me dominum fieri,

fieri, si à debitore sciens Creditorem fraudari, emeto. Consentit L. vltima. §. non solùm ff. quæ in fraudem Creditorum, dum ait per rescissoriam actionem non solum rem alienatam restitui oportere, sed & fructus, qui alienationis tempore terræ cohærent, quia in bonis fraudatoris fuerunt; Item eos, qui post inchoatum iudicium recepti sunt, medio autem tempore perceptos in restitutionem venire; cuius exceptionis fructuum medij temporis quo ab emente aut donatario res alienata possessa fuit, alia ratio reddi non potest, quàm quia alienatio valida fuerit, & donatarius vel emptor verus dominus rei ita alienatæ, eius quisque fructus percipere debuit, quarè empta deinde re, & rescissa alienatione non tenetur fructus perceptos, quamdiu in eius erat dominio, restituere: fructus autem qui cohærebant rei, dum fuit alienata, erant in bonis fraudatoriis, quia censebantur vnum quid cum ipsa re; à lite verò contestata emptor fuit in culpa non restituendo rem repetitam; quarè iniustè priuauit creditores eam poscentes illius fructibus, quos idcircò refundere tenetur.

Hinc sequitur, Donatarium istum non teneri ad restitutionem creditoribus secluso iure omni positiuo, & attenta huius donationis natura, cùm non detineat alienum, neque damnum vllum iniustè causarit creditoribus. Vti fuit hactenùs ostensum.

Dixi tamen si creditores petant intra annum à die alienationis, teneri donatarium restituere rem donatam si extet, aut quod ex ea reperietur in bonis ipsius, quia Iura concedunt actionem rescissoriam Creditoribus intra annum à die scientiæ alienationis: Eo tamen discrimine, vt si donatarius fuit conscius fraudis, teneatur rem acceptam aut illius valorem, si eam consumpsit, reddere; quando autem non fuit conscius fraudis, sed tantùm donator, teneatur tantum reponere quantum fuerit locupletior ex ea donatione. L. quod autem. §. simili modo. ff. quæ in fraudem Creditorum & L. penult. C. eod. tit. quæ lex non tantùm obligat quoad forum externum, in quo rescinderetur donatio, sed etiam cùm insta sit, & plurimum ad bonum commune Reipub. conducat, ne cottidiè creditores fraudentur suis bonis, in Conscientia vim obtinebit.

Vnde tandem colligitur nullam omninò manere obligationem restituendi, si vel non petatur à creditoribus, vel non nisi post annum à scientia donationis, aut alterius alienationis, & quidem quoad forum exterius id perspicuum fit, cùm Iura non concedant actionem rescissoriam, nisi intra annum à die scientiæ alienationis, si itaque res accepta vel non petatur à creditoribus, vel non nisi post elapsum annum à die scientiæ iam dictæ, non cogetur in foro exteriori, qui eam accepit, illam restituere.

Vnde sequitur quoque neque post illud tempus teneri in conscientia ad restitutionem rei sibi sic donatæ donatarium, quia cùm valida fuerit donatio, translatiua dominij, vti ipsæ leges supponunt, quæ non irritant illam, sed concedunt tantùm actionem rescissoriam qua irritetur & rescindatur, atque secluso Iure positiuo nulla sit obligatio restituendi, vti fuit hactenùs ostensum, consequens omninò est, vt elapso illo tempore, intra quod Iura concedunt actionem rescissoriam, nulla planè maneat obligatio restituendi, quamuis creditores rem in suam fraudem donatam fuisse queritantur, & sibi reddi deposcant. Quæ videtur quoque fuisse mens Couarr. lib. 3. varia. cap. 3. n. 6. vt dicam inferius.

Ex his quæstio Corollarij facilè soluitur, & generalis Regula vera esse ostenditur; si enim donatio non fuerit causa impotentiæ soluendi debita, aut non solutionis, aut si bonâ vtrinque fide actum est, tum à donante, tum à donatario, neque vllus quidquam fecerit in fraudem creditorum, nulla est obligatio restituendi, quarè donatarius non ligabitur monitorio, quod eam in rem Creditores siue priuati siue publici obtinuerint; si verò fuit conscientia sequuturi damni creditorum, vel in donante, vel in donatario, & excommunicatio indicens restitutionem Creditoribus lata fuerit intra annum à die scientiæ donationis, eam incurret donatarius, nisi rem acceptam, si extet, aut eius valorem, si consumpta fuit, restituat, si ipse conscius fuit fraudis creditorum, aut si non fuit conscius, & bona fide processit, donator tamen in fraudem creditorum egerit, reddat quantum ex ea donatione fuerit locupletior. Quia tunc creditores petunt, & iura obligant intra illud tempus ad restitutionem, eo quo dixi modo faciendam. Si verò monitorium & censura pronuntiata est post tempus concessum à Iure ad obtinendam actionem rescissoriam, non erit obnoxius illi Censuræ donatarius, etiamsi nihil prorsus restituat, quia non retinet alienum, neque Creditores vllum ius habent rem donatam repetendi, aut vllam actionem personalem aut realem, cùm rescissoriam, quæ erat personalis, non obtinerent nisi intra certum tempus, quod elapsum est. 73

Quod si ad eam donationem sollicitasset debitorem donatarius conscius fraudis, & damni creditorum, & reuerà donatio fuisset causa non solutionis, reuerà incurret Censuram annexam monitorio restitutionem imperanti, ad illam enim secluso omni præcepto superioris tenebatur, eo quod fuisset iniusta causa damni Creditorum. Si denique quidpiam per dispositionem vltimæ voluntatis accepit, ex quo sequatur damnum creditorum, quibus ex reliquis bonis & hæreditate satisfieri non potest, ligabitur monitorio, quod creditores obtinebunt in hunc finem, & quandoquidem tota ea dispositio fuit inualida, non poterit, quod per eam accepit absque iniustitia retinere.

CONSECTARIVM XX.

An accipientes aliquid à debitore oberato contractu oneroso, teneatur monitorio, quod eius Creditores obtinuerunt.

Vigesimò Colliges, quid dicendum sit de eo qui emptione vel alio contractu oneroso quidpiam accepit à debitore, an teneatur monitorio, quod debitoris creditores obtinebunt aduersus detinentes bona ipsius, si enim eo contractu tantùndem accipiat debitor, quantum dat, non magis fit per eum contractum impotens ad soluendum, quàm erat antea, ac proinde ad nullam restitutionem obligari potest eum tali debitore contrahens. Omnes consentiunt, quod etiam in contrahente bona fide, quia non est conscius damni & fraudis creditorum, in quam cedet illa distractio, & quam præuidet debitor, cum quo contrahitur, qui nouit suam impotentiam ad soluendum, fatentur Rebell. q. 7. cit. n. 74

11,

12. Medina. C. de rebus per vsuram acquisitis. q. 4. & alij à Rebell. relati: quia creditores nullum habent ius in rem alienatam à debitore cum illis non esset hypothecata, aut vinculata, vt supponimus, neque in emptorem, qui neque ex contractu, neque ex delicto obligatur Creditoribus, vt patet; nulla etiam lex datur, quæ annullet distractiones & dispositiones factas à domino rei suæ nulli alteri speciali vinculo adstrictæ, quare etiamsi ille peccet in fraudem creditorum alienans, transfert tamen dominium in eum, qui cum illo contrahit bona fide, qui proinde non tenetur ad restitutionem, neque ratione rei acceptæ, neque propter iniustam acceptionem, vt dicebamus in superiori Corollario; quarè non incurret censuram à creditoribus talis debitoris obtentam, etiamsi nihil eorum, quæ ea ratione accepit ab impotente ad soluendum debitore, restituat. Quando denique quis contrahit contractu oneroso cum debitore in damnum & fraudem creditorum, cuius iste contrahens conscius est, licet accipiat dominium rei illius, ex eo quod leges concedentes actionem rescissoriam id omninò supponunt, obligatur tamen ad compensationem damni creditorum, ita Rebell. quæst. cit. num. 13. Villalob. diff. 8. cit. & alij adducti à Petro Nauar. lib. 3. de restitut. cap. 4. num. 213. quibus accedunt Bonac. Val. & Vasq. superius adducti. Caieta. tom. 2. opuscu. tract. 6. quæst. 4. in responsione ad obiecta. Sot. lib. 6. de Iustitia. quæst. 1. a. 4. ad 3. Henric. quodlib. 4. quæst. 27. Gabriel in 4. d. 15. quæst. 11. a. 3. dub. 16. Medina. C. de acquisitis per vsuram. q. 4. §. vnde fortassis, eo quod peccauerit contra Iustitiam commutatiuam impediendo mala fide solutionem debitam ex iustitia per subtractionem materiæ ad eam solutionem omninò necessariæ, & creditores habent ius ne impediatur solutio sibi ex iustitia debita. Denique quia iste cooperatur iniustitiæ debitoris alienantis, fit enim volens & sciens socius fraudis, quàm committit, & illius est altera causa æquè principalis; neque simile est, quod affertur de soluente vsuras, qui vtitur iniustitia vsurarij in suum commodum, nam in eo casu, qui damnum patitur, est ipsemet, qui cum vsurario contrahit, non autem tertius aliquis, nemo autem tenetur sibi ipsi restituere, aut proprium damnum compensare. At verò in emptione de qua agimus, infertur damnum Creditori, cuius solutio impeditur, quod damnum cùm inferat emptor malæ fidei, id est sciens & volens, illud omnino tenebitur resarcire; vnde colligit vlterius Rebell. num. 15. etiamsi debitor rem suam alienans culpa careret, essetque ignorans damni creditorum inde sibi sequuturi, si tamen emptor illud sciret, obligandum esse ad restitutionem, quia contra Iustitiam damnum causaret, sicut qui sciens rem alterius, venditam fuisse, illam emeret, etiamsi venditor propter inaduertentiam non peccaret, teneretur illa priori emptori reposcenti restituere, vt prior contractus suum effectum sortiretur, quam mala fide & contra Iustitiam secundus emptor impediuit.

3 Adhærendum nihilominùs est contrariæ sententiæ, atque idem dicendum est de eo, qui aliquid accipit à debitore in fraudem Creditorum contractu oneroso, quod diximus de donatario, & accipiente contractu lucratiuo, vti docent Molin. Less. Filluc. & Petr. à Nau. loc. citat. qui postremus interpretatur DD. contrariæ sententiæ de alienatione rerum, quæ non sunt ipsius debitoris illas distrahentis, cuiusmodi sunt res furto aut per vsuram subtractæ eædem adhuc in specie extantes, has enim nemo potest accipere nisi cum obligatione restituendi, vbi verus illarum dominus sibi reddi postulauerit, aut loquuntur de rebus hypothecatis creditoribus, qui proinde habent actionem realem in ipsas, agunt enim de bonis vsurarijs & contractibus ab ipso initis, existimant verò omnia bona vsurarij esse hypothecata, qua de re dicam fusius in Mercurio Lugduni. Quarè reipsa illi DD. non dissentiunt à nobis, qui disputamus de bonis quæ sunt in dominio debitoris, & nulli Creditori vinculata per hypothecam, quorum dominium contendimus transferri per contractum onerosum, ita vt, quæ ex tali contractu ille accipit, non teneatur ad restitutionem creditoribus, qui inde damnum aliquod patientur, nisi infra annum à die scientiæ alienationis repetant, quia vt dicebamus superiori Corollario rem per illum contractum acceptam suam reuerà faciunt, neque contra charitatem peccant de iis rebus cum debitore contrahendo; Creditores enim habent quidem Ius, ne iniustè impediam solutionem ipsis debitam, non autem vt me meis iustis commodis priuem, vt illi solutionem accipiant, aut vt non vtar iure meo accipiendi alterius beneficium; neque hic ea mala fides interuenit, quæ peccatum efficiat, sed tantùm quæ opponitur ignorantiæ damni inde consequuturi, ad quod tamen non cooperor cum iniustitia, sed remote & materialiter tantum vtendo iure meo; neque valet hoc loco communis regula, qui potior est tempore, potior est iure, atque ita creditores, qui sunt priores tempore, habere potius quoddam ius in rem alienatam, quàm habeant qui illam acquirunt, nam ea communis Regula intelligenda est de habentibus Ius reale, qui enim habet tantum actionem personalem non est potior iure eo, qui habet ius in re, cuius dominium vero & legitimo titulo acquisiuit.

Quarè ad id quod dicebatur posteriorem emptorem teneri restituere rem priori emptori, cui sciebat fuisse prius venditam, respondeo negando eam obligationem nisi intra annum à die scientiæ emptionis repetatur, aut nisi incitàrit venditorem ad sibi vendendum, tunc enim, vt diximus, peccauit contra Iustitiam, & fuit causa iniusta damni, quod idcircò tenetur reficere: quia igitur leges concedunt actionem rescissoriam aduersus ementem rem debitoris in fraudem creditorum intra annum à die scientiæ emptionis. L. penult. C. quæ in fraudem creditorum. L. si debitor. L. ex his. L. vltima. & l. 1. ff. eodem titulo. in foro externo cogetur emptor ad restitutionem rei emptæ, aut ad valorem illius, in quantum ex ea fuit impotens factus emptor atque cùm lex iusta sit, obligabit quoque in foro conscientiæ, sed eo tempore elapso nulla supererit amplius obligatio, vti Corollario superiori monuimus. Quarè si intra illud tempus feratur Censura pro restitutione obligabit, si finito eo tempore obtineatur monitorium, non obstringet eiusmodi emptorem.

COROLLARIVM. XXI.

An qui vi legitimi contractus aliquid acceperunt à debitore impotente incidant in monitorium à Creditoribus impetratum, nisi illud restituant.

75 21. Colliges censuram obtentam à Creditoribus in retinentes bona debitoris multo minus incurri ab illis, qui cum eo debitore impotente & grauato licitè contraxerunt, & ab ipso quidpiam vi talis contractus acceperunt, quia cùm tales contrahentes non teneantur ad restitutionem etiamsi creditores intra annum à scientia alienationis & contractus celebrati repetant res acceptas, eò quod iura non dent actionem rescissoriam eiusmodi contractuum, non ligabuntur monitorio indicente restitutionem, neque si non restituant, incurrent intentatam censuram, vti tradidimus in Regula generali. Quinam verò licitè cum eiusmodi Creditoribus ad soluenda nomina iam facta impotentibus contrahant, & ab illis aliquid accipiant tradit in vniuersum Vasq. cap. 11. cit. n. 78. hanc Regulam vniuersalem statuens.

Toties licitus & iustus est contractus onerosus, quem debitor grauatus celebrat, quoties ita est ipsi necessarius vt ad subleuandam eiusmodi necessitatem possit iure optimo differre, aut omittere solutionem, & restitutionem, eò quod Creditores rationabiliter pati debeant dilationem restitutionis aut solutionis potiùs, quam illam cum tam graoi incommodo debitoris vrgere, quod contingit quoties ad necessariam vitæ, honoris debiti, atque familiæ sustentationem, ratione cuius excusaretur à restitutione, debitor contrahet. Quarè famuli ita necessarij ad debitam dignitatem tuendam, vel ad alia quæpiam, vt illos dominus dimittere non teneatur ad sua debita dissoluenda, mercedem suo labori debitam à domino grauato debitis accipere possunt io damnum aliorum Creditorum, non tantum quando ita vtiliter domino inseruiont, vt tantum illi afferant compendij, quantum stipendium accipiunt, sed etiam quando minus vtiles sunt, si tamen ad dignitatem tuendam necessarij sunt, neque sine aliquo dedecore dimitti possint. Ita Vasq. cap. 11. cit. n. 82. Bonac. p. 2. cit. n. 30. contra Nau. cap. 17. n. 270. Sylu. ℣. vsura, q. 6. Molina. n. 7. disp. 330. qui alios allegauit, oam si dominus excusatur cum tanto suo incommodo restituere, excusabitur quoque famulus, neque tenebitur à stipendio debito abstinere; Et taodem ipse Molin. n. 14. excusat hos famulos nobilium, qui sæpiùs impotentes sunt ad alendam tantam turbam & debita dissoluenda, cum bona fide ab ipsis iouitantibus dominis apud eos manent, & aluntur; oeque cogendos esse restituere, quæ ab illis acceperunt in damnum Creditorum, cuius conscij satis erant, neque ad alios dominos transire, quia neque peccant contra iustitiam, vt corollario 20. dixi, neque contra charitatem, cùm non teoeantur tanto suo incommodo Creditorum damnum vitare, neque reuerà illud vitant, si abeant ab eo famulatu, quandoquidem alij successuri sunt in ipsorum vices cum pari Creditorum dispendio; Quarè monet Confessarios Molina, ne præcipites sint in hac parte, & dum his famulis restitutionem vel abdicationem obsequij imperant eos, qui in bona fide erant, inducant ad peccatum, quod deinde ex conscientia erronea committent.

2. Qui ministrant phamaca infirmo debitori. 3. qui cibos & alia ad victum necessaria diuendunt. 4. qui funeris expensas suppeditant, & alij eiusmodi possunt suarum mercium pretium recipere ab illo debitore, etsi inde grauentur cæteri Creditores, quia non tenetur ille carere remediis ad suam valetudinem necessariis, aut cibis, vt restituat; expensæ verò funeris primo loco deducendæ sunt, vt Couarr. in cap. Raynald. de testament. §. 3. num. 2. ostendit, & alibi dicetur fusius.

Quarè hi omnes non tenebuntur parere præcepto Prælati Ecclesiastici imperaoris restitutionem bonorum acceptorum à debitore cum damno Creditorum, cùm ad eam restitutionem nullo iure obligentur; immò etiamsi celebrassent alios contractus, siue onerosos, siue lucratiuos, vendidissent v. gr. aut amisissent aliquid quod ille debitor in ludum, aut alia inutilia fuerat expensurus, nisi ad eos contractus ipsum sollicitassent, & nisi intra annum Creditores vt repeterent accepta, & curarent ferri monitorium, atque intentari censuram nihil vrgerent istos contrahentes, vt constat ex coroll. 20.

CONSECTARIVM XXII.

An fictè contrahentes cum debitore in fraudem Creditorum ligentur moniterio ab iisdem Creditoribus impetrato, & restitutionem bonorum debitoris indicente.

22. Colligitur, quid sentiendum sit de fictis contractibus cum debitore grauato celebratis in fraudem Creditorum? Titius v. gr. dat vxori ea conditione sua bona, vt si feratur censura contra occultantes illa bona, sint ipsi donata ex momento traditionis, alioquin eorum dominium maneat apud maritum, aut vt præterito periculo vxor obligetur ad ea, quæ accepit marito refundenda. vel fingit emptionem aut venditionem, quæ reuerà talis est, si Creditores vrgeant istum detentorem bonorum debitoris, si vero non vrgeant excommunicatione intentata, discindetur emptio vel venditio, aut similis contractus onerosus, vt sua maneant bona debitori; neque fiduciarij, aut confidentiales isti contractus alia de causa ineuntur, quàm vt foro externo illudatur, in quo cùm agere non possint, Creditores, obtinent monitoria à Iudice Ecclesiastico in occultantes ea bona. Quarè quæritur an isti fiduciarij, vel emptores aduersus eas censuras satis tuti sint, eò quod posita conditione ferendæ excommunicationis videantur compleri contractus, & absoluti fieri, cùm antea essent conditionati, atque ita transferatur dominium in donatarium, vel emptorem, qoi idcircò non detinent aliquid alienum, neque proinde vrgeantur censura in occultaotes aut non restituentes bona aliena pronuntiata. 77

Rebell. 2. p. lib. 1. q. 7. n. 28. negat, validos esse eiusmodi contractus ac donatiooes, 1. qoia deest animus transferendi dominium, estque simulata duntaxat, & ficta donatio 2. quia cum fiat in fraudem Creditorum obnoxia erit restitutioni, etiamsi nulla intentaretur excommunicatio, Idem asserit Sylu. ℣. restitu. 3. q. 10. versu quarum, de

vxore

vxore, cui mercator propter impotentiam soluendi fugiens reliquerat mille nummos, quos si pro reuelandis ipsius bonis intentaretur excommunicatio, ipsi donabat: quia existimat Sylu. non fuisse nisi fictam donationem; verùm cùm possit esse verus animus donandi posita conditione comminatoria excommunicationis, aberit omnis omninò fictio, eritque verus contractus, sed conditionatus; quod verò hæc vxor sit conscia fraudis creditorum non impedit translationem dominij, vti Coroll. 19. & 20. dictum fuit. Bonac. disp. 6. ex variis p. 1. §. 6. num. 7. ait teneri hanc vxorem, aliosque eiusmodi contractus fiduciarios celebrantes reuelare ea bona, quia id possunt sine suæ famæ detrimento: eaque denuntiatio fidem faciet, quia nemo existimatur in sui ipsius præiudicium falsò reuelare; ad eandem denuntiationem obligat quoque Auila 2. p. cap. 5. disp. 5. dub. 2. con. 2. si id possit absque famæ iactura præstare. Quod idem dixerat disp. 4. dub. 3. con. 7. quærendum tamen erit vnde ea obligatio reuelandi & bona etiam accepta restituendi nascatur, si contractus & donatio valida fuere; quarè ad iniustam acceptionem propter cooperationem collatam debitori fraudanti creditores recurrit Villalob. diff. 8. num. 7. tract. 19. 2. part. Quod tamen ampliùs explicandum est, nam si non sit alia cooperatio iniustitiæ debitoris fraudantis, non erit iniusta acceptio, quæ secluso iure positiuo obliget ad restitutionem, cùm isti vtuntur duntaxat mala voluntate debitoris, neque teneatur fraudare se illo commodo, ne creditores damnum patiantur, vti dicebamus Coroll. 19. & 20.

Distinguendum itaque existimo, nam vel fuit tantum simulata donatio aut contractus quilibet alius ad occultanda bona debitoris fictus; vel fuit verus contractus ad verè transferendum dominium eorum bonorum initus, quamuis conditionatè tantùm, qua tamen conditione posita suum effectum habiturus sit eiusmodi contractus, & dominium translaturus; si primum dico iniustam esse illam simulationem, & teneri vxorem aut alium quemliber, qui ea bona occultat, illa prodere, si sine sui infamia possit, aut saltem efficere, vt creditoribus restituantur, ac proinde nisi monitorio imperanti restitutionem, aut reuelationem pareant, incurrere censuram, quam comminatur; si autem fuit verus contractus conditionatus aut absolutus, vel vxor, aliique quibuscum debitor agit, consulunt eam donationem & contractum fraudemque creditorum, vel duntaxat vtuntur in suum commodum eius mala voluntate, eodem prorsùs modo quo cũ quocumque alio debitore grauato & impotente, neque fugam aut cessionem bonorum meditante agerent. Sanè cùm in priori illo casu per se & proximè concurrant in fraudationem iniustam creditorum, tenebuntur de illo damno, vt patet. In posteriori autem casu idem planè dicendum erit, quod de aliis contractibus tum lucratiuis tum onerosis statuebamus. Coroll. 19. & 20. nimirùm si intra annum à die scientiæ huius alienationis creditores repetant teneri in vtroque foro ad restitutionem, eo autem elapso anno non teneri, quamuis id imperet Prælatus comminatus excommunicationem, quia post illud tempus creditores non habent actionem rescissoriam, neque ius repetendi, vti diximus loco citato.

Aduertendum præterea est, ne sint eiusmodi bona, quæ debitor sibi ad sustentationem neces-

sariam re[illegible] possit, vt sæpiùs monuimus, sicut enim exc[illegible] à restitutione tunc, neque ad illam faciend[illegible] obligatur ea abiicere, sed sibi retinere potest, ita & apud alios deponere, aut occultare licebit.

CONSECTARIVM XXII.

An rem alienam accipiens à non domino teneatur monitorio, quod ad illam repetendam dominus obtinuit.

23. Quæritur, an qui emit, aut dono accepit 78 rem alienam, incurrat in excommunicationem, quam dominus rem suam repetens per Iudicem Ecclesiasticum indici curauit, v. gr. Sempronius rem furto subductam, aut per vsurarios illicitosque contractus acquisitam tibi vendidit, aut donauit, potesne illam seruare, licet dominus à quo Sempronius illam iniustè extorserat, sibi restitui velit, eamque restitutionem Ecclesia suo præcepto vrgeat, & non parenti minetur censuram.

Plurima distinguenda sunt hoc loco, atque imprimis vtrum res, quæ accipitur à fure, aut vsurario sit illa ipsa, quam fur subtraxit vero domino, aut vsurarius per fœnus illicitum à mutuatario accepit, an vero ex aliis rebus furtiuis & iniustè acquisitis profluxerit: nam priores illæ reuerà non sunt in dominio furis aut vsurarij, sed pertinent ad priores dominos, qui habent actionem realem in res suas, quæ ipsi proinde sunt obligatæ, alia verò bona siue mobilia siue immobilia à fure & vsurario ex furtis & vsuris cõparata, sunt verè in dominio furis & vsurarij, quamuis teneatur ad restitutionem & compensationem damnorum, quæ veris dominis iniustè intulerunt, quarè antiqui domini sunt veluti creditores, & habent actionem personalem in furem & vsurarium: suppono enim omnia bona furis aut vsurarij non esse hypothecata illis, quibus per furtum aut vsuram damnum fuit illatum, nisi sint illa ipsa, quæ in specie sunt accepta à fure & vsurario vt ostendit Couarr. lib. 3. varia, cap. 3. Molin. tract. 2. disp. 329. & alij communius. Quando igitur res donatæ aut venditæ à fure, vel à vsurario sunt in ipsius dominio, neque etiam tacitè hypothecatæ, potest de illis disponere fur aut vsurarius, modò id non faciat in fraudem creditorum, quibus ex reliquis suis bonis satisfacere potest; quod si ea bonorum distractio & alienatio cedat in damnum eorum, quibus restituere tenetur, eodem modo agendum erit cum eiusmodi fure & vsurario, atque cum debitore grauato & impotente ad dissoluenda nomina agendum diximus coroll. 19. 20. & 21. cùm par sit vtrobique causa.

Quæstio igitur est de rebus furtiuis & alienis, 79 sed videndum, an quis illas à fure vel vsurario bona, an mala fide accipiat, contractu gratuito & lucratiuo, an oneroso. Mala fide accipit rem alienam, qui scit alienã esse, neq; eo animo accipit, vt vero domino illã restituat; bona autẽ fide emit, qui vel rẽ, quã emit, ant alio quopiam cõtractu accipit, inuincibiliter ignorat alienã esse; aut si id nouit, eã accipit vt domino, vbi comparuerit, restituat, tunc enim negotium domini agit. Existimant igitur aliqui illum, qui mala fide acquirit rem alienam contractu lucratiuo, aut oneroso, teneri illam domino restituere, aut eius valorem, si ea perierit, tum ratione rei, tum ratione iniustæ acceptionis vel detentionis, ita vt si emerit illam neque verus dominus velit refundere pretium, quod

G in

in ea emenda insumpsit, malus emptor teneatur cum iactura sui pretii reddere, neque licet discindere contractnm cum fure initum, atque ab illo suum pretium repeter, illique rem emptam referre. Ita Molin. tract. 2. disp. 741. num. 3. & fusius disp. 722. Rebell. 2. P. lib. 2. quæst. 9. num. 6. Bonacin. disp. 1. de Restitut. q. 4. P. 1. n. 1. & 5. Sanch. lib. 2. de matrimon. disp. 41. n. 27. Sayr. in claui. lib. 10. tract. 2. cap. 3. n. 5. Vasq. de restitut. cap. 9. §. 2. n. 14. Petrus Nau. lib. 4. cap. 2. n. 19. Et alij, quia cùm rem à fure emis tibi seruandam, domino facis nouam iniuriam, perinde enim est, ac si ab ipso domino furareris, neque reparas hanc iniuriam, aut ponis æqualitatem reddendo illã furi, qui non est restiturus domino, sed perinde facis, inquit Rebell. ac si aliquid ab igne extractum, rursus in ignem iniiceres, immò magis periclitatur res domini, quando furi restituitur; iacturam verò pretij à se dati sibi imputet emptor, qui sciens mercem esse alienam, illam nihilominus emere & sibi comparare inuito proprio domino voluit. Moneo tamen cum Lessio lib. 2. cap. 24. n. 21. contrariam sententiam, quæ existimat emptorem malæ fidei posse rescindere contractum factum cum fure, vt ab illo suum pretium recuperet; non esse improbabilem, eam enim docent Alensis, Gabriel, Sylu. & Angel. ab ipso relati, & nemo tenetur alteri cum suo damno consulere, reponit iste emptor rem in eodem statu, in quo erat prius, neque ex ea redditione maius damnum, aut periculum subit dominus quàm antea, vt quid igitur queritur sibi factam fuisse iniuriam ab emptore, quamuis mala fide emerit, eò quod sciret rem illam alienam esse, rescindit enim contractum, & rem ponit, vti anteà fuerat, & quo iure dominus postulabit, vt iste emptor patiatur dispendium sui pretij. Itaque quando incontinenti, vel non ita multo post rescinditur contractus rationi admodum consentaneum esse putat hanc sententiam Lessi. quia ex tam breui contrectatione rei suæ non fecit grauem iniuriam domino.

2. Qui bona fide rem alienam gratis accepit à fure, tenetur illam domino restituere, non autem furi, nisi certus omninò esset furem redditurum. Ita Less. lib. 2. cap. 14. num. 13. Clauis regia lib. 10. tract. 2. cap. 2. n. 21. Vasq. de restitut. cap. 9. §. 2. dub. 2. num. 13. Filliuc. tract. 32. cap. 4. n. 85. quia non potest illam rem, cùm modo sciat esse alienam sibi retinere; non potest antem alteri, qnam domino eo inuito dare, alinquin illi facit iniuriam, & iustitia obligat ad restitutionem, quando ea fieri potest absque dominio innocentis, vti fiet hoc loco; restitutio autem facienda est domino quando, comparet, non verò vlli alteri, nisi graues aliquæ causæ excusent, vt latius ostendit Molin. tract. 2. disp. 741. Caietan. & Aragon. in 2. 2. qu. 62. a. 5. Ban. in ead. qu. a. 6. dub. 1. con. 5. & 6. Medina. C. de Restit. qu. 2. & alij passim, quia restitutio non fit, nisi vt tollatur inæqualitas per iniustitiam, damnificationem aut acceptionem rei alienæ posita, & æqualitas, quæ prius fuerat, ponatur denuò, quod non fit, nisi res restituatur domino, cui fuit ablata, aut cui damnum illatum fuerat; ille enim dominus minus habet ob rei suæ substractionem & damnificationem qnam deberet habere; in hoc tamen & priori casu monendus esset aliqua ratione fur, & iniustus possessor, à quo fuerat res aliena accepta, suo domino restitutam fuisse, ne ille aut iterum restituat, aut ex conscientia erronea peccet non restituendo, cùm tamen existimet se ad restitutionem teneri, supponimus etiam, quoties negamus rem furtiuam, aut alienam non esse reddendam furi, aut priori iniusto possessori, eos non restituturos si denuò eam recipiant, nam si certò speraretur ab illis faciendam restitutionem, illis quoque reddi pnssent eiusmodi res, quia nulli periculo exponerentur, neque vlla fieret iniuria domino, qui proinde irrationabiliter inuitus esset, sibi immediatè non restitui, & denique possunt esse causæ, quæ possessorem bonæ fidei, de quo agimus, excusent, quo minus vero domino rem suam restituat; quamuis enim nullum ex ea restitutione vero domino facta patiatur damnum, quandoqnidem rem illam gratis acceperat, & ex eius restitutione non minns habet in bonis suis, quam haberet anteà, quia rei alienæ nunquàm dominium acquisiuerat, sed illud manebat apud antiquum dominum; potest tamen adire periculum infamiæ ne ipsemet illam subtraxisse dicatur, aut fur habeatur, aut cogatur prodere illum, à quo accepit, ipsumque infamare, ex quibus aliisque causis eximetur obligatione restituendi vero domino; atque, vt ego quidem opinor, poterit reddere furi, & iniusto possessori, illumque serio monere, vt rem alienam vero domino restituat.

3. Qui rem furtiuam & alienam emit, aut alio contractu oneroso bona fide sibi comparauit, vt illam domino redderet, atque ita eius negotium vtiliter gessit, potest pretium à se datum furi à domino repetere, & si ille neget illud ex re deducere. Ita Couarr. lib. 1. varia. cap. 3. num. 5. & in Reg. peccatum. 3. p. initio num. 5. allegans Hostiens. & alios, Lessius lib. 2. cap. 24. num. 19. Petr. Nau. lib. 3. de restit. cap. 4. num. 202. vbi ait hunc emptorem domino negante pretium, posse illam sibi seruare; & affert Bartho. Medin. qui obligat talem dominum ad soluendas expensas factas ab emptore, etiamsi res perierit, & ad illum non peruenerit, quia alter negotium eius gessit, neque debet suo labore fraudari. Denique sentimus cum Angel. ℣. Restitutio. 1. n. 5. Maio. in 4. d. 15. q. 26. ad fin. quia nemo tenetur alterius vtilitatem suo damno curare, nisi ex officio sit obligatus vt tutor ac custos deinde in foro externo cogeretur dominus pretium illud emptori restituere, vt Hostiens. tit. de pœnitentia tradidit, & deinceps alij Iurisconsulti ipsum sequuti, quamuis Bald. & Paul. de Castro in l. 1. ff. de negotiis gestis negent actionem negotiorum gestorum huic emptori, nisi dominus emptionem ratam habuerit, sed id asserunt hi DD. quia difficile est probare in foro externo emptorem habuisse animum gerendi negotia domini, & procurandi ipsius commodum, si enim id probaret, reuerà haberet actionem in illum dominum qui pretium restituere cogeretur, vti explicant Couarr. & Bann. loc. cit. Et sane laudatur ab Ambrosio, vti refertur cap. Rapinam. 24. quæst. 5. eiusmodi emptor, si tamen aut maiori pretio, aut æquali habuisset rem alienam emptor ille, quia tunc non consuluisset commodis domini non teneretur dominus totum pretium refundere, sed aliquid arbitrio prudentum deducere, nimirum quantum prudenter impendere potuit in gerendo illius domini negorio inquit Less. num. 20. cit. Vnde etiam non probarim, quod dicebat Barthol. Medi. teneri dominum rei, etiamsi ea perierit, expensas emptoris reponere, tunc enim non aliquid accipit ab illo, neque ipsi iniunxerat tantum laborem.

Quarto

Quarto qui bona fide rem alienam & furtiuam emit, siue quia ignorauit alienam, siue quia vt domino restitueret, comparauit, potest illam furi, à quo accepit, reddere, vt discisso contractu suum pretium recuperet. Ita Nauar. in sum. cap. 17. num. 9. Sylu ℣. Restitutio. 3. quæst. 7. Bann. 2. 2. quæst. 62. a. 6. dub. 10. con. 4. vbi contendit eadem sentire S.Thom.q.66.a.3.Tolet. lib. 5. cap. 17. q. 9. num. 13. Bonac. disp. 1. de restit. q. 4. p. 2. n. 1. Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6. p. 4. Rebell. 1. p. lib. 2. quæst. 9. num. 3. Less. lib. 2. cap. 14. num. 24. Turrian. de Iustitia disp. 13 dub. 2. Vasq. cap. 9. de Restit. §. 2. num. 12. Philiarch. p. 2. de officio sacerdot. lib. 6. cap. 18. Filliuc. tract. 32. cap. 4. num. 88. Villalob. 2. p. tract. 11. diff. 11. num. 8. Petrus Nau. lib. 3. cap. 4. num. 195. num. verò 203. allegat Angel. ℣. Restitutio. num. 6. & ℣. Emens. Gabriel. in 15. quæst. 3. a. 3. dub. 5. propos. 1. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 12. §. 16. Alens. 4. Pa. quæst. 86. mem. 3. a. 5. Contra Couarr. in Regulam, peccatum, 3. p. initio. num. 3. & lib. 1. Varia. cap. 3. num. 16. Medin. C. de restitut. quæst. 10. Soto L. 4. de Iustitia. quæst. 7. a. 2. Molin. tract. 2. disp. 722. Anglez in Florib. quæst. cui facienda restitutio. Pro eadem sententia affert Petr. Nauarr. num. 292. Ledesmam, Bartholom. Medin. & Caietanum. 2. 2. quæst. 62. a. 6. quatenus indistinctè pronuntiat rem esse restituendam domino, non venditori, neque Lessius, Villalob. & alij eam putant improbabilem.

Probatur tamen, quia hic emptor neque ex iustitia, neque ex charitate tenetur pati illud sui pretij damnum, & domino restituere rem emptam, etiamsi venditor rescisso contractu non sit illam redditurus. Et quidem iustitia non obligat in hac parte, cùm neque venditori, neque emptori faciat iniuriam; non venditori quidem, qui tenebitur de euictione, & à quo ius habet repetendi pretium illi datum; neque etiam iniurius est domino, cùm non obligetur illius rem soluto pretio recuperare, & quam reponit in priori tantùm suo statu; quarè irrationabiliter erit inuitus dominus, si ego, cum nihil peccauerim hactenus, neque accipiendo, neque retinendo meæ consulam vtilitati. Lex quoque charitatis non vrget hoc loco, quia inquit Petrus à Nau. vnusquisque in pari casu innocentiæ, magis sibi tenetur quàm alteri; sicut igitur dominus sine culpa rem amisit, ita bonæ fidei possessor sine culpa pretium suum amittet, quam iacturam pati, vt alterum seruet indemnem nulla charitatis lex obstringit, nam si, inquiunt Petr. Nau. & Vasq. bona fide possideo domum, quam comperio esse Petri, & scio si illam restituam, Ioannem mihi litem docturum & domum euicturum, non teneor eam domum, aut rem aliam quamlibet tradere Petro etiam secretè, quia possum me indemnem seruare, quando nullam commisi culpam propter quam damnum patiar. Neque dicas, si fur non sit restitutus domino, me cooperari illi iniustæ detentioni quia liberum est furi restituere, quod si non faciat ex mea malitia retinebit rem alienam non ex mea cooperatione, qui potius, vt ait Nau. tuui restitutionem, nam rescindendo contractum, cum latrone celebratum, illum moneo retineri non posse eiusmodi rem inuito domino, non debet autem malitia latronis meæ bonæ fidei præiudicium afferre. Huc etiam trahit P. Nau. num. 197. illud L. 1. §. qui à me. ff. de vi & vi armata, quod est etiam Alexan. 3. scribentis Brixiensi Episcopo, cap. in litteris. de restitut. spoliator, prædo est secundum rigorem iuris restituendus, quod de prædone iusto intelligendum est, spolia enim & cætera etiam in bello iusto prædæ dicebantur, & prædones, qui prædas agunt in bello; quando igitur prædo iustus est, est etiam restituendus, quæ expositio commodior videtur eâ quam tradit glossa in idem cap. in litteris, & sequutus est Medina q. 2. de restit. §. de eo, quod secundo loco, de eo qui iustè possidet at rem alienam, quamdiu non reperit eam, aut quod aliqui dicunt legem de prædone restituendo correctam fuisse iure authenticorum. Authent. de posthumis. collat. 6. & incipit, sed iam cautum. Nam quidquid ea de re dicatur, Ius Pontificium, quod Prædonem restituendum dixit, posterius est istis authenticis, à quibus etiam corrigi non potuit.

Dices in foro externo obligandum hunc bonæ fidei emptorem ad restituendam rem emptam domino, non furi, quia dominus non tenetur refundere pretium emptori: L. Si in Ciuilem. C. de furtis, & si mancipium & L. Si Mater. C. de rei vendicat. Ergo & in conscientiæ quoque foro ad eandem restitutionem domino faciendam obligabitur, quamuis ille negaturus sit pretium, vti ex Iuribus allatis negare potest. ℞. idcircò forum externum compellere emptorem reddere rem emptam domino, quia præsumitur mala fides, deinde vt apariatur venditor, qui cogetur pretium restituere, aut quia si venditor non compareat, nulla superesit spes recuperandi pretij, vnde nullam habet excusationem emptor, quo minus domino restituat.

Nam id semper intelligendum est in hac assertione, emptorē bonæ fidei posse rescindere contractum reddita re venditori, vbi spes est recuperandi pretij persoluti, si enim, vel quia obijt venditor, vel quia longius abest, vel quia ignotus est, vel inops, vel quia non vult rescindere contractum, nequeat obtineri pretium, restitutio facienda erit vero domino, qui tamen non obligabitur refundere pretium emptori, sic enim non recuperaret rem suam, quam emere cogeretur: atque ita cessant omnia incōmoda, quæ aduersus hanc sententiā obijciebāt aduersarij.

His addo eum, qui aliquid emit bona fide, & deinde dubitat an fuerit venditoris, an aliena reddere deberet venditori, quia in eo dubio fauet antiqua possessio venditori, quod communiter omnes fatentur; verùm de his dubijs alibi commodius dicetur, interim adi Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 41. q. 2.

5. Qui rem alienam bona fide comparatam eadem bona fide consumpsit, non tenetur nisi quantum ex illa factus est locupletior, restituere domino, siue sua culpa, siue absque illa consūpta fuerit. Ita Sāch. lib. 2. in decalog. cap. 23. n. 4. allegans 33. authores ad firmandā eam regulā, quibus & cæteri deincep recentiores passim accessēre. Estque manifestissima ratio, cùm hic bonæ fidei possessor non teneatur ex iniusta acceptione, cū neq; in eius acquisitione, neque in retentione, possessione, aut etiam consumptione peccârit cōtra iustitiam, non tenetur quoq; ratione rei acceptæ, quæ amplius apud ipsum non extat, cùm ex ea non fuerit factus ditior, quod enim eius bonis ex ea re accessisset, dicetur ex eadem re extare, atque adeò illud restituendum erit.

6. Qui rem alienam bona fide emptam, alteri bona item fide tradidit, vbi deinde comperit alienam fuisse, tenetur, si potest, rescindere contractum & restituere pretium emptori, ne illi faciat iniuriam, quod si nequeat rescindere contractum, nihil tenebitur domino restituere, nisi quantum ex

illa venditione rei alienæ bona fide facta, ditior euaserit.

Compono diffidentes sententias & plures difficultates, de quibus latè Sanch. lib. 2. in decalog. cap. 23.n. 16.& seq. Bonac. disp. 1.de restitut. q. 4. p. 2. & alij ab ipsis relati latè disputant, qui enim rē à se bona fide emptā alteri eâdem bonâ fide vendidit, non tenetur quidem ad aliquid restituendum domino, nisi inde factus fuerit locupletior, vt superius dicebamus, tenetur tamen indemnem seruare suum emptorem; quarè si periculum sit, ne comperto domino obligetur emptor ad restituendam rem emptam cum periculo sui pretij, debet illud ipse restituere, & tollere inæqualitatem, quam posuit, quamuis inculpabiliter posuerit, quia pretium accepit secutum, & dedit mercem non secutam, neque sufficienter reparat eam inhabilitatem, cùm reijcit onus seruandi ipsū de euictione in primum venditorē; aduersus quem dat actionem, quam habebat isti postremo emptori, nam ea actio, seu illius actionis ius plurima secum trahit incommoda, quæ subire non obligatur vltimus emptor.

80 Ex his omnibus tandē quæstionē in Corollario positam solues, nam qui mala fide rem alienā accepit etiam contractu oneroso, nisi incontinēti rescinderit contractum, tenetur illā domino, aut eius hæredib. restituere; quarè nisi pareat edicto imperāti illā restitutionē, incurret censuram, quam cūminatur; quod idem dicendū est de eo, qui bona gratis tamē accepit, nisi cōparenti domino restituat. Qui autem bona fide contractu oneroso cōparauit, si non possit rescisso contractu recuperare pretium à se persolutum, aut si eadem bona fide rē alienā consumpserit, aut distraxerit, neq; inde fuerit locupletior, non vrgebitur præcepto restituendi, neq; censura annexa, neq; etiā si animo restituendi domino cōparauerat, nisi ille refundat pretiū, aut si illud æquale sit rei, deducat, quod prudentes iudicabūt deberi emptori, qui eius negotium vtiliter gessit; quæ omnia perspicua redduntur ex principiis explicatis.

CONSECTARIVM XXIV.

An gener, qui dotem vxoris accepit à socero debitis grauato, aut vsurario teneatur monitorio imperante restitutionem bonorum illius soceri.

81 24. An gener, qui dotem vxoris à socero fure, vel vsurario, vel debitis grauato, & impotente ad debita soluenda accipit, teneatur parere edicto Ecclesiastico imperanti restitutionem Creditoribus, aut veris dominis, & nisi pareat, incurrat excommunicationem, quam comminatur.

Obseruandum est dotem esse contractum onerosum respectu viri, siue generi cū socero; datur enim ad alendam prolē, ipsamq; vxorem, atq; cætera matrimonij onera sustinenda; at verò respectu filiæ cū parētibus dotantibus contrahente est contractus lucratiuus, l.vlt.§.si à socero, ff.quæ in fraudē creditorū. Vnde fit, vt quando gener non fuit conscius datæ dotis in fraudem creditorum, non concedatur actio rescissoria creditoribus aduersus generū, concedatur tamen aduersus filiam post mortē viri sui, vt dicitur §.cit. Excipit tamen Molin.tr.2.disp.328. n.4. si supersint ex eo matrimonio liberi, quamdiu enim viuent, non licebit reuocare dotem quasi in fraudem creditorū donatam, ea enim reuocatio cederet in detrimentum viri, qui dotem illam acceperat titulo oneroso; quod verò dicimus de dote constituta filiæ, idem dicendum est de donatione propter nuptias facta filio, cuius respectu est lucratiua, comparatione autem vxoris illius datur titulo oneroso; & fieri potest vtraque in fraudem creditorum, vel conscio tantùm parente dotante, vel etiam ipso genere, aut etiam filia.

Aduertendum præterea est, quod donatur in dotem filiæ, aut filio propter nuptias; vel esse aliquid furtiuum, atq; reuerà alterius domini quàm dotātis & donantis, & vbi comparuerit, reuerà erit restituēdū saltē ratione rei acceptæ, si bona fide fuisset acceptum; vel reuerà illud erat in dominio dotantis, quamuis per fraudes & vsuras, aliisq; malis artibus acquisitum fuisset, & iste dotans vel habet cætera bona, ex quibus satisfaciat illis, quos læsit, & quibus obligatur dāna illata reparare; quo casu ad nihil neq; filia dotata, neq; vir eius dotē accipiens, obligatur vt pater, vel pater dotans filiam, aut donans filio nulla alia habet bona, quàm ea malè parta, aut si quæpiam alia habet, ea sufficientia non sunt vt post subductam tantum dotem satisfaciat, quibus obligatur propter iniurias & damna irrogata, aut propter nomina legitimè cōtracta; quarè nō potest dotare filiam, nisi in fraudem suorum creditorum, quod vt dixi, vel aduertit filia, & gener, vel alter ipsorum, vel nullus aduertit.

Quarè cùm diximus Coroll. 19. & 20. neq; donatarium, neq; accipientem aliquid contractu oneroso à debitore grauato & impotente, siue conscius sit illius damni & fraudis siue illam ignoret, modò ad illud damnum & fraudem committendam non excitet debitorem alienantem, non teneri ad restitutionem nisi intra annū à die scientiæ factæ alienationis, siue intra tempus illud, in quo conceditur actio rescissoria creditoribus si ipsi repetant res donatas aut distractas, non tenebitur aut filia, aut gener, dotem illam sic acceptam creditoribus reddere, nisi vtantur priuilegio legis intra tempus præfixū, neque proinde ligabuntur monitorio in eam causā à creditoribus obtento, & illi annexa excommunicatione, nisi intra idem illud tempus publicatum fuerit. Quæ omnia ex superioribus corollariis necessariò consequuntur.

CONSECTARIVM XXV.

Quando incurratur censura pro retentione alienarum scripturarum.

25. Quoties in retinendis alienis scripturis & 82
reposcenti negandis committitur peccatum mortale, toties incurritur excommunicatio, quàm Iudex Ecclesiasticus ad instantiam partis eius auxilium implorantis comminatur, eas non prodenti.

Hoc Corollarium sequitur ex Regula vniuer- 83
sali, suppono enim contra Sotum in 4. d. 22. q. 1. a. 2. casu. 3. licitam esse praxim inquirendi eiusmodi scripturas per Iudicem Ecclesiasticum præcipientem earum reuelationem, quoties omnes illæ causæ, quas requirebamus q. 3. huius disquis. ad ferēd. cens. pro fine & bono tēporali aderūt, si enim in retentione illarū scripturarū cōmittatur peccatū mortale, æquè potest illarū exhibitionē vrgere censuris Ecclesia, atq; quarūlibet aliarū rerum restitutionem, ad quod monebamus q. citatâ necessariā esse culpā mortalē in retentione, eamq; anteriorem præcepto Iudicis Eccles. nisi propter finem aliquem specialem illūq; publicū, atq; grauem possit Ecclesia imponere nouum præceptum circa rem merè temporalem, vti fuit explicatum illa q. 3.

Itaque

Itaque ad plenam huius Corollarij doctrinam indicandum paucis eſt quandonam ſit obligatio ſub mortali exhibendi aliquas ſcripturas repoſcentibus, vt videamus, an qui ſimiles ſcripturas retineret poſſit ad eas prodendas vrgeri comminatione cenſurarum. Poſſunt verò ſcripturæ, de quibus agitur, eſſe propriæ vel alienæ: ſcripturam alienam appello, non eam in qua agitur de alieno titulo vel Iure, ſed cuius dominium, vel vſus ad alium ſpectat. Propriæ ſcripturæ dicuntur, quæ ſunt quidem poſſidentis quoad dominium, & vſum, quia tamen continent alienum titulum, aut ius, aut certè ad illa probanda plurimum conferunt, idcircò illas ſibi exhiberi à poſſidente depoſcit. Aliæ prætereà ſunt publicæ ſcripturæ, aliæ priuatæ; publicæ continent acta in Iudicio, vt interrogationes, reſponſiones, inquiſitiones iuridicas, & cætera quæ ad proceſſum Iudicialem ſpectant. Priuatæ verò dicuntur ſcripturæ omnes aliæ, quæ Iura tantùm & titulos Actoris vel Rei continent; Denique quædam ſunt ſcripturæ originales & authenticę, alię ſunt Exemplaria tantùm & tranſſumpta, quę niſi ſolemniter tranſſumpta ſint, nullam fidem faciunt in iudicio, de quibus latè diſputat Couarr. qq. Practicar. cap. 19. 20. & 21. Ex his igitur ſcripturis publicas duntaxat edere compelli poſſe per Excõmunicationis comminationem exiſtimat Barboſ. allegat. 96. de poteſtate Epiſcopi. n. 50. allegans Nauarr. conſil. 35 de ſententia Excommunicationis, quia nemo cogi poteſt ad proprias rationes & ſcripturas edendas ex L. 1. C. de Edendo, vti obſeruat Deci. in cap. 1. de probationibus. De Graffis è contrario lib. 4. deciſio. cap. 8. n. 24. obligat ad exhibendas ſcripturas priuatas & ad propriam cauſam pertinentes, ſi faciant, inquit, pro cauſa partis aduerſę, ad cuius inſtantiam fulminatur Excommunicatio; quando autem ſcriptura publica eſt, & penes acta Curię facta non tenetur eam exhibere, ſed ſolùm aperire à quo Notario fuerit excepta. Alij negant vnquàm teneri litigantem ſuas ſcripturas dare colitiganti, neque ad id vrgeri poſſe aliqua cenſura, cùm Ius ſui aduerſarij iuuare nequeat niſi ſuo damno.

Standum eſt in Regula propoſita toties incurri Cenſuram latam ad inſtantiam poſcentis aliquas ſcripturas, quoties vel ex natura rei, vel ex præcepto ſuperioris naſcitur obligatio ſub mortali illas exhibendi, ſiue publicæ, ſiue priuatæ, ſiue alienæ, ſiue propriæ ſint, niſi enim pareatur præcepto Eccleſiæ iuſto & legitimo antiquam obligationem naturalem roborantis, vel nouam pro ſua poteſtate inducentis, incurritur contumacia, ob quam vnam ferri cenſuram iam diximus q. 1. huius diſquiſitionis & fuſius oſtendemus diſquiſ. 5.

Et quidem quod attinet ad alienam ſcripturam, quæ ad alterius dominium vel vſum pertinet, illa abſque iniuſtitia retineri non poteſt inuito domino; cùm enim ſit res quædam permanens, quæ verè numeratur in bonis alicuius, tam eſt materia iniuſtitiæ, quàm quælibet alia res; quarè ſecluſo omni præcepto ſuperioris reſtituenda erit, alioquin peccatur contra Iuſtitiam; vnde obſeruauit Suar. diſp. 20. de Cenſu. ſect. 3. n. 3. ſcripturam plurimum differre à teſtimonio cap. peruenit 1. de teſtibus cogendis, cùm enim ſcriptura poſſit in bonis alterius numerari, vt diximus, non verò teſtimonium quod conſiſtit in actione propria, neque ad alterum pertinere poteſt niſi quando actu fertur, idcircò nemo ordinariè obligatur ex iuſtitia teſtificari ante præceptum Iudicis; obligatur autem reddere ſcripturam alienam, ſicut & aliam quamlibet rem ex Iuſtitia commutatiua.

Quod attinet ad proprias ſcripturas, nemo obligatur illas prodere niſi ex charitate, non autem ex Iuſtitia, contrectat enim tunc rem ſuam & propriam, qua vti poteſt vti libuerit; quarè ſiue eam laceret, ſiue comburat, nemini facit iniuriam, etiamſi enim inde ſequatur aliquod alterius incommodum, quia caret teſtimonio, quo ſuum ius probaret, non teneor tamen ex iuſtitia illius Ius conſeruare, illi enim incumbit propriam ſcripturam & proprium titulum habere; poteſt nihilominus charitas aliquando vrgere ad eiuſmodi ſcripturarum exhibitionem; ſi enim proximus ſit in graui periculo amittendi ius ſuum, cui exhibendo aliquam ſcripturam poſſum ſine meo incommodo occurrere, ſanè ad eam exhibitionem obligor ex lege charitatis, ſicut etiam poſſum ex eadem lege ad ferendum teſtimonium obſtringi, ſi nimirùm aperiendo veritatem, eruam ex graui periculo innocentem nullo meo damno, quæ omnia maximè vera ſunt, quando de ſalute Reipubl. ac boni communis agitur, tùnc enim etiam cum meo diſpendio, lege charitatis ad teſtificandum, prodendas ſcripturas proprias aut alienas poterit eadem obligatio vrgeri præcepto Eccleſiaſtico, atque etiam intentari cenſura, niſi fiant imperata, & adiectione eiuſmodi præcepti creſcet nõ nihil obligatio naturalis, & iam ſufficiens erit ad contrahendam culpam mortalem propter contumaciam in legem Eccleſiaſticam, quod facilè conſtat.

Ex eo quod ſuperior Eccleſiaſticus poſſit non modo præuiam obligationem prodendi ſcripturas corroborare ſuo nouo præcepto, ſed etiam nouam inijcere, vti in pleriſque alijs, quę fieri aut omitti poſſent abſque culpa contingere iam ſępius monuimus, & quamuis hæc exhibitio ſcripturarũ ſit aliquid temporale, quod per ſe non cadit ſub poteſtate Eccleſiaſtica, quæ ſpiritualis eſt, niſi litigantes ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, aut de bonis Eccleſiaſticis diſceptetur; poſſunt tamen eſſe illæ cauſæ, eaque boni ſpiritualis ac ſaluris neceſſitas, vt indirectè & per neceſſariam connexionem eiuſmodi actio temporalis ſubijciatur in certo aliquo & ſingulari caſu poteſtati ſpirituali atque Eccleſiaſticæ. Sanè quoties Iudex ſæcularis poterit aliquem cogere ad teſtificandum, aut ad prodendam ſcripturam, poterit quoque, ſi eius inquiſitio inutilis fuerit, expediatque plurimùm bono communi, exorare auxilium Iudicis Eccleſiaſtici, qui ſuo præcepto idem edicat, atque etiam contumacibus cenſuram infligat. Quarè niſi legitima quæpiam cauſa excuſet ab illo præcepto, ea nimirum, quæ eximeret obligatione naturali in ſimili caſu, incurritur cenſura. Ita Suar. diſp. 20. de Cenſu. ſ. 3. Alterl. lib. 3. de Excomm. diſp. 1. cap. 7. & alij paſſim.

Hinc ſingulares quæſtiones facilè diffinientur.

Nam 1. ſi Iudex iubeat abſolutè exhiberi ſcripturas ad aliquam certam cauſam pertinentes, & per viam inquiſitionis procedat abſque ſufficientibus indicijs & ſemiplena probatione non tenetur Reus edere inſtrumenta, etiamſi ſint partim alie-

na, quia ius Actoris ex parte continent, & in vniuersum negat Gregor. IX. cap. 1. de probation. compelli Reum ad exhibenda instrumenta Actori, ne aduersus seipsum arma ministret. Vide Anton. Gab. tom. 1. opinion. comm. lib. 9. tit. instrumentum.

2. Si Actor iam habet aliquod Ius & probationes, quas inchoata lite firmare curat nouis accedentibus, teneri putant Reum edere instrumenta aliena siue communia, Anton. Gab. l. c. & Decius in cap. 1. de probation. num. 33. Verius tamen Reum illum neque proprias, neque etiam alienas scripturas, ex quibus graue damnum pateretur contra Iustitiam, si alioquin Ius verum habeat litigandi, obligari exhibere tradunt Soto. Relect. de tegendo secreto. memb. 2. quæst. 6. dub. 5. Nau. cap. 25. num. 50. & alij magno numero relati à Bonac. disp. 6. ex variis punct. 1. §. 6. num. 8.

Et quidem quod attinet ad scripturam alienam & nō propriam possidentis, & quæ est in partis dominio, si hactenùs nimirùm possessa fuerit bona fide, & ex ea manifestatione timeatur graue damnum ab exhibente, non teneri ad eam exhibendam docet Auil. 2. p. cap. 5. disp. 4. dub. 1. con. 1. allegans Vegam in sum. lib. 3. casu 365. & alios Magistros; additque id verum esse etiamsi possidens scripturam illam per fraudem obtinuerit, modò dominus scripturæ non incurrat ex occultatione talis scripturæ æquale damnum cum possidente ex manifestatione, quia tunc est melior conditio domini, quam per fraudem & iniustitiam possidentis. Quod si hic iniustus possidens excusetur à reddendis alienis scripturis propter iniustum damnum quod inde timetur, cessante incommodo tenebitur domino restituere illud interesse siue lucrum, quod amisit propter occultatam eiusmodi scripturam, sicut debitor, qui distulit solutionem, ne propriorum bonorum dispendium pateretur, obligatur ad resarciendum damnum & interesse, quod ex tali dilatione passus fuit Creditor, vt optimè tradit Caieta. 2. 2. quæst. 62. a. 8.

Ratio porrò huius Assertionis est, quia nemo tenetur dimittere statum suum iustè acquisitum restituendo aliqua iniustè acquisita, neque restituere iniustè acquisita cum graui damno bonorum iustè acquisitorum, vt tradunt DD. communiter in materia de Restitutione: Ergo neque tenetur scripturam alienam siue iustè, siue iniustè acquisitam, cum eorum, quæ iustè possidet, dispendio. Quarè si videam aduersarium non modo ex manifestatione scripturæ, quam à me postulat interposito Iudicis edicto, obtenturū causam de qua disceptamus, sed etiam me vexaturum circa alia bona, quæ iustè possideo, quorum tamen titulum authenticum amisi, non teneor parere Iudici imperanti exhibitionem scripturæ interminata censura. Deinde si certus sim me circa rem, quæ controuertitur optimum Ius habere, quod tamen impugnabitur illa scriptura, neque defendere licebit, propter amissa verbi gratia posteriora instrumenta iure omninò occultabo scripturam siue alienam, siue communem, eò quod in ea ius colligantis explicetur; aut quia charta illa est vtrique communis, vt tradit quoque Auila l. c. con. 3. in limitatione. Alteri. & Suar. laudati superius: sicut etiam non tenetur testis citatus Iuridicè interrogatus respondere, si ex sua testificatione sibi ingens malum imminere timeat. Probatur verò optimè ab Auila, quia Iudex Ecclesiasticus non potest sub Excōmunicationis pœna cogere ad manifestādam scripturam, nisi in eo casu, in quo si constaret de possidente talem scripturam, posset Iudex sæcularis præcipere eius scripturæ manifestationem; atqui possidens scripturam non teneretur cum graui suo damno obedire præcipienti Iudici, aut illi interroganti respondere, quia lex humana non obligat cum tanta difficultate & dispendio nisi bonum commune cui priuatum postponendum est, ita postulet.

3. Quando absque graui incommodo potest manifestari scriptura ab habente illam, incurrere Excommunicationem, quam comminatur Iudex Ecclesiasticus eam manifestationem præcipiens, etiamsi illa scriptura sit propria possidentis, modo ius Aduersarij contineat; vnde aliqui ipsam appellant communem, quia per mandatum Iudicis illa scriptura applicatur parti, sicut applicatur etiam testimonium volunt Auil. dub. cit. con. 3. Cordub. in sum. quæst. 63. & Ludouic. Lopez in Instructi. 2. p. cap. 9. circa medium, quia iste retinens instrumenta, tantò minus habet iuris, quanto plus habet aduersarius mediante illo instrumento: Quarè se contra rationem tuetur occultatione scripturarum, itaque quod Gregor. IX. cap. 1. de probatio. negat, quemquam esse cogendum, vt instrumentum contra se proferat, id intelligendum dicunt, quoties inde timeret graue damnum.

Existimo tamen probabilius, quoties possidens scripturas, & litigans habet ius verum, etiamsi aliqua ratione possit oppugnari per scripturam, in qua Ius quoque aduersarij contineri videtur, licet nō aliud timeatur incōmodum, quàm amissio litis & causæ, non teneri contra se proferre scripturam, neque iuuare ius aduersarij, neque se tuetur propterea contra rationem, quando non minuit Ius suum aut non prodit ea, ex quibus infirmaretur, modò ipse de suo iure aliunde non dubitet, eo quod sit aliis ex causis probabile, atque ita voluisse Gregor. IX. Quod idem latè prosequitur Panorm. in idem cap. Itaque non incurret Excommunicationem, licet eo casu non pareat præcepto Iudicis Ecclesiastici illam comminantis.

Verùm de hac Instrumentorum exhibitione plura dicturi sumus alibi, ex quibus ampliùs colligetur obligatio parendi Iudicitū Laïco tum Ecclesiastico eam imperanti, & vtrum incurratur Excommunicatio imposita, vel non. Cætera quæ hoc loco afferri possent, pertinent ad obligationem reuelandi occulta, de qua in seq. quæstione fusius acturi sumus.

CONSECTARIUM XXVI.

An qui rem restituendam dederat tertio, quì illam sibi retinuit, incurrat censuram propter omissam restitutionem.

26. Denique ex his omnibus, quæ hactenus disputata sunt circa obligationem parendi monitorio imperanti restitutionem rei omissam facilè fuerit, quid circa similes casus singulares sentiendum sit, dum ad generalem Regulam traditam & ad doctrinam horum Corollariorum exigentur.

Quæritur v.g. An incidat in Excōmunicationem ob omissam restitutionem sub ea pœna imposi-tam,

tam, qui rem restituendam dederat alicui tertio, qui eam sibi retinuit. Cuius quæstionis solutio petenda omninò est ex obligatione restituendi, quæ manet apud eum, qui rem restituendam infideli illi nuntio credidit, si enim manet adhuc obligatus ad restitutionem, incurret excommunicationem nisi restituat; si verò tota obligatio restituendi refundatur in tertium illum nuntium, ipse erit immunis omnis censuræ ad vrgendam indictam restitutionem latæ.

Distinguendum verò est de illo, cui est credita res restituenda, nam vel illum elegit debitor vel creditor, qui aut certum designauit nuntium, aut eius optionem permisit arbitrio debitoris; præterea vel res restituenda erat in indiuiduo, vel in specie tantùm eo quod functionem acciperet & denique vel restitutionis obligatio onerabatur ex iniusta acceptione, vel ratione rei acceptæ vel ex contractu aut sententia Iudicis, in quo posteriori casu aliquando res restituenda, est in dominio debitoris, vt in pecunia mutuo accepta contingit, aliquando est in dominio creditoris, vt vides in commodato, deposito, & pignore, quando res eadem indiuidua, quæ commodata, deposita, aut oppignorata fuit, redditur domino, vti reuerà vi horum contractuum reddi debet.

Quoties igitur res restituenda est ratione iniustæ acceptionis, si mittitur per nuntium à debitore electum perit ipsi debitori, quia non est æquum, vt creditor ex alterius culpa damnum patiatur; si autem nuntius fuit designatus ab ipso creditore, illi peribit, non debitori, nuntius enim ille censetur vna eademque persona cum creditore, quod etiam verum erit, quando creditor permiserit electionem nuntij debitori. Si obligatio restitutionis oriatur tantùm ex re accepta, & prudenter fidelitatem nuntij explorarit debitor non peribit debitori sed creditori; cùm enim ille debitor teneretur tantùm ex re accepta, & illa non exter amplius apud ipsum, neque sua culpa perierit, non est vnde obligetur ad nouam restitutionem. Quod si res restituenda sit ex aliquo contractu, peribit suo domino, & ideò quia quod restituitur ratione mutui est adhuc in dominio debitoris antequam peruenerit ad creditorem, si pereat in manu nuntij à debitore electi ipsi perit. Quia verò res deposita, commodata, & oppignorata est Creditoris, tanquàm veri domini, illi peribit, nisi debitor culpam, ex qua teneatur in deligendo nuntio commiserit. Ita Nald. ꝟ. debitor. num. 16. & alij communissimè, quos latè adducit & sequitur hanc difficultatem prosequutus Bonac. disputat. 1. de restitutione quæstione 4.p.9.

Quarè quoties ad nouam restitutionem rei, quæ periit antequàm perueniret ad Creditorem, tenebitur debitor in casibus allatis, toties incurret excommunicationem pro restitutione latam, nisi denuò restituat intra terminum præfixum, aut si iam illud tempus sit elapsum, quamprimùm poterit, si enim statueret nō restituere, reuerà incideret in excommunicationem, quia tempus assignatum fuit à Iudice, ne vltra illud prorogaretur restitutio, non autem vt eo elapso desineret obligatio restituendi. Quarè cùm præceptum illud adhuc pendeat propter ignorantiam, aut causam aliam legitimam, vbi denuò vrgebit, incurretur pœna per ipsum apposita, nisi pareatur, vt commodius & fusius dicam disq. 8.

Hinc fit, vt quoties debitor rem restituendam credidit Confessario aut Parocho, apud quos periit, teneatur ad nouam restitutionem, quoties res erat restituenda ex delicto, aut licet ex contractu deberetur, erat tamen in dominio debitoris, quia ab illo in sui vtilitatem accepta fuerat, neque eadem in indiuiduo debebatur, vt contingit in mutuo. Ita Nauarr. cap. 17. n.67. Nald. ꝟ. excommunicatio.n. 32. & alij relati à Bonac. p. cit.num.8. quamuis aliqui, ijque non ignobiles DD. non improbabiliter negent hanc obligationem in debitore, quoties vsus fuit ob periculum infamiæ Confessario, qui rem tamen non restituit, quod verum quoque dixerim, quamdiu idem infamiæ grauioris periculum manebit, illud enim eximie hoc onere restituendi, quia tamen poterit nancisci alium fidelem Confessarium, cuius opera vtatur reuera non erit immunis onere restituendi, si aliud non occurrat in casibus allatis.

An verò, qui incurrerat excommunicationem ob non factam restitutionem suo tempore, factus pœnitens adit Confessarium, cui pecuniam restituendam tradit, & a quo ab excommunicatione absoluitur, iterum incidat in excommunicationem, si, vbi sciuerit se delusum fuisse à Confessario, qui pecuniam creditam sibi retinuit, ipse non restituat, dubiæ quæstionis est, Nam Petr. Nau. lib.4. de restitutione cap. 5. dub. 1. n.19. Sayr. in claui, lib. 10. tract. 5. cap. 9. n. 9. farentur immunem hunc esse ab omni censura, nisi iterum excommunicetur vti potest ob omissam restitutionem, quia absolutio fuit absolutè collata, & non ad reincidentiam, quamuis appositæ sint aliquæ conditiones, quæ posteà non impletæ sunt, eæ tamen non suspendebant effectum, vti contingit in iis, qui initio Iubilæi absoluti sunt à casibus reseruatis & Censuris, licet deinde non exequantur, quæ imperantur in bulla Iubilæi, neque indulgentiam lucrentur, manent tamen absoluti neque denuò in easdem censuras incurrunt, vt docet Suar. disp.7. de censuris s. 5. n. 35. & nos dicemus disq. 10. Naldus verò ꝟ. excommunicatio, n. 32. probabilius dicit fuisse quidem hunc debitorem verè absolutum, teneri tamen sub eadem censura iterum restituere, quamprimùm poterit, quia adhuc perseuerat obligatio præcepti indicentis restitutionem sub excommunicatione; estque omninò denuò facienda restitutio; quarè vbi vel proponet iste non restituere, vel elapso termino præfixo in monitorio à die scientiæ obligationis eius, non restituerit vrgente adhuc præcepto Ecclesiastico, vti dicemus disq. 8. reuerà incurret denuò censuram, neque vrget simile de absolutione concessa vi Iubilæi; censura enim tunc laxata non incurritur denuò, quia præceptum, ob cuius violationem lata fuerat, non violatur, eo quod opera iniuncta ad consequendam indulgentiam non fiant, neque etiam ipsa indulgentia obtineatur, sicut ex omissione restitutionis, vbi scitur ob fraudem Confessarij manere eius obligationem, violatur præceptum Ecclesiasticum de eadem facienda restitutione sub pœna excommunicationis quod adhuc perseuerare supponimus.

QVÆSTIO VI.

De excommunicatione ad finem reuelandæ veritatis occultæ.

PRIMA *Regula, Qui peccat mortaliter tacendo veritatem, incurrit Excõmunicationem Monitorij eam reuelationem indicentis, sed non tenetur ad damna, quæ inde eueniunt parti læsæ. n. 1.*

Explicatio & Confirmatio Regulæ. n. 2.

Attendendum quid ferat præceptum reuelationis. n. 3. 4. 5.

Aliud est reuelare testificando, aliud denuntiando & causando. n. 4.

Quomodo differat denuntiatio Euangelica à Iudiciali. n. 5.

Probatur 1. pars Regulæ. n. 6.

1. Pars Regulæ non parentem Monitorio indicenti reuelationem non teneri ad damna inde obuenientia parti læsæ. n. 7.

2. Regula. Quando reuelatio inutilis est ad finem monitorij, non tenemur reuelare. num. 8.

Expositio Regulæ. n. 9.

Consectarium 1. Monitorium non obligat ad reuelationem eum, qui scit aliquem iuste retinere rem alterius. n. 10.

Consectarium 2. Non obligat Monitorium ad ea reuelanda, quæ à leuibus accepta sunt. num. 11.

Consectarium 3. Quæ certò affirmari non possunt, reuelanda non sunt. n. 12.

Consectarium 4. Non tenemur vi monitorij ea reuelare, quæ iam reuelauit ille, à quo ipsi accepimus.. n. 13.

Consectarium 5. Monitorium imperat reuelationem tantùm scientibus, n. 14.

Consectarium 6. An teneamur reuelare, quæ probare non possumus n. 15.

Ex eo quod non tenear Iudicialiter denuntiare, quæ probare non possum, plurima colliguntur. n. 16.

Consectarium 7. Monitorium non obligat illum, qui nullum alium contestem habet ad reuelandum. n. 17.

Consectarium 8. Monitorium non obligat reuelare factum inculpabiliter commissum. num. 18.

Consectarium 9. An obligemur vi monitorij reuelare reum iam emendatum n. 19.

Consectarium 10. An quando superior non est vsurus reuelatione, ad illam obliget monitorium. n. 20.

Consect. 11. an inhabiles ad testificãdum obligentur nihilominus monitorio. n. 20.

Consectarium 12. An quos Iudex vel pars excipit, ligentur monitorio. num. 21.

Consectarium 13. Non obligantur reuelare, quos Iudex aut pars noluit comprehendi monitorio. n. 22.

Consectarium 14. Non est restituendum aut reuelandum vi monitorij, nisi quantum fert Monitorium. n. 23.

3. Regula. Monitorium de Reuelatione iniustum pugnans cum alio præcepto, cuius obligatio magis vrget, impunè violatur. n. 24.

Expositio & Confirmatio Regulæ. n. 25.

Consectarium 1. An metu Excommunicationis sit confessio sacramentalis aperienda. n. 26.

Consectarium 2. An vi monitorij teneamur reuelare nobis secretò concredita. n. 27.

Consectarium 3. An Monitorium obliget aperire peccatum occultum alterius. n. 28.

Consectarium 4. An Comminatio Excommunicationis obliget prodere authorem Criminis. n. 29.

Variæ sententiæ. n. 30.

Solutio difficultatis. n. 31.

Consectarium 5. an secreta Monitio debeat præcedere reuelationem Criminis à monitorio imperatam. n. 32.

Quandonam sit præmittenda secreta monitio ante denuntiationem Iuridicam. n. 33.

Quandonam denuntiationi Euangelicæ sit præmittenda secreta monitio n. 34.

Consectarium 6. An monitorium obliget aperire crimen aduersus nos commissum. n. 35.

Consectarium 7. An Monitorium cogat reum prodere seipsum. n. 36.

Consectarium 8. An vi Monitorij sint aperiendi criminis complices. n. 37.

Consectarium 9. An tenẽatur vi monitorij personam coniunctam reuelare. n. 38.

Consectarium 10. an metus grauis damni eximat obligatione monitorij reuelationem indicentis. n. 39.

Consectarium 11. Metus grauis damni iniustitiæ proximi soluit obligationem reuelãdi quod imperabat monitorium. n. 40.

Consectarium 12. An Iuramentum de non reuelando eximat monitorio. n. 41.

Consectarium 13. An Monitorium obliget testes priuilegiatos ad reuelandum. n. 42.

Consectarium 14. An dubius de obligatione monitorij teneatur reuelare. n. 43.

Praxis faciendæ Reuelationis & Restitutionis. n. 44.

PErgo ad cæteras Regulas, quibus dignoscatur obligatio parendi præceptis Ecclesiasticis indicentibus aliquid temporale, ne incurratur excommunicatio & censura, quam comminantur. Egimus hactenus de præcepto imperante restitutionem siue manifestationem veritatis occultæ, ad hos enim duos fines referebamus omnes censuras, quæ pro aliquo fine temporali feruntur, vt monui initio quæstionis superioris; sit itaque.

PRIMA

PRIMA REGVLA.

1 Solus ille, qui peccat mortalitèr occultando veritatem, quam reuelare tenetur, vel ex præcepto naturali, vel ex imperio superioris, incurrit excommunicationem annexam monitorio eiusmodi reuelationem indicenti nisi pareat, non tamen damna, quæ ex violato illo præcepto prouenient parti læsæ, reparare tenetur; quare diligenter attendendum est quidnam ferat præceptum & monitorium reuelationem mandans.

EXPLICATIO ET CONFIRMATIO REGVLÆ.

2 Hæc Regula verissima est, & ex iis, quæ tota hac disq. disputauimus, atque in aliis Regulis proximè explicatis dicta sunt, manifestissima fit. Quoties enim monitorium siue præceptum Iudicis Ecclesiastici vrgens censuris reuelationem præsupponit obligationem naturalem reuelandi quam declarat & corroborat, certum est, nisi pareatur, & in occultatione peccetur mortaliter incurri intentatam excommunicationem; quod idem quoque dicendum esse constat, quando præceptum & Monitorium Ecclesiasticum nouam inducit obligationem reuelandi, licet nulla prorsus, præcessent, id enim fieri posse æquè in hac materia, atque in restitutione nemo dubitare iure potest, & ostendit Gutierr. lib. 1. qq. Canonic. cap. 7. à n. 31. alibi. relatus; nisi igitur pareatur iusto illi & legitimo præcepto pœna quæ in eius violatores lata fuit, subeunda omninò erit.

Quando verò superior & Iudex Ecclesiasticus in suo præcepto non meminit peccati commissi in occultatione veritatis, cuius manifestationem imperat, sed absolutè eam aperiri mandat, signum est ipsum obligationem nouam inducere, etiamsi nulla præfuisset, vt monet Suar. disp. 20. de Censu. s. 3. Quarè quamuis nulla lex naturalis obliget ad eam veritatem manifestandam, manifestanda nihilominus erit vi præcepti & monitorij, alioquin peccabitur contra præceptum legitimum, & incurretur illi annexa Censura; nisi eæ sint causæ quæ eximant onere parendi, de quibus agemus in sequentibus Regulis; in præsentiarum enim statuo duntaxat, quoties violabitur illud præceptum mortaliter, vnde cunque oriatur obligatio reuelationis imperatæ, siue ex Iure naturali præuio, siue ex ipso duntaxat præcepto Pœnam appositam & Excommunicationem sortiri suum effectum, atque innodare eiusmodi Reum.

3 Quarè monui in Regula diligenter attendendum esse quid ferat præceptum & monitorium, & 1. quidem an supponat obligationem præuiam an illam iniiciat. 2. an imperet manifestationem Criminis, an Rei tantùm qui illud commisit, an vtriusque, quia vt aduertit Nau. cap. inter verba conc. 6. Corolla. 66. n. 378. aliquando iubetur reuelari, quod scitur de delicto, aliquando quod scitur de fama vel notorietate delicti, aliquando quod auditum est de delicto, vel eius fama, quæ omnia quidem diuersa sunt, pertinent tamen ad ipsius delicti manifestationem aliquam, quia nimirum nondum est notorium, etiamsi sufficiens illius notitia habeatur ad inquirendum Iuridicè de illo: tunc enim licitam esse hanc inquisitionem etiam per monitoria tam certum est, quàm monitoria concedi legitimè posse ad finem reuelationis, sed quandonam & cuius criminis manifestatio imperari possit, & an etiam authorem occultum noti criminis prodere aliquando vi monitorij teneamur, & quibus limitibus circumscribenda sit hæc obligatio, dicam in Regula sequenti.

3. Attendenda erunt verba præcepti, an scilicet iubeat nos denunciare, an testificari. Hæc enim diuersa admodū sunt, nam qui denuntiat, tenetur probare quod denuntiat, ex cap. plerumque 2. q. 7. & cap. placuit. 6. q. 2. cap. si tantum ead. causa & q. 2. cap. si sacerdos. de officio ordin. quibus locis consule glossas, & in cap. sacerdos. de pœnitentia dist. 6. alioquin calumniator habebitur, qui probare non poterit. quod denuntiauit, cap. si sacerdos. de officio ordini. cit. hinc fit vt nemo compelli possit inuitus ad accusandum L. vineæ C. vt nemo inuitus agere seu accusare cogatur. §. fin. quia accusator graue damnum patitur si non probet accusationem; accusatio verò & denuntiatio non differunt nisi accidentario, & solemnitate quadam extrinseca, vt obseruat Suar. disp. 20. de fide 4. n. 3. cùm vtraque sit delatio criminis ad Iudicem, vt ille ex suo deinde munere procedat ad punitionem.

Testificatio autem non habet onus probandi, est enim semper assertio facta coram Iudice, ipsaque est probatio, quæ si indigeret alia probatione abiremus in infinitum; quando igitur iubemur edicto Ecclesiastico denuntiare: de propria denuntiatione, & non testific. tione intelligendum est, sicut quando vult nos testificari, de testimonio non de denuntiatone exponendum erit, nisi aliud subiecta materia & circumstantiæ suadeant, nunquàm enim, vt monui 1. Regula q. superioris ex Felin. in cap. nam de Constitutionibus, verba Edictt & Rescripti cuiuscunque impropriianda sunt, nisi euidens ratio cogat & subiecta materia, ex qua Principis mentem colligamus, omninò ita postulet.

Quia tamen aliquando ista Edicta vtuntur verbo, dicere, reuelare, manifestare, & alijs eiusmodi dubiæ significationis, cùm æque denuntiationem, atque testificationem significent, consulenda est materia edicto subiecta: in Ciuilibus enim cùm non agatur communiter de punitione peccati, non sunt necessarij denuntiatores, sed testes, quod etiam verum est in criminalibus, vbi iam lis cœpta est; quarè in his casibus non tantum declaratio, reuelatio, manifestatio, sed etiam vox ipsa denuntiationis sumi debet pro testificatione, quæ tunc imperatur. E contrario verò in materia & causa criminali ante cœptam litem, reuelatio & ipsa etiam testificatio imperata capienda erit pro denuntiatione, quæ tunc necessaria est ante testificationem. Hanc Regulam tradunt Nauarr. cap. inter verba. conc. 6. corell. 66. n. 883. cum Felin. & Decio ab ipso relatis. Sanch. lib. 6. consili. cap. 2. dub. 27. Henriq. lib. 13. cap. 13. n. 5. Sayr. lib. 12. Clauis. cap. 14. n. 32.

Aliquando iubetur aperiri, quod scitur, vt melius potest ac debet iuberi, siue via denuntiationis, siue via testimonij, & tunc vtraque reuelatio mandatur, estque obligatio ad denuntiandum, vel ad testificandum, vel ad vtrumque, prout opus fuerit, quia vt iam monui, verba intelligenda sunt iuxta materiam in qua pronuntiantur, etiamsi impropriianda essent.

4. Aduertendum est, an superior mandet sibi denuntiari tanquam Iudici ad puniendum; aut tanquàm Patri ad emendandum, aut impediendum

peccati si

peccatum, vel reparanda damna partis læsæ; vt alij loquuntur, an Iudicialiter, aut extraiudicialiter procedat superior Ecclesiasticus. Ioan. Andræ. & illum sequuti cæteri Canonistæ, vt latius tradit Farinac. de Hæresi. q. 186. n. 6. & indicat Nerii-tan. lib. 3. syluæ. n. 40. & 41. quadruplicem denuntiationem constituit, Euangelicam, Canonicam, Iudicialem, & Regularem, quam diuisionem probarunt quoque Soto. Relect. de secret. memb. 2. q. 5. & Axor Pa. 3. lib. 11. cap. 21. Rectius tamen Theologi cum Syln. ℣. denuntiatio. n. 1. ad duas reuocant, Euangelicam, quam Sylu. nominat pœnitentialem, & Iudicialem, nam Canonica vel eadem est cum Euangelica, vel si qua ratione differat, conicidit cum Iudiciali; quod idem de Regulari dicendum est: differunt porrò hæ duæ denuntiationes, quod Euangelica primò & per se tendit in emendationem fratris, vnde & fraterna dicitur, quod satis indicat, cap. nouit. de Iudicijs cap. super his de Accusationibus, & cap. si peccauerit 2. q. 1. Iudicialis verò denuntiatio tendit ad vindictam delicti, & fit ordinariè propter bonum cõmune. Quarè vna fit Prælato vt Patri habenti curã subditi, maximè in bonis spiritualibus; altera fit superiori tanquam Iudici. Ex qua finium & modi procedendi diuersitate satis constat harum denuntiationum distinctio, quorum natura amplius explicabitur alibi alio loco, vbi latissimè de Iudiciali disputabimus. Moneo duntaxat, quod superius dicebamus, denuntiatorem teneri ad probandum, quod denuntiat, intelligendum esse de denuntiatione Iuridica, in qua denuntiator fit pars Iudicij, & qua non nisi accidentariò differt ab accusatione, & qua bonum commune vel denuntiantis, aut illius, qui læsus fuit à Reo quæritur, non autem ipsius Rei, seu infamati denũciati, & accusati de crimine vt explicat Molin. disp. 32. n. 6. tract. 4. Nihilominùs quãuis ex Iure denũtiãs Iudici, teneatur probare, quod denũtiat, vt dixi superius, & habetur L. Diuus, & L. ab Accusatore ff. de senatuscons. Turpill. Hodierna praxis contrarium morem induxit in Tribunali, maximè Inquisitionis, vt probat Farinac. tract. de hæresi. q. 185. §. 5. num. 71. atque ex aliis authoribus & decisionibus refert Diana tract. 4. de denuntiationib. Resolut. 1. & affirmat quoque Sanctarell. cap. 9. de hæresi. num. 13. neque propterea inutilis est ea denuntiatio, etsi non sit pars Iudicij, dat enim caussam inquirendi de crimine, quod diligentia tandem Inquisitorum deprehendetur, de qua praxi dicam statim aliquid.

Quia verò dubium aliquando est, an Iudex Ecclesiasticus in suo Edicto intendat emendationem Rei & satisfactionem partis, an eius criminis punitionem, quæri iure potest in quam partem sit interpretandum Edictum Reginald. lib. 24. praxis. n. 51. & 61. præsumit intendi punitionem, sed rectius Bonac. disp. 6. ex variis. p. 1. §. 8. num. 3. allegans Auil. Suar. & Fillucius existimat intendi emendationem non vindictam, nisi aliud perspicuè & necessariò colligatur ex verbis, aut materia Edicti, vt contingit in infando crimine Confessarij sollicitãtis ad turpia. Subscripsit Barbos. allegat. 96. de potestate Episcopi. n. 69. quia Excommunicatio est pœna medicinalis, & qui illam fert potiùs ægroti salutem, quàm cruciatum sibi præfigit.

6 Ex his constat 1. pars Regulæ, nimirùm quando peccatur mortaliter in violando Edicto Ecclesiastico reuelationem mandãte incurri censuram appositam, sed Edicti verba ac mentem diligenter attendenda esse, vt videamus quidnam præcipiatur, prohibeaturve, & an præceptum violatum fuerit, necne.

2. Pars erat violatorem huius Imperij teneri 7
quidem censura per illud lata, sed non obligari ad reparanda damna, quæ ex ea non reuelatione & contemptu monitorij obuenerint parti læsæ, cuius causa concessum fuerat monitorium. Contra Auil. 2. p. disp. 4. cap. 5. dub. 4. con. 8. Nau. cap. 17. n. 134. & cap. 25. n. 41. Aragon. 2. 2. quæst. 70. a. 1. Carbo. quæst. 51. de Restitut. & alios, qui passim existimant testem citatum & iuridicè interrogatum, & non respondentem peccare contra Iustitiam, ac proinde teneri ad reparanda damna, quæ suo silentio affert parti, quæ Ius habet, ne denegetur ipsi illud testimonium, quod legitimi superioris imperio illi fuit applicatum & donatum. Ita Valent. 2. 2. disp. 5. quæst. 14. p. 1. Sayr in claui. lib. 10. tract. 2. cap. 14. num. 2. Turrian. 2. 2. tom. 2. disp. 52. dub. vnico. n. 2. Vitalis tract. de Reis & testibus cogendis. num. 45. qui alios benè multos dabunt.

Ex contrario tamen principio postremam hanc Regulæ nostræ partem elicimus, existimo enim 1. testem, quando præuidens se interrogandum declinat aliqua arte testimonium, non modò non peccare contra Iustitiam, immò neque contra obedientiam, vt rectè statuunt Less. lib. 2. cap. 30. num. 54. Rebell. lib. 2. de Restitut. q. 14. sect. 8. num. 63. & Sayr in claui cap. cit. Val. & Turrian. allati, contra Sotum lib. 5. de Iustitia quæst. 7. a. 1. & Reginald. lib. 24. num. 46. & Zanard. 2. p. 2. directorij Theologici cap. 95. quæst. 13. cùm nullus contrahat obligationem ortam ex præcepto superioris, antequàm reuerà præceperit, vnde oriatur vt non præceperit.

Existimo 2. contra authores superius adductos, testem citatum, qui eludit citationem, & euitat respondere, violare quidem obedientiam præcepti, & sæpissimè etiam charitatem, non tamen peccare contra Iustitiam, vnde solùm oriri posset obligatio restitutionis. Ita DD. Louanienses apud Lessium cap. 30. cit. n. 59. qui probabile id censet. Molina tract. 2. disp. 83. n. 9. Sylu. ℣. testis. n. 8. Bonac. disp. 10. de præceptis. q. 3. p. 3. n. 13. neque putat improbabile Filluc. tract. 40. dub. 2. n. 258. tenet omninò Ioan. de la Crux. in directorio conscientiæ in 8. præcept. q. 3. a. 4. con. 5. Tann. in 2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 2. n. 79. Diana. 3. p. tract. 5. Resolut. 107. vbi etiam adducit Syluium in 2. 2. & Pirignian. in practica criminali. accedit Villalobos 2. p. tract. 17. difficul. 1. n. 19. Bann. 2. 2. q. 70. a. 1. dub. 4. conc. 1. qui omnes negãnt testem iuridicè interrogatum teneri ex Iustitia commutatiua respondere, quamuis si cœperit respondere, obligetur ex eadem Iustitia commutatiua non mentiri, vt optimè distinxit Bann. Con. 2. & ex illo Ioann. de la Crux, etiamsi enim falsum testimonium obliget ad restitutionem damni ex eo prouenientis, non tamen silentium ad idem obligat, nisi eos, qui ex contractu, aut ex officio, & quasi contractu tenentur reuelare, vt custodes & alij quidam; Quarè quod in vulgaribus causis obligantibus ad restitutionem numeretur non manifestatio, interpretandum est de non manifestantibus obligatis ex Iustitia commutatiua ad manifestationem. Ratio huius opinionis est, quia præceptum superioris non affert obligationem nisi obedientiæ, aut ad summum Iustitiæ legalis non commutatiuæ, immò neque charitatis, si ante illud præceptum, eiusmodi ol li-

gationes

gationes non vrgebant; neque enim, qui Regi iubenti ad bellum proficisci vrgente publicæ rei necessitate non paret, iniustus audiet, sed rebellis neque propter violatam Iustitiam commutatiuam tenebitur ad damna, ex non adita militia subsequuta, inquit Bann. neque qui detrectarit capescere tutelam iubente licet Magistratu, iniurius in Magistratum vel pupillum, sed contumax & inobediens, aut parùm pius in pupillum dicitur: nemo verò illum ad reparanda damna, quæ ex ea recusarione obuenere pupillo, damnabit, estque in vniuersum verum quod tradit l. c. Lessius, quando ex posita lege aliqua, aut præcepto superioris nascitur obligatio iustitiæ commutatiuæ, ea non sequitur præcisè ex præcepto, sed ex acceptione functionis, aut muneris imperati, in qua est tacitus quidam contractus, & promissio, vel quasi contractus, eo enim ipso quod aliquis obediat Magistratui, & functionem aliquam in grariam proximi imperatam capessit, v.g. tutelam, implicitè sese obligat ad illam exercendam, idque promittit pupillo, qui deinde habet proprium & verum ius exigendi eam functionem, & suorum v. g. bonorum administrationem; non quia imperata fuit à Iudice, sed quia fuit acceptata ab aliquo, licet ille non acceptarit, nisi vt mandato legitimi Iudicis & superioris obediret, neque sanè potest Iudex aut superior, cùm non sit dominus actionum liberarum subditi, dare Ius strictum alteri in functiones eiusmodi liberas absque ipsius subditi consensu; qui si non pareat & faciat erga alterum, quæ imperantur, puniri tanquàm contumax & inobediens poterit, non tamen tanquam iniustus etiamsi ex eius inobedientia damnum accidat proximo, cui famulari iubebatur, si aliunde nullà erat obligatio Iustitiæ commutatiuæ & propriè dictæ ad auertendum proximi damnum, aut procurandum eius bonum, præterquàm ex superioris mandato illud obsequium iubentis. Non poterit itaque Iudex imponere testi obligationē Iustitiæ ad testificādum. Ex quibus soluitur, quod persuasit contrariam opinionem Doctoribus allatis, nimirùm partem, cui à Iudice applicatur testimonium habere ius strictum ad illud exigendum, nego enim applicari posse illud testimonium absque testis consensu, nisi per obligationem obedientiæ, cum Iudex non sit dominus liberi testimonij, ita vt inuito teste possie illud pro arbitrio transferre, quamuis pro imperio ad testificādum obligare valeat. Inde etiam vides latum discrimen inter testimonium & exhibitionem scripturarum, quia vt ait Lessius cùm scriptura sit quodpiam externum, potest, sicut alia bona subiici dispositioni Reipubl. quæ quoties grauis causa subest, validè illorum dominium ab vno in alium transfert. Respondet præterea Ioann. de la Cruz eo ipso quod scriptura Ius alterius contineat ad illum quodammodò pertinere, qui idcirco illam repetit veluti ex Iustitia, fitque ipsi iniuria si denegetur; Idcircò nonnulli eiusmodi scripturam communem appellabant. Verùm de his omnibus plura fortassis dicemus alibi. Hæc modò sufficiant, vt ostenderemus eum, qui contra quàm iubeat monitorium, tegit aliquam veritatem, si eo silentio peccet mortaliter, incurrere quidem excommunicationem, quam comminatur monitorium, non propterea tamen obligari ad damna, quæ defectu manifestationis imperatæ contingent parti læsæ, quæ erat extrema pars nostræ Regulæ.

SECVNDA REGVLA.

Quoties cessat finis per monitorium intentus à Iudice, ad illumque esset inutilis Reuelatio, non tenemur reuelare, neque Excommunicationem, quam comminatur, Edictum incurrimus. 8

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLÆ.

Repetendum est duplicem finem spectari à Iudice imperante declarationem alicuius criminis, 9
eius nimirùm punitionem, vel emendationem tantùm, aut si futurum adhuc sit, euitationem, aut damni vel illati reparationem, vel inferendi depulsionem, aliquando vtrumque istum finem sibi præfigit. Quia verò quælibet reuelatio non est vtilis ad quemlibet illum finem, attendendus diligenter est finis præfixus, nam si iam obtentus est ante nostram reuelationem, aut si per illam obtineri nequit, frustrà reuelaremus, quod scimus, neque Iudex imperare vult, aut etiam potest actum inutilem, quare si omittatur, non violatur Edictum & Monitorium, quia aliū omninò actum imperat, quàm illum, quem in illis circumstantiis exhibere possumus. Hæc Regula ita exposita certissima est, quis enim probet præceptum quod actum inutilem sub grauissima pœna imperaret, quandoquidem in omittendo eiusmodi actu nulla potest admitti culpa, & præceptum de re inutili inutile quoque habendum sit, non dicitur autem actus imperatus inutilis in sese spectatus, sed in ordine ad finem præcepti, cùm omnis vtilitas sit attendenda in medio, non in fine, nam etiamsi hæ voces soleant aliquando vsurpari de fine per aliquam actionem intento, ille tamen finis non est talis, nisi quia in serie alicuius actionis ipse deinde ad finem vlteriorem refertur, ratione cuius dicitur vtilis, aut inutilis, estque, vt loquuntur Philosophi, finis intermedius siue proximus, & ad principaliorem alium vlterius referibilis; quarè vtilitas & inutilitas sunt proprietates & affectiones medij cum fine comparati.

Inutilitas porrò medij ad finem duobus ex capitibus oriri maximè potest, quia nimirum posterius est fine iam obtento, ac proinde frustra omninò & inutiliter vsurpatur; aut quia reuerà est insufficiens ad eius acquisitionem, eo quod illi non sit aptum & proportionatum, siue ob diuersitatem ordinis, siue ob inbecillitatem agentis, siue quam aliam ob causam. Simili ratione reuelatio rei arcanæ imperata per Edictum & monitorium à Iudice Ecclesiastico, potest esse inutilis duobus modis ad finem, quem sibi præfixit Iudex, imprimis quia iam obtentus est, emendatum videlicet est crimen, & reparatum damnum, aut sufficienter cautum, vt peccatum & dānum proximi, quod futurum timebatur, impediretur, quam tamen vnā peccati emendationem & damni depulsionem intendebat Iudex imperando reuelationē. 2. inutilis est reuelatio, quia talis ab aliquo exhiberi nequit, qualem requirit monitorium ad suum finem, siue quia non potest quis certò crimen reuelare, siue quia nequit denuntiare ea denuntiatione, quæ sufficiat ad criminis punitionem, quā intendebat, quæ omnia perspicua fient ex singularium difficultatum solutione, quam ex hac regula vniuersali facilè colligemus.

CON

CONSECTARIVM I.

Qui ſcit alium retinere iuſto titulo rem proximi, non tenetur monitorio indicente reuelationem.

10 Primo enim qui ſcit aliquem iuſto titulo retinere alienum, non tenetur reuelare eum detentorem, quidquid imperet Monitorium, vt latè probat de Ripa lib. de peſte. §. inſuper. Nauarr. in cap. Inter verba. con. 6. Coroll. 66. n. 393. & ſeq. Gutierr. lib. 1. Canoni. qq. cap. 11. n. 67. Bonac. diſp. 6. ex variis. punct. 1. §. 6. & alij ab ipſo relati. Ratio manifeſta eſt, quia ſuperior illo ſuo edicto non intendit, niſi vt quæ malè fuerunt ablata, aut per iniuriam detinētur, ſuis dominis reſtituantur, neque aliud imperare poteſt, ſi igitur iuſtè aliquis poſſideat alienum, fruſtrà reuelaretur vi monitorij, cùm illi non poſſit imperari reſtitutio rei, quam iuſto titulo retinet. Quarè meritò dixit Angel. ꝟ. furtum. n. 41. ſententiam, quæ ſub pœna Excommunicationis præciperet, vt res in iuſtam compenſationem, aut alio quouis modo acceptæ reſtituerentur, continere intolerabilem errorem, & illi abſque interminatæ Excommunicationis religione parendum non eſſe, quod probat Nauarr. num. 394. contra Roſell. ꝟ. familia. §. 11. quam etiam tandem reiicit Sylu. ꝟ. furtum q. 15. quando licita fuit compenſatio, & periculum eſt, ne cogatur reſtituere Iuſtus compenſator; ſi enim non eſſet illud periculum, vult reuelandum eſſe, quando Edictum expreſsè iubet, vt quicunque acceperint aliquid ex certis bonis expreſſo Compenſationis aliove titulo declaretur; ſed non eſt attendendum periculum iterandæ reſtitutionis, ſed Iuſtitia compenſationis, quam ſi comprehendant eiuſmodi monitoria, iniuſta ſunt etiamſi fuiſſet illicita compenſatio, qua propria authoritate facta & contra ordinem Iuris, vt dicit ibidem Nau. & nos ſuperius monuimus, hinc porrò fit, vt neque impotem ad reſtituendum, neque vllum alium, qui legitimè excuſatur à reſtitutione, teneamur reuelare.

CONSECTARIVM II.

Monitorium ad reuelanda, quæ à leuibus perſonis accepta ſunt non obligat.

11 Secundo ſequitur non obligari ad reuelanda ea, quæ à leuibus perſonis & indignis, quibus fides adhibeatur, accepta ſunt. Ita Sanch. lib. 3. de Matrim. diſp. 13. num. 7. Nau. cap. Inter verba. con. 6. Coroll. 66. num. 392. Corduba. lib. 1. quſtio. q. 43. dub. 2. Gutierr. lib. 1. Canonic. qq. cap. 11. num. 71. & lib. 3. cap. 59. num. 11. Bonac. diſp. 6. ex variis. p. 1. §. 4. num. 1. Sanctar. cap. 9. de hæreſi. num. 16. qui alios allegant & extendunt ad crimen hæreſis, quia illa declaclatio erit omninò inutilis, cum ex ea nihil poſſit agere, aut ſuſcipere ſuperior, & qui denuntiat, leuis omninò, qui tali perſonæ fidem præſtiterit, habebitur,

CONSECTARIVM III.

Si certò affirmari non poßit res ab alio accepta, reuelanda non eſt.

Tertio ſi quis audiuit quidem à perſona fide 13
digna, ſed quæ id certò neſciebat aut non affirmabat certò, aut ſi non meminit nominis illius perſonæ non tenetur, vt intentatam Cenſuram vitet, reuelare, vt aſſerunt laudati DD. quia æquè hæc reuelatio inutilis eſſet Iudici, atque prior, & æquè noceret reuelanti.

CONSECTARIVM IV.

Non tenemur vi monitorij reuelare, quod ille, à quo accepimus, iam reuelauit.

Quarto ſi à quo ſcitur veritas manifeſtanda, ſl- 14
lam iam reuelauit, excuſatur qui ab eo audiuit, denuò reuelare. Ita Gutier. lib. 1. qq. Canonic. cap. 11. n. 72. Neuizan. lib. 3. ſylu. n. 63. Sanch. lib. 6. conſ. cap. 2. dub. 16. n. 3. Bonac. §. 4. cit. n. 2. Barboſa, allegat. 96. de poteſtate Epiſcopi. n. 68. qui allegant alios: quia cùm reuelatio iſta totam ſuam vim hauriat ab authoritate primi, à quo rem accepit iſte ſecundus, ſi primus ille rem iam aperuit, fruſtrà hic ſecundus iterato aperiet, nihil enim authoritatis adiiciet ſuo teſtimonio quo dumtaxat affirmabit ſe audiuiſſe à Caio, qui eam denuntiauit, neque duæ illæ reuelationes habent vim niſi vnius: alioquin ſi vnus aliquis mille perſonis idem dixiſſet, ex vnius aſſertione mille deinde teſtes exurgerent, cùm tamen ſi nihil aliud afferant, quàm ſe ab vno eodemque audiuiſſe, nihil aliud probant quàm illum tantum rem qua de igitur, dixiſſe.

CONSECTARIVM V.

Monitorium non imperat reuelationem niſi illis qui ſciunt.

Quinto illi ſolùm qui ſciunt rem manifeſtan- 15
dam, tenentur eam reuelare ad vitandam Excommunicationem, immò ſi neſcientes aperiant, leues, temerarij, & plerunque iniuſti alienæ famæ detractores erunt. Ita Nau. Corol. 66. ſæpius cit. n. 389. & alij omnes, quia lubricum immò inane erit teſtimonium, quod à neſciente capietur. Dicitur autem ſcire, qui aliquo ſenſu, viſu nimirum vel auditu rem quampiam accepit. cap. hoc videtur. 22. q. 3. Quarè ille tãtùm, qui vel rem vidit, vel ab aliquo omni exceptione maiori, & fide digno acceperit, tenebitur edicto imperanti manifeſtationem, parere.

CONSECTARIVM VI.

An teneamur reuelare, quæ probare non poſſumus.

Hinc ſoluitur vulgaris quæſtio, an teneamur 16
reuelare, quæ probare non poſſumus; Doctorum enim diſſidia facilè conciliabimus ex Regula poſita,

in

tn qua iubemur attendere finem edicti & monitorij, & videre quid ad illum conferet nostra reuelatio. Si itaque imperetur denuntiatio Iudicialis, à qua solet iudicium incipere, & quæ æquiualet accusatinni, vt dicebamus, non tenemur denuntiare, quę probare non possumus. Si vero imperetur simplica tantùm testificatio & manifestatio, siue in Iudicio, siue extra Iudicium, non eximimur obligatione manifestandi, ex eo duntaxat, quod aliter quam nostra assertione probare non possimus rem, quam aperimus.

Prima pars huius Corollarij communissima est apud summistas & Theologos, vt videbis apud Bonac. §. 4. cit, num. 4. Sanch. lib. 6. cons. cap. 2. dub. 14. num. 10. & lib. 3. de matr. disp. 13. num. 1. Henriq. lib. 13. cap. 18. num. 3. Auila 2. p. cap. 3. disq. 4. dub. 3. con. 3. & 4. Eadem mens est Iuristarum, vt videbis apud Nau. citato Coroll. 66. num. 388. Gutierrem lib 1. qq. Canonic. cap. 11. num. 21. Neuiaan lib. 3. Syluæ. num. 45. & 46. Ripam tract. de peste sub fin. Angel. ꝟ. denuntiatio. num. 13. vbi allegat plurimas glossas, & ꝟ. Excommunicatio 3. num. 10. ait sententiam, quæ iuberet omnes scientes reuelare siue probare possint, siue non, continere intolerabilem errorem, & inualidam esse, nisi iuberet sibi secreto tanquam Patri denuntiare. Qui omnes; vt rectè distinguebat Angelus, loquuntur de denuntiatione quæ orditur processum Iudicij, & quæ vel crimen probare aliquo teste omni exceptione maiori, aut per scripturas, vel saltem ea indicia afferre tenetur, quibus possit Iudex ex officio procedere ad inquisitionem, aut specialem, aut saltem mixtam; quarè si solus vidit vel audiuit crimen, quod denuntiat, neque aliter illud, quam sua assertione probare possit, frustrà denuntiat, cùm Prælatus sine infamia & sine indiciis sufficientibus criminis ad eius punitionem procedere non possit, ad quam tamen punitionem tota ista denuntiatio iudicialis tendit, ipsaque processus telam orditur; Idcircò enim ex communi iure quod obseruauit Layman lib. 3. sect. 5. tract. 6. cap. 3. q. 1. Iudicialiter denuntians nomen suum inscribere debet, & posteà vocatus coram iudice comparere ad publicam testimonij depositionem, Reique conuictionem; quandoquidem ea denuntiatio directè eo tendit vt reus conuictus per testes veniat in publicam notitiam. Cùm igitur ista præstare non poterit aliquis, neque cogi poterit Edicto superioris ad denuntiandum; & sane in hoc casu, qui probare non potest, perinde se habet, atque si prorsùs ignoret: Deinde, vt iam dixi, inutilis erit ea reuelatio parti, in cuius fauorem & subsidium fuerat concessum Monitorium, cùm ex tali denuntiatione nihil obtinere possit in Iudicio, denuntiator quoque irrationabiliter cogetur ad subeundum periculum calumniatoris, vt qui denuntiauerit crimen, quod ipsemet finxit, cum nullis idoneis indiciis illud probare possit, & denique asperget infamia Reum, qui boni hactenus nominis fuerat, inuretque illi grauem notam, qua in re magnam esse perturbationem iudicij & ordinis peruersionem optimè vrget Less. lib. 2. cap. 29. num. 111. Neque placet quod aliqui distinguunt hoc loco inter peccata iam commissa & finita, vt adulterium & homicidium iam susceptum, & peccata in fieri, siue committenda, etiamsi vergant in damnum tertij, vt furtum, & hæc posteriora volunt à sciente denuntiari, etiamsi probare non possit. Quod rectè negat Auila dub. 3. cit. con. 4. ex Soto Relect. de secreto. mem. 1. quæst. 4. con. 2. quia neque etiam eo casu potest fieri satis edicto, cùm eadem prorsùs incommoda, quæ in peccatis commissis vrgeant, quarè neque rationabiliter imperari poterit.

Hinc fit, vt si solus vidi committi furtum, quod 16
proinde non possum probare, non tenear illud denuntiare iudici, vt communiter docent DD. laudati à Bonac. disp. 6. ex variis p. 1. §. 4. num. 4. 2. Qui tamen nouit impedimentum occultum matrimonij, etiamsi illud probare non possit nisi sua testificatione, illud denuntiare tenetur, vt tradit Gutierr. lib. 1. qq. can. cap. 11. n. 21. & 27. & lib. 3. qui est de matrimon. cap. 59. num. 2. Couarr. in 4. decretal. 2. p. §. 10. num. 21. & qui plures alios refert, Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 13. num. 2. quia ad impediendum cōtractum matrimonij sufficit vnicus testis, etiamsi ille sit simul denuntiator vt idem Sanch. probat lib. 1. disp. 71.

Tertio, quoties peccata vergunt in damnum graue totius communitatis denuntiari debent à sciente etiamsi probare non possit. Atque ita nisi pareat edicto imperanti denuntiationem incurret in Excommunicationem annexam. Quarè peccatum hæresis in Regionibus, à quibus proscribitur; labes illata sacris a Confessario sollicitante pœnitentes ad venerem, & alia, quæ ad sacrum inquisitionis tribunal deferri mandantur denuntianda omninò esse etiam ab eo, qui probare nequit, plurimis coaceruatis authoribus tradunt Bonac. l. c. Diana tract. 4. de denuntiationibus Resolut. 1. Sanctarael cap. 9. de hæresi. num. 13. Barbosa allegat. 96. de potestate Episcopi num. 51. quia in his criminibus creditur vni testi etiamsi denuntiator sit non ad condemnandum Reum, sed ad inquirendum, neque cogitur denuntiator probare. Cùm igitur ea denuntiatio futura sit vtilis ad finem intentum ab Edicto illam imperante, facienda erit, nisi quid aliud impediat; alioquin pœna Edicto apposita incurretur. Non existimo tamen improbabilem sed omninò in Conscientia tutam contrariam sententiam, quam Fagundez tract. 2. de præc. Eccles. lib. 4. cap. 3. num. 31. Reginaldus lib. 24. cap. 3. n. 30. & 37. & alij ibidem à Diana relati in quibus est Nauarr. & Angelus, tuentur, & Ratio, quæ me monet, est infamatio Rei, cuius peccatum occultum est, & qui adhuc est, in possessione suæ famæ, neque est vllum damnum communitatis, quamdiu nō serpit illud peccatum, neque ea eo timetur damnum, quod facilè impediri non possit, nam si esset aliqua proditio in Rempubl. aut in Principem, omninò illa denuntianda esset, eò quod aliter præuerti non possit tam ingens malum.

Verùm quidquid in eo casu statuatur habemus semper quod 1. parte nostri Corollarij asserebamus, quoties denuntiatio imperata futura est inutilis defectu probationum quas denuntiator suppeditare non potest, vti tenetur in denuntiatione Iudiciali, eam omitti posse impune, imnò & debere. 1. verò parte diximus, quoties imperatur reuelatio, cui non incumbit onus probandi, cuiusmodi est testificatio supposita accusatione & denuntiatione, aut extra iudicium manifestatio facta ei, qui prodesse & non obesse potest, quæ est Euangelica & Charitatiua denuntiatio, parendum esse Monitorio, alioquin eius pœnis implicabimur, nisi quidpiam aliud excuset. Ita illi ipsi DD. quos pro priori parte allegauimus & disertè Auila l. cit. &

Angel.l.c. Nauarr. conſil. a.de teſtibus cogendis, quia ceſſat omnis ea ratio, propter quam negabamus teneri denuntiare illum, qui probare non poteſt, nempè quod illa ſimplex denuntiatio deſtituta probatione futura eſſet inutilis in iudicio, & crearet infamiam abſque cauſa Reo & periculum talionis aut calumniæ ipſimet denuntiatori. At verò cùm teſtis non aliter teneatur probare, quàm ſua aſſertione, & iam ſit infamatus Reus, & qui extra iudicium reuelat, neque infamet, neque damnum afferat Reo, cuius emendationem ſuauiter procurat, neque vllū ipſe periculum adeat, neque probare teneatur, non poſſunt eximi obligatione parendi præcepto Superioris imperantis ſimplicem teſtificationem aut reuelationem eo quod in defectu vlteriorum probationum futura ſit inutilis, nam reuerà ad finem edicti vtilis erit. Quarè ſi ſolus vidi committi furtum illud, aperire tenebor Superiori, eo quo dixi modo eius manifeſtationem præcipienti.

CONSECTARIVM VII.

Monitorium non obligat illum, qui nullum habet alium conteſtem, ad reuelandum.

7. Quoties teſtis certò ſcit non eſſe vllum
17 alium conteſtem, aut quodpiam aliud æquiualens indicium, non tenebitur parere monitorio imperanti teſtificationem, neque propterea incurret annexam excommunicationem, niſi crimen de quo agitur, ſit eiuſmodi, vt quia vergit in graue damnum communitatis credatur vni teſti, vt etiam contingere dicebamus in impedimentis matrimonium dirimentibus, & aliis quibuſdam caſibus.

Ratio eſt, quia in eo caſu teſtificatio iſtius, qui ſolus ſcit illud delictum erit inutilis ad punitionem & conuictionem Rei, quam intendit Monitorium, quarè tantùm vtilis erit ad vexandum miſerum Reum, & idcircò illum, qui certè ſcit nullum alium eſſe teſtem, neque ex vllo alio æquiualenti iudicio ſumi poſſe probationem criminis, quod ipſe ſolus cum denuntiatore nouit, non teneri teſtari, quamuis ſi lubeat, id poſſit, docent Leſſ. lib.2.cap.30.n.49.& Villalobos, tom. 2. tract.17. diffic.1.n.11. Immò verò non poſſe eo caſu teſtem interrogatum reſpondere & teſtari abſque culpa mortali tradit Bann. 2. 2. quæſt. 70. art. 1.dub.3. con. 2. ad 4. Ioan. de la Cruz. in 4. p. directorij conſcientiæ in 8.' præcept. q. 4. art. 3. dub. 13.num.1. vbi etiam adducit Ledeſmam & Orellam, quibus ſubſcripſit Diana 3. p. tract. 5. Miſcella. Reſolut. 100. vbi etiam citat Spatarium in praxi de modo corrigendi regulares, qui ait ſe illam opinionem ſequutum nunquam reſpondere voluiſſe, quamuis interrogatum ſub iuramento & præcepto.

Quæ opinio probabiliſſima eſt, quidquid in contrarium opinentur Soto lib.5.de iuſtitia q.7.a. 1. Azor. p. 3. lib. 13. cap. 27. dub. 2. allegans Hoſtienſ. in ſum. tit. de teſtibus cogendis & Panorm. in cap. peruenit 2. eod. tit. quibus ſubſcribunt Turrian. 2. 2. & Valent. quos refert & ſequitur Ioan. Sanctius diſp. 43. ſelecta. n. 39. qui leui ratione ducuntur, quod videlicet Iudex tunc habeat ius interrogandi teſtes, alioquin omnia ſcelera impunita manerent, & proinde teſtis obligatur reſpondere; nos enim non aſſerimus modò non interrogari iuridicè teſtem, niſi quando præceſſit infamia, aut ſemi-plena probatio, quod tamen volunt Angelus v. teſtis, num. 26. & alij relati ab Azor eo loco, ſed negamus idcircò teneri teſtem reſpondere, quando certò ſcit ſuum teſtimonium ob defectum amplioris probationis fore inutile omninò, niſi ad torquendum reum. Itaque tunc non ligabitur monitorio, vt dixi, & ſequitur ex noſtra vniuerſali Regula.

CONSECTARIVM VIII.

Monitorium non obligat reuelare factum inculpabiliter commiſſum.

8. Quando factum aliquod abſque culpa com- 18
miſſum fuit, nullus obligatur illud reuelare vi monitorij, aut metu incurrendæ excommunicationis intentatæ, quia eo caſu nemo tenetur teſtificari etiam interrogatus à Iudice quod affirmat Nauar. capite 27. numero 115. P. Nauar. libro 2. capite 4. numero 9. & ſequitur ex noſtra Regula, interrogatio enim Iudicis eiuſque edictum naſcitur ex præſumptione culpæ commiſſæ, cùm tamen qui occidit Titium, omnis culpæ immunis ſit, exiſtimabat enim eſſe feram, aut aliquo alio ſimili fortuito caſu citra culpam omninò id præſtitit; attenta igitur mente præcipientis nulla eſt obligatio teſtificandi, iubet enim aperiri crimen quod reuerà nullum eſt. Vnde etiam Sanch.lib.3.de matrim. diſp. 13.num.8. ait ſcientem contrahentes matrimonium impetraſſe pro foro conſcientiæ diſpenſationem impedimenti occulti non teneri illud aperire.

CONSECTARIVM IX.

An obligemur vi monitorij reuelare Reum iam emendatum.

9. Hinc quoque fit vt Reus iam emendatus, 19
& cuius peccatum non amplius pendet in futurum, neque tractum habet ſucceſſiuum, neque eſt probabile periculum recidiui, reuelari non debeat, quod vt communiter tradunt DD. quos referunt & ſequuntur Sanch. lib. 2. conſili. cap. 2.dub.15. n.2.& lib.6.in decalog.cap.18.n. 49. Bonac. diſp. 6.ex variis p.1.§.8.n.1.Gutierr. lib.1.qq. canonic. cap.11.n.73.Ratio eſt, quia iam plenè ſatisfactum eſt intentioni Superioris præcipientis manifeſtationem, quandoquidem Reus emendatus eſt, parti læſæ ſatisfactum fuit, nullumque reſtat probabile periculum recidiui. Quarè hi qui cum Roſella. v. denuntiatio, n. 10. Graffis 1.p. deciſio.lib. 2. cap. 69.n.30.& Gerſon. Alphab. 34.l. 2. tit. de correctione fraterna, dicunt peccatorem emendatum denuntiandum eſſe ſuperiori vt patri, planè loquuntur, vbi timetur recidiuum; addunt enim conducere eam manifeſtationem, vt præſeruetur à recidiuo, quarè quando non timebitur nouus lapſus, tollitur omnis cauſa denuntiationis, quæ proinde erit infamatoria, niſi peccatū fuerit leue admodū.

Quia verò ſunt quædam peccata, in quæ facilis omninò relapſus eſt, & ex quibus nunquàm ſatis videtur caueri periculum imminens communitati, aut etiam priuatæ perſonæ, idcircò ea quantumuis emendata & occulta denuntianda eſſe Superiori, vt inuigilet, & tum Reo, tum

tam alijs, quibus nocere potest, prudenter prospiciat, consentiunt DD. In iis numerant hæresim formalem, sollicitationem pœnitentis ad turpia quamuis alij non infimæ notæ DD. etiam in his peccatis occultis & emendatis affirmant cessare obligationem denuntiationis. Vide illos apud Dian. Resolut. 3. tract. 4. de denuntiat. Ego rem ita componerem, vt in hæretico dogmatizante propter periculum vomitus licita sit ea denuntiatio, atque etiam in nequam illo Confessario, qui diutius constuprasset sacramentum pœnitentiæ: Non existimarem tamen etiam in istis, si seria & non fucata tantùm emendatio aduerteretur necessariam esse denuntiationem, quæ magis fortassis obesset, quàm prodesset, neque satis immunis reddi posset infamationis. Quod etiam de peccatis publicis, quæ publicè emendata sunt, tradit Auila. 2. p. cap. 5. disq. 5. dub. 3. con. 4.

Hæc porrò ratio Corollarij ostendit, Reum etiam emendatum denuntiandum esse vi monitorij, quoties superior iussit detegi ad infligendam punitionem, quia tunc nondum est satisfactum fini Edicti, neque prætermitti potest denuntiatio, eò quod futura sit inutilis, quod vnum inutilitatis caput vrgemus modò; verum eiusmodi peccatum debet esse publicum, & pleraque alia necessaria sunt, vt de illis Iudex inquirat iuridicè. Quarè de eo casu commodius Regula proxima dicetur.

Superest duntaxat videndum, quandonam censendus sit sufficienter Reus emendatus, vt ex eo capite liberemur onere denuntiandi etiam vrgente præcepto superioris, & Censuram comminante. Felinus enim in cap. testimonium, de testibus existimat eum, qui confessus est emendatum fuisse. Gennensis verò in practic. cap. 18. n. 6. illum, qui Iubilæum consequutus est, Homobon. p. 1. Exam. Eccles. tract. 7. cap. 7. q. 33. vult per triennium benè vixisset, Rectius alij id totum relinquunt prudentis arbitrio, qui ex signis & varijs actionibus id facilè colligere poterit.

CONSECTARIVM X.

An quando superior non vtetur reuelatione, ad illam obliget Monitorium.

20 10. Quoties certò constabit Prælatum neque functurum munere Iudicis, neque officio parentis, quia neque puniet crimen, neque illi medebitur adhibito remedio, non obligamur denuntiare illi, frustranea enim esset ea reuelatio. Ita Sanch. lib. 6. consilio. cap. 2. dub. 17. Sylu. ℣. Correctio. q. 10. & alij.

CONSECTARIVM XI.

An inhabilis ad testificandum obligetur Monitorio.

21 11. Colliges exposita Regula, an inhabiles ad testificandum obligentur denuntiare, dum ad id vrgeotur Monitorio, & verum incurrant excommunicationem, nisi pareant.

Distinguendum enim est, nam si fit Euangelica tantùm & charitatiua manifestatio, quæ ad emendationem tendat, & fiat superiori extraiudicialiter tanquam patri, statim apparet, nisi quid aliud excuset, eos omnes teneri rem, cuius conscij sunt, aperire, dum enim Iura remouent aliquem à testificando, forum Iudiciale duntaxat attendunt, in quo quarundam personarum testimonia reiiciuntur, aut in certis quibusdam causis, vnde dicuntur inhabiles ad testificandum; qui diligenter distinguendi sunt à testibus priuilegiatis, qui non coguntur quidem ordinariè testari, an vero aliquando possint cogi, & an si testari velint, eorum testimonium admittatur, dicam paucis Regula proxima; nunc ago dumtaxat de testibus inhabilibus. non tantùm ex natura rei, sic enim soli rationis expertes arcentur, sed ex dispositione iuris positiui, de quibus vide Anton. Gomez. tom. 3. cap. 12. à num. 13. Iulium Clarum in practica, q. 24. Less. lib. 2. cap. 3. dub. 5. Laymam lib. 3. sect. 5. tract. 6. cap. 4. n. 4. Villalobos tom. 2. tract. 17. diffic. 6. & alios, quos adducemus alibi.

Hos igitur testes alioquin inhabiles teneri ad testificandum vi monitorij putat Auila 2. p. cap. 5. disp. 5. dub. 2. con. 7. Nauarr. cap. inter verba. con. 6. Corolla. 65. num. 819. quia eorum testimonium non erit prorsùs inutile, valebit siquidem ad fundandam præsumptionem, vt habet glossa. in cap. 1. de testibus in 6. & vna cum testibus idoneis facient aliquam fidem. Mihi perstandum videtur in Regula assignata, si enim certò, aut admodum probabiliter constet horum testimonium fore inutile, quia vel non admittetur à Iudice, vel reiicietur ab aduersario, qui inhabilitatem excipiet; non tenebuntur etiam vi monitorij testificari, neque incurrent censuram, quia præceptum non fertur de actione inutili. Quando verò horum inhabilium & inidoneorum testium assertio vtilis esse poterit in aliquo casu, tunc tenebuntur præcepto imperante testificationem, alioquin incurrent Excommunicationem intentatam, deerit enim excusatio futuræ inutilitatis testimonij; posse autem esse vtile aliquando etiam horum testium testimonium inde patet, quod solo iure positiuo arceantur à testificando, quo eodem iure poterunt admitti, atque ita omnino contingere probat Anton. Gomez. tom. 3. cap. 12. cit. & Iulius Clarus q. 24. num. 10. 1. quando testantur in defensionem Rei. 2. quando videtur Iudici consentaneum esse attenta natura causæ, quæ disceptatur, variisque circumstantiis illud admittere. 3. quando ex coniunctione cum altero teste idoneo conferet ad semiplenam probationem; quæ omnia aliaque expendenda erunt, vt obligemus eiusmodi testem inhabilem ad testificandum, poterit enim valdè probabiliter præsumere suum testimonium fore inutile; excipiuntur semper casus, qui bonum totius communitatis spectant, in quibus admittuntur testes etiam alioquin inidonei, saltem ad fundandam aliquam præsumptionem, & ad inuigilandum bono communi.

Hanc nostram sententiam docuit omninò Innoc. in cap. nouit de Iudiciis quem sequitur & probat Angelus ℣. denuntiatio. num. 3. vbi ait ad Euangelicam denuntiationem admitti omnes etiam infames ac mulieres, atque ad testimonium, si solum pœnitentia de crimine quæritur, vt debet fieri in ista: supple denuntiatione Euangelica: & non aliquid temporale nec indirectè, quia tunc tantùm legitimi testes admittuntur. Quod postremum repetit num. 6. vbi agit de denuntiatione Iudiciali: Idem habet Sylu. ℣. denuntiatio. q. 2. atque etiam glossa & Archid. in cap. si peccauerit 2. quæst. 1. qui omnes minores, ac mulieres admittunt quidem ad denunciationem

sed euangelicam de qua agunt illis locis. Quod verò Auila & Sanch.lib.6.consil.cap.2.dub.n. vlt. obiicit neminem ex sua culpa debere commodum reportare, vti facerent testes inhabiles ratione delicti, eximerentur enim onere parendi edicto de testificando, non vrget, quia totum illud commodum, si quod est, cedit in fauorem Rei, qui non potest vigeri depositione idonei testis, estque nota quædam & pœna, quod aliquis sua culpa prohibeatur testari in iudicio.

CONSECTARIVM XII.

An, quos Iudex vel pars excipit, ligentur monitorio.

21 11. Sequitur ex regula posita illos solùm, quos Iudex, aut pars læsa comprehendi volunt monitorio, illo ligari, quia tota vis monitorij pendet ex voluntate ferentis, qui proinde quos libuerit eximere, siue ipse illud ferat independenter à superiori potestate, siue quia ad illum Superior misit, vt pro sua prudentia monitorium ferat, non vt sit tantum promulgator, vti contingit in monitoriis à Pontifice impetratis, & ad Episcopos directis, possunt enim, quos iudicauerint ex iusta causa excipiendos, validè excipere. Præterea cùm ferè concedantur monitoria ad instantiam partis, neque proinde velit Iudex Ecclesiasticus alios obligare suo mandato, quàm eos aduersus quos pars læsa suum auxilium implorat, reuerà si quos pars excipit, & comprehendi non vult, eximentur ea obligatione.

CONSECTARIVM XIII.

Non obligantur reuelare, quos Iudex aut pars noluit comprehendi monitorio.

22 13. Non est obligatio detegendi vi monitorij eos quos comprehendi noluit illo mandato pars læsa, aut Iudex, eo quod velint illorum famæ parcere. Ratio iam allata est, cùm enim actus non operentur vltra intentionem agentis, & Iudex concedens monitorium non intendat obligare nisi secundum voluntatem partis, reuera quos vel pars noluerit includi, aut certè præsumitur noluisse subiici edicto illi, non erunt a consciis detegendi. Ita tradunt DD. apud Neuizan.lib.3. syluæ nu.55. Bonac.disp.6.ex variis, p.1.§.1.n.1. Molin. tract.2. disp.680.n.2. Filluc.tract.14.cap. 1.n. 18. & cap. 2.n. 33. Barbos. allegat. 96. de potestate Episcopi, n.71. Quarè cùm præsumatur partem in monitorio de furto noluisse patrem, matrem, vxorem, & liberos comprehendere, non erunt detegendi, etiamsi reuera furtum, cuius inquiritur per monitorium reuelatio, commiserint. Neque placet, quod Nald. v. excommunicatio, num.8. & Hugolin. de potestate Episcopi p.2.cap.4.§.4. velint comprehendi filios, nam nisi aut ex verbis, aut ex aliis circunstantiis colligatur, etiam filios comprehendi à parte, præsumi sapienter potest eos non includi; quod tamen iidem DD. alibi dicunt, nimirum Hugolin. eadem 2. p. cap. 17. & Nald. v. filius, n.3. non esse præsumendum excludi complices & socios furti liberorum, verum esse existimarim, quia etiamsi leui aliqua infamia aspergantur liberi, & alij, quibus consultum esse voluisset pars, ea tamen infamatio vitari poterit variis modis & efficacius occurritur malis eiusmodi detectione famulorum, aliorumque sociorum, sine quibus liberi, vxor, alijque consanguinei talia furta non perpetrarent. quarè eos maximè velle comprehendi monitorio videtur. Hinc fit quoque, vt ij omnes, qui præsumuntur excepti à Iudice detegendi non sunt, qui v.gr. iam cum parte composuerunt. Ita Neuizan.n.55.cit. & Gutierr.cap.11.lib.1.qq.can.n.67.

CONSECTARIVM XIV.

Id solum restituendum aut reuelandum erit, quod fert monitorium.

23 14. Non est restituendum vi monitorij, nisi quantum fert ipsum monitorium; quod constat ex dictis, cùm monitorium non operetur vltra intentionem concedentis, qui satis determinauit eius fines & limites assignando materiam, in quam ferri voluit. Quarè si quid præterea foret restituendum ex natura rei, & non restitueretur, peccaretur quidem, non tamen in præceptum ecclesiasticum, neque incurretur censura per monitorium lata.

REGVLA TERTIA.

24 Quoties monitorium & Edictum de reuelatione substantialiter iniustum est, quia pugnat cum alio præcepto, naturali, diuino, aut positiuo, cuius obligatio magis vrget, & præponenda est, non premit conscium rei manifestandæ, qui proinde ab illa reuelatione impune & citra metum censuræ adiectæ abstinere potest, immò & aliquando debebit, alioquin peccabit obediendo præcepto Superioris tunc iniustè & inualidè præcipientis.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLAE.

25 Hæc regula in dubium vocari non potest, ex communi enim omnium sensu præcepto iniusto non paretur impunè; quia verò præceptum duobus modis iniustum esse potest; 1. substantialiter ex parte rei præceptæ, quæ aut mala est, aut non subiicitur potestati Superioris quod præceptum inualidum omnino est, & non obligat subditum, neque quod inde necessariò sequitur, pœna in eius violatores lata. Alterum est præceptum iniustum, quia illicitum eo quod non feratur debito modo aut tempore, in aliisque circumstantiis peccetur à præcipiente contra prudentiam, quod præceptum omninò astringit subditum, & pœna aduersus non parentes decreta, reuera subeunda erit, quanquam fortassis leuior inde reddatur inobedientia subditi, qui facilè apud illum ipsum superiorem pœnam deprecabitur. Agimus autem in nostra regula de mandato Iudicis Ecclesiastici indicentis criminis, alterius siue rei reuelationem iniustè substantialiter & inualidè sub pœna excommunicationis, statim verò apparet eiusmodi mandatum absque culpa contemni posse, neque incurri censuram, quam comminabatur, illa enim, vt sæpius monuimus, supponit essentialiter culpam, quæ in violatione præcepti inualidi nulla fuit. Substantialis porro iniustitia, siue inualiditas præcepti duplex distingui potest, quarum vna eiusmodi est, vt non modo non teneatur subditus rem imperatam exequi, sed etiam peccet, si exequatur

quatur

quatur, eò quod ea res ſit mala vel ex ſua natura, vel ratione prohibitionis factæ aliquo alio præcepto, cuius vim nouum ſuperioris imperium elidere non poteſt; atque hæc inualiditas præcepti eſt vera iniuſtitia. Altera eſt ſimplex inualiditas, eo quod præceptum quidem non obliget ſubditum, ſi parere nolit, non peccet tamen, ſi pareat, quia etiamſi res præcepta ſit tunc extra ſphæram poteſtatis præcipientis, qui proinde renuentem ſubditum cogere nequit, mala tamen non eſt, immò bona potius & laudabilis exiſtit, illamque non ſine præconio ſubditus exequetur; eſſet tamen iniuſtum & non tantùm inualidum illud præceptum ſi ad rem illam obſtringeret ſub graui culpa, aut pœna ſubditum, & ſi illum propter infractum præceptum plecteret: cùm enim non ligaretur ſubditus eo præcepto propter eius inualiditatem, aut propter legitimam cauſam, quæ illum omni legis & præcepti obligatione eximebat etiam inuito & reluctante ſuperiore, non potuit ad eius obſeruationem cogi, aut religione culpæ committendæ, aut metu pœnæ ſubeundæ; quarè cùm non delinquat in non exequendo præcepto, puniri nequit niſi per ſummam iniuriam, quam reparare, & ſi quæ damna inde conſequuti ſunt reſarcire tenebitur imprudens & iniquus ille ſuperior; agimus enim de præceptis ſaltem mixtis, quæ purè pœnalia non ſunt, ſed quæ obligant ad culpam ſimul & ad pœnam, immò non obligant ad pœnam, niſi ratione culpæ in ſui violatione commiſſæ, qualia ſunt ea omnia, quibus pœna adiecta ſupponit eſſentialiter crimen, cuiuſmodi pœnæ ſunt cenſuræ, vti diximus q. 1. huius diſq. Quarè ſi quando DD. dicant parendum eſſe etiam iniquè præcipienti, & timendam eſſe cenſuram Prælati, quamuis iniuſtam, qua de re diſq. 8. agetur, loquuntur de præcepto valido, ſed ob aliquam circumſtantiam illicito, v.g. propter aliquem prauum affectum, aut finem præcipientis, ex cuius ferè reſpectu deſumitur omnis illa iniuſtitia accidentalis. Nos verò in noſtra Regula loquimur de Iniuſtitia & inualiditate ſubſtantiali præcepti, dicimuſque illud impunè violari, ſiue liberum ſit ſubdito agere quod præcipitur, ſiue liberum non ſit propter malitiam obiecti præcepti, aut prohibitionem alterius præcepti, quod pergit obligare, ſupponendum enim eſt, quod fuſius obſeruauimus in ſcientia canonica, nonnunquàm contraria præcepta ſimul concurrere, & tunc vnius obligationem ita præualere, vt alterius vim elidat, alioquin daretur caſus perplexitatis, vt loquuntur Caſuiſtæ, in eas enim anguſtias redigeretur animus, vt quidquid aggrederetur aut omitteret, & quamlibet partem contradictionis eligeret, nempè ſiue quidpiam præſtaret, ſiue omitteret, peccaret, quia violaret alterum ex præceptis ſiue prohibens, ſiue præcipiens, quare neceſſario peccaret, cùm non ſit in eius poteſtate alteût ex duobus cõtradictoriis non facere, & tamen non peccaret obdefectum libertatis; quarè neceſſarium eſt, vt in eo concurſu vel alterum præceptum deſinat obligare, vel vtrumque. Quodnam verò ex præceptis concurrentibus alterum elidat, & pergat obligare diximus eo loco; Moneo tantùm cum Nau. in cap. inter verba. con, 6. Corolla. 66. num. 408. quoties præceptum affirmatiuum concurrit cum negatiuo, hoc poſtremum regulariter præferendum eſſe ex doctrina quoque Bartholi in l. 3. §. liberti quoque. ff. de ſuſpectis tutoribus, quia lex ſpecialis derogat generali ex gloſſa, & Decio in tit. de Regulis Iuris in 6. negatiua autem lex cum omnibus præcipiat generalior eſt, quàm affirmatiua, quia negatiua obligat ſemper, & pro ſemper, non affirmatina, quæ non vrget, vbi ſunt omnes circumſtantiæ, quæ faciant opus imperatum bonum & iuſtum; Quarè ſi vel vna circumſtantia & conditio eiuſmodi deſit, iam deſinet obligare præceptum, quod non contingit in præcepto negatiuo, quod ſimpliciter & abſolutè prohibet actum, vnde fortior & veluti robuſtior eſt eius obligatio, neque tam facile eliditur, atque obligatio affirmatiua. Præterea præceptum naturale præferendum eſt poſitiuo, & diuinum humano, atque inter humana illud, quod ab vniuerſaliori & ſublimiore poteſtate proficiſcitur, niſi in iis caſibus in quibus poteſtas inferior mandatis ſuperioris, ipſa maximè annuente & permittente, derogare poteſt; quæ aliaque ſimilia repetenda ſunt ex ſcientia canonica, & in ſingulis caſibus huius concurſus cõtrariorũ præceptorum expẽdenda erunt diligentibus.

Venioad rem noſtram, Iniuſtitiam enim & inualiditatem ſubſtantialem Edicti imperantis reuelationem ſub pœna Excommunicationis ſapienter aſſignauit Regula à nobis poſita ex concurſu huius Edicti cum aliis præceptis, quæ eo caſu videntur prohibere reuelationem imperatam; quæ præcepta vel ſunt naturalia, vt præceptum de tegendo ſecreto, de non infamando proximo, & ipſius damno cauendo, de ordine charitatis ſeruando: vel diuina, quale eſt præceptum de ſecreto ſacramentali, de ordine correctionis fraternæ, vel denique humana, de non cogendis certis quibuſdam perſonis ad teſtandum in quibuſdam cauſarum generibus, de modo procedendi iuridicè, aliaque ſimilia, quorum omnium concurſus cum edicto reuelandi videtur illius inualiditatem efficacitatem, quod examinabimus in ſequentibus Corollariis ſuppoſitis iis, quæ ſuperiori Regula de duplici fine huius Edicti & Monitorij diſputata ſunt.

CONSECTARIA EX REGVLA SVPERIORI.

CONSECTARIVM I.

An metu Excommunicationis ſit reuelanda confeſſio ſacramentalis.

Hinc igitur colliges 1. Inane eſſe edictum & brutum fulmen Excõmunicationis etiam ab ipſo Pontifice intortum ad excutiendam confeſſionem rei per ſacramentalem confeſſionem cognitæ, illudque ſigillum eſſe prorſus diuino lure irrefrabile quacunque de cauſa, vt latè ex ſententia omnium Catholicorum, atque natura huius ſecreti fuſè à nobis oſtenſum 3. P. S. Thomæ. Et contra inſcios quoſdam & ineptos Canoniſtas apud Simanc. tit. 41. Catholic. Inſtit. n. 14. & æquè abſurdos aliquos Iuriſperitos apud Neuizan. lib. 3. ſyluæ. n. 45. quos tum iidem DD. tum Nau. in cap. ſi ſacerdos. de pœnit. diſt. 6. n. 144. Gutierez. lib. 1. qq. Canonic. cap. 11. n. 50. & alij paſſim caſtigant. Dixi autem l. c. in vniuerſum omnem notitiam partam ex confeſſione ſiue mediatè ſiue immediatè etiam per delictum & iniuriã eam notitiã capientis tranſire ad alium cum eodem onere, & manere ſub eodem ſigillo. Quarè ſi laicus & Clericus non ſacerdos, aut ſacerdos quidem, ſed neque Iuriſdictionem, neque approbationem habens, alicuius pœnitentis confeſſionem excipiat, ſiue 26

bono animo, vt aliquando in naufragiis factitatum est, siue fingendo se Sacerdotem, & fallendo pœnitentem; idem sigilli onus subibit, quod idem quoque dicendum est de interprete, quo quis peregrini idiomatis vsus est ad explicanda sua peccata Sacerdoti, & de doctore, quem ex venia pœnitentis Sacerdos consuluit, Superior à quo petitur facultas absoluendi à casu reseruato, qui præterea furtiuè, vel casu audiuit alterius confessionem, ille etiam cui sacrilegus Confessarius confessionem reuelarat; & denique quamuis fuerit inualida confessio ob negatam absolutionem vel malitia & ignorantia Confessarij; vel ex indispositione pœnitentis, quia etiamsi ille sciret sibi esse negandam absolutionem ob obstinatum animum io peccato perseuerandi, voluit tamen ritu catholico confiteri, illa enim confessio est inchoatiuè & reductiuè sacramentalis, quia igitur in omnibus istis casibus fit iniuria Sacramento, si violetur sigillum, seruandum omninò est indispensabiliter: secus quando quis reperta charta, in qua pœnitens sua peccata descripserat, illa cognouit, aut pœnitens volens & sciens laico, aut non Sacerdoti confessus est, vt in naufragiis, aut quando fictè, & ad inducendum ad crimen aliquod Confessarium, aut tantùm vt oppilet illi os, ne crimen, quod aliunde scit, aperiat, non est confessio etiam inchoatiuè, aut reductiuè sacramentalis, sicut etiam neque quando dicit aliquis se quidpiam alteri dicere in confessione etiamsi formato signo crucis, & flexo poplite peccatum suum aperiret, cùm tamen non sit confessio sacramentalis non erit nisi sigillum naturale, non verò diuinum Sacramenti, vt ostendit Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 13. n. 7. Nau. cap. inter verba con. 6. coroll. 58. n. 223. Innoc. & Panorm. allegans, vnde malè Naldus, ✠. reuelare, n. 5. dixit inde eandem obligationem tacendi atque si fuisset vera confessio sacramentalis, oriri. In omnibus igitur illis casibus, in quibus vrget obligatio sigilli sacramentalis, nulla obtenta necessitate, aut prætextu licebit illud temerare, vt iam dixi cum vnanimi consensu Theologorum, & ex natura huius sigilli fuit ostensum suo loco.

CONSECTARIVM II.

An vi monitorij teneamur reuelare nobis secreto concredita.

27 2. Quæ sunt nobis secretò concredita bona fide, vt vel opem, vel consilium ferremus, reuelari non possunt, licet contrarium iubeat Superior etiam comminata excommunicatione, ius enim naturæ, quod ad societatis humanæ bonum vult sancta esse illa secreta, resistit eiusmodi imperio, quod iniustum est in illis circumstantiis, & non modò non obligat, sed neque ei parere licet. Quarè Aduocati, Procuratores, Iurisconsulti, Obstetrices, Medici, Chirurgi, alijque quibus aliquod secretum commissum est bona fide, prodere illud non debent, neque possunt absque peccato mortali, licet prætexatur iussum Superioris, & excommunicationis motus. Ita latè Nau. cap. inter verba, con. 6. coroll. 66. n. 401. Auila 2. p. cap. 5. disp. 5. dub. 2. con. 3. Barbos. allegat. 96. n. 63. & 65. Sanch. lib. 6. consil. cap. 2. dub. 20. num. 8. qui alios allegant, eò quod, vt iam dixi, ius naturæ repugnet violare fidem secreti in illis casibus, vt latè ostendit Rubioni, in 4. dist. 21. quæst. 4. con. 1. Quarè monitorium nihil in contrarium vrgere potest, neque infamia, aut semiplena probatio criminis postquam Superior mandat detegi crimen, illum, cui consilij aut remedij causa creditum fuit arcanum, exoluit obligatione tegendi, vt docent Less. lib. 2. cap. 30. num. 45. Sayrus in claui, lib. 12. cap. 14. num. 29. Valent. 2. 2. disp. 5. qu. 14. p. 1. sub finem. Bonac. disp. 6. ex varijs, p. 1. 9. 5. num. 2. Molin. tractat. 4. disput. 5. numerò 8. Layman libro 3. sect. 5. tract. 6. capite 4. numero 9. Neque abest Nauarr. in l. cit. & in Enchirid. cap. 25. numero 46. quibus locis loquitur de teste iuridice interrogato, quem de re ita sibi commissa negant teneri respòndere, immò neque posse absque peccato, quare eam manifestationem imperare non potest Superior, quod idem dicunt Probus & alij a Nauarr. in cap. inter verba, con. 6. numero 401. cit. adducti. Gutierres lib. 1. cap. 11. numero 47. contra Sotum, qui relect. de secreto, memb. 2. quæst. 7. con. 4. vbi processit infamia, aut semiplena probatio, obligat ad secretum commissum reuelandum. Quidam verò Iuristæ apud Neuizan. lib. 3. syluæ nupt. numero 45. putant omnes teneri monitorio in hoc casu, ipseque Neuizan. tantùm excipit Medicum & Aduocatum, num. 47 quos etiam comprehendit eâdem obligatione Ludouic. Vitalis tract. de cogendis testibus per censuram, num. 43. adducens l. vltimam ff. de testibus, ✠. *item, quid si præstitit*, & denique Aduocatum & Procuratorem, nisi expressè excipiantur ab ipso monitorio obligari contendit Lazari. sect. 2. quæst. 16. num. 9. & Gregor. lib. 48. Syntagmat. cap. 13. num. 31. qui omnes aliique reiiciuntur ex eo quod sanctitatem secreti commendet ius naturale, ne omnis aditus ad consilia & remedia præcludatur miseris, vnde maius profectò damnum in Rempubl. deriuaret, quam ex negata superiori facultate obligandi subditum ad rem sibi eo modo secretò commissam prodendi. Quæ omnia latè disputat Molin. tract. 4. disp. 3. & aliquot sequentibus, optimè autem aduertit disp. 5. & eum sequutus Layman l. c. illum cui alter secretum sibi commissum, vel ex animi leuitate, vel alia quapiam ratione prodidit, teneri eadem obligatione tacendi, quod etiam verum est, si alterius secretum per iniuriam acceperit, vt per vim extorquendo, & ad reuelandum cogendo, litteras suffurando, quia tam ex delicto, quam ex mutuo nascitur obligatio iustitiæ. Denique ad denuntiationem quoque euangelicam doctrinam corollarij de seruanda fide secreti extendit Sylu. ✠. testis, q. 8. dicto 2. contra Angel. eod. ✠. n. 33. Est enim eadem vbique ratio, neque superior quocunque bono fine & respectu potest violare ius naturale, & aliquid ipsi contrarium imperare; non excipitur itaque in obligatione secreti authoritas superioris, vt videtur velle Bonau. in 4. d. 21. ab Angelo relatus. Non tenetur itaque ille apud quem depositum est secretum, illud reuelare Iudici aut Superiori etiam interminanti censuram, immò neque potest, alioquin peccabit mortaliter & ad damna ex illa manifestatione consequuta tenebitur, vt aduertunt Corduba. lib. 1. quæst. quæst. 43. dub. 2. & Petr. Nau. libro 2. capite 4. numero 222.

Distin

Distinguendum porrò est cum eodem P. à Nau n. 224. & Nau. in Corolla. 66. cit. n. 410. inter rem secretò factam, quam tamen nos ipsi vidimus, aut cuius etiam fuimus socij & participes obligati fide non reuelandi; & inter rem, quæ nobis secretò commissa fuit: nam in priori casu non exoluimur obligatione manifestandi rem illam secretam iubente superiore eius manifestationem, nisi aliunde excusemur; vt ostendit Molina. disp. 5. cùm ea societas, aut participatio secreti facinoris, aut spontanea promissio non reuelandi non priuet superiorem, aut Rempubl. potestate inquirendi, aut interrogandi de eiusmodi crimine; quarè si deinde vel præcedat infamia: vel sint alia necessaria ad interrogationem Iuridicam, tenebitur omninò respondere, nisi quid aliud obstet; idemque de hoc casu, quod de quolibet alio peccato, aut de complice dicemus inferius, statuendum erit; at verò quando res nobis secretò concredita fuit, iam inducitur obligatio Iustitiæ & fidelitatis reticendi, quam superioris imperium tollere nequit.

Restingendum tamen est illud Corollarium ad ea, quæ neque priuato, neque rei communi nocent, si enim graue aliquod damnum immineat Reipubl. aut etiam priuati alicuius iniuria, quæ impediri non possent, nisi proditione secreti, omninò prodendum esset, vt DD. allati superius vnanimi consensu docent, Nauarr. Corolla. cit. & in cap. sacerdos num. 24. & seq. de pœnitentia. dist. 6. & apertè dixit S. Thom. 2. 2. quæst. 70. a. 1. quia non potuit sibi, qui seruandum secretum suscipit, imponere obligationem ad rem malam, qualis esset eo casu obstinata secreti obseruatio. Quarè in crimine proditionum & Coniurationum in Regium caput, aut Reipubl. aut etiam insidiarum structarum alicui innocenti, alijsque similibus sceleribus, quæ vix secreta monitione peccantis impediri possunt, & quæ si iam sunt commissa, habent tamen aliquem tractum successiuum, & relinquunt aliqua fœda vestigia, quæ aliorum semina sint, nullum locum secreto naturali relinqui, nullamque esse eius sanctitatem certum existimant omnes. Quod idem de crimine hæresis in iis Regionibus à quibus exulat, docet Dian. tract. 4. de denuntiatione, Resolut. 24. atque etiam de Confessario sollicitante ad turpia pœnitentem, quod tamen postremum negat Fagund. in 2. præceptum Ecclesi. lib. 4. cap. 3. num. 31. non peccaret etiam contra Ius naturale, qui rem sibi creditam sub sigillo. alia tamen via nosset, & aperiret; immò tenetur ad vitandam Censuram, si posset absque aliquo graui suæ famæ damno, qua de re inferius.

CONSECTARIVM III.

An monitorium obliget aperire peccatum occultum alterius.

28 Colliges 3. An peccatum occultum reuelandum sit vi monitorij ad vitandam Censuram, videtur enim naturalis obligatio Iustitiæ non infamandi proximum, eximere eo onere, & superiorem in eo casu nolle imperare manifestationem, aut si illam imperet, iniustè & inualidè imperare.

Peccatum occultum appellari, quod neque semplenè probatum, neque indicatum, neque notorium, neque infamatum est, vt loquuntur, quia de eo nulla hactenùs infamia, aut vrgentia indicia habita sunt, etiamsi tribus aut quatuor notum sit, & proinde probari possit ipsorum testimonio, si ab aliquo denuntietur.

Quamdiu igitur peccatum ita occultum manet, non licet illud Iudici etiam interroganti, aut præcipienti edicto generali, vel particulari aperire, neq; propterea timenda fuerit excommunicatio, si quam ob extorquendam illius criminis manifestationem tulerit, quia res secreta eius foro subiecta non est, neque ille inquirit Iuridicè, totusque ille processus illegitimus est, vrgetque præceptum non infamandi proximum. Ita Adrian. in 4. q. de Correptione fraterna. con. 5. q. 7. Petrus à Nau. lib. 2. cap. 4. n. 218. Nauar. cap. inter verba. con. 6. Coroll. 47. vbi ait peccare Prælatos & Reformatores, qui in sua generali visitatione capiunt iuramentum à testibus reuelandi omnia delicta non excipiendo secreta; cùm Ius ipsum neget de occultis interrogatum teneri reuelare. cap. qualiter. 1. de accusationib. & cap. erubescant. 32. dict. Quarè reiciendus est Corduba, qui lib. 1. quæstionar. q. 43. dub. 2. existimauit enim, qui nouit peccarum secretum tribus tamen aut quatuor notum, illud manifestare posse, & iuramento, præcepto, atque excommunicatione cogi; sed fine præceptum illud, si Iuridicum sit, iniustum & nullum erit, atque iniquum iuramentum & inualida Excommunicatio, cùm habeant pro obiecto rem, quæ non est in potestate Iudicis ex communi sententia requirente indicia, infamiam, aut semiplenam probationem criminis, vt Iudex possit iuridicè inquirere, & procedere, quæ omnia fusius explicabuntur alibi, vbi disceptabimus de Iudicijs; Interim adi Nau. l. c. Corolla. 48.

Limitanda tamen est hæc doctrina ad peccata, ex quibus neque Reipubl. neque priuato graue damnum iniustum timetur, tunc enim tenentur reuelare crimen occultum, quod de hæresi formali multis allatis tradit Bonaci. disp. 6. Ex variis pun. 2. num. 2. & Diana tract. de denuntiat. Resolut. 4. quamquam etiamsi peccatum aliquod fuerit contra bonum publicum, & ex natura sua tendat in perniciem communitatis, si tamen prorsus transactum sit, neque vlla amplius ratione pendeat in futurum, non esse denuntiandum monuerim Corolla. 9. Regulæ superioris, quod video quoque placuisse Sanch. lib. 6. Consil. cap. 5. dub. 5. Quarè qui eo casu silebit, non vrgebitur monitorio iubente reuelationem. Neque meritò timent Aduersarij, ne propter impunitatem malum serpat cum magno publicæ rei incommodo, quia si occultum sit peccatum, eius impunitas non potest facere alios, qui illud ignorant, animos quodpiam simile aggrediendi, & cùm prorsus transactum esse neque vlla ratione pendens supponamus, non est vnde serpat, quidquid obijciant Valent. tom. 3. disp. 5. q. 14. p. 2 conc. 3. Sayr. lib. 12. clau. cap. 20. num. 9. Quia tamen vix vnquàm certi sumus de Rei emendatione in eiusmodi peccatis, in praxi tenenda omninò est sententia Valentiæ.

His adde, etiamsi Reus sit iam conuictus vnius alicuius criminis, non propterea tamen licere reuelare aliud occultum, & de quo nulla præcessit infamia; quidquid in contrarium vrgeat monitorium; illa enim interpellatio non est iuridica, cum infamia

aut etiam plena probatio, aut conuictio vnius criminis, nihil conferat ad infamiam aut probationem vel noticiam alterius, quod prorsus manet adhuc occultum. Ita Sanch. lib. 6. consil. cap. 2. dub. 12. num. 4. cum Nauar. cap. inter verba. num. 826. quod confirmatur ex eo, quod ex communi DD. Caietani. tom. 1. opusc. 17. Respons. 5. Valent. tom. 3. dc. 5. q. 13. punct. 1. Lessij lib. 2. cap. 29. n. 121. Turrian. de Iustitia. disp. 50. dub. 3. & aliorum, non possit Iudex Reum vnius criminis damnatum aut conuictum, de aliis de quibus neque infamia, neque iudicia præcesserunt interrogare, neque illum teneri respondere, sed vtendo æquiuocationibus imprudentem Iudicem eludere licebit.

Quando verò agitur de denuntiatione Euangelica facienda pro ad emendationem Rei, atque reparationem damni, ad quam ille tenetur, nisi admonitus ea omnia præstet, poterit occultum eiusmodi peccatum eo modo reuelari, vt Petr. à Nau. cap. 4. cit. n. 221. Soto relat. de secreto. mem. 2. q. 6. Sanch. lib. 6. consili. cap. 2. dub. 24. n. 6. Auila. cap. 5. disp. 4. dub. 2. con. 2. aliique docent, alioquin incurritur Excommunicatio ad reuelandum lata, vt benè dixit Corduba. q. 43. cit. contra Armill. ℣. Inquisitio. n. 8. con. 5. fatetur enim hunc non reuelantem peccatorum contra charitatem; negant tamen percellendum Excommunicatione in eam tem lata, quia nescit iuridicè, vti supponebat excommunicatio & præceptum, quod proinde non videt: verùm quando præceptum & Excommunicatio fertur, vt reueletur delictum superiori tanquam patri, & non ad puniendum, in quem finem omninò ferri posse nemo negabit, nequaquàm supponunt notitiam Iuridicam in eo, quem ad reuelandum vt patri, obligant.

CONSECTARIVM IV.

An Excommunicationis comminatio obliget prodere Authorem criminis.

19 Colliges 4. An Iudex possit imperare manifestationem non modò criminis, sed etiam authoris ipsius, atque in non parentes ferre Excommunicationem, v. gr. vt non tantùm res furto sublata indicetur, & vbinam modò detineatur, sed etiam aperiatur ipsemet fur. Ratio dubitandi est, quia videtur huic imperio repugnare præceptum de non infamando proximo, qui adhuc latet.

Dissident hac in parte Canonistæ à Legistis vt latè refert Neuizan. lib. 3. sylux nuptia. n. 30. & 31. & Gutierr. lib. 1. qq. Canonic. cap. 11. n. 11. & seq. Legistę in L. 4. ff. de condictione ob turp. causam. §. si tibi Iudicium, & in L. solent. ff. de præscriptis verbis & L. Ciuile. C. de furtis, distinguunt, quando enim Iudex procedit ex officio consistente in semetipso, quia debet purgare prouinciam sceleribus, potest iubere sibi prodi furem, proinde qui norunt, tenentur prodere, alioquin incurrant pœnam aduersus non reuelantes decretam; quando verò Iudex procedit ad instantiam partis, siue ex officio consistente in parte, non potest tunc præcipere furis detectionem, sed rei tantùm furto ablatæ. Cui sententiæ videtur accessisse Soto Relect. de secreto memb. 2. q. 6. Canonistæ verò in contrarium pronuntiant & furem ex mandato superioris aperiendum esse, alioquin incurri decretam Excommunicationem. Ita illi in cap. Qui cum fure. De furtis, vbi fur habetur, qui furem non indicat quærenti possessori; sed sane quidquid dicat glossa; littera satis ambigua est, an teneatur iste conscius furti indicare furem, an furtum duntaxat, vt volunt Legistæ, non fur, inquit, solùm, sed ille Reus tenetur qui furti conscius quærente possessore non indicat. Quarè Panorm. ait varios posse illius loci esse sensus, & sub finem videtur probare Barthol. qui in L. Ciuile. cit. de furtis tantum indicandis interpretatur.

Probant 2. ex cap. Dilectus. de Excessibus Prælatorum, Vbi Honorius III. negat Confessarium cogi posse ad reuelandum furem, inde enim colligunt à contrario sacerdotem quoties extra confessionem cognouit furem cogi posse ad illum manifestandum, atque hinc textum aptiorem esse, quàm superius illud caput. Qui cum fure, dixit Panorm. Notab. 1. Rem tamen omninò non conficit, quia etiamsi Pontifex prohibeat compelli sacerdotem ad reuelandum crimen sibi sacramentaliter confessum, nihil diffinit, an compellendus, si extra Confessionem nouerit.

3. Afferunt cap. si sacerdos. de offic. ordina. Eugenius enim ait, sacerdotem posse ad instantiam partis læsæ excommunicare generaliter, non nominatim furem, sibi licet sacramentaliter confessum, si satisfacere noluerit; inde verò arguunt, posse nominatim excommunicare damni illius authorem, si extra confessionem eius crimen accepisset. Verùm hæc diffinitio Eugenii agit tantùm de sigillo confessionis, quod violari nequit, vndè prodere furem in confessione cognitum non licebit, non debet tamen Confessarius, si Iudex Ecclesiasticus est, negare officium suum parti læsæ implorantI, sed concedere monitorium generale, si causæ sufficientes illud concedendi afferantur, & eodem prorsus modo se gerere, atque si nihil de crimine eiusque authore accepisset; vtrum verò possit compellere Censuris ad prodendum tum furtum, tum ipsum furem ex eo textu colligi nequit. Quarè Hostiensis adductus à Panorm. in cap. Qui cum fure, negat vllo Iure teneri aliquem declarare furem, quamuis Iudex possit ex officio compellere ad indicandum furem, quam compulsionem vt legitimam admittunt, vt dixi, omnes Canonistæ; quibus accessêre Neuizan. & Gutierr. locis citat. Adrian. in 4. de restitutione. in 4. sententia Corduba. lib. 1. quæstionū q. 43. dub. 2. Vitalis tract. de Reis & testib. per Censuram cogendis. n. 7. Nau. cap. 18. n. 31. Graffis 1. pa. decisio. lib. 4. cap. 8. n. 21. Cui sententiæ fauet praxis ordinaria & cottidiana Iudicum Ecclesiasticorum, qui & ad furtum, & ad furem prodendum litteras monitoriales concedunt.

℞. 1. Quoties necessitas aliqua vrget cognoscendi furem, quia etiamsi notum sit, vbinam habeatur res furtiua, recuperari tamen non potest nisi manifestato fure, ad eum prodendum æquè atque ipsum crimen compelli posse Censuris, vt asserebant Canonistæ; eæ enim causæ, quæ compulsionem ad manifestandam rem furto sublatam, legitimam reddent, valebunt vt furis quoque manifestatio imperetur, neque idonea est distinctio Legistarum Iudicis procedentis ex officio, aut ad instantiam partis, vt optimè explicant Neuizan. & Gutierr. quia Iudex requisitus tenetur impertiri suum officium etiam nobile in ipso consistens ex Barth. in L. 1. ff. de Iurisdiction. omnium Iudicum. n. 12. & maximè in monitoriis, in quibus ratione peccati officium Iudicis exuberat secundum Cardin. in Clem. dispendiosam de Iudici. q. 23.

25. & licet pars accuset, dicetur tamen Iudex procedere ex mero officio nobili, & accusans dicetur stimulus incitans Iudicem. Nihil igitur interest an Iudex Ecclesiasticus concedat monitoria ex officio, an ad instantiam partis, quando per officium nobile potest cogere scientes in eo casu ad reuelandum furem, vt fatentur ipsi Legistæ, quod officium etiam instigante, siue stimulante parte læsa, exercet, præterquàm quod in foro Ecclesiastico non semper seruantur omnes & singuli Iuris apices, vt obseruat glossa in cap. dilecti. de Iudicus. Neque benè argumentantur Legistæ ex L. 4. §. si tibi Iudicium. ff. de Condictionib. ob turpem causam & L. solent. ff. de præscriptis verbis: vbi dicitur repeti non posse quod datum est à parte ob indicandũ furem vel seruum fugitiuũ, quia nõ turpiter acceptũ fuit, immò ex pactione & cõuentione posse peti, actionemque ad id exigendum dari; vnde colligunt non teneri aliquẽ gratis indicare furem ad instantiam partis, alioquin nihil posset pro ea indicatione recipere, immò ad restitutionem teneretur. Respondet enim Couarr. in Regul. peccatum. 1. p. §. 3. n. 5. Hoc præmium indicij dari ex consuetudine recepta ob laborem & industriam inquirendi furem, non ipsius furis manifestationem: vnde in L. solent, nominatur merces, quæ non nisi labori respondet, quarè qui rem furtiuam, aut furem inuenerit absque labore & expensis, non poterit quidquam recipere ob restitutionem rei furtiuæ, nec ob indicandum furem, nisi omninò liberè & gratis à domino rei inuentæ donatum fuerit.

2. Quando Crimen aliquod notorium est, & author occultus, quia neque indicia, neque semiplena probatio, neque infamia præcessit, & ad graue communitatis vel priuatorum damnum vergit, pendetque adhuc in futurum, poterit generaliter sub censura & Excommunicatione præcipi, vt ille author prodatur, vt Suyr in claui. lib. 12. cap. 20. n. 8. & Lessius lib. 2. cap. 29. n. 129. tradunt.

3. Quando crimen omninò transactum est, neque amplius pendet in futurum, & author prorsus occultus manet v. gr. repertum est exanime Cadauer in medio vico, neque vlla indicia aut infamia quemquam grauant, vtrum compelli possint Censuris, qui norunt authorem ad illum reuelandum pendet ex quæstione alibi disceptanda an tunc locus sit inquisitioni generali, quam Iudex ex officio instituet, & an testes aut interrogati teneantur respondere. Mihi inpræsentiarum probabilior videtur communior sententia, quam vt inquit Sanch. lib. 6. Consil. cap. 3. dub. 20. Consuetudo potius, quam ius prubauit posse nimirùm Iudicem inquirere generaliter in eo casu; nihilominus non existimarim interrogatos teneri respondere, quod passim docent Neoterici apud Dian. tract. 15. q. 1. Miscellan. Resolut. 63. 2. p. Quia tunc Iudex non est superior; quarè si non pareat interrogatus non incurret censuram.

4. Denique non licebit absque præuia infamia, aut æquiualente inquirere specialiter de aliqua persona singulari, v. gr. Petro, vt pro delicto commisso puniatur, alioquin gratis, & ad arbitrium Iudicis aspergerentur ciues infamia, essentque Iura iniuriarum fontes, si tamen emendatio aut vitatio mali tum impendentis, tum continuò perseuerantis vt alicuius maleficij quæreretur, posset superior inquirere vt Pater non vt Iudex de aliqua speciali persona etiam nondum infamata, atque illius reuelationem consciis præcipere, qui parere obligarentur nisi aliud quidpiam legitimè excusaret, alioquin magna erit scelerum impunitas, quæ à nullo metu coercita & latebrarum præsidio vagabuntur, vt argumentatur Lessius lib. 2. cap. 29. n. 121. Necessitas etiam boni communis, poterit aliquando hanc inquisitionem specialem, cæteroqui non Iuridicam, & omninò illicitam, reddere labis immunem & honestam, vt idem Lessi. ibid. adstruit. n. 139. post. Adrian. quodlib. 11. diffic. 5. neque videtur abnuere Sua. lib. 5. de legib. cap. 9. n. 15. Quarè tunc parendum erit monitorio ad reuelationem lato, alioquin pœna Excommunicationis apposita incurretur.

CONSECTARIVM V.

An secreta monitio præmittenda sit ante reuelationem criminis à monitorio imperatam.

Colliges 5. Quoties obligat præceptum ordinis 32
seruandi in correptione fraterna præmittendam esse secretam monitionem, siue correctionem fraternam ex qua speratur emendatio, antequam reueletur superiori, siue vt Patri, siue vt Iudici peccatum occultum alterius, etiamsi eius reuelationem mandato suo & metu Censuræ vrgeat superior: quia ordo ille fraternæ Correctionis & non infamandi proximum quando illi efficaciter seruata eius fama mederi possumus, est iuris naturalis atque etiam diuini ex lege lata à Christo Matth. 18. vbi iubet secreto corripi fratrem peccantem, antequam deferatur ad Ecclesiam, neque hæc iura tolli possunt præcepto superioris, quod humanum est, immò & iniquum, atque prorsus nullum, si cum diuino & naturali prorsus pugnet. Quarè rectè monuit Gutierr. lib 1. qq. Canonic. 11. n. 73. adducens S. Thomam 2. 2. q. 43. a. 7. ad 3. Antoni. 2. p. tit. 9. cap. 6. §. 4. Nau. cap. 25. n. 64. & Cordub. lib. 1. quæstiona. q. 43. superiori, qui præciperet peccatum occultum sibi aperiri etiam non præmissa correctione fraterna parendum omnino esse, contra Christi ipsius leges aliud iubentis.

Quia tamen præceptum Correptionis fraternæ, & ordinis in ea facienda seruandi est affirmatiuum, varias conditiones atque circumstantias requirit vt obliget, quæ quia sæpius absunt, idcirco non semper obligat, quod omnibus affirmatiuis præceptis commune est, idcircò adhibui aliquas conditiones in propositione nostri Corollarij & indicaui aliquando non esse præmittendam correctionem secretam; quod vt explicemus, quantam doctrina nostri Corollarij requirit, omissis quæ fusius disputant Theologi 2. 2. in tract. de charitate & obseruantia distinctione iam sæpius indicata duplicis denuntiationis iudicialis & Euangelicæ, peccati item occulti & publici, de quo iam est infamia, aut indicia vehementia, vel semiplena probatio; attento quoque fine correctionis, qui est emendatio & vitatio peccati atque damnificationis aliorum, graues, quæ suboriri solent difficultates sic paucis explico.

Imprimis peccatum occultum nunquàm reue- 33
landum est Iudici absque præuia monitione secreta, nisi eiusmodi sit illud delictum, vt statim ad auertendum imminens graue damnum, denuntiandum sit. Ita omnes teste Petro Nau. lib. 2. de

restitut.

reſtituti. cap. 4.n.231. quia pugnat omninò cum charitate nullo tentato ſuauiori remedio ex iis quæ Christus præſcribit Math. 13.incipere ab omnium rigidiſſimo, nimirum denunriatione Iuridica, & huc pertinent omnia, quæ diximus de peccato occulto non aperiendo Iudici Coroll.3. Atque hanc doctrinam extendit Sanch. ad impedimenta matrimonij, quando ex peccato occulto proueniunt, eſt enim in illis antequam aperiantur præmittenda ſecreta monitio, ſi ſit probabilis ſpes emendationis, & tempus moram patiatur. Ita ille plures allegans lib. 3. dematrim. diſp. 13. n. 3. cui ſubſcripſit Gutierr. lib. 3. qq. Canonic. cap. 59.n.3. ſanctus verò Thomas 2. 2. q. 33. a. 7. id etiam valere vult apud Religioſos; quarè in ſolut. ad 4. negat proclamationes in capitulis grauium delictorum, ſi occulta ſint, licitas eſſe; & ad 5. negat obediendum Abbati præcipienti ſibi denuntiari delictum fratris non ſeruato præcepto præuiæ fraternæ correctionis, vbi agit de denuntiatione Iuridica, quæ etiam inter Religioſos licita non eſt circa peccatum occultum, ſine præuia monitione fraterna. Quod valet quoque in iis Religionibus, in quibus eſt peculiaris conſtitutio de denuntiandis delictis immediate ſuperiori, nam ea conſtitutio intelligenda eſt de denuntiatione Euangelica non iuridica, quæ punitionem intendit. Ita Ribaden. tract. de inſtituto Societ. I E S V cap. 34. & Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 18. n. 48. quia etiamſi ſuo iuri ea in parte renuntiarint Religioſi conſentaneè Conſtitutioni, & conſtitutio dubia ſit, cùm non loquatur niſi de denuntiatione facienda ſuperiori, neque diſtinguat inter Iuridicam & Euangelicam, quæ fit vt Patri, & de vtraque exponi poſſit, in dubio tamen ita explicandus eſt actus vt quantum fieri poterit, ſit minus oneroſus, quod latè probat Menoch. lib.6.de præſump. . præsũp. 9. quandò verò geſtus eſt, ita interpretandus eſt, vt ſit maximè & quantũ fieri poterit vtilis gerenti, vt probat Tiraq. tract. de Retractu gentilitio.§.30. n. 34. & Menoch. de præſump. lib.3. præſump.136. n. 26. atqui minus oneroſa eſt conſtitutio, quæ ad ſolam paternam vel fraternam denuntiationem reſtringitur, quàm quæ ad Iuridicam quoque extenditur.

Excepi nihilominus ea crimina, quæ propter imminens graue periculum ad Iudicem deferri poſſunt, etiamſi occulta forent, in iis enim non erit neceſſaria præuia iſta correctio, vt fatentur etiam vnanimi conſenſu DD. in his peccatis numerat Diana tract. de Denuntatione. Reſolut. 2. hæreſim, & omnia crimina, quæ pertinent ad tribunal S.Officii, quod alii negant, vbi planè emendata ſunt, aut emendata per eiuſmodi correctionem præuiam; neque omninò improbabiliter. Authores in vtramque partem dabit idem Diana.

2. Quando peccatum occultum non eſt ſed publicum, aut infamatum ſtatim denuntiandum eſt, ſi vrgeat Iudicis præceptum, cui non poteſt opponi neceſſitas præuiæ correctionis fraternæ, illa enim non adhibetur etiam ex præcepto Chriſti, niſi vt ſeruetur fama fratris, quæ iam per infamiam aut indicia æquiualentia periit. Quarè inutilis erit ea omnis correctio: Ideò Neuizan. lib. 3. ſylu. n.46.cit. nunquàm fraternam correptionem præire debere reuelationem, eò quod exiſtimet omnem reuelationem imperatam à monitorio eſſe Iudicialem, quæ proinde ſupponit infamiam, aut aliquid æquiualens. Petr. tamen à Nau. lib. 2. cap. 4. 2. parte capitis. dub. 7. latè probans hanc doctrinam exiſtimat n.179. etiam in hoc caſu locum aliquando eſſe præuiæ monitioni ſecretæ, ſi per illam ſpes eſſet publicæ emendationi, inquit, per publicam pœnitentiam ab eo faciendam, aut ſi ita mutandus exiſtimetur, vt morum conuerſione omnium aduertat oculos, & offenſionem, quam dederat, impediat.

3. Denuntiationi Euangelicæ pręmittenda eſt 34
correctio fraterna & ſecreta monitio quando ſperatur inde emendatio, neque periculum eſt in mora. Ita omnes, quia tunc nihil eſt, quod excuſet à lege quam Chriſtus tulit, Matth. 18. & quę etiam ex ipſa rei natura ſequitur, nempè curandum eſſe bonum proximi, quam minimo eius incommodo; cùm igitur æquè benè poſſit emendari per illam ſecretam monitionem, & nihil vrgeat, ob quod omittatur, reuerà illius pręceptum obligabit; quarè ſi violetur prætextu ſuperioris aliud imperantis & pœnam ac cenſuram comminantis reuerà peccabitur, eritque contemnendum eo caſu mandatum ſuperioris, & metus Excommunicationis ab illo latæ.

4. Si quis renuntiàrit Iuri, quod habet ad correctionem ante denuntiationem, aut ſi ex eiuſdem monitionis omiſſione, & ex denuntiatione immediatè facta ſuperiori vt Patri, ſperatur fore, vt efficacius emendetur Reus, vitetque recidiuum poterit abſque culpa prætermitti ea correctio, & crimen aperiri Prælato, qui pro ſua cura & prudentia medeatur; neque difficultas eſſe poteſt in 1. parte huius propoſitionis, ſi quis enim ceſſerit ſuo Iuri hac in parte, nullam deinde patitur injuriam; & quamuis daremus non eſſe dominum ſuæ famæ, poſſet tamen ob honeſtum aliquem finem, pati illius iacturam, ſicut etiam vitæ pluribus in caſibus, etiamſi non ſit ſuę vitę dominus, itaque validè ſuo Iuri hac in re poſſe cedere aliquem fatentur. Ban. 2.2.q. 55. a. 8. dub. 2. in 7. argum. Valen. 2. 2. diſp. 3. q. 10. p. 5. §. quintus caſus eſt. Ribadeneira. de Inſtitut. Societ. cap. 34. Sanch. lib. 6. cap. 18.n.43. contra Philiarcum de officio ſacerdot. tract. 1. p. 2. lib. 4. cap. 14. qui malè argumentatur ex eo, quod nemo ſit dominus ſuę famę, nam etiamſi id concederemus, quod tamen falſum eſt, poſſet nihilominùs pati diſpendium ſuæ famę vt iam diximus, & ſubtrahere materiam pręcepti Correctionis fraternæ præuiæ ad obtinendum illum ipſum finem, ad quem inſtitutus fuit eiuſmodi ordo correptionis, nempè ad emendationem, quam ex denuntiatione facienda immediate ſuperiori efficacius ſperat; quod confirmari non malè ſolet ex facultate, quam pœnitens dat Confeſſario, manifeſtandi, quæ audiuit in confeſſione, quam omnes admittunt; quamuis enim ſigillum irreſerabile ſit, tamen data ea facultate à pœnitente tollitur eius materia, quæ eſt reuelatio peccatorum inuito pœnitente, qui honeſtis de cauſis velle poterit eam reuelationem.

Maior Controuerſia eſt circa alteram partem allatæ propoſitionis, nimirùm quoties ex immediata denuntiatione ſuperiori facta ſperatur efficaciùs emendatio, & vitatio recidiui, omitti poſſe monitionem ſecretam, quamuis ex ea ſperaretur quoque emendatio, ſed non tam facile, neque tam efficaciter, aut prudenter; nam ob maiorem illam ſpem efficacioris certioriſque emendationis & cautionis circa relapſum non eſſe omittendam correctionem præuiam docent Adrian. in 4. q.4. de Correctione. §. pro huius deciſione. Nauarr. cap. 24.n.12. Soto. de ſecreto. m. 2. q. 4. con. 3. Petr. Nau. lib. 2. de

Restitutio. cap. 4. n. 245. o. verò 238. allegat Cordub. Paludan. Caietanum, atque ipsum S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 7. ad 4. & 5. & quodlibet. 11. a. 13. & 15. Confirmatque ex Aug. & Basilij Regulis, & ratio videtur manifesta, cùm enim possimus simul mederi fratri, & eius bonæ existimationi consulere, id omninò tenemur facere ex lege charitatis, cuius interpretem agere voluit Christus in præscribendo ordine correptionis fraternæ Math. 18. atqui in nostro casu vtrumque illud possumus, nam emendabitur frater, vti probabilissimè conijcimus, & non infamabitur; si verò superiori indicemus, emendabitur quidem, atque etiam fortassis efficacius, sed excidet bona existimatione apud superiorem, quæ iactura grauis est, quia vt arguit Soto, quo grauior aliquis est, eò pluris æstimatur fama apud illum, & spes illa melioris efficaciorisque emendationis non videtur æquare eiusmodi famæ dispendium, quarè etiamsi S. Thom. quodlibet. cit. dixerit, vbi speratur Prælatum melius emendaturum, posse illi denuntiari peccatum sub dit; addit tamen statim, si æquè benè, vel parum melius per Prælatum occurrendum est, seruabitur ordo charitatis, nec fiet quod melius expedit si illi denuntietur.

Contraria nihilominùs sententia, quam sequuti sumus in nostra propositione, quæ vult denuntiari Prælato vt Patri, quoties speratur ab eius prudentia; vt melius, certius, & efficacius adhibeatur remedium ad emendationem & cauendum relapsum, communior & probabilior est, pro qua ipsemet Nauarr. n. 236. illius cap. 4. allegat Durand. Richard. Gabriel, Paludan. Sylu. Angelum ipsumque S. Thomam quodlibet. cit. quibus consentiunt alii magno numero relati a Sanch. lib. 6. in decalog. cap. 18. n. 46.

Ratio est, quia ordo iste præscribitur à charitate, neque, vt iam indicaui, docentque passim DD. omnes etiam aduersarij, Christus nouam legem condidit, sed naturalem explicauit; si igitur illa ipsa charitas, cui seruandæ deseruit hic ordo, postulet illum aliquando prætermitti, sanè absque peccato, immò cum laude prætermittetur, atqui quoties speratur emendatio certior efficaciorque ex denuntiatione facta Prælato, quam ex fraterna monitione, ex qua sæpiùs animorum offensiones oriuntur, postulat ipsa charitas, quam vnam intendimus, ad superiorem rem deferri cum exiguo licet famæ dispendio, quod Rosella ℣. Inquisitio & Angel. ℣. denuntiatio. n. 10. vbi hanc sententiam dicit esse ordinis S. Francisci, nullum omninò fore putant, si Prælatus talis sit, qualis esse debet, & saltem non erit nisi admodùm leuis iactura, cùm etiam aliqui non improbabiliter existiment detectionem peccati occulti apud virum grauem & prudentem non esse infamationem mortalé, præterquà quod Prælatus obligatur ad conseruandam famam illiusmet subditi, cuius crimen defertur, atque ad secretum, quantum eius bonum patietur, neque propterea, quæ ita accepit, potest illum punire, aut arguere publicè, aut eius famam aliqua ratione minuere, vt superius dicebamus ex S. Thoma dannante proclamationes peccatorum occultorum, quæ fiunt in capitulis, si ea peccata grauia sunt, & infamatiua, quia tunc procedit vt Iudex.

Hinc verò sequitur præceptum siue per modum legis & statuti, siue per modum simplicis mandati iubens denuntiari immediatè delicta superiori iustum omninò esse; quod enim subditus potest absque culpa exequi, potest iustè à Prælato imperari, vt omnes laudati DD. asserunt. Addo & ego cum Sanch. cap. 18. cit. n. 50. & Suar. tract. 10. de Religione lib. 10. cap. 8. sapientissimè fuisse institutos eos ordines, in quibus leges de deferendis erratis immediatè superiori conditæ sunt, sic enim maximè seruatur ipsa charitas, & frater emendatur, vel enim ex malitia peccauit, vel ex infirmitate, si primum, non est facilè speranda emendatio ex secreta monitione, si secundum, opus est cura superioris in præscindendis occasionibus, præterquam quod bono communi Religionis expedit nosse Prælatum subditorum vitia, & rarò speranda sit seria Religiosorum emendatio ex monitione fratris, vt ostendit Caietan. tom. 1. opusc. tract. 31. qui est 17. Respons. 5. ad. 1. dub.

Ex quibus omnibus tandem sequitur quoties vel lege lata, vel peculiari præcepto superioris iubetur delictum aperiri superiori vt Patri, sub pœna Excommunicationis, nisi pareatur eam reue. à incurri neque prætextu præmittendæ monitionis secretæ & emendationis inde secutæ, aut etiam iam consequutæ vitari aut inobedientiam, aut Excommunicationem, cùm enim præceptum illud sit validum, aut etiam licitum, vt ostendi, sub dirum obligat, & violari nequit sine culpa & reatu pœnæ appositæ. Inde colligit Sanch. cap. 18. cit. n. 56. professum Societatis IESV ratione voti quod emittit denuntiandi ambientes dignitatem Societatis, teneri denuntiare, etiamsi ambitio sit occulta; additque n. 58. & 59. non teneri præmittere secretam correctionem, quia ea denuntiatio fit vt Patri, qui seruato secreto poterit coercere illum ambitu, cùm enim in manu solius præpositi generalis sit electio omnium superiorum, poterit non eligere ambientem illum illibata eius fama; si verò ambiretur generalatus, Constitutiones & formula Congregationis iubent deferri ad vicarium generalem, atque aliquem ex antiquioribus, remque secretè & cum omni cautione transigendam esse volunt, quanquàm in eo casu, cùm agatur de bono communi totius Societatis, quod maximè in electione Præpositi Generalis, apud quem suprema ferè potestas est in Societatis administratione, consistat, non est religiosè seruandum secretum, aut ordo correctionis secretæ, quem neque in aliis delictis obligare iam monuimus absque violatione ipsius charitatis, cui maximè consulitur per immediatam denuntiationem, vbi tot illæ cautiones, quot habent nostræ leges, adhibentur.

Vbi tamen dubium esset, an Prælatus melius curaret fratris emendationem & an vellet sibi vt patri, an vt Iudici aperiri, an ex rancore animi & odio procederet, essetque infamaturus subditum, atque vlterius, quam ferat æquitas, illius notitia, quam hausit ex denuntiatione paterna, non esset illi denuntiandum peccatum occultum præuia monitione secreta omissa, nisi illud crimen in damnum totius communitatis vergeret, quod monet S. Thom. quodl. 11. a. 13. & Abulens. in cap. 18. Matth. q. 98. ad fin. Sanch. cap. 18. cit. n. 47. quia in eo dubio fauet subdito possessio famæ, & præceptum naturale, atque Euangelicum. Quarè tunc non incurretur Excommunicatio annexa præcepto denuntiandi superiori, immò peccaretur, si omitteretur ea monitio. Suar. itaque tract. 10. de Relig. lib 10. cap. 9. n. 17. ait aliquando in Societate aliisque Religionibus, in quibus vigent leges denuntiandi superiori subditorum errata occulta, cessare tamen rem inchoandi correptionem à denuntiatione, nam si lapsus sit occultus, & nulli tertio nocinus,

hocitius,& omnibus prudēter pensatis existimetur, non esse necessariam, aut non vtiliorem superioris ad emendationem fratris, profectum eius, bonum Religionis, & alios fines intentos à Regula; abstinendum est ab ea denuntiatione, quia tunc manet integrum Theologorum effatum, succurrendum esse proximo in bonis maioribus cum nullo vel minimo incommodo in minoribus bonis, & famæ diminutio apud Prælatum prudentem sine vlla causa vtili & honesta, detractio est, quæ ex suo quidem genere est mortalis, communiter tamen est venialis, quia fit ex bona intentione, & non peccatur nisi imprudentia, nisi iure timeatur de prudentia secreti & charitate superioris In his itaque non incurretur Censura propter omissam denuntiationem imperatam.Sed videndum est ne temer suspicemur superioris imprudentiam & offensionem, aut exiguam charitatem. Monet denique Sanch. n. 60. non licere subditum omninò emendatum absque vllo periculo relapsus denuntiare,si eius crimen sit occultum quod etiam valere asserit in eo, qui ambiuerit dignitatem, si enim plenè emendatus est, & occultus, non tenetur illum denuntiare professus ratione voti, quod de denuntiandis ambientibus emisit. Igitur neque si iubeat superior emendati subditi manifestationem, interminetur que silenti censuram,illa timenda fuerit.

CONSECTARIVM VI.

An monitorium obliget aperire crimen aduersus nos commissum.

35 Colliges 6. Non obligare monitorium aperire crimen aduersus nos commissum, nisi in damnum quoque alterius vergat. Ita Bonac. disp.6.ex variis pu. 1. §. 3. n. 1. Sayr in claui. lib 12. cap. 24. n. 24. & alii passim,quia non potest superior quemquam obligare ad non sequenda Christi consilia,è quibus non vulgare est, quo suademur vltionem propriarum iniuriarum vni Deo permittere,neque illam apud homines persequi;quia tamen aliquando superior non intendit punitionem tantùm iniuriæ nobis irrogatæ, sed bonum publicum, quod eo casu curari non potest nisi nos ipsi denuntiemus, imperare poterit eam manifestationem, vti fecere Pontifices circa crimen Confessarii sollicitantis ad turpia, quod à pœnitente, qui iniuriam accepit,prodi volunt.

CONSECTARIVM VII.

An monitorium cogat Reum prodere seipsum.

36 Colliges 7. Neminem vi monitorii cogi ad prodendum seipsum, & suum crimen, cuius punitio quæritur;neque propterea incurrere excommunicationem per monitorium latam;& quidem si de crimine occulto loquamur, certum est Corollarium, neminem enim teneri crimen occultum, & de quo nulla præcessit infamia,aut semiplena probatio,aut indicia æquiualentia, fateri iudici, qui tunc non interrogat iuridicè, docent Panorm. in cap. 2. de Confess. Angelus ¥. Confessio delicti initio, ¥. Inquisitio. n. peoult. & ¥. denuntiario, 13. Sylu. ¥. Accusatio n. 13. vbi testatur esse communem:authores dabunt magno numerò Gutierr. lib. 1. qq. Canonic.cap. 11. num. 39. Diana tract. 4. de denuntiat. Resolut. 8. Sanch. lib. 6. Consili. cap. 3. dub. 29. num. 4. & vltimo. Sanctarell. tract. de hæresi. cap. 11. dub. vnic. num. 19. Homobonus 2. p. Examin. Ecclesiast. tract. 11. cap. 4. quæst. 4. Fernand. 1. P. Exam. Theologiæ moralis cap. 19. §. 5. num. 5. P. 4. cap. 6. num. 5. Qui omnea idipsum& valere volunt in crimine hæreseos, quod ostendit etiam Simanc Catholic Instit.42.num. 3.Idemque fuit Chrysost.a sensus in Epist. ad Hebræ. vt refertur cap. Quis aliquando de pœnitent. dist. 1. Ratio euidens est, quia pugnat cum charitate naturali, quam quisque sibi debet, ne quis seipsum infamare cogatur, aut sibi mortem, aliudve supplicium siue malučtam accessere, aut in se ipsum fæuire; quarè præceptum quod ad eam immanitatem vrgeret, iniquum & inhumanum, atque adeò nullum & inualidum habeterur. Hoc autem contingeret,siquis crimen suum occultum fateri cogeretur.

Quare negamus ad id compelli posse mandato generali aut speciali Iudicis cui impunè non parebit,ac proinde censuram monitorio annexam nulla ratione incurrit;potiores enim tunc partes sunt præcepti naturalis charitatis, qua quis seipsum prosequi tenetur,quàm mandati superioris.

Tota difficultas est, quando Iudex siue ex officio, siue ad instantiam Partis iuridicè procedit, quia crimen semiplenè, vel æquiualentibus indiciis manifestatum est, quod requirit, vt procedatur via accusationis, vel est infamatum, quod saltem exigunt DD. vt via inquisitionis iuridica sit, vti fusè dicemus alibi an Reus tunc vi monitorii teneatur crimen fateri, & incurrat alioquin censuram latam. Ita enim existimat Gutierr. lib. 1.qq. Canonic. cap. 11. num. 41. Sylu. ¥. Correctio. num. 7. quæst. 7. vbi dicit illam Iudicis sententiam esse iniqnam, validam tamen, Iacob. de Graffis. 1. Pa. decision. lib. 4. cap. 8. num. 18. vbi contrariam praxim, quæ authorem principalem delicti non comprehendit, explicat de authore principali occulto, & qui nulla laboret infamia. Zerola. ¥. Excommunicationis causa materialis, ad 3. alios adducens, qui omnes existimant Reum, cui notum est Iudicem iuridicè interrogare, quia ipsi notificata est semiplena probatio, aut æquiualentia indicia, vel infamia, qua laborat, teneri crimen suum prodere etiam cum dispendio vitæ ? quarè nisi tunc pareat legitimo superioris mandato, censurà illi appositā ferietur, quod pluribus confirmat Lazari s. 3. quæst. 12. num. 4. & multo facilius concedit Ludouic. Vitalis, qui etiam, quando non interrogatur Iuridicè, vult obligari monitorio ad se manifestandum tract. de Reis & testibus per censuram cogendis num. 18. & 30. Ratio huius sententiæ est quia Reus legitimè & iuridicè interrogatus à Iudice tenetur manifestare suum crimen, etiamsi inde sit puniendus, vt fatentur allati DD. & alii quos dabit Sanch. illo dubio 29. cit. n. 4. & Diana tract. 15. qui est post Miscellan. 2. p. Resolut. 27. Ergò etiam tenebitur ad eandem manifestationem, quando ad illam præcepto generali compelletur, quæ consequentia manifesta est cùm mandatum genetale æqualem vim obligandi habeat, atque speciale; generalitas enim aut specialitas neque auget, neque minuit vim mandati; monitorium igitur, quod continet

continet præceptum generale reuelandi æquè obligabit singulos, atque si ad illos specialiter dirigeretur, & æquè tenebitur vi illius Titius se ipsum prodere, atque teneretur, si ipsi specialiter à Iudice interrogante iuridicè fuisset imperatum, tunc obligaretur se prodere ex communi sententia relata, igitur & modò ad idem obligabitur quodne faciat, reuerà censurâ innodabitur.

Nihilominùs etiam hoc casu excipiunt Reum obligatione prodendi se ipsum, & immunem faciunt excommunicationis, quam monitorium comminatur, Auila 2. p. cap. 5. disp. 5. dub. 2. con. 8. & Corduba lib. 1. quæstiona. q. 43. dub. 2. §. sed vtrum, nisi specialiter interrogetur, quantumuis sit diffamatus. Idem latè probat Ambrosi. de Vignate in l. ciuile, C. de furtis, §. si tibi Iudicium, quem sequuti sunt plures vt fusè refert Neuizan. lib. 3. syluæ nuptia. n. 15. & seq.

Ratio huius sententiæ est, quia Reus etiam iuridicè interrogatus de crimine maxime capitali, non tenetur respondere, quamdiu spes est euadendi, si ipse suum crimen tegat. Ita Petr. à Nau. lib. 2. de restitutione, cap. 4. 2. p. dub. 2. num. 142. alios adducens n. 137. Pesanti 2.2. q. 70. disp. vnic. Roderic. tom. 2. qq. Regular. q. 19. a. 4. adducens Salzedo in practica criminal. cap. 126. & Aragon. 2. 2. Sa. ꝟ. Iudiciales actus, vbi de Reo n. 1. & 6. dicit hanc sententiam probabilem, quod etiam asserunt Reginal. lib. 24. praxis, n. 37. Malder. de virtutib. tract. 5. cap. 3. dub. 1. assert. 2. & 3. Less. lib. 2. cap. 30. num. 16. Filluc. tract. 4. num. 266. Bonac. ad 8. Decalogi præcep. disp. 10. q. 3. punc. 2. num. 7. Villalob. tom. 2. tract. 16. diffic. . num. 12. & 14. Diana Resolut. 27. cit. Sanct. disp. 43. select. num. 19. Valens in differentiis vtriusque fori, ꝟ. restitutio, different. 49. Portel in dubiis Regularib. tit. Correctio fraterna, ꝟ. Reus num. 43. Peirinus de Religioso subdito, tom. 1. q. 1. cap. 16. §. 1. Ratio est, quia præceptum humanum eo casu durum est, & contra insitam naturæ legem, vitam, & famam conseruandi, neque obligat cum vitæ dispendio nisi vbi agitur de bono communi, & præterea cùm nemo cogatur testari contra propinquos l. 4. ff. de testibus, neque cum graui suo, aut suorum damno, cui cogetur aduersus seipsum testari. Neque obstat quod obiiciunt, Iudicem habere ius interrogandi, ac proinde Reum teneri respondere, ne detur bellum vtraque ex parte iustum: quidquid enim sit de hac consequentia, & de iustitia belli tum materialiter, tum formaliter ex vtraque parte, quam admittunt Pesant. Filluc. & alij. ℞. non nouum esse in materia de iustitia, vt iura opposita circa eandem materiam reperiantur, Iudex enim imperare potest, ne fugiat è carcere Reus, aut vt fame pereat, cui tamen absque culpa non obediet Reus, habet enim ius fugiendi & sumendi cibos, si apponantur; non potest tamen impedire, quin aut Iudex illum iubeat detrudi in carcerem, aut prohibeat afferri cibos, damnetque ad inediam. Ita in nostro casu Iudex ius habet interrogandi & detegendi veritatem, illamque ex ore ipsius fontis extorquendi, si possit, etiam adhibitis tormentis & equuleis, neque id poterit impedire Reus; non tenebitur tamen seipsum prodere, si suo silentio possit euadere pœnam aliquam grauiorem capitis, aut famæ, aut etiam fortunarum; quod enim aliqui hanc doctrinam ad solam pœnam capitis restringunt; Lessius, Malder, Petr. à Nau. & alij ad pœnas quascunque alios grauiores meritò extendunt. Neque placet, quod Fumus ꝟ. confessio delicti, numero 8. & ꝟ. pœna num. 2. Angel. eod. ꝟ. numero 1. Sylu. ibid. quæstione 1. excipiunt pœnam spiritualem, voluntque quando de illa tantùm agitur, Reum semi conuictum, aut infamatum, liquidò & sine ambagibus crimen fateri, si à Iudice interrogetur; nam eædem rationes, quæ absoluunt Reum obligatione fatendi crimen ad vitandam grauem pœnam temporalem, valebunt dum vitanda etiam erit pœna spiritualis æquè grauis, aut etiam grauior, cuiusmodi est depositio, degradatio, interdictum, suspensio, & excommunicatio, vt expendenti patebit: præterquàm quod pœnæ illæ spirituales semper implicitam habent pœnam temporalem non leuem, & saltem probrum atque infamiam. Quarè restrictio illa Syluestri & aliorum Casuistarum reiicienda prorsùs mihi videtur.

Quid verò sentiam de re ipsa nondum planè distinio, commodius alibi mentem meam explicaturus, discussis vtriusque sententiæ momentis. Quod porrò attinet ad nostrum corollarium, dico illud verum esse etiam quando agitur de crimine infamato & semi conuicto, aut indiciato, neque tunc vi monitorij teneri Reum prodere seipsum, aut propterea incurrere excommunicationem, cùm enim sententia, quæ negabat Reum iuridicè interrogatum teneri respondere, quamdiu spes est suo silentio euadendi atrocem aliquam pœnam, siue temporalem, siue spiritualem probabilissima sit, & in praxi tuta, vt dixit Diana contra Turrian. tom. 2. in 2. 2. disp. 50. dub. 7. & Ioan. de la Cruz, 1. p. Directorij conscient. 8. præcep. art. 3. dub. 4. con. 2. allegato Ledesma, qui eam prorsùs improbabilem imprudenter dixerunt; poterit iste Reus illam sequi & absque culpa parere mandato generali monitorij, sicut impunè non pareret mandato speciali, quo Iudex illum respondere iuberet, vti superius arguebamus, cùm generalitas non augeat vim obligatoriam mandati, immò potius imminuere videatur, vt existimabat Auila l. c.

In hoc toto corollario egi de mandato & monitorio, quod tendit ad grauandum Reum, & ad puniendum eius crimen, si enim tantùm agatur de impediendo peccato, auertendo maleficio, reparando damno, tenebitur Superiori candidè suum crimen occultum, & alioquin infamatum detegere, quia Superior tunc non agit vt Iudex, & causæ, quæ excusabant ab obligatione parendi propter vitandam grauem pœnam planè cessant in eo casu, & non potest alioquin impediri peccatum, nisi Superior resciat illud arcanum, quod quærit. Quarè licet nulla aut infamia, aut indicia præcesserint, debebit iste, si in eum finem, quem dixi, interrogetur siue mandato generali, siue speciali, rem totam candidè & simpliciter aperire, alioquin censuram, si quæ annexa fuerit mandato, incurret; vnde Panorm. in cap. continebatur de sponsalibus impub. numero 8. ait, quotiescumque animæ periculum vertitur, posse exigi iuramentum à Reo, licet actor nihil probauerit; estque solemnis distinctio Innoc. in capite 1. de postu-

latione Prælatorum, n. 5. quam sequitur ibidem Panorm. n. 34. nimirum quando fit Inquisitio contra promotum, vt puniatur, non licere absque infamia procedere; atque eo sensu explicandum esse cap. Qualiter, & cap. Quando de Accusat. Quando verò inquiritur contra promouendum, ne promoueatur indignus, non requiri infamiam, sed debere superiorem ex officio procedere cap. cùm nobis de Electione. Hinc fit vt ordinandus teneatur manifestare vitium occultum, quod ipsum reddebat incapacem ordinationis, vt obseruat glossa. in cap. Nisi cùm pridem. de Renuntiat. ℣. non potuerit; & in cap. Innotuit. De electione, ℣. Reatum. Quare qui vitium eiusmodi siluerit, deponi iubetur à Conc. Carthagin. 4. vt refertur cap. ex pœnitentibus. 50. docentque passim Canonistæ cum Panorm. in cap. Innotuit. de electione n. 6. & in cap. scisscitatus. de Rescriptis. num. 14. & Felin. in idem cap. n. 8. limitatione 6. Casuistæ ℣. ordo. Angelus. Syln. Tabiena quos sequitur Henriq. lib. 10. cap. 18. num. 2. & Maiol lib 4. de Irregularitate cap. 10. num. 4. & lib. 5. cap. 33. num. 3. Eandem ob causam impediendi peccati tenetur aperire impedimentum occultum, qui vult contrahere matrimonium, etiamsi nulla eius infamia præcesserit, nisi dispensationem in foro Conscientiæ obtinuisset. Ita Sanch. lib. 3. de matrim disp. 14. num. 2. Henriq. cap. 18. cit. num. 2.

Obiicies. Aliquando in monitoriis adhiberi solitas esse istas clausulas, nemine dempto, aut dempta parte & consilio. de quarum clausularum vsu adi Rebuffum in Constit. Regiis tit. de Inuent. glossa 1. num. 9. Codicem Fabrian. lib. 4. tit. 14. definit. 54. Lazari. sect. 2. quæst. 16. num 9. Ex vtraque autem illa clausula colligitur, quemlibet ratione monitionis & Excommunicationis intentatæ & illos, quos adhibuit in consilium eadem lege vinciri, nisi nominatim & expressè excipiantur; fuitque illa mens senatus Parisiensis, dum 15. Maij 1538 abrogauit antiquam clausulam, dempta parte & consilio, vt constaret neminem monitionis obligatione eximi, & tunc probationes ab aduersarij domo & officina peti posse, vti refert ex Ægidio Magistro tract. Appellation. cap. 9. 10. Gregor. lib. 48. syntagm. cap. 13. n. 31.

℞. Nihilominus cum sententia nostri Corollarij eruta sit ex ipso iure naturali quod præceptum humanum conuellere non potest dicendum est has clausulas non adhiberi vt nouam obligationem iniiciant contra naturale ius seruandi secretum ab eo, quem Reus consuluit, aut non prodendi seipsum & suppeditandi probationes Aduersario in suam ipsius perniciem, atque sæuiendi quodammodo in seipsum. Sed his particulis *dempta parte & consilio* voluerunt Prælati eximere omnem religionem, qua nonnulli concuti possent ne vi monitorij & metu excommunicationis tenerentur, vel eos à quibus consulti fuerant contra charitatem naturalem & secreti obligationem prodere, vnde non sequitur, vt quoties nō adhibebitur ea particula, teneatur quis seipsum manifestare, aut secretum sibi commissum reuelare: præterea si dicamus Reum iuridicè interrogatum teneri semper respondere, ac proinde quoties præcessit semi probatio, aut indicia æquiualentia vel saltem infamia, monitorium vrgere Reum, vt seipsum aperiat, nisi in Censuram incidere velit, quod ferebat communior sententia, quam in praxi sequitur senatus; hinc illis solemnibus vocibus, *dempta parte & consilio*, prælatus facit veniam Reo, vt in eo casu, in quo obligaretur, vt dixi sese aperire, non teneatur, quod idem dicendum erit de consilio, si quandoque cessaret naturalis obligatio secreti, tunc enim eo quod ea clausula excipiantur, non cogentur reuelare quod per viam consilij didicerunt. Altera verò clausula nemine dēpto significat ex iis, qui ex vi monitorij seclusis specialibus exceptionibus tenentur ad reuelationem neminē excusari, quia sæpè præsumebatur vel partem læsam, ad cuius preces fertur monitorium, vel Iudicem, qui illud pronuntiat, nonnullos noluisse comprehendi; aut aliæ inanes clausulæ vitandi reuelationis onus prætexebantur, quas omnes ea particula apposita voluit senatus præscindi, non tamen cogere eos, quos Ius naturale excipit, aut iugum durum & tyrannicum imponere.

CONSECTARIVM VIII.

An monitorium obliget aperire complicem criminis.

Colliges 8. vix vnquàm teneri quemquam prodere vi monitorij complicem sui criminis, neque propterea incidere in censuram, nisi bonum commune & peccatum impediendum, cui aliter occurri non potest, ita postulet. 37

Hoc Corollarium sequitur ex superiori, cùm enim nemo possit aperire complicem, nisi seipsum prodat, siue ipse fuerit causa primaria, siue tantum socius & cooperator causæ principalis, siue dicat se vnà cum eo complice crimen perpetrasse, siue non, ab illo enim, quem accusauit, vicissim ipse accusabitur, atqui nemo tenebitur prodere seipsum, vt ostendi Corollario superiori, nisi iuridicè interrogetur, neque etiam fortassis tunc, quod puniendus est atroci aliqua pœna, quam euadet suo silentio. Ergo neque tenebitur complicem suum tunc prodere, eò quod eius salus aut pœna cum salute, & pœna complicis implicita sit. Atque ita de complice sentiunt Suar. disp. 10. de fide. sect. 4. Portel. ℣. denuntiatio. n. 10. in dubiis Regularibus contra Bonac. disp. 6. ex variis. p. 3. n. 10. & alios apud Dian. tract. 4. de denuntiat. Resolut. 9. qui obligant fœminam sollicitatam à Confessario illum denuntiare, etiamsi illa fuerit delicti complex cōsentiendo, licet non teneatur suum consensum fateri; sed si agamus præcisè de sollicitationis crimine, quod reuelandum est, ipsa non fuit complex, quarè etiamsi ad denuntiandum teneretur, inde non licebit inferre complicem teneri ad reuelandum alios complices. Quia tamen voluntas complicis non est in arbitrio alterius, fieri aliquando potest, vt quis teneatur prodere complicem, & non seipsum, potest enim quilibet, si velit, abstinere à peccato, quod admisit, & à damno inferendo, non potest tamen alium criminis socium remorari, ne pergat in suscepto crimine, quod si in dānum publicum, aut etiam alicuius priuati vergat, sitque eiusmodi, vt ad illud auertendum teneatur Reus famam aut salutem periculo exponere, quod maximè continget, quando de Reipubl. graui damno agitur, prodendus omninò erit complex etiam cum proprio periculo, quod rarum admodùm est, cùm infinitis viis possit aut disturbari malum, quod socius molitur, aut falso capite & fortunis clanculum manifestari malus ille socius.

CON

CONSECTARIVM IX.

An teneamur vi monitorij personam coniunctam reuelare.

38 Colliges 9. neminem obligari ad reuelandum vi monitorij aduersus personam sibi coniunctam. Ita Nauarr. cap. inter verba, coroll. 66. n. 412. Angelus ꝟ. denuntiatio, n. 13. Neuizan. lib. 3. syluæ, o. 47. plurimos adducens Gutierr. lib. qq. Canonic. cap. 11. n. 54. Corduba. lib. 1. quæst. 43. contra Gratis 1. p. lib. 4. c. 18. n. 23. & Hostiens. apud ipsum Sanch. lib. 6. consil. cap. 2. dub. 18. n. 9. Dian. 3. p. tract. 5. Resolut. 63. Nauarr. cap. 25. num. 49. Felin. in cap. 1. de testibus cogendis, Lazari. p. 3. q. 11. num. 18. qui si aliæ non supersint viæ ad testificandum, volunt istos cognatos & consanguineos ad id cogi posse; tenendum tamen est nostrum corollarium, cuius ratio est, quia durum & impossibile esset illud præceptum, tum ob necessitudinem, quæ est inter personas eiusmodi, tum ob innumera damna quæ propter perpetuas offensiones inde orirentur, quæ aliæque causæ fecerunt, vt etiam legum ciuilium conditores noluerint cogere eiusmodi personas vsque ad quartum gradum ad testificandum in causa criminali, vt latè habet Molin. tract. 3. disp. 44. num. 11. & 12. an verò si velint testari, audiantur, disputat latè Auffrerius in decision. 3. & 4. capellæ Tholosan. & Nan. loco cit. cap. inter verba. Nos modo illud non moramur, satis enim est, si vi monitorij cogi non possint ad reuelandum, quod maximè etiam consentaneum est iis, quæ diximus q. 2. huius capit. cùm enim monitoria non dentur, nisi in subsidium iuris ciuilis, æquum profectò non esset, vt quos ius ciuile, ne quid contra coniunctionem & charitatem naturalem peccet, non cogit ad testandum, Ecclesia suis præceptis ad denuntiandum vrgeret. Non restringo verò corollarium nostrum ad causam criminalem, quasi monitorium vrgeat consanguineos ad reuelandum in negotio ciuili, vti existimat Auila 2. p. cap. 5. disp. 5. dub. 1. con. 1. quia offensiones cæteraque mala, quæ timentur æquè ex denuntiatione in causa ciuili, atque in criminali nasci possunt, quod periculum cùm certum sit, causaque fuerit eximendi consanguineos ab ea obligatione testificandi & reuelandi, etiamsi fortassis aliquo casu admodùm infrequenti possit testimonium ferri ab eiusmodi personis absque graui suo incommodo, non obligabuntur tamen monitorio, cuius contrarium malè asserit Nald. ꝟ. reuelare, n. 8. quia semper existit eiusmodi periculum quod fuit causa legis eximentis ab ea obligatione, manetque illa coniunctio & charitas naturalis, quæ non patitur eiusmodi præcepta sibi imponi ab humana potestate, vt dixi. In his autem personis numero maritum, vxorem, filios, parentes, generum, socerum, priuignum, & denique consanguineos vsque ad quartum gradum, vt aduertunt Angelus & Syluester. ꝟ. familia, & Nau. cap. inter verba, num. 412. cia. vbi tamen obseruat iuxta communem sententiam, quam tenet Felin. in cap. cùm nuntius, de testibus, & alij ab ipso & Barbosa allegat. 96. num. 55. atque a Farinac. tract. de testib. q. 54. num. 194. relati, id non valere inter filios & patres spirituales, possunt enim adigi ad ferendum testimonium, & filius spiritualis tenebitur patrem spiritualem deregere, contra Francisc. Curtium lib. de testibus, con. 3. qui vt ait Nauarr. ducitur falsis & infirmis fundamentis æqualitatis, vel maioritatis cognitionis spiritualis, & carnalis malè intellectæ; & sanè Pontifices, qui iubent à pœnitente deregi infandum & spurcum Confessarium ad turpia sollicitantem, satis ostendunt disparem in hoc casu esse rationem cognationis spiritualis & carnalis.

Hinc dixit Lazari. tract. de blasphemia, q. 12. n. 67. & Homobon. 2. p. de casibus reseruatis, cap. 1. vxorem nun teneri reuelare blasphemias etiam hæreticales mariti ob arctissimam ipsorum coniunctionem & timorem, ne malè habeatur à marito; quod non improbat Dian. tract. 4. de denuntiat. Resolut. 6. quamuis contrarium dicat esse praxim, quam tenendam omninò contendunt Comitol. lib. 4. Respons. q. 8. & Bonac. disp. 6. ex variis, p. 1. §. num. 6. sed malè, nam ea praxis supponit tantùm licitam esse eam reuelationem, & quamuis Iudex inquirat ab vxore de eiusmodi crimine, non propterea sequitur vxorem teneri reuelare, vt in simili ferè causa dicebamus corolla. 6.

Nisi itaque crimen consanguinei vergat in perniciem reipubl. quam illius tantùm detectione possimus amoliri, non tenebimur vi monitorij illud denuntiare; at vbi agitur de salute publica; aut de crimine læsæ Maiestatis illud consanguinei quique, atque ipsi filij, si nondum transactum omninò sit, prodere obligantur, vt tradunt Mascard. con. 561. n. 9. & conc. 857. n. 20. & 23. Barbosa allegat. 96. de potestate Episcopi, n. 57. Azor tom. 2. lib. 2. cap. 2. q. 12. & 13. Idem volunt in crimine hæresis formalis Suar. disp. 20 de fide, sect. 4. n. 12. Azot q. 13. cit. Bonac. disp. 6. ex variis, p. 2. n. 3. disp. 2. de censu. q. 6. p. 1. n. 1. Portel in dub. regularib. ꝟ. correctio fraterna, n. 11. Farinac. tract. de hæresi. q. 197. §. 2. o. 40. Sanctarel. cap. 9. de hæresi, n. 15. Dian. tract. 4. de denuntiat. Resolut. 4. Comitolus, lib. 4. Respons. q. 8. Auila 2. p. cap. 5. disp. 5. dub. 2. & Barbos. allegat. 96. cit. n. 56. Rectius tamen hanc doctrinam restringes ad hæreticos dogmatizantes, quos solos à consanguineis quoq; deonuntiandis vult Simanch. tit. 29. Catholic. instit. n. 37. quem sequitur Gutier. lib. 1. qq. canonic. cap. 11. n. 57. qui in hunc sensum exponit Tostatum indistinctè docentem in cap. 13. Deut. q. 3. non teneri filium denuntiare patrem hæreticum.

Quæ porrò diximus de immunitate denuntiandi, qua gaudent personæ coniunctæ, intelligendæ sunt, etiamsi de crimine esset infamia, aut semiplena probatio, & ex communi sententia teneretur eo casu Reus ipse aduersus seipsum testificari, & crimen prodere, quod omnes æquè fatentur, quamuis in teddenda disparitate vtriusque istius casus laborent, cur nimirùm non obliget tunc monitorium deonuntiare personam sibi coniunctam, & obliget ad reuelandum seipsum, dici potest, non timeri offensionem in seipsum, neque illa damna & odia, quæ ex delatione personæ coniunctæ soborit solent, sed profectò manet importunitas illius mandati, quod rem tam durum, & tam difficilem, qualis est sui ipsius proditio ad atrocem pœnam subeundam imperat.

CONSECTARIVM X.

An metus grauis damni eximat obligatione monitorij imperantis reuelationem.

39 Colliges 10. Neminem cum graui suo damno teneri ad vitandam censuram parere monitorio indicenti reuelationem, contra Ludouic. Vitalem tract. de Reis & testibus per Censuram cogend. num. 37. quia præceptum humanum nunquàm obligat cum graui discrimine, nisi simul concurrat aliquod aliud præceptum naturale, aut diuinum, quod cum illo periculo obliget, vt tradidimus 1.2.cum Sua.lib.3.de legibus. cap. 3. n. 6. & Sanch. lib. 1. in Decalog. cap. 18. num. 4. qui alios allegant, & quamuis ipsi loquantur de obligatione cum discrimine vitæ; ad alia tamen grauia periculum extendendum quoque est, & vt iterum dicimus. disq. 9. disputantes, an metus excuset à censura. Ratio verò est, quia vel ea potestas ita in illis periculis obligandi non est in Republ. vel suauis prouidentia non patitur illius vsum, qui non est etiam vtilis ad bonum commune, quod verius multò erit in Ecclesiastica administratione, quæ suauis omninò est, non ferrea & importabilis, qualis esset, si ad reuelationem cum graui eiusmodi incommodo fidelem adigeret, cur enim tenebor pati, aut maiori meo damno proximorum damnum amoliri; quarè hoc principium veluti ipsi inscriptum naturæ, omnes omninò DD. in materia de charitate & Iustitia magno consensu recipiunt, & monitorij nullas esse vires eo casu tradunt Neuizan. lib. 3. Syluæ Nuptia. n. 47. Felin. in cap. Dilectorum, de testibus cogendis. n. 3. Suar. disp. 20. de Censuris s. 3. n. 9. Soto. Relect. de secreto memb. 2. q. 6. dub. 5. & alij in simili ferè negotio adducendi disq. 9.

Si itaq; timeam vitæ aut bonorum graue dispendiũ ab eo, cuius crimẽ reuelauero, qui facilè resciet, aut suspicabitur me reuelasse, nõ teneor monitorio.

2. Si, quia probare facilè non possum, habendus sim ipse aut fur, aut calumniator, non incurram censurã monitorij, etiamsi taceam, vt docui Regula superiori cum Sayro lib. 12. clauis. cap. 14. n. 25.

3. Vassallus nequit compelli monitorio ad denuntiandum dominum, à quo sibi iure timet, vt tradunt Neuizan. n. 47. cit. & Gutierr. cap. 11. lib. 1. qq. Canonic. n. 56.

4. Nequidem ad denuntiationẽ hæretici, quantumuis vrgente monitorio, cum eo periculo obligari nos docet Sanctarell. cap. 9. de hæresi. n. 16. alios allegans. Homobon. 2. part. de casib. reseruat. cap. 1. Fagund. tract. 2. de præcept. Eccles. lib. 4. cap. 3. n. 31. vxorem quoque non denuntiantem maritum hæreticum, ne malè ab eo tractetur excusat Farinac. tract. de hæresi. q. 297. n. 33.

5. Fæminam solicitatam à Confessario, quæ nequit sine sui infamia inquisitores adire, excusant quoque Lazari. tract. de blasphem. q. 12. n. 63. Portel in dubiis Regularib. v. solicitare fœminas in addition. n. 21. Homobon. 1. p. Exam. Ecclesiast. tract. 7. cap. 7. q. 32.

6. Nemo tenetur longius ire ad reuelandum, aut suis expensis, si quæ faciendæ sunt, denuntiare; quarè eas pars, cui monitorium concessum est, tenebitur refundere, atque ipsum etiam temporis dispendium, si quod fuerit ea de causa insumendum, vt Felin. docet cap. 1. de testib. alioquin si quis videat se eiusmodi iacturam passurum, potest non parere monitorio, vt concedit Gutierr. lib. 1. qq. Canonic. cap. 11. n. 23. Neuizan. lib. 3. Sylu. n. 46. sub fin. allegans Rosellam contra Siluestrum, alios dabit Sanch. lib. 6. Consili. cap. 2. dub. 22. n. 1.

7. Qui timet Exceptionem contra suam reuelationem, ex qua exceptione infamabitur, non vrgetur monitorio ad reuelandum. Ita Anch. loco proximè citato, vbi allegat Nau. in cap. inter verba.

8. Quod dixi de nostro periculo, valet quoque in periculo personæ nobis coniunctissimæ, ad illud enim vitandum possum quoque abstinere à denuntiatione, licet per monitorium imperata, vt etiam in causa hæresis expressimè dixit Fagund. l. c. quia eiusmodi personarum periculum & damnum censetur nostrum propter arctam necessitudinem & coniunctionem. Hæc tamen omnia intelligenda sunt, nisi bonum cõmune obliget nos priuata cõmoda negligere, vt illi seruiamus, tunc enim reuelãda erit culpa etiam, cum nostro periculo, vt sæpius monuimus.

CONSECTARVM X.

Vitatio grauis damni iniusti alterius eximit obligatione reuelandi, quod imperabat monitorium.

Colliges 11. Quoties ex nostra reuelatione imminet alteri graue damnum iniustum, non obstringemur mandato reuelandi, neque Censuram, aut aliam pœnam ipsi appositam incurrimus, nisi ex nostro silentio par aut æquale damnum iniustum quoque nobis impenderet. 40

Ratio perspicua est, quia non potest nobis præcipere superior, vt iniustum damnum vni irrogemus, vt alteri faueamus, & quod datur in subsidiũ Iuris esset fons iniuriæ, quod quam absurdum sit, nemo non videt, quia tamen non teneor impedire meo damno æquali & iniusto, alterius simile damnum iniustum quoque, potero reuelare, etiamsi præuideam iniustum damnũ tertij alicuius, vt proprium euitem; quandoquidem damnum illud tertij non oritur proximè, immediatè, & per se ex mea reuelatione, sed ex malitia partis, quæ mea reuelatione, quamuis in se bona, abutetur in fraudẽ alterius.

CONSECTARVM XII.

An Iuramentum de non reuelando, eximat monitorio.

Colliges 12. Eum, qui iurauit se quidpiam non reuelaturum, vrgeri monitorio manifestationem mandante, nisi aliquo ex alio capite excusetur, quia tunc non pugnat præceptum Religionis cum præcepto obedientiæ, cum enim illud iuramentum fuerit de re iniqua, nempè de non parendo iusto præcepto superioris imperantis reuelationem, non fuit actus religionis sed Irreligionis potiùs, neque vlla ratione potest obligare, cùm ex Regula 56. de regulis Iuris in 6. Iuramentum contra bonos mores præstitum non sit obligatorium, in quam rem plurima Iura congerit glossa in illam Regulam, & Gratian. 22. q. 4. nonnulla Patrum loca in idem argumentũ congerit, quod latè quoque prosequitur Suar. lib. 2. de Iuram. cap. 14. & 15. estque solemne effatum Canonistarum, Iuramentum non esse vinculum iniquitatis cap. Quanto cap. Quinta-vallis & cap. Tua nos de Iure iurand. Quæ vbi agemus de iuramento confirmatorio promissionum & contractuum exponemus. Vides igitur integrã manere 41

suam

suam vim monitorio, neque impediti concursu præcepti Religionis; quod idem dicendũ in est eo qui iurasset se non restituturum; quarè qui deinde contra suum iuramentum reuelabit non erit periurus, cùm reuerà nulla religione iuramenti teneretur, vt malè existimauit Bald. in l. nullum, C. de testibus, qui inde inutilitatem huius reuelationis ostendebat eo quod reuelans habendus sit aut periurus, aut falsarius, neutrum tamen accideret, vt benè annotauit alijs relatis Auferius in decision. 241. Capellæ Tholosanæ.

CONSECTARIVM XIII.

An monitorium obliget testes priuilegiatos ad reuelandum.

42 Colliges 13. Testes priuilegiatos ex solo fauore iuris humani, quod dignitati aut conditioni quarumdam personarum tribuit immunitatem à testificando teneri vi monitorij ad reuelandum, nisi quidpiam aliud excuset, alioquin incident in excommunicationem latam per monitorium.

Appellant testes priuilegiatos eos, qui prærogatiuam habent non testificandi beneficio legis, ita ve ad illud cogi nequeant, si nolint. Horum testium duo sunt genera, quibusdam enim ita concessum est à iure hoc priuilegium, vt eius causa sit in ipsa natura implantata, eo quod eiusmodi personarum conditio postulat hanc immunitatem testificandi in quibusdam causis; & aduersus certas quasdam personas, neque ius humanum possit ab illis extorquere illud testimonium, nisi peccet in naturam & charitatem, aut saltem imperet aliquid admodùm durum & difficile, à quo exequendo ratio naturalis eximere videatur, nisi boni communis necessitas ad dura quæque subeunda obliget, eiusmodi sunt consanguinei ascendentes, descendentes, & collaterales intra quartum gradum, & coniuges, qui aduersus se inuicem testificari non coguntur, neque cogi possunt, si causam boni communis excipias propter ingentia damna, quæ ex eiusmodi testificatione oriri necesse est. Quarè hoc priuilegium ita concessum est à lege humana, vt fundatum sit in ipsa natura. Alij verò gaudent priuilegio non testificandi ex mero iure humano, quamuis non sine ratione. Ita senes milites, infirmi, Magistratus, Clerici, Episcopi, & alij, de quibus agunt DD. ad l. inuiti, ff. de testibus, & Alberic. tract. de testib. cap. 6. num. 22. & 23. Hos omnes posteriori loco recensitos dico vrgeri monitorio, maximè quando non sunt alij, qui reuelent, quia cùm hi testes gaudeant prærogatiua non testificandi ex solo iure humano, illud idem ius potest fauorem illum tollere, & in aliqua causa cogere, quos suo fauore immunes reddiderat.

CONSECTARIVM XIV.

An dubius de obligatione monitorij teneatur reuelare.

43 Colliges 14. Dubitantem, an obligetur monitorio; siue, quia dubitat de validitate illius, siue quia suspicatur se legitimè excusari, nisi deponat illud dubium, teneri reuelare, cùm tamen si dubitet, an vi monitorij obligetur ad restitutionem, non teneatur restituere.

1. Pars huius consectarij probatur ex eo, quod quando dubitatur, an concurrant duo præcepta, aut duæ obligationes, illud, cui possessio fauet [illegible], dum est ex vulgari axiomate in dubio & pari causa melior est conditio possidentis, quod in materia virtutum omnium, & non solius Iustitiæ valere latè ostendimus t. 2. cum Sanch. lib. 1. in decalog. cap. 10. & lib. 2. de matrimon. disp. 41. Vasq. 12. disp. 66. c. 1. Salas. tr. 8. disp. vnica, sect. 18. n. 166. Ferdin. à Castro, tr. 1. disp. 3. p. 2. & alijs; videndum autem est, cuinam faueat possessio; quando autem præceptum certum est causa excusans dubia, tunc possessio fauet præcepto, qua de causa si constet de voto emisso, aut debito contracto dubia verò sit impletio voti, aut solutio dubiti, implendum omninò erit votum & soluendum debitum. Qui dubitat an recitarit officium canonicum, quod recitare tenetur, illud recitare debet, quia lex quæ certa est, gaudet fauorẽ possessionis, secùs verò, quãdo dubium est de voto, aut de lege, potest enim omitti illorum obseruatio, quia tũc possessio libertati fauet, quę omnia aliaque similia diximus eo loco. Cum igitur constet certò monitorium imperãs reuelationem esse latum à legitima potestate, & dubitetur, an ob aliquam causam obliget, possessio, fauet apertè monitorio, quarè seruandum omninò est, vt tradunt Naldus, ℣. reuelare, n. 2. Saytus in claui, lib. 1 2. c. 24. n. 34. Henriq. lib. 13. c. 10. n. 4. Lopes 1. p. instructo. c. 9. & alij. Hinc fit, vt si quis dubitet, an personæ, à quibus quidpiam accepimus, sint fide dignæ, tenemur omninò reuelare vi monitorij, etiamsi vti diximus aliàs dubitetur de legitima causa præcepti, quia nempè in hoc dubio possessio fauet monitorio, quod proinde vim suam obtinet, vt Nauarr. optimè vidit c. 25. n. 49. Quod idem omninò dicendum esse, quoties dubitatur, an futura sit vtilis reuelatio, eo quod non certò sciatur, an prælatus sit adhibiturus remedium, statuunt Bonac. disp. 6. ex variis, punc. 1. §. 4. n. 3. & Auila 2. p. cap. 5. disp. 5. dub. 3.

2. Pars corallarij in dubio, an restitutio sit facienda probatur ex eodem principio, tunc enim possessio fauet illi, qui rem penes se habet, cuius pars est causa in dubio, ad quemnam pertineat illa res, & ratione possessionis illius potius etiam ius est.

Praxis & modus reuelationis & restitutionis facienda vi monitorij.

Vidimus quinam obligetur parere monitorio imperanti restitutionem, aut reuelationem, ne excommunicationem per monitorium latam incurrant; nunc explicandum restat, quomodo facienda sit ista restitutio, aut reuelatio. 44

Imprimis igitur non est necessariò facienda restitutio per illum, qui rem alienam detinebat, potest enim ne se ipse infamet, vti medio aliquo internuntio, sed fideli, vti etiam innuimus in Regula 4. fieri quoque potest ea restitutio promulganti monitorium, aut concedenti, cui eidem fieri quoque debet reuelatio, non parti, vt apparet, quod etiam obseruauit Sylu. ℣. excommunicatio 2. num. 18. facienda igitur est reuelatio Episcopo, aut eius vices agenti, aut vt vsus etiam cottidianus habet, Curioni promulganti, qui processum inscribere debet, quo constet se tales monitoriales litteras ab Episcopo tali concessas accepisse, & tali die promulgasse in paræcia, & in missa parochiali, eis tepetuisse, atque aggrauasse toties citato die & testibus, atque quid post singulas monitiones ipsi reuelatum fuerit, & à quo, & quomodo.

Opus autem est 1. vt qui denuntiat & reuelat, id commendet scripto vt prosit parti, inscribaturque per notarium idoneum, & nomen ac cognomen eiusmodi reuelantis eo scripto commendetur, vt ait Genuens. in praxi cap. 18. num. 2. & alii apud Barbosam allegat. 96. de potestate Episcopi num. 35. vbi tamen aduertit aliquando sufficere, vt quis dicat Episcopo scio aliquid de contentis in monitorio, & quando ero vocatus à meo Iudice paratus sum testificari, vrgendus autem non erit amplius, sed id annotandum erit in processu instructo à Iudice Ecclesiastico vt illum reuelantem possit deinde Iudex proprius citare ad testificandum.

2. Quia in Curia Laica non adhibetur fides testibus in his quæ reuelarunt coram Iudice Ecclesiastico excitati litteris monitorialibus, vt plurimi tradunt apud Barbos. allegat. cit. n. 36. si deinde testes vocati à Iudice Laico remitterent se ad propalationes factas coram Iudice Ecclesiastico, tota illa testificatio nulla foret, vnde cogi debent, vt coram suo Iudice rem totam aperiant.

3. Quoties aut infamia, aut aliud damnum immineret reuelanti, si notus fieret, poterit reuelare per schedulam continentem rem reuelandam absque adscriptione tamen reuelantis, vt obseruat Philiarch. 1. p. de officio sacerdot. lib. 3. cap. 34. §. limitatione. 8. Nam etiam schedula vim aliquam habebit, vt notat Mascard. de probation. concl. 247.

4. Depositionem & reuelationem firmandam esse iuramento, si postulet superior dixit Abba. consilio 15. & Ripa respons. 77. quod tamen negat Genuens. in praxi. cap. . n. 16. & ex illo Barbos. allegat. 96. n. 34. nisi in ipsis monitoriis iuberetur reuelationem stabiliri iuramento, quod præcipi posse tenet Lazari. sect. 4. q. 9. n. 15. & Barbos. quanquàm, ne illaquearentur Conscientiæ rariùs id faciendum videatur.

5. Si ille, aduersus quem pronuntiata erant monitoria, compareat intra terminum præfixum, dicatque se habere rem de qua agitur, sed se eam iusto titulo retinere, quod ostendere coram Iudice competente paratus est quarè ad eum se remitti postulat & desisti à monitorialibus, alias protestatur de nullitate actus, audiendus omninò erit, & à Iudice Ecclesiastico ad Laicum proprium remittendus. Ita Gutierr. lib. 1. qq. Canonic. cap. 11. num. 84. allegans Innoc. Ioan. Andræam, Anton. de Butrio, & Abbat. in cap. Nouit de Iudiciis. num. 35. Idem docet Ambrosius de Vignate quem sequitur Guido Papa singula. 708. de Monition. & latè quoque probat Neuizan. lib. 3. Syluæ. num. 51. quia alioquin Iudex Ecclesiasticus posset trahere omnes causas ad suum forum; quare non pertinet ad hoc forum vlterius examinare Iustitiam facti, sed id totum permittere debet Iudici Laico, neque aliud profecto volunt Curiæ Regiæ, dum tam sollicitæ sunt in expendendis monitoriis, & testificationibus vi illorum redditis, voluntque omnia ad se deferri, atque sæpiùs tanquàm abusiuum reiiciunt totum illum processum, vt videbis apud Ægidium Magistrum in decision. Parisi. titul. de Appellationib. ex abusu. cap. 4. cauent enim, ne hoc excommunicationum prætextu minuatur Iurisdictio Regia, & ne lites laicæ ad sacra tribunalia deuenerentur.

6. Si tamen monitus & alienam rem detinens non comparuit, sed alii eum denuntiarunt, tunc non modò debet à Iudice Ecclesiastico declarari excommunicatus propter inobedientiam & contumaciam, vt statim dicam, sed etiam cogere ad rem restituendam præmissa summaria causæ cognitione, neque ob eam causam remittendus est ad suum Iudicem eò quod ea restitutio omitti nequeat sine peccato. Ita Gutierr. n. 87. Vbi conciliat quædam dicta Neuizani in speciem contraria, quarè addit Gutierr. quod si ipse Excommunicatus in contumacia. compareat deinde, petatque absolutionem, allegans se paratum esse coram Iudice suo competenti stare, quia possidet rem legitimo titulo, ac proinde postulat desisti ab vlteriori processu monitorialium, audiendus omninò erit, dummodò contra eum non constet, nec probetur contrarium.

7. Si lis penderet contra Titium coram Iudice Laico, & deinde pro habendis probationibus concedantur monitoriæ generales, & Titius neque propterea comparuit, neque propalauit, non poterit peti contra eum, vt in specie, siue nominatim excommunicetur, sed prosequenda erit lis coram eodem Iudice, quia vbi cœptum est Iudiciũ, ibi finiri debet. L. vbi cœptum. ff. de Iudiciis, & continentia causæ diuidi non debet. L. nulli. C. de Iudiciis. Ita Neuizan. n. 60. & Gutierr. n. 88.

8. Vbi lectis & promulgatis in Ecclesia monitorialibus, post earum exequutionem non comparuit, qui illis impetebatur, neque bona v. gr. restituit dandus est libellus coram Diœcesano, quo continentur propalationes illorum qui aliquid deposuerunt contra Aduersarium; proponendo, quod etsi emanauerint monitiones generales contra tales res detinentes, & contra scientes, & non reuelantes, vt constat ex ipsis cum debita ipsarum exequutione, de quibus fit fides, licet alii propalauerint Titium talem rem detinere, idem tamen Titius reuelare neglexit, nec restituere curauit, immò eam indebite, & contra Conscientiam detinendo, perseuerat in peccato in contemptum Censurarum Ecclesiæ, quare petitur vt Titius sic in genere excommunicatus cogatur ad pœnitentiam, & in specie, ac nominatim excommunicetur, & non absoluatur, donec exeat de peccato, restituendo dictam rem. Hæc conclusio libelli sonat denuntiationem tum Euangelicam, quia petit censuram, vt Reum pœniteat, tum Iudicialem, quia petit vt restituat; oblato verò eiusmodi libello lis contestatur, recipiuntur probationes parte citatâ, vt intersit iuramento testium, quia alias fidem non facerent: publicatis autem probationibus, si nihil opponatur, & Titius reperiatur Reus, Iudex pronuntiabit eum incurrisse dictas Censuras in genere, & præcipiet sub pœna Excommunicationis in specie vt exeat de peccato, & rem restituat. Hanc communem praxim refert Neuizan. num. 57. qui tamen mauult, vt in libello concludatur, quod Titius cogatur ad pœnitentiam, nulla mentione facta rei restituendæ, quia idem effectus resultabit, cum non possit quis pœnitentiam agere, nisi rem restituat, sic autem erimus tantum in denuntiatione Euangelica, quandoquidem in illo libello solùm tenditur ad finem emendationis, vt obseruauit Abbas in cap. Quemadmodum. de Iureiurando; in hac verò denuntiatione non requiritur litis contestatio, neque ordo iuridicus, quod omnes fatentur in cap. nouit. de Iudiciis, quod omnino aliter se habet quando petitur restitutio rei subductæ; tunc enim denuntiatio iudicialis est. Addit Gutierrez num. 95. allegans

allegans Aretinum in cap. Nouit de iudiciis sub fin. & Panorm. in cap. Parochianos de sententia Excommunicationis. notabili. 2. & in cap. Cùm desideres eod. tit. notabili. 4. Iudicem nemine instante, & ex suo officio debere nominatim denuntiare Excommunicatum, & eum facere euitare.

Hinc arguit illos, qui faciunt citare principalem ad allegandum causas, quarè non debeat excommunicari, vt vult Guido Papa singula. 708. id enim minimè necesse est, vt constat ex gemina illa praxi. Arguit. 2. Iudices, qui statim visis propalationibus aliorum absque causæ cognitione excommunicant nominatim, præceps enim & temeraria est illa sententia.

9. Denique etiamsi ad excommunicationem in genere sufficiat vnus testis secundum Imolam, in cap. Nouit. de iudiciis, plures requiruntur ad excommunicationem in specie,& nominatim,quia cùm agatur de magna pœna, requiritur plena probatio ex Alb. in cap. Cùm sit generale, de foro competenti. Bald. in cap. si sacerdos. de officio ordinar. initio, & Neuiza. lib. 3. Syl. n. 62.



DISQVISITIO III.

De causa efficiente censurarum.

QVÆSTIO I.

An Ecclesia habeat potestatem ferendi censuras.

QVÆSTIO II.

In quo existat potestas instituendi & ferendi censuras.

QVÆSTIO TERTIA.

Quis sit validus & legitimus vsus potestatis ferendi Censuras.



DISQVISITIO III.

De causa efficiente Censuræ.

QVÆ fusius disputare solent hoc loco DD. paucis nos complectemur, ex iis enim, quæ lib. 1. de Iurisdictione in vniuersum explicata sunt in nostra scientia Canonica facile colligentur Tria igitur quæram circa causam efficientem Censuræ. 1. an in Ecclesia sit potestas instituendi & ferendi censuras, 2. pœnes quem existat illa potestas, 3. quis sit validus & legitimus vsus eiusmodi potestatis.

QVÆSTIO PRIMA.

An Ecclesia habeat potestatem ferendi Censuras.

CAtholica assertio est, Ecclesiam accepisse à Christo potestatem instituendi Censuras, & alias pœnas spirituales infligendi.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Hæc propositio non indiget clariori expositione, cùm ex ipsis terminis subiecta illi sententia satis capiatur, eius autem probatio non est difficilis.

Imprimis enim Matth. 16. Christus promisit Petro potestatem ligandi & soluendi, cap. verò 18. cæteris Apostolis, quæ potestas fuit omnimoda Iurisdictio ad regendam Ecclesiam necessaria etiam in foro externo, & contentioso, quod colligitur ex iis, quæ traduntur eod. cap. 18. si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm Ethnicus & Publicanus; illa enim reiectio ab Ecclesiastica communione & consortio non potest nisi de externa communicatione intelligi; vt enim argumentatur. S. Thom. in 4. d. 18. quæst. x. a. 2. ad 1. quæst. in foro interno causa agitur inter Deum & hominem; in foro externo tractatur causa hominis ad hominem, idcirco absolutio, vel obligatio quæ hominem tantum obligat, vel soluit in iis quæ sunt ad Deum, pertinet tantùm ad forum internum; quæ autem hominem aduersus alium hominem liberum, vel obnoxium reddit, ad forum externum spectat: per censuras autem homo obligatur aduersus alium hominem, nam per Excommunicationem v. g. separatur à communione fidelium, ergò illa ad forum externum pertinebit; Sed hæc omnia latiùs exposuimus ex mente PP. alibi. Vbi euicimus iurisdictionem externam collatam fuisse Ecclesiæ à Christo; Petro quidem Ioan. 20. vbi Pastor constituitur, & cæteris Apostolis, Ioan. 21. vbi illos constituit Apostolos, & mittit sicut ipse missus fuit à Patre: Ad munus autem Apostololicum pertinebat intrinsecè potestas regendi Ecclesiam, cùm prærogatiua tamen Petri, qui gaudebat ordinaria potestate, in qua proinde successores habuit, cùm Apostoli extraordinariam, & veluti delegatam tantùm à Christo, vt suo loco fuit ostensum, haberent.

2. Fauet ratio, cùm enim potestas directiua non sufficiat ad regendam Ecclesiam, aliàque communitatem absque potestate coërcitiua non sufficienter instruxisset Petrum Christus ad pascendum gregem. Et Ecclesiam gubernandum, nisi illi fecisset potestatem, si quando minus forent obsequentes, coërcendi aliquibus pœnis saltem spiritualibus & priuandi bonis, quæ in Ecclesiæ arbitrio & dispositione existunt, quod fieri per Censuras ostendimus disq. 1. hujusce libri q. 1. Denique vsus harum Censurarum ab ipso Paulo Corinthium incestus damnatum sacris & fidelium commercio prohibente ad nostra vsque tempora repertus indubitatam reddit assertionem Catholicam; neque opus est congerere hoc loco, quæ de singulis censuris disputant PP. quod circa Excommunicationem accuratè præstitit Eruditus Theophil. in 2. parte tract. de Monitoriis, de Interdicto Benzonius cap. 5. de Pontific. Interdicto; de suspensione autem passim occurrunt testimonia, quæ alio properantes omittimus; supponimus enim hoc opere, quæ à Theologis, vel controuersiarum DD. ex Instituto stabiliuntur.

Dixi verò in assertione potestatem instituendi censuras factam fuisse Ecclesiæ à Christo, quibus verbis indico nullam esse censuram iure diuino siue à CHRISTO diuinitùs acceptam; qua de causa Chrysosth. homol. 24. in Ep. ad Hebræos, vt refertur 11. q. 3. cap. Nemo. monet non esse contemnenda vincula Ecclesiastica, eò quod CHRISTVS ipse liget, cùm dedit eam potestatem hominibus, & idcircò nominatur diuina in Extrauagan. vnam sanctam. de maiorie. & obedientia; aliud verò est potestatem esse à Christo, & de iure diuino, aliud quod fit per eam potestatē à Deo immediatè esse aut esse de iure diuino, alioquin omnes leges Ecclesiasticæ essent diuinæ, & facerent ius diuinum, quia sanciuntur per potestatem à Deo immediatè collatam Ecclesiæ. Distinguenda igitur est potestas instituendi censuram, ab ipsa institutione, quæ in vsu illius potestatis consistit, & præscribit peculiarem & certum modum pœnæ spiritualis, seu priuationis quorundam bonorum spiritualium, quem modum nunquàm CHRISTVM præscripsisse legimus, sed omnia ista definienda reliquit Ecclesiæ, vnde etiam factum fuit, vt lapsu temporis, varij extiterint mores & ritus circa has pœnas, in quibus plurima mutata, aucta, & imminuta sunt, cùm ea, quæ diuini iuris & Institutionis sunt, immutabilia existunt ab humana potestate; quod totum optimè explicat Suar. disp. x. f. 1. n. 3. exemplo sacramentalium, siue variorum rituum, quos in administrandis sacramentis seruandos esse præscripsit Ecclesia, pro ea potestate quam habet à CHRISTO eadem sacramenta dispensandi; nemo tamen dixerit ea sacramentalia, aut ritus esse iuris diuini aut institutionis, è contrario vero ipsa sacramenta sunt instituta à CHRISTO, quia ipse eorum materias & formas, atque eorum substantialia definiuit, non Ecclesia, quæ nihil circa illa sibi sumit, neque quidquam in eiusmodi formis aut materiis immutauit, vti in sacramentalis factum fuisse videmus.

Neque fauent Aduersariis verba CHRISTI, Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm Ethnicus & Publicanus, nam illis verbis non instituit excommunicationem CHRISTVS in rebelles, alioqnin omnes qui non obediuns Ecclesiæ imperanti, forent Excommunicati ipso facto, & diuino Iure, neque Ecclesia quemquam Excommunicaret, sed iam ab ipso CHRISTO excommunicatum esse declararet, quod nescio, quam glossam & nonnullos DD. eam sequutos voluisse contra communem omnium sensum monuisse me memini, disq. 1. Inepta quoque foret communis diuisio censuræ in eam, quæ est latæ, & ferēdæ sententiæ tantùm, omnis enim esset latæ sententiæ. Denique diuina lex, qua CHRISTVS omnes contumaces saltem & proteruos, atque obstinatissimo monenti imperantique sæpiùs Ecclesiæ resistentes à fidelium communione prohibuisset, & censura Excommunicationis perculisset in citatis verbis apud Math. cap. 18. Sit tibi tanquàm Ethnicus & publicanus, diminuta admodum esset & obscura,

obscura, variisque interpretationibus obnoxia, quandoquidem neque modum illius contumaciæ, & grauitatem culpæ definit, quod tamen necessum maximè erat, cùm agatur de pœna grauissima, neque etiam ipsiusmet pœnæ modum, naturam, proprietates, aliaque eiusmodi cognitu necessaria determinat cùm vtatur verbis generalissimis, vt patet. Nihil itaque voluit aliud CHRISTVS, quàm non obedientem Ecclesiæ eo modo vitandum esse, atque grauem peccatorem, & sceleratum hominem, cuiusmodi erant publicani redimentes vectigalia, & Ethnici, qui Iudæis odio erant; modum tamen huius vitationis aut separationis definiendum Ecclesiæ reliquit pro grauitate & natura commissi criminis; Quarè non magis dicendus est CHRISTVS excommunicationem instituisse, quàm pœnas & censuras, quarum ferendarum potestatem fecit Ecclesiæ, dum Iurisdictionem & potestatem omnem necessariam ad gubernandos fideles illi contulit Ioan. 20. & 21. vti superiùs monebamus, nam Matth. 16. & 18. promisit tantùm daturum se claues & potestatem ligandi atque soluendi, vti omnes fatentur, & nihil planè aut hactenus dedit, aut instituit; atque sicut ea promissio generalis fuit tradendæ iurisdictionis directiuæ, & coerciuæ in foro tum interno, tum externo, ita eandem vniuersalem potestatem deinde rediuiuus antequàm ad patrem ascenderet, Petro & Apostolis modo sæpiùs explicato contulit, licet nihil in particulari circa eiusmodi regimen instituerit, aut edixerit, eaque est communis omnium interpretatio: Vnde vides cur dixerim in propositione vniuersali CHRISTVM dedisse potestatem Ecclesiæ instituendi censuras, non verò illas instituisse.

CONSECTARIVM I.

An hæresi sit annexa Iure diuino Excommunicatio.

4 Hinc sequitur 1. Reiiciendos esse eos, qui existimarunt quibusdam peccatis annexam esse Iure diuino Excommunicationem, quod de peccato hæresis censuit Alma. in 4. dist. 18. Gabriel in eandem dist. quæst. 3. a. 3. dub. 4. sequutus de more Ocham. Iodoc. Clicthouæ. pro Concilio Senonens. Echius in Enchirid. locorum commun. contra Lutheran. cap. de hæreticis comburend. Driedo lib. 2. de libertat. Christiana cap. 8. Iacobus Latomus in assertionem determinationis vniuersalis Louaniensis contra Lutherum. Neque etiam visum fuit improbabile Nauarr. Miscellan. 47. de orat. n. 5. & Alterio. lib. 1. de Excommunic. disp. 3. cap. 3. q. 3. Castro verò lib. 2. de iusta hæretico. punit. cap. 18. nihil in alterutram partem audet definire. Dicendum tamen est Excommunicationem in hæreticos solo Iure Ecclesiastico latam esse, quod tradunt reliqui Theologi. Sotus in 4. dist. 22. q. 1. a. 1. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 10. q. 2. Suar. disp. 2. de Censur. s. 1. n. 6. Sanch. lib. 2. in Decalogum cap. 9. n. 2. Vasq. dub. 1. de Excommunic. n. 8. Henriq. lib. 13. cap. 1. Filliuci. tract. 11. cap. 2. quæst. 3. Auila 2. p. cap. 3. disp. 1. dub. 6. Quia iam in vniuersum ostendi nullam censuram institutam esse à Christo, & nihil affertur ex scripturis, vnde necessariò colligamus, hæreticum esse excommunicatum, quamuis omninò ad mentem scripturæ Ecclesia inflixerit eiusmodi censuram hæreticis, vt obseruauit A Castro. cap. cit. quod enim Paulus cap. 3. ad Titũ iusserit hæreticum hominem post primam & secundam correptionem vitare, & Ioan. 2. cap. 1. ne quidem illum dignandum esse salute, non probat, quod intendunt Aduersarij, neque de censura agunt Apostoli, & quamuis agerent, inde colligeremus tantùm hanc hæreticorum excommunicationem esse institutionis Apostolicæ, non verò diuinæ, neque primum illud nos negamus, cùm enim hæc hæreticorum Censura sit omninò antiquissima, vt patet ex cap. sicut Apostoli 11. q. 3. quod ex Epistola 1. Fabiani desumptum est, & ex pluribus Canonibus Apostolorum non leuis coniectura est ipsos Apostolos eo fulmine perculisse hæreticos, si tamen vim verborum, quæ afferebant Aduersarij, præcisè attendamus, monent dumtaxat Apostoli vitandum hæreticum, propter periculum quod ex ipsorum commercio & sermone, qui vt cancer serpit, ingruit. Non illum verò excommunicant.

CONSECTARIVM II.

An Communicatio in sacris cum Excommunicato sit prohibita Iure diuino.

2. Reiiciendi sunt, qui aliquem effectum Censuræ volunt esse ex iure diuino, nam prohiberi illo iure communicationem in sacris cum Excommunicato existimat Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 1. n. 1. 2. & 3. Cosmas in Pragmati. Sanctio. tit. de Excommunicatis non vitandis. §. statuit. ℣. nisi. Felin. in cap. nulli de sententia Excommunicationis, eò quod in Euãgelio prohibeatur ea communicatio. Hinc colligit Couarr. solutionem vulgatæ quæstionis, An Pontifex possit veniam facere communicandi cum excommunicatis, quod nisi causa subsit, negat Panorm. in illud cap. nulli ex quo, & ex cap. 3. §. Excommunicatus. de priuilegiis id confirmat, sed non apposite, quia in his locis dicitur duntaxat exemptos & priuilegia habentes teneri vitare excommunicatum, nam etiamsi suo illo priuilegio eximantur à Iurisdictione Episcoporum, non tamen vt possint communicare cum excommunicatis ab ipsis. Quarè Couarr. ait Pontificem posse permittere communicationem politicam cum Excommunicato, non verò communicationem sacram, siue in sacris, eò quod vna communicatio prohibeatur tantùm iure Ecclesiastico, altera verò Iure diuino, in quo dispẽsare nequit Põtifex; poterit tamẽ eximere à pœna, & à minori Excommunicatione, quam infligit Ecclesia communicantibus cum Excommunicatis, nam etiamsi communicent cum illis in sacris ex venia Pontificis non incident in eam excommunicationem, peccabunt tamen, quod videtur quoque velle Felin. in cap. nulli cit. Immò ipsummet Pontificem non esse immunem culpæ, si cui excommunicato communicet in diuinis asserit ibid. Couarr. 5

Contraria tamen sententia omninò tenenda est cum Suar. disp. 2. s. 1. Auila. 2. p. cap. 3. disp. 1. dub. 6. Kon. disp. 14. dub. 2. Alteri. lib. 1. de Excommunic. disp. 3. cap. 2. quæst. 4. Hurtado disp. 2. de Excommunic. num. 4. Riccius l. 4. de Iure Persona. cap. 42. n. 6. Et sequitur manifestè ex nostra propositione, cùm enim Christus nullam censuram instituerit, vti diximus,

diximus, neque vllum etiam eius effectum definiuit, sed id totum arbitrio Ecclesiæ permisit, ipsa verò & Censurarum modum præscripsit, & certos illis effectus attribuit; neque aliud ferunt verba Christi Matth. 18. superius explicata, aut illa, quæ congerunt aduersarij ex variis locis Pauli & Ioannis, & sanè si quidpiam illa efficerent, ipsa quoque communicationem politicam excluderent, cùm vniuersalia sint, & communem salutationem, atque communia conuiuia prohibeant. Quarè verba Scripturæ sine causa ad solam communicationem in sacris restringebat Couarru. cùm æquè de cætera ciuili consuetudine loquantur, immò potius de illa videantur explicanda, vt verba & mentem Apostolorum id prohibentium expendenti constabit.

Deinde permissa fuit à Martino V. in Conc. Constantiensi, vt concedit Couarru. communicatio in sacris cum Excommunicatis non denuntiatis, neque notoriis Clerici percussoribus; ab iis enim sumi posse sacramenta concessum fuit: quæ constitutio etiam hodie in vsu est; quis autem dicat Pontificem & Concilium ea vniuersali sanctione sustulisse duntaxat pœnam & Excommunicationem minorem, quam ex Ecclesiastica lege incurrebant communicantes cum Excommunicatis, & liberam fecisse eam communicationem, si expers culpæ reddi non poterat; immò peccasset grauiter Martinus in condenda ea sanctione & vniuersalis Ecclesia in ea seruanda, quandoquidem iniqua omninò esset, cùm indicat ad peccatum, nimirùm ad accipienda sacramenta, atque etiam petenda ab Excommunicato non denunciato, cùm tamen neque excommunicatus illa ministrare, neque fidelis alius ea recipere posit absque peccato ex sententia Conarruuiæ: quandoquidem eiusmodi administratio & susceptio fieri non potest absque communicatione in sacris & diuinis siue Euangelica, vt ipse loquitur, quæ prohibita est Iure diuino, & in quo Pontifex nequit dispensare.

CONSECTARIVM III.

Excommunicatio est Iuris Ecclesiastici.

3 3. Reiicienda est extrema quædam alia sententia, quæ Excommunicationem, neque Iuris diuini, neque Iuris Canonici facit, eo quod tum apud Hebræos, tum apud Ethnicos ante exortam Religionem Christianam in vsu fuerit; quarè erit duntaxat Iuris cuiusdam humani etiam Ciuilis. Huic sententiæ videtur fauere Tiraquell. tractat. de vtroque Retractu. 1. P. §. 1. glossa. 9. num. 276. dum huius pœnæ originem & vsum à primis illis sæculis, & Græcorum Romanorumque moribus accersit potius, quàm à Paulo, vt Canonistæ & Theologi faciunt.

Verùm etiamsi non diffitear, apud veteres Iudæos fuisse quosdam Ritus qui nostram Excommunicationem adumbrarent, vti fusè prosequitur Robertus Arboricensis tom. 2. de vtroque gladio, theorema. 7. & eruditissimè ostendit Theophil. Raynaud. 2. P. de monitoriis cap. 9. toto. Non fuit tamen Iudæis in vsu nostra Excommunicatio saltem adæquatè secundum omnes effectus, quos continet, ac proinde malè dixit Polydor. l. 4. de Inuent. Rerum. cap. 12. ad finem eam manasse à Iudæis, & ad Christianos fuisse propagatam. Rationem reddunt Henriq. lib. 13. cap. 2. sub finem. Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 1. §. ad hæc. Sayr. lib. 1. Thesaur. cap. 4. quod potestas Excommunicandi pertineat ad claues, quas Iudæi Pontifices non acceperant. Quod si de adæquata potestate clauium asserant vlnò concedimus, neque enim Hebræi Sacerdotes gaudebant potestate aperiendi cælum, & soluendi peccata; si verò de potestate, quæ ad regimen illius Ecclesiæ necessaria erat tum ad dirigendum, tum ad coercendum sermo sit, eam omninò extitisse in veteri synagoga fatendum erit cum Suar. tom. 4. in 3. part. disp. 17. qui etiam lib. 6. de voto. cap. 9 num. 21. eidem tribuit facultatem laxandi vota & Iuramenta, eo quod vix sine eiusmodi potestate haberi possit apta gubernatio Ecclesiastica, qualis erat in synagoga diuinis temperata legibus, ex quarum præscripto Pontifex Aaronicus illi cum summo in Religionem imperio præficiebatur. Quidni igitur potuerit rebelles, quos damnatos pœna aliqua spirituali volebat, priuare communi cæterorum consuetudine, & communibus quoque suffragiis & orationibus, hoc est, ne pro illis ea fierent, & ne iisdem illi participarent, nam & aliquam apud ipsos fuisse Excommunicationem, quod obstinatis in suo scelere interdiceretur omni communicatione sacra & ciuili refert Delrio in cap. 1. Thren. ✠. 17. vbi & varias eorundem Excommunicationum species adducit, quod & accuratè præstitit Drusius lib. 1. qq. Hebraica. q. 9. vnde eiectionem à synagoga, cuius meminit Ioan. cap. 9. 22. & 16. pro immenso probro ducebant, vti exponit Cyrill. lib. 6. in Ioan. cap. 20. & Ioseph. lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. de Essenis agens. Non tamen propterea habent ante illi vsum Excommunicationis nostræ adæquatè sumptæ, non vulgaris enim illius effectus est, excludere à participatione communium satisfactionum, & thesauri, qui per indulgentias dispensatur, & arcere quoque ab vsu sacramentalium, in quibus communes, eæque non exiguæ diuitiæ continentur. Dispensatio verò thesauri ex exuberantibus satisfactionum reliquiis conflati nondum erat credita Ecclesiæ ante Christum, quia etiamsi iam esset aliquis eiusmodi thesaurus, vt ex Clem. 6. in Extrau. vnigenitus, optimè colligit Suar. tom. 4. 3. P. disp. 51. sect. 2. n. 18. nondum tamen dispensabatur ante Christum.

Quod postremò attinet ad Ritus Græcorum, aliarumque gentium, simulachra quædam fuerunt nostrarum Excommunicationum duntaxat, vt annotarunt Magallia. in cap. 6. Iosue. ✠. 17. ann. 1. & 2. Duaren. lib. 1. de sacris Ecclesiæ minist. cap. 3. Anastas. Germonius. lib. 1. de Immunit. cap. 12. Budæus annotat. post. in Pandectas. Ribaden. lib. 1. de Princip. cap. 33. atque ex illis aliisque pluribus Theophil. Raynaud eruditè pro more lib. 4. de virtutib. n. 302. Ex quibus tandem manet Censurarum institutionem propriam esse Ecclesiæ Christianæ, quod ex ipsarum diffinitione cap. 1. explicata liquido euincitur.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

In quo existat potestas instituendi & ferendi Censuras.

PROPOSITIO. *Solus Pontifex habet potestatem instituendi Censuras, ferendi verò omnis, qui gaudet Iurisdictione in foro contentioso. n. 1.*

Expositio & Confirmatio propositionis. n. 2.

Distinguenda est institutio censuræ ab eius impositione. ibid.

1. Pars propositionis de institutione Censuræ. num. 3.

Cur alicubi excommunicatus sit vbique vitandus. num. 4.

2. Pars propositionis. de impositione Censuræ. num 5.

Consectaria num. 6.

HAbemus in Ecclesia Christiana esse potestatem ferendi & instituendi Censuras: quærimus modo in quanam Ecclesiæ parte resideat ea potestas, quod ex iis, quæ dicta fuerunt alibi paucis perstringi potest: sit itaque

PROPOSITIO.

1 Solus Pontifex habet potestatem instituendi Censuras, Easdem verò iam institutas ferre potest omnis ille & solus, qui habet Iurisdictionem ordinariam vel delegatam in foro Ecclesiastico contentioso.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

2 Hæc Propositio vniuersalissima est & verissima, neque in controuersiam vocari potest vti ex eius expositione statim apparebit. Distinguo igitur Institutionem Censoræ ab eius impositione, & veluti applicatione, cùm aliud longè sit pœnam aliquã in Rempublicam inducere, aliud eam Reis infligere; atque vt aliquid minus dissitum à re nostra afferam, aliud est Sacramenta instituere, aliud ea ministrare; quandoquidem eorum institutionem non permisit Christus Ecclesiæ sed dispensationem duntaxat.

PRIMA PARS PROPOSITIONIS

De Institutione Censuræ.

3 Aio igitur 1. parte propositionis solum summum Pontificem posse instituere Censuras, quod etsi non inueniam, nisi à paucis assertum Suare nunirum disp. 2. s. a. n. 2. & Alterio lib. 3. de Excomm. disp. 7. cap. 1. Initio. Cæteri tamen non negabunt, cùm enim censuræ sint quidam ritus generales vniuersæ Ecclesiæ communes, & vbique eandem naturam ac effectus habeant ab illo solo institui poterunt, cuius erit in vniuersam Ecclesiam potestas, quod vni Pontifici tribuendum esse fides docet; Et sanè nullibi videmus alias Censuras præter tres vulgatas in vsu esse, quamuis diuersi fortassis ritus in illis ferendis seruentur, vbique tamen, vti monebam, eosdem sortiuntur effectus; Vnde à posteriori colligimus non modò singulis Episcopis non fuisse concessam potestatem inducendi nouas Censuræ species in vniuersam Ecclesiam, quod ex limitata ipsorum Iurisdictione, & intra certæ Prouinciæ limites circumscripta satis constat, sed neque id in suis priuatis diœcesibus posse, id eorum aliquando in tanta morum & regionum varietate præstitissent, cùm in cæteris omnibus, quorum libera cuique est institutio & obseruatio miram varietatem in diuersis Ecclesiis facilè fuerit obseruare; nimirùm cùm ea potestas instituendi nouas Censuras non sit necessaria ad gubernationem singularum Ecclesiarum, non fuit visum operæ pretium illam priuatis Episcopis permittere, sed vniuersali omnium Pastori totam relinquere, aut vindicare, vt etiam in præcipuis pœnis, quibus Ecclesiastica disciplina continetur, communio quædam & consensus esset inter Pastores diuersos, atque priuatas Ecclesias, quod in cæteris grauioribus non modò fidei, sed etiam morum & disciplinæ sacræ capitibus videmus, atque ita non sunt noua & diuersa sacramentalia in diuersis Ecclesiis instituta, nisi eo nomine significes singulas cæremonias, quæ in sacramenti cuiuslibet administratione vsurpantur, cùm aliud quidpiam ferat Sacramentalium vox, vt dicemus in scientia canonica.

Ex quibus soluitur vulgaris quæstio, qua ratione nimirùm Episcopus particularis quempiam excommunicans possit eius consortio interdicere omnibus fidelibus, qui eius subditi non sunt, & cur ille excommunicatus non possit extra sui Episcopi territorium cum fidelibus alterius diœcesis communicare, iam enim ostendimus q. superiori hanc prohibitionem communicationis inter Excommunicatum & alios fideles non oriri ex iure diuino: Quarè respondent aliqui eam communicationem non posse prohiberi ab Episcopo, nisi suis subditis ex natura & vi propriæ Iurisdictionis, extendi tamen ad reliquos fideles ex potestate sibi facta à Pontifice, cuius in ea causa vices gerat ex tacita saltem concessione & continuo vsu Ecclesiæ, quæ videtur fuisse mens Scoti in 4. d. 19. quæst. 1. a. 5. eius tamen Pontificiæ delegationis nullũ vestigium habemus in Iure quod sæpiùs muneris Episcopalis esse asserit Excommunicationẽ aliasque censuras eo prorsus modo, quo in Ecclesia vigent ferre, vbi autẽ est munus ordinariũ, remouetur omnis delegatio. Ratio igitur huius potestatis Episcopalis est, quod ipsi non instituant censuras, sed ferant, si enim instituerent, non possent efficaciter interdicere fidelibus sibi non subditis consuetudine cum suo subdito excommunicato, sed quia ista censura cum prohibitione communicationis instituta fuit à Pontifice, cuius potestas ad vniuersam Ecclesiam pertinet, fit, vt cùm priuati Episcopi Excommunicationem infligunt, ea suos effectus vbique habeat non ex potestate Episcopi illam ferentis, sed ex natura sua & institutione, vti aduertit Suar. disp. 18. neque alia mens est Maior. in 4. d. 18. q. 4. & Gabriel. ibid q. 3. litt. 4

SECVN

SECVNDA PARS PROPOSITIONIS

De Impositione Censuræ.

5 Altera parte Propositionis dixi eum omnem & solùm, qui habet Iurisdictionem Ecclesiasticam in foro contentioso posse validè ferre Censuras. Suppono autem ex alibi dictis, quid sit potestas ordinaria & quid delegata, & in quibusnam resideat ordinaria, atque etiam quibus possit committi delegata. Suppono denique varios modos quibus potest acquiri ea Iurisdictio siue præscriptione & consuetudine, siue qua alia ratione. Manifesta verò est nostra propositio ex eo, quod non possit imponi pœna, nisi à legitima potestate, & cùm illa pœna sit fori externi, in eo quoque debet habere Iurisdictionem, qui eam infligit.

CONSECTARIA

Hinc colliges Episcopos etiam non initiatos, modò sint confirmati posse Excommunicare, quia potestas est Iurisdictionis, non ordinis, quod idem de Archiepiscopis, Cardinalibus in suis titulis & Parochiis, de Capitulo sede vacante, de Vicario generali Episcopi, de Abbatibus, Prouincialibus, Generalibus, & superioribus immediatis Religiosorũ ordinum dicendum est, quia in his omnibus est iurisdictio ordinaria in foro externo; quod de quibusdam quoque Archidiaconis, & Archipresbyteris, siue ex Iure, siue ex consuetudine certum est, quæ omnia liquent, disputatis de Iurisdictione alibi sicut de legato à latere, & aliis eiusmodi.

Colliges 2. Parochum Iure ordinario non posse Excommunicare, quia non habet potestatem in foro externo sed interno tantum vt diximus l. c.

Colliges 3. Neque Clericum Coniugatum, neque laicum, neque Moniales posse excommunicare, cùm hi omnes careant Ecclesiastica Iurisdictione, immò neque capaces sint, quibus ea delegetur ex Iure saltem ordinario, quamuis ex plenitudine potestatis Pontificiæ delegatio huius Iurisdictionis facta laico aut fœminæ non repugnet, vti statuebamus eo loco, quæ inutiliter repetere non placet.

QVÆSTIO III.

Quis sit validus & legitimus vsus potestatis ferendi censuras.

Nihil ferè est singulare potestati ferendi censuram, sed omnia communia sunt cum aliis actibus iurisdictionis Ecclesiasticæ in foro externo, quæ satis superque explicata fuerunt loco nuper citato. Itaque quæ pertinebunt ad vsum huius potestatis infligendi censuras indico duntaxat.

PROPOSITIO.

Ad validum vsum potestatis ferendi censuras requiritur imprimis potestas libera & expedita, & deinde vt eius actio sit humana & voluntaria. Ad legitimum autem & iustum eiusdem potestatis exercitium exigo, ne quid contra prohibitionem suscipiatur, causa sit iusta, & finis honestus, aliaque adiuncta prudentis & studiosæ actionis ponantur. 1

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Distinguo validum vsum à legitimo, cùm vt sæpius dictum fuit, multa validè fiant, quæ tamen iusta non sunt. 2

PRIMA PARS PROPOSITIONIS

De valido vsu potestatis ferendi Censuram.

Ad validum autem alicuius potestatis vsum duo sunt omninò necessaria, primum est, vt potestas non sit impedita eo impedimento, quod vel ipsam potestatem exscindat, vel eius conatum inanem & inefficacem reddat, quædam enim sunt impedimenta, quæ prohibent duntaxat actum, factum tamen minimè irritant, vti suo loco fuit expositum.

Redditur autem 1. inutilis potestas ferendi censuras per reseruationem superioris, quod in aliis quoque contingit, quoties potestas & Iurisdictio alicuius subordinatur alicui superiori, qui illam restringere potest, quod in Hierarchia Ecclesiastica certum est accidere ex loco citato. 3

Idcircò quaui ex antiquo Iure communi possint omnes, quos enumeraui q. proxima ferre censuras, ex Tridentini tamen decreto sess. 25. cap. 3. de Reformation. soli Episcopi monitoria & Excommunicationes illis annexas ad finem restitutionis & reuelationis concedere possunt, Reipsum enim omnium potestatem hac in parte Concilium restrinxit. Sapientissimè omninò, ne nimia facilitate imperandi eiusmodi monitoria molliretur disciplinæ Ecclesiasticæ vigor, & gladius Apostolicus hebesceret, præscinderetúrque vis plurimis incommodis, quæ ex crebra Monitoriorum concessione suboriri posse iam aliquoties monuimus. 4

Quare

5 Quarè Prælatos ordinarios etiam exemptos Episcopo inferiores & immediatè subiectos sedi Apostolicæ, ac nullius diœcesis non posse hæc monitoria concedere, atque illorum subditos, si quando ea velint impetrare, interpellare debere sedem Apostolicam ad obtinendas excommunicationes in forma significauit; existimant Vgolin. de officio Episcopi cap. 45. sub finem. Garcias. 5. P. de Beneficiis. cap.8. num. 95. Barbosa alleg. t.96. de Potestate Episcopi. num.12. qui ita decisum fuisse à Congregatione Concilij decreta interpretante refert. Contrarium docuit Suar. disp. 20. de Censu. s. 1. numero 2. & Lazari. sect.1. de Monitoriis. q.8. non satis fortassis sibi ipsi consentiens, propterea, quæ dixerat q.4. numero 7. Cutch. Conc. q.37. litt. E. Qui omnes dicunt Prælatos exemptos habentes Iurisdictionem quasi Episcopalem posse concedere talia monitoria, cùm Concilium voluerit tantum suo decreto excludere Iudices Episcopo inferiores, illique subordinatos, cuiusmodi sunt visitatores, Archipresbyteri, & aliqui Archidiaconi; neque sane vllum verbum est in ea Synodi Constitutione, ex qua quidpiam amplius colligatur, aut antiqua istorum Episcopalem Iurisdictionem habentium priuilegia restringantur, fintque satis ad Institutum synodi ad eos tantum, qui sublimi illa potestate pollent, hanc vindicare potestatem, quam cæteris omnibus sustulit.

6 Vnde sequi videtur Prælatos Regulares in subditos suos eiusmodi monitoria dirigere posse, contrà quam sentiant Roderiq. tom.2. qq. Regular. qu. 59. a. 4. Barcola allegat. 96. citata, numero 13. Miranda tom. 1. manual. Prælato. qu. 35. a. 12. nam Concilium liberam Regularium gubernationem non restringit eo loco, & de Iudicibus, Episcopis inferioribus agit. si tamen alicubi illi Prælati maiores vt generales & Prouinciales habeant Iurisdictionem Episcopalem in suos subditos, illi soli poterunt ea monitoria concedere ex mente Concilij, neque aliud probant peculiares ordinationes, quas Roderic. & Miranda referunt. Quarè Lazari. sect.1. qu. 8. & Graff. consil. 6. de Excommunic. numero 11. negant hoc decreto Priorem conuentus comprehendi, supponunt enim habere illum, authoritatem quasi Episcopalem; certum quidem est nomine Episcopi in eo Tridentini decreto intelligi Prælatos Episcopo superiores, legatum nuntium & Nontium Apostolicum, qui Vicarij sunt Pontificis, & amplissima Iurisdictione intra suæ legationis aut nuntiaturæ limites potiuntur. Itaque sentiunt Gutierr. lib.1. qq. Canonic. cap. 11. numero 5. Barbosa. allegat. 96. numero 11. Vgolin. & alios allegans. Idem dicendum quoque esse de Archiepiscopo, ad quem dum Episcopus recusat has litteras, liceat appellare existimat Quaranta in Bullario. V. Archiepiscopi authoritas, authoritate 19. & Barbosa. allegat. cit. numero 9. numero 21. addit cum Nauarr. Consili. 11. de officio ordina. eandem appellationem ad Metropolitanum interici posse, quoties terminus monitorio præfixus ab Episcopo, angustior est, quam negotij natura postularet.

7 Tota igitur difficultas hoc loco restat circa Vicarium generalem Episcopi, an scilicet indigeat speciali mandato & commissione Episcopi ad concedenda monitoria ad finem reuelationis & restitutionis vi huius Decreti Tridentini hanc concessionem soli Episcopo reseruantis, per verba fortia enixa & geminata, vt aduertont Vgolin de officio Episcopi. cap.45. in princ. Narbona. de Appellatione a Vicario ad Episcopum, parte 1. numero 205. Sayr. in clauì. lib. 9. cap. 15. numero 21. quibus fauent omninò aliquot declarationes Congregation. Cardinal. quas refert Garcias. 5. p. de benefic. cap.8. numero 91. Verius tamen existimant ibidem Garc. numero 94. & sibi ipsi non satis consentiens Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 9. numero 33. Sbrozzius de Vicario Episcopi lib. 2. qu. 43. numero 29. Henriq. lib. 13. cap. 17. numero 4. Gutierres. lib. 1. qq. Canonic. cap. 11. numero 8. Suar. disput. 20. de Censu. s. 1. numero. 2. Auila. cap. 2. dub. 2. 2. Pa. Lazari. sect. 1. qu. 6. numero 1. Sanchez lib. 3. de Matrimon. disputat. 29. numero 16. aliique non pauci, quos allati DD. allegant. Cùm enim hæc potestas pertineat ad Iurisdictionem ordinariam, quam Vicarius generalis habet, vnde est vnum & idem tribunal ipsius & Episcopi, cap. 2. de Consuetudine in 6. & cap. Romana, de Appellat. in 6. neque ab vno ad alium appellatur; nomine Episcopi intelligitur etiam Vicarius generalis, nisi quidpiam addatur, quo significetur excludi Vicarium, & Episcopum debere agere per seipsum, & non per Vicarium generalem, vt plurima annotant apud Garciam. cap. 8. cit. numero 51. & 52. In hoc autem decreto Tridentini nulla est eiusmodi clausula exclusiua Vicarij generalis, & iubens, vt Episcopus per seipsum concedat ista monitoria; declarationes verò Congregationis Cardinalium, cùm sint sibi ipsis contrariæ in hac parte, vt videlicet apud Garc. num.97. nos morari non debent, quanquam & alias solutiones referunt Auila & Gutierr. locis citatis.

Neque etiam placet, quod aliqui requirunt absentiam Episcopi a Diœcesi, vt Vicarius vtatur sua potestate concedendi monitoria, quia vicarius potest etiam præsente Episcopo munus exequi, nisi circa ea quæ nominatim excipiuntur, aut quæ reuerentia Episcopo debita non patitur fieri eo præsente absque speciali mandato, vti obseruat Rebuff. in praxi beneficio. 1. P. tit. de Vicariis Episcoporum &c. numero 187.

Hinc fit, vt cùm tota Iurisdictio Episcopalis transeat ad capitulum sede vacante. cap. cùm olim. de Maiorit. & obedientia, & latè prosequitur Franc. Panin. in peculiari tractat. de potestate Capituli sede Vacant. 1. P. in princip. qu. 1. & 2. & Tusc. con. 56. litt. C. atque in ea facultate sit excommunicandi potestas poterit quoque non modò capitulum tunc litteras monitoriales, de quibus agimus, concedere, sed etiam vicarius generalis ab ipso constitutus, vti tradunt Gutierr. cap. 11. cit. n. 9. Barbosa. allegat. 86. n. 10. & alij. 8

Circa hanc eandem restitutionem potestatis ferendi Censuras quæritur 1. an Episcopus aliusve Prælatus capitulum habens possit absque eius consensu interdicere clericos, id enim prohiberi videtur cap. 1. de Excessib. Prælato. facit quoque in eam rem cap. Nouit. & cap. Quando. de his quæ fiunt à Prælatis sine consil. capitu. & cap. cùm in cunctis; de his quæ fiunt à mai. part. capit. 9

R. Omissis horum iurium expositionibus, quas accuratè collegit Sayr. lib. 5. Thesau. c. 10. num. 19. nullum Prælatum habentem capitulum posse absque

eius consensu spectato Iuris rigore, quod in allatis capitibus euidenter expressum est, interdicere clericos, quanquàm id possit circa laicos; vsu tamen & contraria consuetudine derogatum fuisse illi Iuri atque interdictum etiam in clericos latum absque Capituli consensu validum haberi & existere. Ita tradit gloss. in cap. 1. de Excessib. Prælato. ℣. capituli. Atque ibidem Pano. Calderin. tract. de interdicto. mem. 3. n. 54. Vgolin. tabula. 5. de Censur. cap. 1. §. 1. Sayr. lib. 5. cap. 10. n. 20. & Suar. disp. disp. 36. s. 1. n. 6.

Capitulum verò sede non vacante nequit absque Prælato suo quemquam interdicere, ex cap. Quæsiuit. De his quæ fiunt à maio. part. capit. nisi priuilegio sedis Apostolicæ id habeat, vt ait Sayr. cap. 10. cit n. 23. aut longo vsu & consuetudine eam ab ordinario independentiam in hac parte præscripserit, quod concedunt Couarr. in cap. Alma Mater. 2. p. §. 2. num. 6. Henriq. lib. 13. cap. 51. n. 2. Auila 5. P. disp. 2. dub. 1. con. 2. Suar. disp. 36. s. 1. n. 5.

Quæres 2. de Prælatis Regularibus, an sibi subditos religiosos, & loca suæ Iurisdictioni subiecta interdicere possint.

10 ℟. Ex Iure id posse: consuetudine tamen imminutam esse eorum potestatem, saltem quod interdictum locale, nisi aliquam Iurisdictionem habeant in plebem ipsam, quod tradunt Henriq. lib. 13. cap. 24. num. 3. & cap. 52. num. 1. Sayr. lib. 5. cap. 10. num. 22. Layman. lib. 1. tract. 5. pa. 4. cap. 4. num. 1. Hurtado. disp. de interdicto. diffic. 14. Bonac. disp. 5. de Censu. p. 1. num. 2. Filliuc. tract. 18. cap. 1. q. 7. Suar. disp. 36. s. 1. num. 2. Non placet tamen quod addunt Henriq. & Sayr. Prælatos Regulares, qui carent Iurisdictione in laicos non posse suos Religiosos nisi partiali Interdicto interdicere, v. gr. prohibere, ne diuinis intersint, aut Confessiones audiant, nam nulla apparet ratio negandi potestatem ferendi Interdictum tale personale, quam in istis Prælatis cæteri DD. agnoscunt, & solùm interdictum locale ab illis imponi posse nolunt.

2. Impeditur potestas ferendi Censuram per aliam Censuram, cùm Excommunicatus & suspensus careant Iurisdictione, aut certè ligatam

11 habeant, quod explicatum fuit alibi.

3. Impeditur eadem potestas per interiectam appellationem, verùm de appellatiotibus alibi, hoc ipso tractatu sequenti disq. 8. plura traduntur.

4 Tollitur potestas cessatione, siue ex morte, siue ex mutatione muneris, siue alia ex causa, vti fuit alibi dictum; neque enim hoc loco quidquam singulare est.

Alterum quod requirebant ad validum vsum potestatis excommunicandi ferendique alias Censuras, erat, vt ea actio humana sit, hoc est voluntaria, & cum intentione vtendi sua potestate, quæ ex principiis vniuersalibus circa vsum Iurisdictionis eo loco traditis satis explicata manent, vbi etiam disputauimus, an gesta per metum valeant, tum in foro externo, tum interno; quandoquidem metus non tollit simpliciter voluntarium, & facit tantùm inuoluntarium secundum quid.

SECVNDA PARS PROPOSITIONIS.

De vsu legitimo potestatis ferendi Censuras.

2. Parte propositionis indicaui conditiones re- 12
quisitas ad iustum & legitimum vsum potestatis infligendi Censuras, quæ sunt illæ ipsæ, quas ad æquitatem Censuræ requirebam disq. 1. & quas toto isto tractatu variis locis explicamus, & quæ in aliis quoque actionibus externis, vt prudenter & honestæ fiant, necessariæ sunt; quarè in illis singillatim explicandis immorari minimè visum est.



DISQVISITIO IV.

De causa subiectiua Censuræ.

HOc etiam Caput ex principiis generalibus alibi stabilitis paucis perstringi poterit; Quarè omnes conditiones subiecti Censuræ ad duas reuoco, nimirùm subiectionem respectu ferentis Censuram, & capacitatem Censuræ, quæ fertur

---

QVÆSTIO I.

De subiectione eius, in quém ferri debet Censura.

PROPOSITIO. *Solus subiectus in foro contentioso feriri potest Censura à suo superiore. n. 1.*

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS. n. 2.

Confect. 1. An aliquis in seipsum sententiam ferre possit. n. 3.

Confect. 2. Æqualis nequit æqualem aut superiorem excommunicare. n. 4.

Confect. 3. Romanus Pontifex à nullo excommunicari potest. n. 5.

Confect. 4. Non Baptizatus excommunicari nequit n. 6.

Confect. 5. An defuncti possint ligari Censuris. n. 7.

Quid efficiat circa mortuum Censura. n. 8.

Quomodo absolutio cadat in mortuum. n. 9.

HÆc est prima conditio earum, quas in subiecto Censuræ capaci requirebamus, quam vnica propositione comprehendo.

Pro-

PROPOSITIO.

1 Dico eum omnem & solum, qui alicuius superioris Ecclesiastici Iurisdictioni in foro contentioso subiicitur, Censuræ Ecclesiasticæ ab eodem superiore percelli posse.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO Propositionis.

Hæc propositio vniuersalissima nullam patitur difficultatem, & ex hactenus disputatis necessariò sequitur, cùm enim censura sit actus Iurisdictionis, vt constat ex disq. superiori, atque ex eius propria natura & diffinitione, pœna enim non imponitur nisi ab habente legitimam potestatem, subditum necessariò requirit, in quem Ius dicatur. Denique quia censura fertur vel lege & statuto, vel sententia Iudicis, lex autem non sancitur nisi in subditum, neque Iudex sententiam pronuntiat in illum, in quem nullum imperium aut Ius habet. Atque ita glossa & DD. vnanimi consensu statuant in cap. Romana. & cap. à nobis, de sententia Excommunic. In re igitur adeò perspicua pluribus immorandum non est: Moneo duntaxat, vsque adeò sententiam Excommunicationis in non subditum intortam nullam esse, vt quamuis deinde à proprio Iudice rata habeatur, non proptereà tamen valida reddatur, quod enim ab initio nullum fuit, nunquàm ratum haberi potest: Itaque opus omninò erit noua sententia proprij Iudicis, quæ non sit tantùm declaratoria, aut confirmatoria prioris, quæ nulla fuit. Quæ est mens omnium DD. in cap. Prudentiam de officio & potest. Iudic. deleg.

CONSECTARIA.

Plurima porrò ex hoc principio vniuersalissimo colligere facilè fuerit.

CONSECTARIVM I.

An aliquis in seipsum sententiam ferre possit.

3 1. Enim nemo in seipsum Censuram ferre potest. Ita DD. cum glossa in cap. Quoties 1. q. 7. quia nemo sibi ipsi superior est, aut Iudex, aut in seipsum vim coactiuam habet: Et cap. 2. 4. q. 4. prohibetur ne idem sit actor & Iudex. Quarè si Episcopus ferat legem aliquam interminata Excommunicatione illam violantibus, siue teneatur eâ lege, siue non; qua de re diximus alibi, non incurret pœnam, quam ipsemet imposuit, ne idem Iudex sit & superior in seipsum, vt obseruauit Panorm. in cap. 1. de Raptorib. n. 12. in cap. vniuersitatis de sententia Excommunica. n. 13. Hostiens. in sum. tit. de sententia Excommunic. §. quis valeat Excommunicari. Ioan. Andr. in cap. cuilibet. de Regulis iuris in 6. Anchara. Repeti. in cap. Canonum statuta. de Constitutionibus. num. 176. & latè Sylu. ✠. Excommunicatio 1. num. 9. contra Archidiaco. & alios quos ibi refert, qui contrarium asserunt, & Episcopum non modò ligari excommunicatione à seipso lata malè opinantur ex eo quod excommunicatio feratur ab Episcopo authoritate Papæ, ac proinde possit ligare Episcopum ferentem, qui neque seipsum, neque alium dispensare potest contra propriam constitutionem, nisi ipsammet constitutionem annullet. Quæ omnes rationes inanes sunt, vt eruditè ostendit Sylu. eo loco, falsum enim est, sententiam ab Episcopo prolatam ex sua potestate ordinaria esse Papæ sententiam, quasi eius duntaxat authoritate fiat.

Falsum quoque est, non posse Episcopum dispensare contra suam propriam constitutionem, eamque ad libitum tollere, vt aduertit Innoc. in cap. cùm ad Monasterium. de statutis Monacho. Et sanè si factam à se legem Episcopus tollere potest, cur non poterit eam ex parte abrogare, aut potiùs eius effectum circa vnum aliquem suspendere, quæ est argumentatio Syluestri loco citato. si igitur Episcopus excõmunicet omnes, qui luserint alea, ipse non tenebitur ea Excommunicatione.

Quæritur tamen, an qui cum Episcopo luserit, immunis quoque sit ab Excommunicatione, quandoquidem iste actus est indiuiduus, & non potest nisi à duobus committi. Sanè si rigidè loqui placeat, damnabimus ludi huius socium, violatæ legis, atque obnoxium dicemus pœnæ impositæ, neque enim nouum est in actu inseparabili, qui à duobus indiuisibiliter fit, vnum peccare, & non alterum, vnum puniri, & alterum immunem manere; vnde illud Aug. lib. 1. de Ciuitat. cap. 18. de violenta Lucretiæ oppressione disputantis, duo fuerunt, & vnus adulterium admisit, sic qui scienter eligunt indignum, puniuntur, excusantur autem ignorantes. cap. scriptum. de Election. etiamsi actus electionis ab omnibus Electoribus simul & indiuisibiliter fiat. Quarè Ioan. Andr. in cap. cuilibet. de Regulis iuris in 6. & Ancharan. Repeti. in cap. Canonum statuta. de Constitutionib. n. 183. damnant istos omnes & Excommunicationem incurrisse volunt. Neque iura quæ in contrarium afferuntur, vt ostendatur exemptionem & priuilegia vni concessa, extendi ad socium. cap. licet. de priuilegiis in 6. quidquam vrgent, quia Episcopus in hoc casu non eximitur excommunicatione per priuilegium, quod à superiore concedi deberet, sed ex natura rei, quæ postulat vt nullus habeat vim coerciuam in seipsum, ac proinde vt non obligetur legibus pœnalibus, quas propria authoritate fert, quando autem dispensatur cum aliquo, vt quidpiam faciat contra legem, rectè etiam intelligitur, dispensatum esse cum socio eiusdem actionis, maximè si à duobus indiuisibiliter fiat, aut si non soleat fieri nisi cum socio, aut denique si præsumatur non esse faciendum nisi cum socio. Atque ita cap. Quod in te. de pœnit. & remissionib. qui eximitur ab interdicto eximitur cum suo socio, & cap. cùm nullus. de tempotib. ordinand. in 6. conceditur Episcopis, vt possint Priores Regulares non exemptos ordinare in suis diœcesibus, quod ad eorum quoque socios extenditur; Verùm in te, de qua loquimur, nullus est locus dispensationi, aut priuilegiis ratione Episcopi non incurrentis Censuram à se latam.

Quia tamen videtur Episcopus, dum prouocat alium ad violandam legem à se latam, cum eo dispensare, existimârim illum non incurrere Excommunicationem, quandoquidem illa dispensatio valida est, etiamsi fortassis iniusta sit, in eaque concedenda peccet Episcopus, haberi verò sufficientem coniecturam tacitæ dispensationis in eo Episcopi facto, ex eo mihi persuadeo, quod nisi Episcopus dispensare vellet in sua lege cum suo collusore, ipsemet incurreret Excommunicationem minorem

cōmunicando cum excommunicato, nam etiamsi nullus incurrat in censuram à se ipso latā, occasione tamen illius censuræ potest deinde ipsemet in aliam incidere, vt si celebret in Ecclesia à se interdicta, antequàm sublatum fuerit interdictum, fiet irregularis, vt obseruauit Vgolin. cap. 2. §. 8. & nos dicemus inferius; & quanquàm prohibeatur tantùm communicatio cum excommunicato denuntiato, & non tolerato, qualis non est iste socius aleæ sub censura prohibitæ, verisimile tamen non est Episcopum velle ipsum incurrere pœnam tam grauem, si secum ludat; Itaque dispensare in sua lege crediderim.

Quod dixi de Episcopo non obnoxio censuræ à se latæ, dicendum quoque est, de Capitulo, aut Collegio, quod cùm sibi ipsi subditum non sit, neque in se ipsum habeat iurisdictionem, non poterit in seipsum ferre censuram, qua nimirùm ipsa communitas & Collegium innodetur, poterit tamen in singulas personas, ex quibus coalescit, sancire, pœnas statuere, atque adeò censuras decernere, totum enim in operare potest parti, illamque obligare ad aliquid, atque etiam ad id præstandum cogere, quod tradunt omnes passim DD. in cap. irrefragabilis, de officio ordinarij.

Limitandum porrò est hoc corollarium ad ferentem censuram, non autem denuntiantem, aut promulgantem à superiore latam, eâ enim non eximitur; Quarè si Episcopus excommunicationem à Pontifice latam contra furantes aut ludentes promulgaret, in illam incurreret, si vel furaretur, vel luderet ludo per eam legem prohibito, quia tūc esset distinctio inter ferentem censuram, & incurrentem illam; vt Bonac. & alij ab ipso relati disp. 1. de cens. q. 1. p. 4. n. 14. rectè monent.

CONSECTARIVM II.

Æqualis non potest excommunicare sibi æqualem aut Superiorem.

4 1. Neque æqualis ab æquali, neque Superior ab inferiori poterit excommunicari, cùm par in parem non habeat imperium, cap. innotuit de electione in 6. Quarè si Episcopus quidpiam prohibeat interminata excommunicatione, in illam non incidet eius metropolitanus, aut alius ipsi æqualis contra Archidiaco. & alios nuper relatos, qui volunt Superiorem ligari posse ab inferiore, quando in eius iurisdictione deliquit, putantque se id colligere ex cap. placuit 6. qu. 3. sed omninò ineptè, nam in cap. placuit, tantùm habetur subditum unius Episcopi, posse excommunicari ab altero Episcopo in causa furti, in eius nimirùm iurisdictione aut diœcesi commissi, qua de re dicemus inferius: inde tamen inutiliter colligere volunt, æqualem aut Superiorem ligari posse censura lata ab æquali aut inferiori; quod verò illi DD. dicunt id verum esse, quando superior delinquit in iurisdictione inferioris, negandum est, nisi ille Superior peccauerit intra diœcesim, vel ditionem alterius contra legem ab alio quodam vtrisque Superiore sancitam, & in illius inferioris iurisdictione promulgatam, aut nisi ille vel Superior, vel æqualis ratione delicti commissi in alterius iurisdictione fiat ipsi subditus & inferior, quod fieri poterit, quando sunt Superiores vel æquales in gradu tantùm & dignitate, sed in diuersis territorijs & iurisdictionibus, vt loquuntur, sic Archiepiscopus est quidē Superior dignitate quolibet Episcopo etiam non suo suffraganeo, & omnes Episcopi sunt pares dignitate, vnusquisque tamē in suo territorio suam potestatem exercet. Nos verò hactenùs loquuti sumus de inferiori & superiori in iurisdictione circa eosdem subditos, vti se habent Archiepiscopus & Episcopi eius suffraganei, nam aliquam iurisdictionem habet Episcopus in tota Prouincia, cuius est metropolites, aliquando etiam fit, vt duo in eodem territorio habeant parem & æqualem iurisdictionem. Negauimus autem Superiorem ab inferiore, aut æqualem ab æquali in iurisdictione censuris innodari & excommunicari posse, cùm par in parem, aut inferior in superiorem non habeat imperium, aut vim coarctiuam, neque Superior, aut æqualis illi fiat inferior ratione delicti commissi in iurisdictione sibi inferioris, aut æqualis, quandoquidem ipse ibidem vbi deliquisse dicitur, aut maiorem, aut æqualem iurisdictionem habeat. Quandò verò tota ista superioritas, vel æqualitas sumitur tantùm ratione dignitatis, & gradus, & non iurisdictionis circa idem territorium, eosdemque subditos, nihil repugnabit aliquem æqualem, aut etiam Superiorem dignitate in aliena diœcesi & iurisdictione peccantem fieri subditum alterius æqualis aut inferioris dignitate: atque ita Episcopus delinquens in diœcesi aliena tenetur excommunicatione generali lata ab Episcopo eius diœcesis, vt fatetur Henriq. lib. 13. cap. 25. n. 3. Angelos, ℣. excommunicatio 1. n. 12. & Alteri, lib. 3. disp. 10. cap. 5. dubitatione 1. sub finem; & Abbas in cap. sanè 2. de officio delegati, & in cap. 1. de raptorib. ait Episcopum delinquentem in diœcesi aliena puniri posse ab Episcopo illius diœcesis. Idem de Archiepiscopo delinquente in territorio Episcopi non suffraganei, dicunt Archidiac. & Domini. in cap. 1. 3. q. 6. & Petrus Anchar. Repeti. in cap. postulasti de foro competenti in 6. opposit. & in Clem. 1. eod. titul. in primo notabili, vbi asserit quemcunque Archiepiscopum in diœcesi Bononiensi delinquētem posse puniri ab Episcopo Bononiensi. Denique Iuristæ omnes consentiunt quemlibet Iudicem in suo territorio maiorem esse altero.

CONSECTARIVM III.

Romanus Pontifex à nullo excommunicari potest.

Colliges 3. Romanum Pontificem à nullo excommunicari aliaue censura affici posse, cùm nullum in terris habeat Superiorem, sed ipse vnus plenitudinem potestatis Ecclesiæ possideat, vt dictum fuit alibi, neque excipiendum est crimen hæresis, in quod si incideret Pontifex, non proptereà tamen in excommunicationem latam à iure incideret, vt fusè docet Caietan. tract. de authoritate Papæ & Concilij, c. 10. 19. & 20. Nau. c. 27. n. 13. in c. nouit. de iudic. notab. 3. n. 78. & 142. Bellarm. lib. 2. de Pont. c. 12. & 30. atque alij contra Antonio. 3. p. tit. 24. c. 73. §. 1. & Tabienam, ℣. excommunic. 4. 0. 1. vbi ait in causa hæresis excommunicari & deponi posse, c. si Papa dist. 40. sed alium esse sensum Bonifacij Martyris, cuius eo cap. verba referuntur, alibi diximus. Et Bonifacius non faceret legem vniuersalem, etiamsi diceret id ipsum, quod intendunt Aduersarij. 5

CONSE

CONSECTARIVM IV.

Non baptizatus excommunicari nequit.

6 Colliges 4. Non baptizatum, siue fidelis & catechumenus, siue infidelis sit, excommunicari non posse, cùm non sit subditus Ecclesiæ, quæ non iudicat de iis, qui foris sunt, teste Paulo, & cap. gaudemus de diuortiis; Quarè Pontifex iubet cap. postulasti. de Iudæis. Iudæum, qui Clericum percusserat, pecunia mulctari, non excommunicatione, si tamen parere neglexerit, & satisfacere parti læsæ, omnibus Christianis interdicit commercio cum ipso, intentatis alioquin censuris Ecclesiasticis; quæ Excommunicatio, vt vides, & obseruauit ibid. glossa. ✠. Christianis, non cadit directè in Iudæum, sed impropriè admodum & indirectè, est tamen pœna redundans in Iudæum, qui detrimentum patitur, ex eo quod Christianis inhibitum sit cum illo celebrare commercia. Quæ similes pœnæ habentur. cap. Iudæi. 2. eod. tit. & cap. post miserabilem. de vsuris. & cap. Quanto. eod. tit. quibus locis coguntur per censuras Christiani abstinere à Iudæorum consuetudine in pœnam ipsorummet Iudæorum; immò etiamsi ad commune bonum religionis, & sacrorum reuerentiam prohibeat Ecclesia directè infidelibus adesse sacris, aut habitare cum fidelibus, hæ pœnæ non erunt censuræ Ecclesiasticæ propriæ, & de quibus hoc tractatu disputamus, vt ex ipsarum natura disq. 1. explicata satis constat.

Atque hinc fit vlterius, vt fideles non teneantur vitare infidelem notorium Clerici percussorem, nisi id ipsi ab homine sub noua censura prohibeatur, quia ille percussor reuerà excommunicatus non est, vti docet Suar. disp. 5. sect. 2. n. 14.

Excludebam in Corollario à Iurisdictione Ecclesiastica Catechumenum, qui etiamsi fidelis sit, atque etiam per contritionem & charitatem sanctificatus, nondum tamen est subditus Ecclesiæ, quarè neque ab illa plecti poterit, & Censuris innodari contra quam Archidiacon. in cap. eos. de Consecrati. dist. 4. & aliqui alij Canonistæ ipsum sequuti censuerint; vnde etiam non potest lucrari indulgentias contra Nauarr. in Comment. de Iubilæo in Explicatione Bullæ Gregorij XIII. n. 10.

CONSECTARIVM V.

An defuncti possint ligari Censuris.

7 Colliges 5. Defunctos non posse propriè & directè excommunicari quoad se, sed indirectè tantùm, impropriè, & quoad alios quosdam fideles.

Qua distinctione concilio dissidentes sententias, nam glossa in cap. si quis de hæreticis. ✠. post mortem. & in cap. Iudæi. 2. de Iudæis ✠. permittatur. Panormit. in cap. si quis citat. Roman. in singula. 735. dicunt excommunicari mortuos in crimine hæresis, & quibusdam aliis, idem sentire videntur Richard. in 4. d. 18. a. 5. quæst. 4. & Gabriel ibid. ead. dist. quæst 2. a. 2. conc. 5. corolla. 4. Cæteri verò omnes tum Theologi, tum Canonistæ negant mortuum feriri excommunicatione, vt referunt A Castro lib. 2. de Iusta hæreticorum punitione. cap. 19. & 20. Couarru. in cap. Alma mater. 1. P. Relectio. §. 11. num. 8. Nauarr. cap. 27. num. 13. & 271. Sylu. ✠. Excommun. 1. n. 7. Ioan. de Lignano. tit. de Censuris. §. 9. num. 2. & 3. Tabiena. ✠. Excommunicatio. 4. num. 1. quem in contrarium falsò allegat Alteri. lib. 3. de Excommuni. disp. 10. cap. 3. Azor tom. 2. lib. 5. cap. 26. quæst. 2. Suar. disp. 5. de Censu. sect. 1. num. 3. Say. lib. 1. Thesau. cap. 8. num. 8. Auila. 2. p. cap. 4. disp. vnica. dub. 8. Bellarmin. lib. 1. de Indulgent. cap. 14. quæst. 2. Toler. lib. 1. cap. 7. num. 6. Lazari. sect. 4. quæst 10. num. 7. Alteri. l. c. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 4. Henriq. lib. 13. cap. 25. n. 2. Villalobos tract. 16. diffic. 14. n. 2.

Obseruandum vero est, aliud esse Censuram contrahi à defuncto per sententiam condemnatoriam ipsum afficientem & ligantem; aliud autem censuram propter peccatum commissum contractam, declarari verè contractam esse ab illo defuncto dum viueret, atque etiam tunc executioni mandari quoad secundarios quosdam effectus, vt loquitur Henriq. quorum defunctus capax est, & qui potius obligant ipsos viuentes, quam defunctum quamuis in eius quoque infamiam, & damnum aliquod, atque adeò pœnam redundent.

Dixi igitur defunctos non incurrere censuram vllam aut Excommunicationem, si illam dum viuerent, non contraxerint, neque posse tunc ferri contra eos sententiam condemnatoriam, quod est directè excommunicari; nec aliud contendunt DD. allati, quia vt fusius argumentatur A Castro. cap. 19. mortuus non est amplius sub Iurisdictione Ecclesiastica, quæ neque ligare, neque soluere potest, nisi in terris, vt ex Christi verbis colligitur. Atque hanc in rem disputant Leo. Ep. 90. aliàs. 92. ad Rusticum Narbonens. & Gelasi. Ep. 4. & 11. dum negant defunctos posse absolui, nimirùm absolutione propriè dicta, quæ directè cadat in mortuos: sed fusius hanc propriam & directam Excommunicationem reiicit Facundus Hermianens. lib. 8. pro tribus Capitul. cap. 2. & lib. 10. cap. 4. & lib. contra Mocianum sub fin. Et sanè vel mortuus incurreret Censuram ipso iure, vel per sententiam, non primum, quia ea Censura incurritur eo ipso momento, quo culpa, cui imposita est, perpetratur, neque vlteriori processu Iudicis opus est; atqui culpa admissa fuit à viuente, & non à mortuo; Non potest autem dici imponi per sententiam Iudicis Censuram mortuo propter culpam à viuente commissam, quia vel ea sententia ferret corpus exanime & cadauer, quod eius est incapax, vel animam separatam, quæ subtrahitur, vt iam dixi Ecclesiæ Iurisdictioni, & neque contumax esse, neque emendari potest, quæ omnia requiruntur in subiecto capaci censuræ. vt ex disq. 1. constat.

Hinc sequitur Hominem, qui nondum completo crimine, aut posita conditione, sub qua lata fuit censura, moritur, etiamsi deinde consummetur illud crimen, & ponatur conditio, non affici censura. Ita Suar. Layman, Bonac. & alij laudati DD. quia tunc est subiectum incapax Censuræ, quæ non retrahitur ad tempus, quo fuit incœptum crimen, aut lata sententia sub conditione, quarè si quis iussus fuerit restituere, aut satisfacere parti læsæ intra mensem sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, & ante mensem elapsum moriatur, etiamsi habuerit propositum non restituendi, non tamen proptereà excommunicatur, quia eo momento, quo incurrenda est excommunicatio, ipse est eius incapax, & quamuis peccauerit, dum habuit animum non restituendi, atque etiam si præuidit se moriturum, & reipsa non restituit, cùm tamen ex lege naturali Iustitiæ obligaretur, non tamen fuit Ecclesiæ contumax, neq; eius violauit præceptum, quod imp a at

tantùm restitutionem intra mensem, quo tãtùm elapso vrgebat eius obligatio.

Qua simili ratione, qui mandârat percuti, aut occidi clericum, & decedit antequam eius mandatum mandatarius exequatur, non incurrit excommunicationem, quod tradunt gloss. Innoc. Abbas, & & alij Iuristæ in cap. mulieres. §. illi verò, de sentent. Excommunic. Hugolin. tab. 1. de Censu. cap. 17. §. 2. n. 5. Layman. l. c. Suar. disp. 5. de Censu. s. 1. n. 15. Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 8. num. 12. plures adducens, quorum plerique in ternis vtuntur rationibus solida est illa, quam attulimus in Corollario ducta ex incapacitate subiecti & hominis mortui, vt ligetur Censura ab Ecclesia, cui non subijcitur. Amplius inde quoque fit, vt qui propinato veneno Clerico extinguitur ante ipsum Clericum, non incurrat quoque excommunicationem, quod fatetur Suar. & Alteri. cap. 3. disp. 10. lib. 3. sub fin. Vbi tamen aduertit aliquod assignari posse discrimen inter percussionem Clerici imperatam, & propinationem veneni, eo quod ista sit causa integra, ex qua naturaliter & necessariò sequatur mors, quarè qui illud propinauit, videtur complesse actionem prohibitam sub ea censura, quod non contingit in solo mandato.

Quando verò peccatum, pro quo fertur Censura, consummatur ipsa morte, dicendum est, incurri censuram, quando ita constitutus est æger, vt neque emendare, neque obedire Ecclesiæ amplius possit, quia tunc actus ipse consummatus est, atque contumacia completa; sicut dicebamus olim conferri effectum Martyrij, quando sunt hebetes omnes sensus, ita vt nullus neque rationis, neque libertatis vsus ampliùs haberi possit; quamuis adhuc anima retineatur in corpore, Suar. tamen sect. 1. cit. disp. 5. de Censu. existimat tunc censuram non habere vim, nisi instanti immediato post mortem, esseque potiùs pœnam, quàm Censuram, atque ligare potius viuentem, quàm ipsum mortuum, vt statim explicabo.

Dixi 2. in Corollario posse ferri in mortuum sententiam declaratoriam criminis & Censuræ ab illo incursæ. Ita omnes, quotquot voluerunt excommunicari posse mortuum hæreticum; licitam enim esse mortuorum anathematizationem non sinit dubitare quinta Synodus, & fusè disputat eam in rem Iustinian. in Epist. ad Ioann. 2. inter acta illius synodi relata. Plurima in eandem sententiam congessit Pameli. in Ep. 66. Cyprian. n. 16. Itemque Hugolin. tab. 1. de Censu. cap. 17. §. 2. n. 3. & 19. & Alteri. cap. 3. cit. Neque aliud existimo voluisse Richard. Gabriel. & alios, qui videbantur excommunicationem mortuorum adstruere. Ratio verò propter quam licita sit eiusmodi sententia declaratoria, petitur ex discrimine inter ipsam & sententiam condemnatoriam; nam prior illa sententia respicit tempus præteritum, & declarat delictum fuisse commissum, atque pœnam iure ipso illatam, quam Iudex exequi idcirco mandat, vti reuerà potest, etiã post mortem delinquẽtis, in quantum illius capax fuerit. At verò sententia condemnatoria respicit tempus præsens, & pœnam iam de nouo imponit. Quarè ferri non potest nisi in subditum, in quem superior & Iudex exercet suam iurisdictionem, nihil itaque impedit, quo minus sententia declaratoria feratur post mortem delinquẽtis licet condemnatoria tunc ferri nequeat; atque ita poterit defunctus declarari excommunicatus, licet excõmunicari non possit, neque hæc sententia declaratoria Excommunicationis ante mortem incursæ restringi debet ad crimen hæresis, vti fecit gloss. & alij ipsam sequuti initio adducti, nam eadem omninò ratio est cæterorum criminum, quibus annexa est excommunicatio, si enim quis illam incurrit, quamuis occultè, poterit deinde post mortem declarari excommunicatus, siue poterit ea excommunicatio mandari exequutioni post eius mortem.

Dixi 3. Hanc excommunicationem non habere omnes suos effectus sed secundarios tantùm, & indirectè ligare mortuum, directè autem viuentes, quibus prohibentur aliquæ actiones, quæ alioquin licitæ forent circa mortuum, quod patebit ex effectibus huiusce Excommunicationis.

Non enim 1. priuat mortuum participatione sacramentorum, quia ratione status illorum incapax est, vnde Eucharistiæ administratio facta mortuis vsurpata etiam aliquando à Catholicis, vt obseruat Basil. Ponci. in varijs disputat. disp. Albaspinæ. lib. 1. obseruat. sacratum. cap. 9. & baptismi collatio à quibusdam hæreticis mortuis quoque facta, vti meminit Alphons. A Castro. ꝟ. baptismus. hæresi. 3. damnatur à Concilio Antissiodor. c. 12. & in Synodo Trull. can 84. & in Concil. 3. Carthagin cap. 6. Vti etiam obseruat Photi. in Monocan. tit. 3. cap. 17.

2. Excommunicatio non impedit, quo minus animæ defunctorum, si expiato peccato decesserint, vel i flammis vltricibus purgatæ sunt omni rubigine & scoria in cœlum euolent, etiamsi non exoluantur ab Ecclesia illa censura, contra Viguerium in Theologic. institut. tit. de ordine. ꝟ. 15. in fine, vbi ait idcircò in quibusdam Ecclesijs die Cinerum impendi omnibus defunctis absolutionem ad instantiam procuratoris animarum, vt non impediantur vinculis Excommunicationis, quo minus, si iam purgatæ sint, in cœlum euolent verùm cùm deterſa sit per gratiam sanctificãtem omnis culpa, & reatus pœnæ per passionem sufficientem expiatus, nihil restat quod amplius eiusmodi animam remoretur, alioquin si nunquàm exolueretur ab Ecclesia excommunicatione nunquam beatas sedes peteret. Quarè si peccatum, propter quod inflicta fuit excommunicatio, detersum omninò fuit, nihil est quod defunctum à beatitudine arceat, & ideò illi, qui dicuntur damnati, eo quod excommunicati decesserint, alij non sunt, quam illi, qui rebelles contumaces Ecclesiæ moriuntur, atque in peccato suo ad extremum vsque halitum persistant. Idcircò benè monet Thyræ. lib. de locis infestis. cap. 87. falsò & ciuiliter iactari omnes locorum infestorum terrores cieri à mortuis excommunicatis, illosque, donec absoluantur perpetuò oberrare.

3. Igitur hæc excommunicatio priuat mortuum Ecclesiastica sepultura & omnibus Ecclesiæ suffragiis, quod postremum falsò negant Palud in 4. d. 18. q. 1. a. 1. n. 8. & Sybillan. decad. 1. cap. 3. q. 4. quæstiuncula 13. qui volunt Excommunicatum in gratia decedentem participare communibus Ecclesiæ suffragiis. eo quod excommunicatio tollatur per mortem Verum cùm quod Ecclesia prohibeat has actiones exhiberi à viuentibus, id totum redundat in mortuum, tum ratione infamiæ, tum quia ob defectum suffragiorum longiores moras trahet in Purgatorio. Quo eodem modo loquendum est de suspensione, cuius licet mortuus sit incapax, poterit tamen propter suspensionem in vita contractam priuari fructibus, quibus post mortem frui deberet in suis hæredibus, quod est Censuræ effectum post mortem extendi ad alios potiùs, quàm ad mortuum.

Idcirco

Idcircò addebam in Corollario hanc censurã posse in criminis detestationem, aliorumque terrorum, atque in pœnam delinquentis imponi mortuo, atque ita dicuntur anathematizari etiam post mortem hæretici, cuius anathematizationis siue execrationis aliam esse significationem, quàm Excommunicationis propriè dictæ pluribus ostendit à Castro cap.20.lib.2. de iusta hæretic. punitio.cùm enim aliquæ pœnæ in corpora defunctorum ad ignominiam decernantur à lege, similes etiam poterunt ab Ecclesiastica potestate sanciri, si crimen & bonum commune ita postulet. Rectè autem abiici insepulta cadauera, aut non nisi sepultura Asini tumulari iussu Laicæ potestatis probat Maior in 4.
9 d. 45. q. 4. ad argumenta contra 4. conclusi. & Conarru. lib.2. Varia. cap.1.n.11.contra quosdam Iurisconsultos, & Sylnest.℣.sepultura.q.10.

Quæ diximus de excommunicatione mortuorum intelligenda etiam sunt de eorundem absolutione à censura, quam viuentes contraxerunt: solitam enim iam pridem impendi eiusmodi absolutionem mortuis patet ex cap. à nobis 28. & cap. sacris. de sententia Excommunic. probatque Gerso 2.p. opusc. tract.de absolut. Carthusiani defuncti. Huc etiam pertinent Canon 12. Concilij 2. Arelatensis can. 11. Conc. Vasensis, can.12. concil. 1. Tolet.& alij relati ab Albaspinæo.lib.1.ol scruat. sacrarum. cap. 10. ex quibus constat redditum fuisse defunctis ius communionis, quo priuati decesserant admittendo ad altare oblationes à parentibus allatas, vnde ibidem Albaspinæ. pluribus adstruit Ius communionis oblationibus acquisitum fuisse, eo quod impurorum hominum oblationes reiicerentur ab Ecclesia. Quarè Canon 17. Concilij Altissiodorens. oblationes eorum, qui se præcipites egerant, repudiantur, ne videlicet admissis oblationibus videretur illis dari communio Christiana, cuius tamẽ erant incapaces ob peccatũ, in quo decesserant, eaque de causa diligentiores erant veteres, in inquirendo genere mortis eorum, quorum oblationes afferebantur, vt ex responso quodam Timothei Alexandrini obseruat ibid. Albaspinæ.

Hæc tamen absolutio directè non cadit in mortuum, vt ex Gelasio & Leone superius referebamus, neque aliud voluit à Castro cap. 19. lib. cit. dum eandem absolutionem visus est negare, sed cadit ea absolutio in fideles viuentes, quibus permittitur exercere actiones aliquas circa defunctum, quæ ratione Excommunicationis, in qua decesserat, licitæ non erant, eo quod cum mortuis communicamus per eiusmodi actiones, nimirùm Ecclesiasticam sepulturam, & communia suffragia, quibus priuatur Excommunicatus defunctus æquè ac Viuus, etiamsi in gratia decesserit, vt iam monui contra Paludan. qui malè existimat mortuum excommunicatum esse tantùm absoluendum ob vitandum scandalum, nam reuerà absque absolutione æquè inutilia sunt illi omnia communia suffragia, atque viuentibus communione Christiana priuatis, quod luculenter comprobant, quæ ex probatissimis historiis & sanctorum actis referuntur defunctis excommunicatis, qui visi sunt aut tumulo abscedere, aut ex templo exire, dum sacra fierent, donec absoluerentur ritu Ecclesiastico. Vide Gregor. lib. 2. Dialogo.cap. 3. Raderum. 1.p. Viridar.ad 15.Octob. & quos aliosque congessit Theophil. Raynaud. 2. parte de monitorijs.cap. 3. n. 1. & 10.

QVÆSTIO TERTIA.

Quomodo acquiratur, vel amittatur subiectio necessaria, vt aliquis censura feriatur?

EX subiectione, quam in subiecto Censuræ requirebamus, necessariò sequitur, quod vbi ali- 1
quis desinit, aut incipit esse subditus alicuius Episcopi & Iudicis Ecclesiastici, possit aut non possit ligari censura ab eo lata.

Quod Corollarium certissimum est, cùm enim dixerimus in vniuersali propositione censuram esse actum Iurisdictionis contentiosæ & requirere subditum, in quem Ius dicatur à superiore, manifestò sequitur, vbi quis desinit esse subditus alicuius non posse ab illo innodari Censuris, vbi verò ipsi subiicitur, ab illo quoque, sicut cæteros subditos pœnis istis spiritualibus posse affici; Quandonam verò aliquis incipiat aut desinat esse subditus alterius, eiusque præceptis ac legibus teneatur, repetendum erit ex scientia canonica; hîc ego tantum casus quosdam particulares, qui faciunt ad nostrum Corollarium, paucis perstringo.

Obseruandum verò est Censuram ferri per statutum, vel per sententiam, eamque generalem aut specialem, deinde subditum alicuius Episcopi violare Censuram, vel intra eius diœcesim, vel extra illam committendo delictum interminata censura prohibitum; & denique aliquem non subditum atque in aliena diœcesi existentem, in qua non habet domicilium, censuras ab Episcopo illius loci siue per statuta, siue per sententiam, hoc est, particulare præceptum impositas, infringere posse.

Est verò magna differentia inter sententiam & statutum, vt obseruat Suar. disp. 5. de Censu. s. 5. n. 14. & 15. statutum enim datur primò & per se ratione territorij, & obligat tantùm personas ratione territorij: Sententia verò respicit immediatè & per se personas, quas proinde per se obligat, & non ratione territorij, illis itaque inhæret, & vbicunque sunt, afficit, atque obligat, quam differentiam pluribus stabiliuimus cap. 6. consultationis Theologicæ de Regia potestate in contractum matrimonial. Vbi etiam ostendimus dari posse leges generales personales, quæ subditos vbique obligent, quod ipsum quoque diximus in scientia canonica. Consentit Abbas in cap. fin. de foro competen. num. 40. vbi ait statutum generale non ligare extra territoriũ ferentis defectu potestatis: sententiam autem vbique ligare subditũ. Idẽ tenet Alteri. lib. 3. de Excommunic. disp. 9. cap. 5. post quintam proposition.

Primò itaque Censura lata per modum statuti
4 non incurritur à subdito extra diœcesim, & territorium in quo lata fuit delinquente, verbi gratia ciuis Lugdunensis qui Viennæ furatur, aut committit homicidium non incurrit excommunicationem latam generali statuto ab Archiepiscopo Lugdunensi in fures, aut homicidas. Ita Abbas in cap. fin. de foro competenti. num. 40. Conarru. in cap. Alma mater. 1. p. §. 10. num. 3. Suar. disp. 5. s. 4. n. 4 Iacob. de Graffis. 4. p. decisinn. lib. 4. cap. 8. n. 39. Vasq. de Excommunic. dub. 12. Salas. disp. 14. de legib. sect. 7. num. 89. Filluc. tract. 11. cap. 5. quæst. 8. Reginald. lib. 9. praxis num. 146. Kon. disp. 13. dub. 7. nu. 62. Bonac. dis. 1. de Censu. quæst. 1. p. 11. num. 6. Henriq. lib. 13. cap. 26. num. 1. Auila. 2. p. cap. 3. disp. 2. dub. 2. conc. 1. Layman lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 4. num. 6. Alteri lib. 3. de Excommunic. disp. 9. cap. 5. propositione 3. Sayr. lib. 1. thesau. cap. 7. num. 10. & alij passim. Quorum plerique addunt veram esse nostram sententiam, etiamsi statutum comprehendat vbicunque delinquentes, ita enim apertè definitur à Bonifacio VIII. cap. vt animarum. §. si statuto Episcopi de Constitutionibus in 6. quia statutum afficit territorium, & extra illud non obligat, cùm Iurisdictio statuentis contineatur suis limitibus; supra Iurisdictionem autem suam ius dicenti non paretur impunè, & in vniuersum ostendimus alibi Neminem teneri legibus sui territorij, quando extra illud existit.

Duo verò obseruanda sunt hoc loco, primum est
5 locum extra territorium sumi formaliter in hac assertione, & non materialiter; quarè locus exemptus à Iurisdictione Episcopi, etiamsi claudatur intra ipsius diœcesim, dicitur tamen esse formaliter extra illam, vt obseruat Franc. Zabarell. Repetitio. in cap. vt animarum. de Constitu. in 6. num. 55. & Gomesi. ibib. num. 85. Quarè si quis violet statutum Episcopi in loco exempto, quamuis intra ipsius diœcesim existente, non incurrit excommunicationem illi statuto annexam, quia reuerà ille locus est formaliter extra diœcesim constitutus. Ita Sylu. ỿ. Excommunicatio 2. num. 22. Tabiena. ỿ. eod. 4. quæst. 3. Philiarch. 5. P. de officio sacerdot. lib. 3. cap. 5. con. 4. Henriq. lib. 13. cap. 29. num. 2. Graffis lib. 4. 1. p cap. 8. num. 39. Auila. 2. p. cap. 3. disp. 2. dub. 5. Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 6. num. 40. Naldus. ỿ. exemptio. num. 5. Zerola. ỿ. Excommunicationis causa materialis. dub. 2. Suar. disp. 5. de Censu. s. 4. num. 6. Kon. disp. 13. de Sacram. dub. 7. Salas disp. 14. de legib. s. 6. num. 83. Vgolin. tab. 1. de Censu. cap. 9. §. 3. num. 3. Azor. 1. p. lib. 5. cap. 2. quæst. 4. Alteri. disp. 9. cit. proposit. 3. §. ex his etiam. Bonac. dis. 1. de Censu. quæst. 1. p. 11. num. 8. Ex quibus tamen Sua. Salas. Alteri. Konin. & Hurtad. disp. 1. de Censu. in communi. diffic. 8. num. 3. nolunt Monasteria Religiosorum exempta, numerari inter loca plenè exempta, eo quod non sint exempta nisi ratione Religiosorum, qui suis proprijs Prælatis subduntur: Quarè si Laici & non Regulares in illis peccent, aut commorentur, non accipient exemptionem à Iurisdictione sui Episcopi ratione illius loci, atque incurrent Censuras statutas propter delicta ibi commissa. Verius tamen est, quod cæteri omnes passim affirmant, loco exempto contineri Monasteria Regularium exempta, falsumque est solas personas Regularium eximi à Iurisdictione Episcopi, & non locum ipsum, siue exemptio proximè & primario cadat in personas, siue in locum ipsum, saltem æquè primò, siue tantùm medijs personis, cùm enim intra ilum locum nullam Iurisdictionem Episcopalem exercere possit Episcopus, quamdiu Regularis manet, reuerà formaliter est extra diœcesim eiusmodi Monasterium, ac proinde in eo delinquentes censendi sunt delinquere extra territorium Episcopi, etiamsi illi non sint Regulares.

Alterum quod obseruari velim, est Censuras in eo differre ab alijs pœnis, quod censura exigat delictum consummatum, vt feratur, ita vt nullus dicatur deliquisse in ordine ad censuram, nisi dum crimen, ad quod puniendum infligitur, compleuit & consummauit, sicuti probabimus disq. sequenti. At verò in ordine ad alias pœnas sufficit inchoasse delictum, vnde colligit Suar. disp. 5. de Censu. s. 4. num. 9. ibi censendum esse committi delictum in ordine ad censuram, vbi exteriùs consummatur, quamuis alibi inchoetur. Quarè cùm diximus delinquentem extra territorium proprij Episcopi, non incurrere censuram per modum statuti latam à suo Episcopo, illud ita intelligendum est, vt si in propria diœcesi inchoet delictum, & illud extra illam consummet, non incurrit Censuram, nisi vbi fuerit consummatio, quia reuerà non peccauit in territorio sui Episcopi in ordine ad censuram, ad quam incurrẽdam non peccatur, nisi quando consummatur delictum, cui fuit imposita; quod vt monebam, non contingit in alijs pœnis, Vnde Iuristæ communi consensu docent, illum, qui inchoat delictum in aliquo loco, & in alio consummat, subiici Iudici vtriusque loci ratione delicti, ex l. 1. C. vbi de crimine agi oportet, quod amplius explicabimus alibi. Interim adi Bartholum in l. dominium. ff. de furtis. & Panormitan. in cap. postulasti. de foro competent. in num. 25. Ratio aperta est, cùm enim ille Reus verè deliquerit in vtroque illo loco, in quorum altero incœpit, in altero compleuit crimen suum, ratione eiusmodi delicti duobus in locis commissi subiici debet vtrique foro, quantum ad pœnam & iudicium correspondens delicto in singulis locis commisso, atque prout commissum est, nam iudicium & pœna Iudicis, in cuius territorio completum fuit crimen, diuersa erunt à iudicio & pœna Iudicis, in cuius districtu fuit duntaxat inchoatum illud crimen.

Ex hac verò obseruatione, quod ibi incurratur Censura, vbi consummatur delictum, cui lex & statutum

statutum alicuius territorii eam imposuit, plures singulares casus facillimè explicantur à Suar. Bonac. & aliis.

1. Enim censura lata in constupratorem Virginis in aliqua diœcesi non incurritur ab eo, qui in illa diœcesi rapit virginem, quam deinde extra illam viciat, quia stuprum committitur extra diœcesim, cuius legibus censura damnatur.

2. Qui in Ecclesia existens iacit sagittam extra Ecclesiam, qua confodit hominem, non incurrit excommunicationem inflictam homicidio intra Ecclesiam commisso, si verò extra Ecclesiam existat, indeque sagittam intorqueat in Ecclesiam, hominemque illo ictu occidat, Reus erit Censuræ latæ in homicidium commissum in Ecclesia. Ratio est, quia in vno ex his casibus homicidium fuit reuerà completum in Ecclesia, in altero casu illud homicidium non fuit nisi inchoatum in Ecclesia.

3. Vulnerans aliquem lethaliter, incurret censuram latam in homicidas in eo loco, in quo illum vulnerauit, quamuis vulneratus inde recedens obeat in alio loco, vbi nulla censura illi crimini fuit imposita; quia actio propter quam incurritur Censura, fuit reuerà consummata in priori illo loco, quamuis eius effectus non euenerit, nisi in alio loco, qui effectus expectandus quidem est, vt censura incurratur, quia tamen vulnerans verè deliquit in loco, in quo lethaliter alium vulnerauit, tenetur legibus illius loci, in quo inflixit vulnus, non autem eius loci, in quo vulneratus obiit, est enim per accidens quod vulnus lethale sortitum fuerit suum effectum in vno potiùs loco quam in alio, immò Reus iste conueniri non poterit, neque citari à Iudice loci, in quo vulneratus moritur, sed à Iudice territorij, in quo vulnus lethale fuit inflictum. Ita Suar. Alteri. & Bonacin.

4. Si statutum excommunicet ludentes alea, non excommunicabitur, qui luserit in Monasterio exempto. Ita Iacob. de Graffis. 1. pa. decision. lib. 4. cap. 8. num. 39. allegans Ioan. And. in cap. 3. de Constitutionib. in 6. sequitur Sylu. ꝟ. Excommunicatio. n. 12.

5. Statutum Episcopi, ne quis ingrediatur clausta Monialium, non ligabit ingredientes clausuram monialium exemptarum, vel cum illis loquentes, vt ait ibid. Graffis n. 40. nisi statutum, inquit, specialiter exprimat Monasteria exempta, & causa illius statuti sit legitima, atque bonum commune subditorum, odiumque monialium, quæ sua irreligiositate illud mereantur. Idem dicit Sylu. ꝟ. Excommunicatio. 2. num. 13. Hæc tamen limitatio mihi non probatur, nam si reuerà committatur delictum extra territorium Episcopi, cùm non liget subditum ibi existentem, vt diximus, etsi rationabile fuerit, reuerà non incurretur Excommunicatio. Quarè potiùs distinguendum est cum eod. Sylu. Armilla, & Auila. 2. p. cap. 3. disp. 2. dub. 5. si excommunicatio cadat in ingredientes talia monasteria exempta, aut loquentes cum monialibus ibi degentibus, non incurri, si verò feratur in accedentes ad illa Monasteria incurretur: Ratio huius diuersitatis petitur ex eo, quod Monasterium quidem exemptum sit, non tamen via, qua ad illud itur, deinde in vno casu fertur Censura non propter accessum ad monasterium, sed propter peccatum, quod ibi committitur; in altero verò casu imponitur Excommunicatio propter ipsummet accessum, Quæ etiam est doctrina Angeli. ꝟ. statutum. n. 3. Henriq. lib. 13. cap. 26. n. 2. & Bonac. pun. 11. n. 9. vbi & alios affert.

6. Transferentes triticum extra diœcesim incidunt in Excommunicationem latam à statuto Episcopi in eiusmodi transferentes, quia vt aiunt Bonac. Sua. sect. 4. cit. & Alteri. cap. item. 5. cit. illi delinquunt in ipso territorio, id est in ipso vltimo limite eius.

7. Excommunicatio lata per statutum Episcopi in non residentes clericos incurritur ab illis etiam, si tempore non residentiæ sint extra diœcesim. Ita omnes laudati DD. quia peccatum omissionis censetur ibi consummari, vbi actus contrarius fuerat exercendus; hic igitur clericus consummat actum non residendi in ipsa diœcesi, quod ipsum dicendum erit de clericis aut aliis ad synodum vocatis, nisi enim adsint suo tempore, etiamsi tunc extra diœcesim versentur, incurrunt, tamen excommunicationem in absentes latam.

8. Existimo censuram latam per modum sententiæ incurri à subdito etiam extra proprium territorium, in quo lata fuit, delinquente, modò maneat tunc subditus; quod postremum addo, quia si mutauerit domicilium, cùm desinat esse subditus superioris prioris loci, non potest ab illo obligari, sublata siquidem subiectione non manet obligatio parendi; Quarè ciuis Lugdunensis, qui Viennam transtulit suum domicilium, neque tenetur statutis Lugdunensis diœcesis, neque potest ab Antistite Lugdunensi propter crimen commissum in diœcesi Viennensi excommunicari, neque tenebitur præceptis generalibus, sententiis, & monitoriis à suo quondam Episcopo latis propter peccata futura.

Quando verò Excommunicatio, aliaue censura fertur propter crimen iam præteritum & commissum intra diœcesim proprij Episcopi, antequàm in aliam iste delinquens commigraret, distinguendum est, nam vel latum est monitorium, antequàm Reus discederet, estque inchoata causa coram suo Episcopo per virtualem citationem, qualis est in monitoriis, vel per formalem citationem estque inceptum aliquo modo Iudicium, aut nulla prorsus ratione inchoata lis fuit, sed duntaxat commissa culpa, propter quam ferenda erit deinde censura: si primum contingat, reuerà quantumuis mutet Reus iste domicilium, tenetur Excommunicatione, aliaue lata ab Episcopo, in cuius diœcesi peccauit, & cuius erat tunc subditus, v. gr. latum est monitorium in eos, qui intra mensem rem quampiam furto sublatam non restituerint, licet Titius ante præfixum illud tempus domicilium mutauerit, vel sua sponte, exigente aliqua causa, vel in fraudem ad vitandam Censuram, incurret Excommunicationem, nisi paruerit, quia remanet subditus ratione delicti, & potest conueniri atque excommunicari, quod in vniuersum affirmant DD. quia quotiescunque vna causa in aliquo tribunali incepta fuit, in illo eodem finienda est. l. si quis ff. de Iudic. & cap. proposuisti. de foro competenti. Ita Suar. disp. 5. sect. 5. num. 5. & 6. Sayr. lib. 1. cap. 11. num. 19. si tamen vel iussu Episcopi, vel propter bonum commune domicilium mutaret, desineret esse subditus prioris Episcopi etiam in causis coram illo inchoatis, ex doctrina Bartholi, ad l. 1. ff. de pœnis. Quando verò post commissam culpam commigrauit aliò, antequam monitorium ferretur, aliaue ratione coram illius Episcopi tribunali inciperetur lis, aut causa, non ligabitur illo monitorio, poterit tamen, immò & fortassis debebit Episcopus, in cuius territorium commigrauit, illum reuocare ad locum delicti

delicti ex communi sensu Doctorum, in cap. fin. de foro competenti. Henriq. lib. 13. cap. 26. n. 2. Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 6. n. 43. quod verius omninò erit si iste Reus ad breuiorem moram aliò fugerit; neque mutârit domicilium; ligabitur enim monitorio, aut sententia sui Episcopi, in cuius diœcesi deliquit, nisi pareat, vt docet Auila. 2. p. cap. 3. disp. 2. dub. 2. con. 2. Sylu. ℣. Excommunic. 2. n. 8. Armilla eod. ℣. n. 30. Soto in 4. d. 22. qu. 2. a. 1. post. 1. conc. quia alioquin ille Reus nullibi posset Excommunicari, cùm neque in loco, in quo deliquit, neque in eo, in quem confugit, iudicari & puniri posset. Denique poterit subditus, qui extra territorium proprij Episcopi deliquit, deinde vbi ad illud redierit coram proprio Episcopo conueniri de illo crimine, atque etiam ab eo censura percelli, vt tradunt Soto & Henriq. l. c. quos adducit & sequitur Sayrus cap. 8. n. 42.

9 Ita explicata & castigata nostra assertio, nimirùm posse Prælatum innodare censuris per modum sententiæ, suos subditos existentes in alieno territorio, atque in eo delictum, cui ipse eo modo censuram imposuit, committentes traditur à Suar. disp. 3. sect. 5. Sa. ℣. Iudex de sententia & citatione. n. 8. Vgolin. tab. 1. de Censu. cap. 9. §. 3. n. 4. Laymann lib. 1. tract. 3. p. 1. cap. 4. n. 7. Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 8. n. 18. licet secum pugnans contrarium docuisset cap. 6. n. 39. Bonac. disp. 1. de Censu. q. 1. p. 11. n. 14. contra Auilam. dub. 2. cit. con. 1. Henriq. lib. 13. cap. 26. n. 1. Konin. disp. 13. n. 61. Alteri. lib. 3. de Excommunic. disp. 9. cap. 5. propofit. 3. Sylu. ℣. Excommunicatio 2. q. 16. Raynaudo. 1. p. de monitoriis cap. 1. q. 9. Rationem iam reddidimus distinguendo statutum à præcepto siue generali, siue speciali, quod nomine sententiæ significamus, quod statutum sit lex affixa territorio, illudque primò & per se respiciat; sententia verò sit quidqiam, qaod personas respicit; ipsarumque, vt loquuntur ossibus inhæret, ac proinde, eas semper consequitur; Quarè sententia etiamsi feratur tantùm in proprio territorio, afficit subditum vbique existentem, & iam alibi docuimus dari posse leges eiusmodi, quas nominamus personales, & sane nihil afferri potest, vnde præceptum factum subdito sub pœna Censuræ, atque deinde sententia intorquens pœnam intentatam in subditum violantem eiusmodi præceptum, non afficiat illum existentem aut delinquentem extra territorium, cùm reuerà superior ferens eam sententiam non excedat suam Iurisdictionem, agit enim in subditum, & intra suam etiam ditionem Ius dicit, quamuis subditus incurrat pœnam extra territorium superioris. Neque dicas non posse exequutioni mandari pœnam aut sententiam à Iudice extra proprium territorium, id enim verum tantùm est, quando ea exequutio fieri nequit sine strepitu Iudiciali & contentione fori, cuius Iudex nullum Ius habere potest extra suam Prouinciam, quod non contingit in Excommunicatione, & qualibet alia censura latæ sententiæ, illa enim trahit secum tacitam, & veluti insensibilem executionem. cap. Pastoralis in fine. de Appellationibus. quis enim neget homicidam, qui homine læthaliter vulnerato fugit in alienam diœcesim incurrere illic excommunicationem latæ sententiæ, quam proprij territorij leges decernunt in homicidas; immò si subditus commisso delicto fugiat, poterit citari etiam absens per nuntium, aut litteras, & nisi compareat tanquàm contumax excommunicari. C. Ex tua de Clericis non residentibus. Rationem reddit Panorm. in cap. licet. de foro competenti. n. 41. quia qui citatur, remanet vbique subditus, & citatio decernitur in proprio territorio ipsius Iudicis, licet nuntius exequatur extra territorium; sed illa exequutio nuntij nō est actus Iudicialis, & ideò potest exerceri extra territorium, vt idem Panorm. observat in cap. Nouit. de officio legati & ex cap. Romana. §. contrahentes. de foro competenti in 6 allegat quoque Ioann. de Lignano in cap. licet. cit. de foro competenti. & Hostiens. atque Ioann. Andream in cap. 1. de Raptoribus, adducitque varia iura, quæ dicunt absentem damnari posse propter contumaciam, sed quandonam extra territorium mitti possit nuntius fusius disputant Aretin. consil. 143. & Oldradus consil. 88. sufficiat nobis in præsentia id saltem fieri posse, quando eius exequutio nullum strepitum, aut alium processum iudicialem, siue potius contentiosum requirit; quod igitur passim glossa, & DD. in cap. Romana. cit. negant iudicem ordinarium extra suum territorium & diœcesim sententiam ferre posse, non est petendum ex eo, quod extra suum territorium non habeat sui ditos, cùm qui ratione domicilij aut beneficij subditi sunt, semper maneant etiam extra diœcesim subditi ordinario qui in eos sententiam ferre poterit, vt fatetur Panorm. in cap. cùm contingat, de foro competenti. n. 7. Immò etiamsi quis extra diœcesim deliquerit, si à iudice delicti præuentus non fuerit, Iudex domicilij Reum citare, & contumacem excommunicare poterit ex eodem Panorm. l. proximo citato. Couarru. cap. 11. qq. practicarum n. 6. & Iulio Claro. lib. 5. sentent. §. practic. crim. q. 39. atque aliis. Vera itaque causa cur in alieno territorio sententiam ferre non liceat, est, ne vnus iudex inuadat alterius iura, atque ita fiat perturbatio Iurisdictionum; quando verò ea causa cessat, potest Episcopus Iurisdictionem in alieno territorio exercere in suos subditos, siue dispensando cum iis, siue imperando sub pœna censuræ ipso facto incurrendæ, siue pronuntiando sententiam propter crimen notorium, quod nullam causæ cognitionem requirit, vt ex Panorm. & aliis tradit Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 6. n. 46. Ex quibus omnibus manet absentem sententiam & Excommunicari posse, sicuti latius prosequitur Panormita. in cit. cap. licet. de foro competenti n. 42. quæ omnia magis elucescent ex disputatione de Iurisdictione in scientia canonica.

Hinc sequitur 1. Clericos Lugdunenses, qui contra prohibitionem Archiepiscopi Lugdunensis excommunicantis per modum sententiæ Clericos arma quædam v. g. sclopos gestantes, illa gestârint in diœcesi Viennensi incurrere Excommunicationem; aut si idem Archiepiscopus vetaret sub eadem pœna Excommunicationis missam extra diœcesim facere, reuerà si aliter faciant, excommunicari, quia ea prohibitio & censura semper fertur per modum sententiæ, quod contra Koni. & Auilam locis citatis confirmat Bonac. disp. 1. de Censu. q. 1. p. 11. n. 17. cum Suar. Salas, Filluc. & aliis, quos allegat. 10

Existimo 3. Aduenas & Peregrinos in alieno territorio breui commorantes, & absque animo ibi figendi domicilij, aut saltem maiore anni parte habitandi, non ligari censuris illius diœcesis, siue per modum sententiæ, siue per modum statuti latis. Ita Layman cap. 4. cit. n. 5. Bonac. p. 11. adducto superius n. 20. Raynaud. 1. p. de monitoriis cap. 1. q. 9. Auila 2. p. cap. 3. disp. 2. dub. 3. Ita enim aperte colligitur ex cap. à nobis. de sententia Excomm. vbi apertè 11

apertè habetur generalem Cenfuram in crimen aliquod committentes, non comprehendere nifi fubditos, quales non funt aduenæ & peregrini.

Dices 1. cum Panonn. in illud cap. à nobis n. 7. & Suar. difp. 5. fect. 5. n. 14. ftatutum effe legem territorij, & illi quodammodo affigi, atque ita differre à fententia, quod difcrimen nos ipfi fuperius probauimus; hinc verò optimè colligunt ibid. Suar. Vgolin. Sayr & alij apud Bonac. aduenas & peregrinos tali ftatuto ligari, quare fi contra illud peccent, reuerà incurrent cenfuras annexas illi delicto.

R. negando confequutionem, dicuntur enim leges illæ locales quidem, quod primo refpiciant locum, & deinde tranfeant in Incolas, fed illius loci Iurifdictioni fubditos, quos tamen, quia non obftringunt, nifi quamdiu in eo territorio commorantur, idcirco affigi territorio dicuntur, & alias oftendimus aduenas breui, & vt loquuntur in tranfitu commorantes alicui non teneri particularibus eius loci confuetudinibus, & legibus, nifi fint pro ipfis peregrinis ad tuenda commercia, & ad Reip. bonum, ac pacem latæ, & circa celebrationem contractuum, vti diximus, quia ex cap. vlt. de foro competenti, nemo fortitur forum nifi ratione domicilij & habitationis, vel ratione delicti, vel ratione contractus, quibus addunt aliqui ratione rei aut poffeffionis fitæ in aliquo territorio, aut denique ratione originis, fiue patriæ, quorum omnium nullum caput fubijcit peregrinum legibus loci, in quo breui hofpitatur.

Dices 2. cum gloffa in cap. à nobis citatum, & Panorm. ibid. n. 7. atque Vgolin. tab. 1. de Cenfu. cap. 9. §. 2. n. 4. extraneum illum, fieri fubditum ratione delicti, ac proinde cenfuras illi delicto impofitas in eo loco iure incurrere.

R. cum Suar. fect. 5. cit. n. 10. Kon. difp. 13. n. 57. & 58. Filline. cap. cit. q. 10. & alijs, fupponi ab aduerfarijs, quod probandum effet, nimirum peregrinum deliquiffe contra ftatutum diœcefis, in qua moratur ad tempus, eiufmodi enim delictum, de quo agimus, fupponit fubditum, & non facit, quod autem vulgo dicitur aliquem fieri fubditum ratione delicti in aliquo loco commiffi, intelligendum eft de delicto, quod tale eft vel ex natura fua vel ex communi iure, & non ratione peculiaris legis in eo loco vigentis, vt enim talis legis violatio crimen fit fupponit obligationem eam feruandi in violante, qualis profectò non eft in peregrino.

R. igitur 2. peccatum quod dicitur committi ab aliena, vel effe tantùm contra legem peculiarem illius diœcefis, in qua tunc in tranfitu moratur, vel contra legem diuinam, aut naturæ, aut omnibus prouinciis ex iure gentium, aliove vniuerfali communem; primum illud peccatum reuera nullum eft, cùm aduena non fit fubditus illi legi, quam violare fingitur, & neque delinquat in ea violatione, neque cenfuram, fi quæ fuerit annexa eiufmodi infractioni, incurrat, & denique non fiat fubditus ratione huius delicti, quod nullum reuerà fuit, & quod vt committatur, fupponit hanc fubiectionē in delinquēte contra legem, quam feruare teneatur. Quando verò peregrinus delinquit in alieno territorio cōtra legem diuinam aut alia quapiam ex caufa communem omnibus, fit ratione delicti illius fubditus Epifcopi diœcefis, in qua peccat & incurrit cenfuram, fi quæ fuerit per ftatutum impofita illi delicto, ipfo facto incurrenda quia Excommunicatio aliave cenfura lata per ftatutum generale non tantum ligat eos, qui fubditi funt eo tempore, quo cōceditur ftatutum, fed etiam omnes qui deinde fubditi fiunt fiue ratione delicti, fiue ratione perfonæ. Quod fatentur Couarru. in cap. Alma mater. 1. p. §. 10. n. 2. Tabiena v. Excommunicatio. 4. n. 2. Panorm. in cap. à nobis de fentent. Excommunic. n. 7. fequutus Innoc. & gloffam in idem cap. Auila. 2. p. cap. 5. difp. 2. dub. 3. con. 4. quia lex perpetua eft, & femper loquitur, ex l. Arrianı. C. de hæreticis, idcircò incontinenti, cùm non fuit dictus deliquit, efficitur de Iurifdictione ftatuentis, atque ita ligatur eius ftatuto pœnam imponente, ficque intelligenda eft communis opinio iuriftarum in l. cunctos populos. C. de fumm. Trinit. & fide Cathol. & Canoniftar. in cap. 1. de priuilegiis in 6. ftatutum ligare non fubditos delinquentes in loco ftatuentis data fcientia ftatuti; de delicto, quod tale non eft præcisè ex prohibitione facta per illud ftatutum municipale, fed quod feclufa ea peculiari lege verè tale effet, ftatutum tamen eiufmodi delicto, certam pœnam imponit, quam fubire tenetur, qui illud etiamfi antea fubditus non effet, committit in eo loco, in quo viget ftatutum, quia ratione fui delicti iam fit fubditus, & proinde ligatur, ficut & cæteri fubditi ftatuto pœnam imponente, fi enim tantùm violaffet illud ftatutum, præcisè non peccaffet, vt iam dixi, cùm nondum foret fubditus, neque eo ftatuto ligaretur, neque etiam fiat fubditus ratione delicti, quia reuerà ex eo duntaxat capite non deliquit.

Dixi verò delinquentem in aliena diœcefi incurrere Cenfuram latam pro tali delicto per ftatutum, quia fi lata tantùm effet per fententiam generalem, alienigenas non comprehenderet. Ita Couarru. Tabiena. Panorm. locis citat Auila. con. 3. Sylu. v. Excommunicatio. 2. n. 10. Henriq. lib. 13. cap. 26. n. 2. v. g. fi Archiepifcopus Lugdunenfis damnet excommunicatione omnes qui furtum tale commiferint, aut qui illud non reuelarint, & poft latam eam fententiam eiuis Viennenfis acquirat domicilium Lugduni, fiatque iam fubditus & nouerit furem, non tenebitur vi prioris eiufmodi fententiæ illum reuelare, neque propterea percelletur Excommunicatione, quia fententia non ligat, nifi eos, qui tempore, quo pronuntiata fuit, fubijciebantur Iurifdictioni ferentis eam, non verò cæteros, qui deinceps fient fubditi fiue ratione delicti, fiue ratione perfonæ, quia fententia referenda eft ad tempus in quo pronuntiatur, & vt inquit Panorm. n. 7. cit. affumit vires incontinenti in eum contra quem fertur, vnde habet comprehendere tantum fubditos qui tunc fubditi funt, ad quod facit L. vfusfructus. ff. de ftipulatu feruorum: at verò ftatutum habet actum fucceffiuum, & vinculum fumit tempore delicti, quando pofteriori deinde tempore committitur. Ex quibus aliqui viri docti colligunt apud Auil. con. 3. cit. quod licet aduena exiftat in alieno territorio tempore, quo profertur fententia illa generalis, non modò tunc non ligatur illa, cùm nondum fit fubditus, fed neque deinde ligabitur cùm fiet fubditus ratione domicilij.

Poterit nihilominus Epifcopus alienigenam in fua diœcefi peccantem contra legem naturalem aut communem, & non tantùm fuæ diœcefis propriam punire excommunicatione, aliifque cēfuris, quamdiu ibi manebit, quia fit iam fubditus ratione delicti. cap. fin. de foro competent. Dixi autem hunc in aliena diœcefi delinquētem puniri poffe, quamdiu ibi manet, nam fi ex ea difcefferit, antequàm excommu

excommunicaretur, non poterit deinde excommunicari, vt obseruant Sylu. ✠. Excommunicatio. 2. n. 10 Tabiena eod. ✠. n. 6. Armilla. ✠. Excommunic. n. 35. quia etiamsi fuisset factus subditus ratione delicti non est tamen simpliciter subditus, vt subditus ratione personæ, quem idcircò diximus posse excommunicari à suo Episcopo etiam extra propriam diœcesim existentem; iste autem est tantùm subditus secundùm quid & ratione delicti, quæ est particula diminuens, neque manet subditus, nisi quamdiu manet in loco, in quo deliquit, & tunc ab Episcopo illius loci puniri poterit, non verò vbi inde recesserit, nisi citasset illum antequàm à suo territorio recederet, & jam inchoatum esset Iudicium, poterit enim tunc etiam recedentem excommunicare: licebit etiam requirere à proprio ipsius Episcupo, vt illum citet, iubeatque de suo delicto respondere, quod Episcopus requisitus negare non potest ex communi DD. in c. fin. de foro competenti, atque nisi tunc Reus citatus pareat excommunicari poterit ab Episcopo loci, in quo deliquit, vt tradit fusius Armilla ✠. excommunicatio, num. 35. & alij, quos dabit Layman, capite 4. cit. num. 7.

Hinc soluitur gemina quæstio circa interdictum generale personale, 1. est, an qui è populo interdicto recedunt, mutantque aliò domicilium, maneant interdicti, quandoquidem censura dicitur inhærere ossibus, & vbique afficere semel innodatum; aliunde tamen cùm iste non fuerit interdictus, nisi quatenus erat pars illius communitatis, cuius iam desinit esse pars sua secessione, videtur non amplius manere ligatus tali interdicto.

℞. Hoc postremum verum esse; neque quod dicitur de censura vbique afficiente intelligendum est, nisi de ea, quæ singulos afficit, vt sunt personæ particulares, non autem vt sunt partes communitatis, quæ primò & per se censura afficitur, vt dicam q. 4. Itaque eos ab interdicto eximunt post factam domicilij mutationem. Suar. disp. 32. de cens. sect. 2. num. 34. Sayr lib. 5. cap. 4. n. 5. & 6. Auila 5. p. disp. 1. dub. 2. con. 1. & cæteri passim.

14 2. Quæstio est de cæteris saltem diutius in populo interdicto commorantibus, quales sunt scholastici & mercatores, nam tenentur probabiliter legibus illius loci, & possunt si ita deliquerint, ab illius loci Iudice plecti, fiunt enim subditi ratione delicti.

Respondent tamen non ligari hoc generali populi interdicto, Nauarr. cap. 27. n. 167. Henriq. lib. 13. cap. 42. n. 3. Hugulin. tab. 5. de censu. cap. 20. §. 3. n. 2. Sayr lib. 5. cap. 4. n. 19. Auila 5. p. disp. 1. dub. 4. con. 10. Konin. disp. 17. dub. 1. n. 12. Bonac. disp. 5. de cens. p. 2. n. 20. quia exteri non tenentur legibus, quæ ligant personas quatenùs sunt partes alicuius certi populi, & communitatis, quandoquidem illius partes reuerà non sunt. Verùm cùm iam constet ratione delicti in ea communitate commissi subiici Superiori illius communitatis, atque ab ipso puniri posse, quidni vnà cum cæteris de illo populo poterunt externi interdici. Quarè distinguendum existimo, si enim externi deliquerint vnà cum aliis eo peccato, quod dedit causam interdicto, existimo eos quoque interdici, sunt enim pars communitatis nocentis, quæ à Superiore interdicitur, & illi quoque subiiciuntur eidem Superiori interdicenti; si verò externi isti minimè deliquerint, non comprehendentur generali interdicto populi, cuius ipsi partes non sunt, neque vt est quædam communitas, neque vt nocens est.

Existimo 4. Prælatum Religiosum posse excommunicare subditum suum Religiosum vbilibet existentem, quia habet mundum pro territorio, vt loquitur Laurentius apud Sylu. ✠. excommunicatio 2. n. 15. Ratio est, quia hic Prælatus habet iurisdictionem immediatè in personas, vnde illas vbicunque existentes ferire potest, cùm alij habeant iurisdictionem immediatè in territorium, & consequẽter in personas inibi domicilium aut beneficium habentes, aut indidem natas; quarè variato territorio mutatur iurisdictio. Atque hanc potestatem in Prælato Regulari agnoscunt Ioann. Andr. in cap. cùm contingat de foro competenti, Geminian. in c. vt animarum de constitutionib. in 6. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 75. §. 1. sub fin. Sylu. l. c. Recentiores passim, ex quibus Auila 2. p. . 3. disp. 2. dub. 4. addit ex Nau. consil. 33. de sententia excom. Prælatum Regularem posse sua authoritate, non implorato brachij sæcularis auxilio suum Religiosum vbicunque existentem iniecta manu capere, qua de re alibi dicetur fusius. 15

QVÆSTIO III.

De censuris latis in exemptos.

Proponitur quæstio, n. 1.

Nullus quoad censuras eximitur ab authoritate Romani Pontificis n. 2.

Cardinales non comprehenduntur censuris suspensionis & interdicti generaliter latis n. 3.

Episcopi comprehenduntur generali sententia excommunicationis, non tamen suspensionis & interdicti, n. 4.

Quo iure supremi aliqui Principes ab Episcoporum potestate quoad censuras eximantur, n. 5.

Religiosi exempti censuris ligari nequeunt ab Episcopo, n. 6.

Corollaria inde deducta, n. 7.

Quid operetur priuilegium alicui concessum, ne à quoquam excommunicari possit, n. 8.

An speciales Romanæ Ecclesiæ filij ab ordinariis censuris innodari possint, n. 9.

Loca exempta nequeunt subiici interdicto n. 10.

EX 1. conditione, quam q. 1. requirebamus in eo, qui innodandus est censura vt inferior sit ferentis censuram, eiusq; iurisdictioni subiiciatur, atq; ex iis quæ in corolla. 6. q. Superiori disputauimus statim inferre licet, exemptos ab alicuius iurisdictione non posse ab illo censura percelli, quia tamen circa istud corollarium plurimæ sunt difficultates circa personas, quæ eximuntur siue ratione omnium censurarum, siue aliquarum duntaxat, visum fuit operæ pretium, hanc quæstionem instituere, in qua tamen plurima supponenda sunt ex iis, quæ lib. seq. dicentur, vbi de exemptionibus latè disputabimus: Quæ verò pertinent ad hunc locum, paucis assertionibus aperiemus. 1

1. igitur

Primo igitur nullus quoad censuras à Romani Pontificis authoritate exemptus est, neq; diuino, neque humano iure, cum diuina Christi institutione plenitudo Ecclesiasticæ Iurisdictionis in eo tanquàm in capite totius Ecclesiæ, & vniuersali & supremo omnium pastore resideat, & qui ei se subducit extra Christi gregem & caulas exeat oportet, quod t. alibi probatum fuit.

2. Cardinales censuris communibus suspensionis & interdicti generaliter latis non comprehendi, verius mihi videtur cum Alteri. disp. 7. de suspens. cap. 4. dub. 3. vbi allegat Geminia. in cap. quia periculosum. de sententia Excommunic. in 6. n. 4. Anchara. & Franc. ibid. Hostiens. in cap. 2. de Cleric. non residentib. Ioann. Andr. in cap. 1. de schismat. in 6. ✠. omnem personam. Felin. in cap. Quod super his. de fide Instrum. num. 12. Decius in cap. prætereà. de officio delegati. in notando. Sed plerique istorum reuerà id non asserunt expressè, sed confusè loquuntur circa varias leges pontificias, vt obseruauit Azor. lib. 5. 1. part. cap. 11. quæst. 5. vbi tamen tradit nostram sententiam, eo quod ex stilo curiæ soleant exprimi Cardinales, quando in odiosis eiusmodi pœnis comprehenduntur; additur enim clausula saltem generalis omnes cuiuscunque dignitatis & gradus complectens. Idem tradit Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 8. num. 25. Henriq. lib. 13. cap. 34. n. 2. & Layman tract. 5. lib. 1. p. 3. cap. 2. num. 2. vbi ait priuilegia Episcopis concessa propter status dignitatem extendi quoque ad Cardinales, statim verò constabit Censura generalis suspensionis & Interdicti non comprehendi Episcopos; Consentiunt etiam Auila. 3. p. disp. 4. dub. 2. Sayr & Hurtad. locis statim citandis contra Bonacin. disp. 1. de Censu. quæst. 1. p. 4. num. 16. & qu. 1. de legibus. p. 6. num. 34. & Vgolin. tab. 1. de Censu. cap. 17. §. 6. num. 10. & de arcta obligatione, quam habent Cardinales parendi legibus Ecclesiasticis, disputat. Azor. l. c. Albin. de Cardinalib. q. 42. priuileg. 13. & alij.

3. Episcopi comprehenduntur generali sententia Excommunicationis ab eorum superiore lata, non tamen suspensionis & interdicti, nisi eorum fit in illa sententia, peculiaris mentio.

Et quidem 2. pars huius assertionis perspicua est ex sanctione Innoc. IV. in Conc. Lugdun. qui noluit Episcopos generali eiusmodi sententia suspensionis vel interdicti comprehendi. cap. quia periculosum. de sentent. Excommunic. in 6. vbi Pontifex huius priuilegij causam petit ex munere Episcopali, cuius exequutio frequenter incumbit, & quæ suspendi & prohiberi non potest sine magno fidelium incommodo: quarè ea indulgentia voluit potiùs fauere subditis pontifex, quàm ipsis Episcopis, vt obseruauit glossa, & idcircò negant aliqui hoc priuilegium concessum fuisse dignitati Episcopi, ac proinde Episcopum electum & confirmatum, nondum tamen consecratum minimè gaudere eo priuilegio, cum ille Episcopus nundum munera Episcopalia possit exercere, cuius tamen muneris necessariam executionem asserebat pro causa huius priuilegij Pontifex; verùm etiamsi daremus necessitatem exercendi officium Episcopale fuisse causam principalem & adæquatam concedendi huius priuilegij, cùm fuerit tantùm motiua & impulsiua, primaria autem fuerit ipsa dignitas Episcopalis, vt ex simili cæteris in rebus priuilegiorum concessione facilè colligere licebit, non obtinerent Aduersarij, quod intendunt, officium enim Episcopale, cuius executionem retardari, aut suspendi non vult Pontifex, comprehendit non solùm actus ordinis, sed etiam Iurisdictionis, qui omnes actus geminæ illius potestatis prohibentur per suspensionem ab officio, vti docebimus inferius, & quorum exequutio frequenter incumbit: at verò tota Iurisdictio, eiusque exercitium, quando non requirit potestatem ordinis in exercente, reperitur in Episcopo electo & confirmato, licet nondum consecrato, ex cap. transmissam. in fin. de Electione, glossa. in cap. verum. de foro competenti. ✠. Consecratus. Alb. in cap. Etsi Clerici. §. de adulteriis. de iudiciis. n. 17. Felin. in cap. Eam te. de Rescriptis. n. 8. & aliis. Confirmatur ex aliis priuilegiis, quæ etiam ad Episcopos non consecratos extenduntur, vt priuilegium de Eligendo sibi Confessore. cap. vlt. de pœni. & Remission. de portãdo altari viatico cap. vlt. de priuilegiis in 6. Quarè nomẽ Episcopi & superiorum extendendum esse hoc loco ad electum & confirmatum, licet nondum consecratum docent Suar. disp. 28. s. 2. n. 7. Henriq. lib. 13. cap. 34. n. 2. Hurtad. de suspens. diffic. 9. n. 23. Sayr lib. 4. Thesau. cap. 12. n. 1. & seq. Ferdinan. à Castro tract. 29. disp. 4. p. 2. n. 5. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 2. Bonac. disp. 1. de Censu. q. 1. p. 4. n. 15. Alteri. disp. 7. de suspens. cap. 5. dub. 3. Villalob. tract. 16. tom. 1. diffic. 24. n. 10. Hæc porrò suspensio generalis, quæ non complectitur Episcopum, nisi de ipso fiat expressa mentio, intelligenda est de suspensione tum ab officio, tum à beneficio, vt glossa. in illud cap. Quia periculosum. ✠. officij monent. Alteri. & Villalob. & apertè probatur ex cap. Si compromissarius. de Elect. in 6. vnde Confirmatur, quod dicebamus adæquatam rationem huius priuilegij non fuisse executionem ordinis Episcopalis, illa enim non impeditur per suspensionem à beneficio. Prima pars nostræ assertionis nimirum generali sententia excommunicationis latæ à suo superiore comprehendi etiam Episcopos traditur à glossa in cap. cit. Quia periculosum. ✠. suspensionis. cui consentiunt Innoc. Hostiensi. Franc. Archidiacon. Ioann. Andr. & alij omnes Canonistæ, atque omnes Theologi 1. parte assertionis laudati. Alteri. lib. 3 de Excomm. disp. 10. c. 5. dub. 2. Suar. disp. 5. s. 1. n. 30. Vgolin. tab. 1. de Censu. c. 17. §. 6. n. 12. Fillue. tract. 11. cap. 5. q. 8. & tract. 12. cap. 1. q. 7. n. 23. Naua. cap. 27. n. 161. Ratio est, quia nullo iure eximuntur Episcopi constitutione, aut præcepto continente Excommunicationem. & in cap. Quia periculosum. Pontifex non meminit nisi suspensionis & interdicti, non autem Excommunicationis, & cùm priuilegium exorbitat à iure communi, strictius est interpretandum; & denique nemo negat Episcopos & Cardinales, eorum enim eandẽ & parem causam facimus, nemo, inquã, negat, hos omnes, si Clericum percutiant, incurrere in Excommunicationem latam cap. si quis suadente 17. q. 4. suntque plures aliæ eiusmodi excommunicationes in iure generaliter latæ, quibus obnoxios esse etiã Episcopos & Cardinales, consentiunt omnes, quarè cap. Quia periculosum, in quo Innoc. IV. de sola suspensione & interdicto loquitur, ad excommunicationem extendi non debet.

Dices. Ideircò Pontificem noluisse comprehendi Episcopos generali constitutione suspensionis & interdicti; quia periculosum est Episcopale munus cessare; atqui eadem prohibitio & cessatio muneris Episcopalis continget in Excommunicatione, quæ omnes effectus suspensionis

sortitur, & æquè impedit omnia munera Episcopalia: cùm igitur eadem valeat ratio in Excommunicatione atque in aliis Censuris, idem quoque circa illam factum fuit priuilegium.

Rx. in priuilegiis potiùs attendendam esse voluntatem Principis concedentis, & vni potiùs quam alteri, aut in vna causa, non in alia fauentis pro arbitrio, quamuis non absq; ratione, quam paritaté causæ, quæ ad similia impellere potuisset. Non deest tamen ratio, propter quam Pontifex aliter in nostro casu statuerit circa Excõmunicationem, quàm circa cæteras censuras. 1. quia stilus Curiæ fert, vt Episcopi aliique superiores, atque etiam Cardinales per sentẽtiam particularem ab homine non excõmunicentur passim, sed vel suspenduntur, vel interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, vt habetur cap. sanè. 2. de officio delegati. & cap. veritatis de dolo & contumacia; Idcircò ab eiusmodi sententiis generalibus suspensionis & interdicti eximit illos Pontifex, nisi ipsorum fieret singularis expressio; non meminit verò Excommunicationis eò quod vel soleant ab alio, quàm à summo Pontifice & raro admodũ excõmunicari. 2. quia excõmunicatio in has personas præcipua dignitate illustres non fertur, nisi ob ea crimina, quæ nullam priuilegij prærogatiuã merentur.

5 4. Nullæ dignitates eximunt Laicos à superiorum Ecclesiasticorum Censuris, neque vllum Ius commune, quarè si eximantur, id habent ex priuilegio aliquo singulari summi Pontificis. Ratio est aperta, quia subduntur suis Episcopis tãquàm oues suis pastoribus, neque quicquã habetur in iure, quo subducantur eiusmodi potestati; quarè gratis asserit Sylu. ℣. Excommunicatio. 1. n. 10. Imperatorem, aut Regem non posse Excommunicari à suo Episcopo, sed à solo Pontifice; quod idẽ asserit Bonac. disp. 1. q. 1. p. 4. n. 19. debent enim hoc priuilegiũ asserere, qui eo vti voluerint, cùm in iure communi non extet, immò ex illo contrarium colligatur, vt prosequitur Alteri. lib. 3. de Excomm. disp. 10. c. 5. dubi. 3. Immò Sylu. sibi ipsi in eodem loco contradicere videtur, quanquàm vsus iam obtinuerit, vt præcelsæ eiusmodi dignitati aliquid tribuatur, & cùm causæ, quæ ad censuras ferendas in eas personas impellere possent, grauissimæ esse debeant, iure merito ad primã sedem deferentur, immò cùm citationes monitionesq; Canonicæ præmitti debeant, solent ad superius tribunal prouocare; verùm quidquid sit de iure communi, constans vsus est in Gallia, vt Rex à nullo regni sui Antistite excommunicari possit, vt probant Ionn. Ferral. de Iure Regni Franciæ in 6. priuil. & Rebuff. Repetit. in cap. postulastis de Clerico excõ. minist. notab. 2. n. 75. quod verò Maynard. lib. 4. cap. 100. refert Alexand. IV. Clement. IV. & V. & Vrban. V. indulsisse suis rescriptis, ne Galliæ Reges ab ipsismet Romanis Pontificibus excommunicari possent, futile & ridiculũ est; quamuis autem nõdum occurrerit diploma Pontificium, quo Reges Christianissimi eximantur à potestate Episcoporum in hac parte, quia tamen constans est ille vsus in Gallia ex eo satis colligimus, id fuisse indultum summæ dignitati, neque absque causa, cùm enim non possint priuari subditi cõmunicatione cum principe absque maximo totius Regni incommodo, consentaneum fuit eiusmodi priuationis causã supremæ in Ecclesia potestati reseruari, quod quia etiam valet in officialibus & Magistratibus, in quos partem præcipuæ suæ Iurisdictionis Reges deriuant, idcircò idem quoque priuilegium, vt à nullo Regni Antistite valeant iure excommunicari sibi vindicant. Pluribus ostendit idem Rebuff. l. c.

5. Religiosi exempti à Iurisdictione Episcopi 6
excommunicari non possunt aut alia censura affici siue genera, lisiue peculiari illius sententia. Ita Alteri lib. 3. de Excomm. cap. 5. dub. 3. Couarru. in cap. Alma Mater. 1. p. §. 7. n. 5. Driedo. lib. 2. de libertat. Christia. cap. 8. Corduba. lib. 3. quæstionarij. q. 43. Eman. Roderiq. tom. 2. qq. Regular. q. 59. a. 5. vbi allegat diplomata Martini V. Clem. IV. Eugenij. IV. Sixti. IV. qui variis Ordinibus id priuilegium concesserunt, ita vt Excommunicationes aliæve censuræ contra eiusmodi Regulares ab Episcopis aliisque ordinariis latæ nullæ omninò & inualidæ sint ipso iure. Quod etiam extendendum est ad legatos à latere, nisi ad id habeant specialem authoritatem à sede Apostolica, vt Sixtus IV. Carmelitis indulsit, quo etiam casu debebit ille legatus nominatim exprimere, quem censura innodare intendit, neque sufficiet, si dicatur in sententia generaliter, vt perinde valeat, ac si essent expresè nominati ex Constitutione Martini V. ibidem ab Emanu. relata à 7. An vero ignorantia priuilegij faciat validam sententiam latam contra Regularem exemptum, distinguendũ est; vel enim priuilegium publicum est & vulgo notum, vel non est notum; si primum, ignorantia priuata Episcopi alteriusve iudicis ordinarij non firmabit eius sententiam contra priuilegium publicum & passim cognitum: si verò passim notum non sit, & ante probationem sententiæ non fuerit ostensum iudici, vel Episcopo, valida erit ea sententia non obstante contrario priuilegio. cap. cùm personæ. de Appellation. & cap. si ex duobus, modò tamen in priuilegio non fuerit apposita clausula irritans omnia & singula, quæ contra ipsius priuilegij tenorem fieri contingeret, vt obseruat Ricc. in 4. d. 18. a. 5. q. 5. quia Irritatio afficit Iudicem etiam ignorantem, quod Couarru. cap. 9. qq. practicar. n. 7. & Anton. Gabriel. tom. 2. comm. conclusio. lib. 6. tit. de clausulis con. 3. n. 36. 70. & 73. probant. Quarè vbi erit clausula eiusmodi irritans, sententia contra Regularem exemptum etiam non allegantem, aut exhibentem priuilegium exemptionis, erit ipso iure nulla; neque aliud voluit Naua. cap. 27. quando dixit sententiam contra tenorem priuilegiorum esse nullam. Riccard. allegat. ipsique consentit Sylu. ℣. Exemptio. n. 9. Neque tantùm Religiosi ordines exempti, eorumque loca ab ordinarij Iurisdictione independentia excommunicari & interdici ab ipsis directè non possunt, sed neque indirectè, eo quod alij ratione ipsorum excommunicentur, aut interdicantur, vt si qui molunt in eorum molendinis, qui panem ipsis coquunt, qui venditione, emptione aliisque modis cum ipsis communicant, excommunicarentur, aut interdicerentur, quod optimè probat Alteri. disp. 10. de interdicto cap. 6. ex cap. Quanto. de priuilegiis, ita vt sententia indirectè exemptos feriens nulla sit.

Fateor quidem plurimos esse casus, in quibus Trident. exemptos subiecit ordinariis tanquam delegatis à sede Apostolica. de quibus alibi.

Hinc inferunt Regulares istos vocatos ad publicã 7
processionẽ, & nõ parẽtes non posse plecti Censu. Ita Ioãn. Andr. de Regulis iuris in 6. Regula sciẽti. n. 7.

2. Colligitur non indigere absolutione hos Regulares ab eiusmodi inualida sententia, neq; teneri se abstinere à diuinis in foro externo, cùm illorũ priuilegia satis nota sint, aut facilè innotescere queant, quod non cõtingit in aliis priuatis personis singillatim priuilegiatis, illi enim ab ordinario iniustè atque etiã inualidè excommunicati, deberent tamen in foro externo gerere se pro Excõmunicatis, donec

constaret

constaret de nullitate sententiæ, immò & fortassis ad cautelam petenda esset excommunicatio, vt monet Alteri. quæst. 3. cit. ex Couarr. in cap. alma mater 1. p. §. 12. num. 7. & Nau. cap. 27. num. 272. quia ordinarius non tenetur priuilegio in corpore iuris non inserto, nisi probetur; quod ostendit Nauar. in capite placuit de pœnitent. dist. 6. à num. 186. quia priuilegium est quid facti.

Poterit nihilominus Episcopus Regularem exemptum, quem certò scit incidisse in excommunicationem iuris communis, aut in aliam quampiam à Pontifice latam publicè denuntiare excommunicatū vid. Alteri. l. c. tradit ex Cou. in c. Alma mater 1. p. §. 10. n. 4. & Nau. in cap. cum contingat de Rescriptis, in causa 6. 14. 15. de eiusmodi sententiis declaratoriis ibid. disputant.

6. Priuilegium alicui priuato concessum ne à quoquam excommunicari possit, nulla facta mentione Episcopi, illum tamen non excludit, sed solùm inferiores Iudices, nisi is cui indultum est priuilegium sit Rex aut Regina, aut ordo aliquis, vel locus Religiosus; atque ita hoc priuilegium exemptionis priuato concessum, intelligendum esse definiuit Clem. IV. cap. ne aliqui de priuileg. in 6. si tamen Religiosi maneant in Monasteriis, aut prioratibus ordinariò sui iectis, quamdiu ibi manebunt, excommunicari poterunt ab ordinario loci illius, quamuis in cæteris exempti sint, quod sanciuit in Concilio Lugdun. Innocent. IV. cap. 1. §. in eos autem de priuilegiis in 6.

Quod si priuilegium expressè eximat à potestate ordinarij, manet adhuc difficultas, an ille exemptus excommunicari possit ab Episcopo, in cuius diœcesi deliquit, quod fusius disputat glossa in c. placuit, 6. q. 3. ℣. Parochianum, affertque plura iura in vtramque partem, si enim non puniatur iste Reus priuilegiorum prætextu, crescet flagitiorum impunitas, si verò puniri possit, inutile est ipsi suum priuilegium, quarè tandem concludit, si delinquat in re non exempta, & quæ aliis non exemptis noceat, puniri & excommunicari posse ab Episcopo; si autem nemini noceat, non posse excommunicari, quod confirmat ex cap. cùm Capella c. patentibus, c. tuatum de priuilegiis.

Existimarem ego puniri debere, si liceat alia pœna, quàm censura. deinde si imponatur censura, posse Reum exemptione sui priuilegij vti, & ad Pontificem appellare, quod si non appellet, valere censuram, quandoquidem ipse videtur renuntiare fauori sui priuilegij, atque in dubio illo an possit contra illud priuilegium ordinarius delinquentem circa rem non exemptam, & cum graui damno non exemptorum censuris ferire, præsumendum sit pro ordinario, cui etiam possessio fauet ex iure cōmuni, cui priuilegium derogat, atque ea ex parte odiosum & strictius interpretandum est.

7. Qui in proprios & speciales Romanæ Ecclesiæ filios recepti sunt, neque excommunicari, neq; suspendi, aut interdici possunt ab alio, quàm à Romano Pontifice, aut eius legato. Et quidem difficultas non est circa excommunicationem & interdictum, Innocent. enim IV. cap. 1. de verbo. significatione, explicans quid ferant illa verba. *Recepimus vos in proprios & speciales filios*: quibus hospitalarios S. Ioan. dignatus fuerat, ait eiusmodi priuilegio ipsos non eximi à iurisdictione ordinariorum, sed id habere prærogatiuæ, vt ab alio, quàm à Romano Pontifice, vel Legato ab eius latere distincto interdici vel excommunicari non valeant: quare tota quæstio restat, an ad suspensionem quoque ea verba extendi debeant, quando quidem priuilegia non plus valent, quàm eorum verba sonent, siue significent, & sanè si voluisset Pontifex eximere à suspensione æquè eius meminisset, atque excommunicationis & interdicti, aut saltem vocem censuræ, aliamue aliquam generalem, quæ tres illas species vulgatas comprehenderet, vsurpasset, vti videmus fecisse. cap. 1. §. in eos de priuilegiis in 6. estque vulgaris regula, eum qui de vno dicit de altero negare, cap. qualis dist. 25. cùm Pretorff. de iudiciis, & nuper dicebamus; Episcopos, etiamsi ex cap. Quia periculosum de sententia excommunic. in 6. non comprehendantur sententiis generalibus suspensionis & interdicti, nisi eorum fiat expressa mentio, comprehendi nihilominus generalibus excommunicationibus, eo quod Innoc. IV. qui id indulsit Episcopis, non meminerit excommunicationis, sed solius suspensionis & interdicti: ergò etiam cùm idem Innocent. concedat propriis & specialibus Romanæ Ecclesiæ filiis, ne excommunicari, aut interdici possint ab ordinariis, neque meminerit suspensionis, reuerà illam noluit comprehendere, atq; ita existimat Suar. disp. 26. de cēs. l. 2. n. 5.

Persistandum nihilominùs est in sententia à nobis proposita, quæ in hoc priuilegio exemptionis comprehendit suspensionem, vt tradit glossa in cap. 1. citat. de verborum significat. in ℣. interdici, quam sequuntur communiter DD. in idem cap. Geminian. num. 1. Ancharan. num. item 2. & Franc. Alteri. disp. 7. de suspens. cap. 4. dub. 2. Bonac. disp. 1. de censu. quæst. 1. p. 4. num. 21. quia priuilegium extenditur ad casum non expressum, quando ex mente concedentis casus ille comprehendi potest, atque ita priuilegia sæculi militibus concessa, clericis quoque tribui dixit Panorm. in cap. sane de celebratio. missarum, num. 2. mentem autem Pontificis circa suspensionem comprehendendam in hoc priuilegio colligimus ex variis & certis regulis interpretandi iura & rescripta: 1. enim cùm conceditur maius quidpiam, iure merito existimatur concedi quoque minus in eodem genere, nisi obstet aliqua ratio diuersitatis, cap. ex parte 3. de decimis, vbi glossa, ℣. conceditur, addit è contrario vbi minora sunt vetita, prohiberi quoque maiora, cap. cùm illorum de sentent. excommuni. vbi etiam videnda est glossa, ℣. minora; atqui priuilegium exemptionis à sententia excommunicationis & interdicti ab ordinario maius omninò est, quàm exemptio à sententia suspensionis, eo quod grauiores sint illæ pœnæ: si igitur voluit Pontifex specialibus suis filiis maiorem hanc exemptionis prærogatiuam indulgere, voluit etiam & minorem facere intra idem censuræ genus. 2. non modò nulla potest afferri ratio diuersitatis in his exemptionibus à diuersis censuris, propter quam voluerit à maioribus suos filios eximere Pontifex, sed non à minoribus, sed omninò eadem & par causa videtur, quæ impulit Pontificem ad hanc indulgentiam præstandam, nimirùm grauitas pœnarum, quibus noluit amantissimos filios, quos sibi præcipuo quodam iure arrogarat ab aliis quàm à se ipso castigari, quamuis enim dixerimus suspensionē minorē pœnā esse aliis censuris, grauissima tamen est; quare non imprudenter fauorē istum Pontificiū ad suspensionē extendimus, similes enim extensiones in aliis casibus ex præsūpta mente legislatoris propter paritatē

rationis passim fieri videmus. Ita quamuis, l. fio. C. de reuocandis donat. dicat donationem reuocari tãtùm posse ex quinque causis, quas ibidem adducit glossa, ℣. voluerit. Nihilominus similitudine rationis extendit ad negata alimenta à donatario donatori ad inopiam redacto. Iustinian. Nouella. 115. c. 3. ob solas 14. causas, quas ibidem enumerat, permittit exhæredari filium, communis tamen sententia, quam latè prosequitur Iason in Authenti. non licet. C. de liberis præter. vel exhæredan. docet ob similem aliam, vel grauiorem causam filium exhæredari posse. Quod autem afferebatur ex generali regula, eum qui de vno dicit, de altero negare, verum est, quando illud alterum est omninò dissimile rei narratæ, vt dixit Dominic. in c. Qualis d. 25.

8. Quod diximus de personis exemptis, idem quoque dicendum est de locis, quæ interdici directè non possunt, nisi subiecta sint interdicenti, & sub illius iurisdictione; quamquàm aliquando locus exemptus indirectè interdicatur, ne interdictum à Iudice positum inutile fiat, quod verum est in interdicto generali locali, argum. c. si ciuitas de sententia excommunic. Ita Ferdinand. tract. 29. disp. 5. p. 3. §. 1. n. 7. & dicam q. sequenti.

QVÆSTIO IV.

De capacitate necessaria in subiecto Censuræ.

Status quæstionis n. 1.

Creaturæ irrationales sunt incapaces censuræ, n. 2.

Quo sensu anathematizentur dæmones, n. 3.

An pueri sint capaces censuræ, n. 4.

Quandonam amentes, & quomodò censuram incurrant, n. 5.

Persona, in quam fertur censura, determinata esse debet, n. 6.

Soli Clerici sunt capaces suspensionis, n. 7.

1 HÆc conditio, quam requirebamus in subiecto censuræ, probatione non indiget, cùm satis cõstet, frustrà & ridiculè ferri censuram in eum, qui talis pœnæ incapax est, nihil enim operabitur talis censura. Quædã verò subiecta omnis prorsùs cẽsuræ incapacia sunt, aliqua verò vnius tãtùm, aut alterius censuræ effectus habere nequeunt. Nihil igitur agendum aliud hoc loco videtur, quàm vt percurramus subiecta, quæ defectu huius conditionis siue capacitatis, censuris innodari nequeunt.

2 1. Igitur creaturæ irrationales neque excommunicari, neque vlla alia propria censura affici possunt, quia neque peccati, neque emendationis ad quam vnam censura dirigitur, capaces sunt, neque effectum in illis excommunicatio aliave censura habere potest. Quare totum illum processum, qui contra locustas, bruchos, aliaue animalcula depascentia agros aliquibus in locis fieri solet, vti referunt Chassan. cõsil. 1. & author mallei malefic. tom. 2. atque Raynaud. 2. p. de monito. cap. 12. n. 2. tanquàm superstitiosum & anilem reiiciunt Nauarr. conf. 52. de sententia excomm. Ceruello. 3. p. de superstitio. cap. 10. Alteri. lib. 3. de excomm. disp. 10. cap. 2. Ioann. de Lignano. tract. de excommuni. 59. num. 1. Sotus lib. 3. de iustitia, quæst. 12. art. 2. & lib. 8. quæst. 3. art. 3. Henriq. lib. 13. cap. 25. num. 1. Sanch. lib. 2. in decalog. cap. 42. num. 39. Delri. lib. 3. disquisitio, p. 2. quæst. 4. s. 8. & post lib. 6. in Anacephaleosi, monitione 11. contra Chassanæ. consili. cit. Quod verò aliquando dicantur hæ bestiolæ excommunicari, non nisi impropriè & abusiuè accipiuntur illæ voces pro quadam adiuratione & execratione, quo sensu anathematizantur sæpiùs hæreses & non tantùm hæretici in Conciliis, & in fidei professione præscripta à Pio IV. & in quibosdam Rescriptis principalibus apponitur hæc clausula, *si quis hanc nostram donationem infregerit, anathemate condemnetur, vt cum Iuda traditore partem habeat*; vnde non nisi insulsè quis colligat cum Laurentio Bouchel. in Bibliotheca iuris Gallicani, ℣. monitorium. Principes laicos posse anathemata & excommunicationes ferre, alioquin idem licere priuatis, asserere quis posset, nam & quibusdam sepulchris inscriptum legimus, vt qui ea violare præsumpserit, sit excommunicatus, & habeat partem cum Cain & Iuda proditore, vel sit maledictus, & in perpetuum anathemate obstrictus, quod obseruat Baron. an. Christi, 1097. n. 51. & mulier nescio quæ, Calici, quem dabat cuidam Monasterio diœcesis Aretinæ insculpi iussit anathema, ne quis illum subduceret, & sanè non exiguas dedit pœnas Arnaldus Aretinus Episcopus, qui eiusmodi calicem sibi abstulit; quod totum narrat Damian. opusc. 34. cap. 1. Quis autem dicat verum anathema prolatum fuisse ab ea muliere, & non potiùs quandam execrationem; quod idem fit contra irrationalia adiunctis ab Ecclesia orationibus, quibus Deum deprecatur, vt tantam pestem auertat, atque dæmonis, qui interdùm illis abutitur rabiem compescat, quare sæpè effectum suum sortiuntur, vt contingit in illo Episcopo Aretino ex Damiano, & in aliis recensitis à Chassan. consil. 1. cit. Nau. conf. 32. Item Theophil. Raynaud. 2. p. de monito. cap. 12. à n. 6. Hæ porrò adiurationes sæpiùs habent effectum diuina virtute, qui Sanctorum precibus annuit, & quàm timenda sit vera excommunicatio docet eiusmodi exemplis. Processus quoque illi quorum meminimus, quamuis superstitiosi suum quandoque sortiuntur effectum dæmone animalia, aliaue nocumenta aufferente, vt fidem conciliet huic vanitati & superstitioni, quod obseruant Nau. & Sanch. lõcis citatis.

2. Eodem sensu dæmones anathematizantur 3
aliquando, quod S. Bernard. solemni ritu præstitisse circa incubum dæmonem, qui miseræ mulieri illudebat, narrat eius vitæ author lib. 2. cap. 6. cùm enim emendationis capax nõ sit dæmon, neque communionis Ecclesiasticæ particeps, reuerà propriè excommunicari non potest. Est igitur ritus ille adiuratio & maledictio dæmonis, per quam adhibitis ad Deum precibus imperatur dæmoni vt nocere desinat, aut quidpiam præstet; quod in exorcismis fieri sæpè contingit. Itáque has excommunicationes interpretantur Sanch. lib. 2. in decalog. cap. 42. n. 32. & Suar. disp. 5. de censu. sect. 1. aliique passim, an verò aliqua iurisdictione in dæmones polleat Ecclesia dixi alibi.

3. Pueri, qui nondum vsu rationis pollent, cùm 4
neque mortaliter peccare, neque se emendare valeant, incapaces sunt excommunicationis aliusue censuræ, quod cũ Panorm. c. ab excommunicato. de

Rescriptis

Rescriptis. num. 9. concedunt omnes. Neque obstat huic assertioni, quod impuberes quibusdam censuris cap. 9. 1. & vlt. de sententia Excommunic. subiiciantur, nam illis locis non dicuntur impuberes, qui pueri & infantes omninò sunt, & nondum pleno rationis vsu pollent, sed qui nondum annos pubertatis attigerunt, si enim iam sunt doli capaces, censuras quoque incurrere poterunt, quod euidens ratio demonstrat, cùm enim hi pueri possint admittere culpam mortalem, poterunt quoque pœnam & censuram illi culpæ annexam subire; quod postremum malè negarunt aliqui contra expressa iura allegata, vt tamen sententiam Excommunicationis latam ab homine propter contumaciam subire teneantur, debent attigisse pubertatis annos, quod ex Panormit. Socin. alisque iuristis docet Vgolin. tab. 1. de Censu. cap. 17. §. 3. sub fin. Suar disp. 8. de Censu. f. 1. num. 19. Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 8. num. 4. Villalob. 1. p. tract. 16. diffic. 14. num. 5. quia non potest impubes citari, aut iudiciarium ordinem intelligere. Hæc tamen opinio ita limitatur à Suar. l. c. Alterio. lib. 3. de Excommunic. disp. 10. cap. 4. dubit. 2. Koni. disp. 13. dub. 6. Hurtad. de Censu. in communi diffi. 7. num. 30. Bonac. disp. 1. de Censu. q. 1. p. 4. num. 9. vbi alios allegat, vt sententia in eiusmodi impuberem doli capacem iniusta & illicita sit contra iuris ordinem lata, non tamen inualida ex eo capite, immò si absque indecentia ferri potuit, iusta quoque erit: vnde quando interdictum generale est, illo ligantur pueri doli capaces, vti omnes consentiunt; immò etiamsi infantes omninò sint, & minimè doli capaces afficiuntur aliqua ex parte interdicto generali, sed indirectò tantùm, prohibentur enim tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, quæ pœna directè cadit in clericos sepelientes. Ita Sylu. ℣. interdictum. 2. n. 18. Couarru. in cap. alma mater. 2. p. §. 4. n. 5. Hurtad. de interdicto. diff. 4. n. n. 9. Sayr. lib. 5. cap. 4. n. 21. Valent. tom. 4. dis. 7. q. 18. p. 2. Auila. 5. p. disp. 1. dub. 4. con. 5. Henriq. lib. 13. cap. 42. n. 3. Bonac. disp. 5. de Censu. p. 1. n. 22. non affici autem proprio interdicto probat Alteri. disp. 10. de interdicto. cap. 6.

5 4. Insani & amentes, si quando in legem, aut præceptum generale, cui annexa est censura peccarunt, erant sui compotes, Censuram reuerà incurrunt: Non debent tamen per sententiam iudicis excõmunicari aliave censura feriri, quãdiu insania laborãt, etiamsi dum deliquerunt, sana mente essent.

1. Pars traditur ab Alterio. lib. 3. de Excomm. disp. 10. c. 4. dubit. 3. Hurtad. de Censu. in comm. diffic. 7. n. 31. Suar. disp. 5. de Censu. s. 1. n. 20. Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 8. n. 2. & 3. Layman tract. 5. lib. 1. p. 4. cap. 4. Villalob. tom. 1. tract. 16. diffi. 14. & alij passim: quia vsus rationis & libertas requiritur quidem ad ponendam causam Censuræ, non verò ad illam contrahendam, cùm enim causa censuræ sit solummodo culpa mortalis, quæ si libera non est, neque culpa, neque mortalis est, reuerà causa censuræ poni nequit nisi ab agente libero, ipsa verò censura, cùm sit pœna quædam, imponi potest etiã nõ vtenti sua libertate, atque ita si quis liberè mãdauit occidi clericum, etiamsi deinde dormiat, aut in insaniam inciderit, dum occiditur ille clericus, ligatur excõmunicatione in percussores Clericorum, eamve percussionem mandantes lata, & quando interdictum intorquetur in communitatem, in qua sunt amentes etiam perpetui, illi eadem lege tenentur, cùm sententia generalis nullas faciat exceptiones, non tamẽ tenebũtur illi præcepto interdicti, neque si illud violent, incurrent pœnas iure latas, sed solùm indirectè interdicuntur, quia non possunt illis exhiberi quædam, quæ non interdictis possent. Neque aliud volunt DD. dum in subiecto interdicti rationis vsum requirunt, vt Couarru. in cap. alma mater 2. p. §. 4. n. 5. Sylu. ℣. interdictũ. 2. n. 17. Sayr. lib. 5. Thesau. cap. 10. n. 6. Henriq. lib. 13. cap. 42. n. 3. & alij relati à Bonac. disp. 5. de Censu. p. 1. n. 21. Alteri. disp. 1. de Interd. cap. 5. dub. 4. q. 4. adde etiam Insanum esse capacem alicuius effectus censuræ, vt priuationis suffragiorum, etsi non omnium vt obseruauit Hurtad. neque enim tenebitur abstinere ab iis actionibus, quæ excommunicato v. gr. prohibentur, omnis siquidem prohibitio supponit liberũ arbitriũ & rationis vsũ in eo cui imponitur.

2. Pars, nimirùm non esse ligandum censura à iudice insanum, etiãsi, dum causam dedit, sanæ mẽtis fuisset, traditur ab iisdem DD. de eo quod non deceat torqueri eiusmodi hominẽ; quanquàm si feratur in illũ sententia valide omninò feratur, immò si amentia perpetua non sit, sed tẽporalis, siue quia lucida quædam interualla solitus est habere, siue quia spes est remedij, non solùm valida, sed etiam iusta fuerit ea sententia, vti censent Suar. & Alteri. quia & vsus rationis adfuit, quando commissa fuit contumacia, & post contractam censuram aderit, vt Reus possit sese emendare, qui est primarius finis Censuræ, neque aliam ob causam negamus iustam fore illam censuram, si ferretur in amentem perpetuò, nisi quia foret inutilis ob impossibilem emendationem, vndè non modò ligandus censura non esset insanus eiusmodi, sed potius, si iam ligatus esset, absolui deberet.

5. Persona, in quam fertur Censura, determinata esse debet, si enim vagè & indeterminatè in hanc vel illam personam ferretur, v. g. Excommunicatio, nulla esset, quod latè probat Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 8. n. 26. & 27. post glossam, in cap. si sacerdos. de officio ordinarii ℣. remouere à diuinis, & Panorm. ibid. n. 14. quibus Vgolin. de censuris, tab. 12. c. 17. §. 4. n. 2. & reliqui consentiunt, quarè iure merito Sayr. n. 27. cit. reiicit Socinum seniorem, qui in cap. perpendimus de sententia excommunic. n. 225. dixit omnes illos, qui furtum commiserunt, excommunicatos esse in foro interiori, quando excommunicatur indeterminatè vnus ex illis, qui furtum admiserunt, cùm enim actus non operentur vltra intentionẽ agentis, vt ratiocinatur hoc loco Panorm. & Iudex vnum tantùm excommunicare voluerit, non omnes, insulsè dicitur omnes excommunicari, siue in interiori, siue in exteriori foro, quia verò nulla est maior ratio, cur vnus potiùs, quam alter excommunicetur, & intentio excommunicantis ad nullum ex pluribus furibus determinatur ex modo loquendi, aut ex aliis circũstantiis, nullus reuerà excõmunicabitur: sicut nulla hostia cõsecratur, quãdo quis vnam tantùm ex pluribus præsentibus consecrare vult, neque determinat quãnam ex illis præsentibus velit consecrare, quod fusius ostẽdimus in 3 partẽ S. Th. debet igitur intentio excõmunicantis determinata esse, vt quidpiã operetur, nam vt dixit glossa cit. sententia incerta rei iudicatæ authoritatẽ non habet; sicut & illa, quæ certam quantitatẽ non habet, nulla est. L. penult. & vlt. C. de sentent. quæ sine certa quantitate. Contractus quoq; emptionis & venditionis, in quo res alienata incerta est, nullã vim obtinet; si Titio quidpiam legatũ fuerat, neque appareat, de quo Titio loquatur testator, nulli dabitur legatũ. l. in vẽditionibus. ff. de cõtrahẽda Emptio. &

l. 3. §. si duobus. ff. de adim. lega. si ex pluribus seruis eiusdem nominis vnus liber esse iustus sit, nullus liber erit. L. cum ex pluribus. ff. de manumissione, testamenta.

6. Soli Clerici incurrere possunt Censuram sus-
7 pensionis. Ita glossa in cap. Quicunque, de sententia Excommunic. in 6. ℣. ministros. Innoc. in cap. vlt. de Excessibus Prælator. Panorm. in cap. dura sæpe de crimine falsi. n. 10. Sylu. 4. suspensio. initio. Antonin. 3. parte tit. 27. cap. 1. Nau. cap. 27. n. 133. & 159. alijque deinceps. quanquam nonnulli vtantur voce personæ Ecclesiasticæ, dum assignant subiectum suspensionis, quæ vox latius patere videtur, quàm nomen clerici, si tamen de propria suspensione loquamur solos Clericos illius capaces esse dicendum est, quia suspensionis huius effectus omnes versantur circa beneficium, cuius solius capaces sunt clerici; vnde vulgaris doctrina Canonistarum est, subiectum Excommunicationis latius patere subiecto suspensionis, quandoquidem fideles omnes capaces sunt excommunicationis, suspensionis verò soli clerici, & sanè nunquàm in toto iure legere licet suspensionem ferri in alios, quàm in Clericos, quod enim aliquando Laici suspendantur à perceptione Eucharistiæ, vt in extrau. vnica. de Censib. inter communes, statim apparet, impropriè vsurpari eam vocem pro peculiari pœna, quæ sit pars Excommunicationis maioris, priuetque vsu passiuo sacramentorum, atque ex ipsis verbis Pontificis constat illum longè aliter loqui de suspensione Laicorum, quàm Clericorum, quos etiam ab officio ibidem suspendit.

Dices, suspensionem priuare suspensum exercitio ordinis, tum obtenti, tum obtinendi, & suspensionem quoque à beneficio, quæ inducit priuationem fructuum beneficij non restringi ad beneficium tantùm obtentum, sed etiam ad obtinendum extendi, atque adeò Laicus cùm possit obtinere beneficium, capax erit vtriusque illius suspensionis, aut si requiratur vel ordo, vel beneficium iam obtentum, dicendum erit solum clericum ordinatum aut beneficiatum esse capacem suspensionis.

℟. Suspensionem priuare primò & per se exercitio ordinis & beneficij fructibus, ex quaniam verò consequutione extendi quoque ad nouum ordinem obtinendum, nouumque beneficium, quatenus ex priuatione ordinis habiti & beneficij nascitur quoque inhabilitas ad vlteriorem ordinem nouumque beneficium, sed vt ea sit vera suspensio supponere debet potentiam proximam ad ordines & beneficia, qualis potentia non est in Laico, sed in solo clerico; ordo enim inferior, vt subtiliter aduertit Suar. disp. 28. de Censu. s. 2. n. 3. & ex illo pro more Alteri. disp. 7. de suspensio. cap. 4. dubit. 1. est veluti potentia proxima ad superiorem, cuius potentiæ vsus est ipsa susceptio superioris ordinis prima quoque tonsura est veluti potentia ad omnes ordines, atque adeò susceptio primi ordinis est veluti quidam vsus primæ tonsuræ & clericatus. Ex quibus vides Laicum nō posse suspendi, quamuis enim impediatur per quandam inhabilitatem & Irregularitatem à suscipiendo ordine, non tamen per suspensionem, qua impeditur vsus & exercitium potentiæ proximæ ad ordinem vel beneficium Ecclesiasticum, cùm reuerà nullam eiusmodi potentiam habeat; Clericus autem, etiamsi nullo adhuc initiatus ordine, suspendi tamen poterit ab ordine, si impediatur, ne vllum ordinem suscipiat, quia priuatur vsu clericatus & primæ tōsuræ, per quam est in potentia proxima ad suscipiendum talem ordinem, quanquam vix eam suspensionem esse in vsu existimet Suar. putetque multò commodius einsmodi clericum suspendi posse ab omni Iurisdictione Ecclesiastica, aut beneficio, quia durante suspensione impeditur ne quod Ecclesiasticum officium aut beneficiū acquirat, quamuis illius proximè capax sit, verum cum sit æquè capax ordinis sacramentalis, ab eiusque susceptione prohibeatur, æquè etiam ab ordine suspendi dicetur. Falsò igitur dixit Armilla. ℣. suspensio n. 17. illum omnem, qui potest excommunicari, posse quoque suspendi; quare Religiosi, non clerici, etiamsi censeantur personæ Ecclesiasticæ. cap. duo sunt. 12. q. 1. nequeunt tamen suspendi; sicut neque Abbatissæ contra quàm sensit Henriq. lib. 53. cap. 34. n. 2. quia nullam habent Iurisdictionem Ecclesiasticam, quamuis non repugnet illam ipsis committi, vti diximus alibi.

QVÆSTIO V.

De Censura in communitatem lata.

PRIMA *propositio. Communitas nequit excommunicari.n.* .
Probatio propositionis. n. 2.
An sententia Excommunicationis lata in communicatem sit nulla. n. 3.
Quid si feratur ea Excommunicatio à Pontifice. ibid.
Quid si à prælatis inferioribus. n. 4.
2. *Propositio. Communitas Clericorum aliquando suspendi potest. n.* 5.
Quomodo feretur suspensio in Communitatem, & 1. quidem collectiue. n. 6.
Suspendi potest communitas distributiue. n. 7.
Quomodo sit intelligenda suspensio, quando absolutè suspenditur communitas. n. 8.

EGimus hactenùs de singularibus personis, quæ possunt esse subiecta Censuræ, nunc videndum restat, an ea capacitas reperiri possit in aliqua communitate, quæ in iure est persona ficta.

PRIMA PROPOSITIO.

Nulla Communitas potest Excommunicari.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Prima hæc propositio perspicuè traditur cap. 1
Romana. de sentent. Excomm. in 6. quarè in eam omnes, quos latè enumerat Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 8. num. 15. consentiunt: Ratioque, in qua reddenda plurimi laborant, perspicua mihi videtur ex capacitate effectus Censuræ, quam requirebamus in eius subiecto, quod etiam causam Censuræ dedisse debet, dum agitur de Excommunicatione; vel igitur excommunicabitur Cūmunitas vt est vnum quoddā corpus politicum, & persona quædam ficta & repræsētata, vt loquuntur Iuristæ, & quos Ludouic. Gomezi. in Regula Cancella.

Cancella de Idiomate. qu. 2. Initio de significatione personæ disputans allegat; ita vt excommunicatio, sicut & alia, quæ communitatem, vt sic afficiunt, non cadat in singulas personas secundum se, sed quatenus vnum corpus, & vnam personam fictam constituunt. Vel excommunicabitur Communitas, quatenus est collectio quædam, & multitudo plurium personarum, in quas omnes & singulas cadet excommunicatio, sed collectiuè sumptas, non determinatè siue distributiuè secundum se. Communitas sumpta priori modo non est capax effectus censuræ, nimirum priuationis suffragiorum, communionis, vsus actiui & passiui sacramentorum, aliorumque eiusmodi quæ personæ fictæ minimè conueniunt, vt communiter docent Canonistæ apud Couarru. lib. 1. variar. cap. 8. numero 9. & Gomezi. l. c. quorum ratio ita explicata male reiicitur à Sayro & aliis. Hæc quoque communitas sic considerata causam censuræ non dedit, cùm peccatum mortale, neque vlla actio verè prodeat à communitate ita accepta, sed à singulis personis eam multitudinem constituentibus, vti argumentatur S. Thom. in 4. d. 18. qu. 2. a. 3. ad 2. subiectum verò quod excommunicatur, peccasse oportet, vti disq. seq. docebimus, cùm hæc censura nunquam ob peccatum alienum incurri possit, quod fortassis cæteris censuris non conuenit. Iam verò neque posse excommunicari communitatem collectiuè sumptam siue excommunicatione cadente in totum collegium atque adeò in omnes & singulos, ex quorum collectione coalescit ea vniuersitas, ex eo patet, quod etiamsi singuli forent capaces excommunicationis, atque eius effectuum, minimè tamen fieri potest, vt omnes & singuli deliquerint, & causam dederint Excommunicationi, etiamsi culpa tribuatur toti communitati, eo quod à maiori parte commissa, vel imperata fuerit, atque ita quoad aliquos effectus iotis tota communitas collectiuè accipiatur, immò & aliqua pœna plectatur vel suspensione, vel interdicto, vti videbimus statim. At verò cùm reuera singuli non deliquerint, & excommunicatio prærequirat delictum in illis omnibus, quos afficit, fieri nequit, vt singuli etiam collectiuè sumpti feriantur excommunicatione, sed necessariò innocentes illa immunes erunt, ac proinde tota communitas, etiam vt collectio quædam est, multitudinem plurium complectens non excommunicabitur; quæ fuit ratio S. Thom. l.c. atque adeò ipsius Innoc. IV. in cap. Romana cit. vniuersitatem excommunicari prohibentis propter periculum animarum, & ne contingat eiusmodi sententia irretiri innocentes.

3 Hinc solues vulgarem quæstionem, circa quam dissident plurimùm Canonistæ apud Sayr. cap. 8. cit. numero 17. an si sententia excommunicationis feratur in aliquam vniuersitatem, non modò sit illegitima & iniusta, sed etiam inualida & nulla. Distinguendum enim est cum eodem Sayro, numero 18. & Alteri lib. 3. de Excommunic. disputat 10. cap. 6. vel enim ea sententia profertur à summo Pontifice, vel ab alio quopiam inferiore prælato; si primum contingat, & excommunicatio feratur in communitatem vt sic, & quatenùs ficta quædam persona est, inualida foret ea sententia, quia subiectum, in quod fertur, incapax esset eius effectus, vt ostendi; si verò feretur in communitatem collectiuè sumptam modo superiùs explicato, & omnes ac singuli verè deliquissent, valida esset & licita Excommunicatio, ea enim in eiusmodi casu non prohibetur ferri in communitatem, nisi lege Ecclesiastica, vt patet, cui tunc derogaret Pontifex, vti posset: si verò singuli non deliquissent, tota communitas collectiuè sumpta non excommunicaretur, sed Rei duntaxat, & nocentes; atque ita foret exponenda mens Pontificis, quarè si qui post eam pronuntiatam sententiam fierent partes illius communitatis etiam durante excommunicatione, illi tamen minime ligarentur, quod optimè vidit Couarru. cap. 8. cit. adducens in eam rem Felin. in cap. Responso. de sentent. Excomm. Iason, Paulum, Imolam, Aretinum & alios. Si verò alia esset mens Pontificis, velletque omninò totam communitatem collectiuè sumptam subiici Excommunicationi, peccaret, & nisi tota communitas deliquisset, inualidam ferret sententiam, quoad innocentes saltem, quod nemo ambigit, immò si nocentes non possent discerni ab Innocentibus, videretur mihi inualida sententia, quidquid dicat in contrarium Alterius, qui vult omnes constantes eiusmodi communitatem vitandos esse, etiamsi innocentes reuerà non excommunicentur, neque secreto de eis se vt tales gerere. Verum ea sententia videtur mihi indeterminatè ferri, ac proinde nullam esse ex iis, quæ superius ostendimus. Et Couarru. l. c. quamuis fateatur sententiam, quæ Excommunicationem malè pronuntiatam in vniuersitatem à Iudice, dicit ligare eos, qui deliquerunt, tutiorem esse, eamque docet glossa, in cap. Romana cit. §. in vniuersitatem §. penitùs. Et Felin. in cap. dilectæ. de exceptionibus. Contrariam tamen, quam sequimur, & quæ nullam esse eam Censuram existimat, ex Iuris rigore tenendam esse tradit, & communem DD. esse affirmat.

Si verò Prælati Pontifice inferiores communitatem excommunicent, quia nouerunt collectiuè omnes & singulos deliquisse, validam & iustam esse excommunicationem existimant DD. 4 quia non obstat prohibitio Pontificia c. Romana, cessat enim eius dicta ratio, quandoquidem periculum, ne innoxij plectantur eadem pœna cum nocentibus cessat eo casu, cum constet omnes & singulos deliquisse, neque afferri quicquam potest, vnde inanis reddatur ea sententia, quando subiectum, in quod fertur, est illius capax, illique causam dedit, vti ostendimus; prohibitio verò Pontificia, quæ iniustam saltem reddidisse videtur eam sententiam, cessat prorsus sublata causa, quæ mouerat Pontificem ad eam sanctionem ferendam. Quando verò non constaret Iudici, omnes & singulos vniuersitatis deliquisse, & tamen in vniuersitatem proferret sententiam Excommunicationis, peccaret grauiter, ligaret tamen eos, qui reuerà deliquissent, existimant aliqui, etsi enim Pontifex in dicto cap. Romana. grauiter edicat, ne vniuersitates subiiciantur excommunicationi, ac proinde non possit eiusmodi Edictum absque grauiori culpa violari, non tamen annullat eas Excommunicationes. Verius tamen docet Alteri. eam inualidam fore, cùm omnes tum Rei, tum innoxij sine distinctione excommunicentur; quarè Sayr. non audet damnare Irregularitatis eum, qui post eam sententiam Missam celebrasset. Si quando igitur contingat ferri excommunicationes in capitula, conuentus, vniuersitates, communitates, explicanda erit sententia de iis, qui in ea communitate deliquerint, atque ita sæpiùs excommunicantur omnes & singuli de Capitulo, qui tale crimē admiserint; quod tradunt communiter authores. Itaque intellige, si quando legas excommunica-

tum fuiſſe capitulum in cap. ſignificauit.de Exceptionibus quanquam vox Excommunicationis latius interdum ſumatur pro Interdicto,quod diſq. 1. monuiſſe memini.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Suſpenſio ferri aliquando poteſt in communitatem Clericorum.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Hæc propoſitio de ſuſpenſione ferenda in communitatem aliquam Clericorum perſpicua eſt in Iure locis mox afferendis, & ab omnibus magno conſenſu traditur, eiuſque ratio euidens fiet ſi aduertas communitatem triplici ratione conſiderari, 1. vt eſt quædam collectio & totum, 2. diſtributiuè ſecundum ſingulas partes illius totius & collectionis. 3. vt tum collectiuè, tum diſtributiuè ſumitur.

6 Dico autẽ ea ratione ſuſpendi poſſe communitatem, 1. vt eſt quoddam corpus ex multis ſingularibus conſtitutum, ita vt ſuſpenſio non cadat in ſingulos,ſed in illud duntaxat totum, ſiue corpus, ſiue vt alij loquuntur, in communitatem formaliter; quia communitas & Capitulum,vt ſic, poteſt habere aliquam iuriſdictionem, atque beneficia, quæ non conueniant ſingulis, ſed ipſi tantùm communitati, poterit igitur communitas tum ab officio, hoc eſt ab exercendis actionibus Iuriſdictionis ſibi competentis,tùm à beneficio, hoc eſt à percipiendis fructibus beneficij ſibi vniti ſuſpendi. Cùm itaque communitas formaliter ſumpta ſit capax effectus ſuſpenſionis, atque in ſuſpendente ſit Iuriſdictio in communitatem, non eſt vnde dicamus eiuſmodi ſuſpenſionem vel inualidam, vel illicitam eſſe, & ſanè plura huius Cenſuræ exempla habemus in iure, nam Trident. ſeſſ. 24. cap. 16. Capitulum quod ſede vacante non conſtituit œconomum & Vicarium tempore & modo præſcriptis, priuat facultate illos deinde conſtituendi,& cap. vnic. Ne ſede vacante,in 6. meminit ſuſpenſionis Capituli à collatione beneficiorum, ait enim Prælatum poſſe conferre præbendas vacantes, ſi contingat Capitulum, vel maiorem eius partem eſſe ſuſpenſam:Ea verò ſuſpenſio eſt ab officio;neque dicas ſaltem non poſſe ſuſpendi ab ordine capitulum, quia vt ſic non poteſt exercere actum ordinis, ſed ſolùm per aliquem à ſe diſtinctum huic muneri, nam cùm ſaltem Capitulum ſæpius habeat iuriſdictionem delegandi aliquem ad miniſteria, ſuſpendi poterit non quidem à proximo & immediato exercitio ordinis, ſed à Iuriſdictione delegandi aliquem ad eiuſmodi actus exercendos. Suſpenſionem Capituli à beneficijs habemus in extrauag. 1.circa fin de Electione, & in cap. quia de Electione in 6. quam ſuſpenſionem cadere in ipſa capitula, & non ſingulares tantùm illius perſonas colligitur ex eo, quod illis locis ſuſpendantur capitula,collegia & conuentus,quos de Regularibus interpretatur gloſſa omninò ad mentem Pontificis, atqui Religioſi,vt ſunt ſingulares perſonæ, non poſſident beneficia, ſed ipſa communitas Religioſa, etiamſi illa dederit ſingulis deinde poſſidenda, qua fortaſſis ratione dici poſſent etiam ſuſpendi Regulares beneficiari, ſed cùm eadem loca,tum Conuentus & Collegia, tum ſingulares eorum perſonæ ſuſpendãtur,manifeſtum eſt non modo diſtributiuè, ſed etiam collectiuè Capitula ſuſpendi à beneficiu maximè cùm par tatio ſit communitatis, atque ſingularum perſonarum hac in parte,vti iam docui. In hac ſuſpenſione communitatis comprehenduntur ſinguli, quatenùs ſunt partes illius, etiamſi ſint inculpabiles, quia per accidens tantum puniuntur in his,quæ ſibi conueniunt, quatenùs ſunt partes illius communitatis. Ita Konin. diſp. 15. n. 26 Hurtado de ſuſpenſione. difficultate. 9.n.25.

2.ſuſpendi poteſt communitas ab officio & be- 7
neficio diſtributiuè,ita vt ſinguli conſtantes eiuſmodi communitatem maneant ſuſpenſi à ſuis proprijs & perſonalibus beneficiis & officiis, vti factum dicebamus in citat.cap.quia ſæpe, de Electione in 6. & Ratio eſt manifeſta,quia facilè potuerunt ſinguli in capitulo vnanimi conſenſu imperare actionem, propter quam fertur ſuſpenſio, aut etiam ſinguli,ſi pauci ſint in ea communitate, ſimul eam culpam commiſiſſe, quo caſu etiam excommunicari poſſe communitatem diſtributiuè ſumptam monebamus. Debet tamen crimen,quod eſt cauſa ſuſpenſionis, non tantùm à maiori Capituli parte,ſed etiam à ſingulis patratum fuiſſe vt non modò communitas, ſed etiam ſinguli illam conſtituentes à ſuis officiis & beneficiis priuari poſſint. Ratio à priori eſt, quia vt argumentatur Kon. & Hurtado. l. cit. ſupponitque omninò Sua. diſp.28.n.4.ſ. 3. nemo poteſt in ſe & per ſe puniri & priuari Iure ſibi vt particulari perſonæ acquiſito propter alienam tãtùm culpam. Obſeruant tamen Suar.diſp. 28. ſ. 3.& ex illo Alteri. diſp.7.de ſuſpenſ.cap.5. tunc iungi ſimul duplicem cenſuram,quarum vna cadat in communitatem collectiuè ſiue formaliter ſumptam, altera in ſingulas partes eiuſdem communitatis diſtributiuè acceptas:Qui erat tertius ille modus,quo dicebamus ſuſpendi poſſe communitatem, & qui ſatis probatus manet ex dictis ex eo quod non repugnet illos ſimul iungi reſpectu eiuſdem communitatis, vti fuit hactenus oſtenſum.

Quando verò ſuſpenditur ſimpliciter & abſo- 8
lutè Capitulum, aut vniuerſitas, intelligenda eſt ſuſpenſio cadere in capitulum collectiuè, ſiue vt quoddam vnum corpus eſt, non autem in ſingulas perſonas diſtributiuè, niſi aliud ex materia & & ex circunſtantijs colligatur,aut in iure vel ſententia declaretur, quod obſeruant Suar. & Alteri locis citat. quia hæc nomina Capitulum, Collegiũ,Conuentus & vniuerſitas alia que ſimilia non ſignificant propriè ſingulas perſonas, ſed ipſam communitatem,vt vnum quoddam corpus eſt, vt ex l. ſicut municipium. ff. quod cuiuſque vniuerſitas. ff. de rerum diuiſion. & l. ſed etſi.§. qui manumittitur.ff.de in Ius vocan.colligitur;atqui nulla eſt cauſa impropriandi has voces in ſententia ſuſpenſionis, quandoquidem communitas & Capitulum formaliter eſt capax ſuſpenſionis tum ab officio, tum à beneficio,vti diximus,igitur retinenda erit propria vocum illarum acceptio, niſi, vt dixi,aliud ſententia,aut ius deſignet,quod obſeruabamus contineri in cap. Quia ſæpè de Elect.in 6. Vbi tum communitas,tum ſingulares perſonæ ſuſpenduntur,aliquando etiam materia ſubiecta cogit ad ſuſpenſionem eiuſmodi diſtributiuam, quando nimirum fertur contra aliquam communitatem, quæ non facit vnum corpus, ſed potius quandam ſolùm multitudinem, nulla alia ratione, quàm ſimilitudine quadam colligatam, & quæ nullas actiones, vt ſic, ſibi proprias habet, neque enim

omnes

omnes clerici Lugdunenses faciunt vnum Corpus aut capitulum; si itaque suspenderentur à suis propriis officiis & beneficiis, quamuis nomine collectiuo expressi & designati fuissent, neque tantùm Clerici sæculares, sed etiam Religiosi comprehenderetur sententia generaliter lata in omnes clericos, si Iudex illam ferens Iurisdictionem quoque habeat in Regulares, quod latè probat Alteri. disp. 7.c.4.dub.4. quia clerici nomen ex sua natiua significatione indifferens est ad sæcularem & Regularem, & vtrumque æquè comprehendit. Simili quoque ratione sententia generaliter lata in omnes, qui quidpiam fecerint, cadit in capitula & vniuersitates, si committere possunt id, quod prohibetur, vt idem Alteri. cap. 5. sub fin. & Sua. disp. 28. de Censu. f. 2. probabilissimè asserunt.

QVÆSTIO VI.

De Interdicto Communitatis.

EX Censuris restat Interdictum, de quo vtrum in communitatem ferri possit, quærendum est.

PROPOSITIO.

Communitas interdici potest.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Hanc propositionem cap. Romana. §. in vniuersitatem. & cap. si sententia. de sentent. Excomm. in 6. tanquam certam supponit, & vsus ipse cottidianus probat, atque ex diuisione Interdicti in generale & speciale, quorum vtrumque est tum personale tum locale, perspicuè colligitur.

Interdictum igitur generale, personale fertur in aliquam communitatem non formaliter siue collectiuè, sed distributiuè sumptam, ita vt cadat in singulas personas, quatenùs & quamdiu sunt partes illius communitatis, ita vt singulæ prohibeantur interesse diuinis, percipere sacramenta, & priuentur Ecclesiastica sepultura, siue causam Interdicto dederint, siue non dederint, sintque ea in parte criminis immunes. Vnde vides Interdictum differre à suspensione, quæ cadit aliquando in communitatem abstractè, siue formaliter & collectiuè tantùm sumptam; si verò comprehendat singulas partes communitatis distributiuè, non nisi culpabiles afficit, quæ omnia secus se habent in Interdicto personali, quo interdicitur aliqua communitas, nã fertur, in singulas illius personas, quandoquidem cõmunitas abstractè sumpta est incapax effectuum

effectuũ huius cenſuræ, percipere enim ſacramenta, intereſſe diuinis officus, donari Eccleſiaſtica ſepultura, quæ prohibentur Interdicto, pertinent ad ſingulares perſonas, & non ad communitatem formaliter ſumptam, & præterquàm quod tota illa ſententia careret effectu, & fruſtratoria atque inutilis foret, ſi ſola communitas & non ſingulæ perſonæ illam conſtantes interdicerentur, poſſent enim ſingulæ intereſſe diuinis officiis, percipere ſacramenta, & quæ Interdicto prohibentur adhuc exercere, atque ita fruſtra larum fuiſſet Interdictum, quod aduertit Boniſ. VIII. cap. ſi ſententia. de ſentent. Excomm. in 6. Cùm igitur iſta cenſura neceſſariò cadat in ſingulas perſonas, quatenùs ſunt partes & membra communitatis, quæ interdicitur, neque vlla ratio ſit propter quam vna potius quàm alia comprehendatur, eiuſmodi ſententia, quandoquidem omnes & ſingulæ ſunt æqualiter partes illius communitatis, & ratio adæquata propter quam interdicuntur, eſt quod participent rationem partis in ea communitate, omnes interdicuntur, niſi excipiantur ab interdicente, aut aliquo priuilegio eximantur.

3 Neque fit Iniuria Innocentibus, qui nullam dederant cauſàm Interdicto, ſi & ipſi vnà cum reliquis interdicantur, eò quod ſint eiuſdem communitatis partes, quia vt aduertit Rom. diſp. 17. n. 6. & 7. & Hurtad diffic. 4. de interdicto, non priuantur aliquo ſuo iure, ſed bonis, quæ ipſis adminiſtrabat Eccleſia, quæ ſuum miniſterium ipſis negat propter rationabilem aliquam cauſam, eaque ſubtractio habet quidem rationem pœnæ reſpectu nocentium, non verò reſpectu aliorum, ſed tantùm iuſtæ cuiuſdam defenſionis, vt inquit Kon. ſicut ſi ciuitas pacta eſſet cum altera illi ſuppeditare frumentum certo quodam pretio, & deinde à Magiſtratu illius offenderetur, poſſet ciuibus negare frumentum, donec ſibi ſatisfieret à Magiſtratu, qui ea quidem ſubtractione alimentorum plecteretur, non cæteri, in quorum tamen incommodum prohibitio ſoliti commercij cederet. Neque dicas ſaltem Clericos interdictos priuari iure celebrandi ſibi acquiſito vi ordinationis, ac proinde ſi innocentes ſint, verè puniri propter alienum peccatum, quod abſurdum exiſtimabat Pontifex. in cap. Romana cit. Reſpondet enim Hurtado, hanc prohibitionē celebrandi fieri aliter per ſuſpenſionem, quàm per Interdictum, quia ſuſpenſio priuat celebratione ſuſpenſum, quatenùs illa eſt quidam actus & exercitium ordinis, Interdictum autem vt eſt ſacra quædam res diſpoſitioni Eccleſiæ ſubiecta, quæ ſua bona non vult communicare, neque miniſteria exercere. Eodem recidit, quod Layman cap. 1. de interdicto, ait Innocentes puniri tantùm per accidens, ad abſterrendos & emendandos alios. Exiſtimo etiam melius reſponderi poſſe, ſi dicamus Clericis innocentibus prohiberi diuinorum celebrationem, non in propriam pœnam, ſed aliorum, quibus miniſtrant, cùm enim Clerici ſint miniſtri Eccleſiæ, qui eius officia & miniſteria exercere debent ex eius arbitrio, quoties ipſa non vult aliquibus ſua miniſteria exhiberi & bona diſpenſari, iure prohibet miniſtris ſuis, ne ea diſpenſent, neque propterea punit miniſtros ſuos, ſed eos quibus laborabant illi miniſtri, ſi enim princeps iubeat ſenatum ſuum ab aliqua Ciuitate diſcedere, aut quamdiu ea rebellis erit Iuſtitium facere, non punit ſenatum, ſed Ciuitatem, quam priuat commodo ſenatus. Clericus denique habet quidem ius celebrandi diuina, ſed non niſi ex nutu Eccleſiæ, vbi & quando ipſi viſum fuerit.

Eſt porrò in interdicto generali aliunde diſcrimē inter nocentes & innocentes, iſti enim vbi deſinunt eſſe membra illius communitatis, ſoluuntur interdicto, quia non interdicebantur niſi per accidens, eo quod componerent cōmunitatem Interdictam. Rei verò quia interdicuntur non modò, quia ſunt partes communitatis, ſed etiam per ſe, & propter propriam culpam etiamſi mutatione domicilij, & quapiam alia ratione deſinant eſſe membra Communitatis interdictæ, manent nihilominus interdicti donec abſoluantur, quia non ſunt tantùm generaliter, ſed etiam ſpecialiter interdicti, vt obſeruat Sayr. lib. 5. cap. 4. n. 10.

CONSECTARIA.

Quinam vna cum interdicta communitate interdicantur.

Ex his ſequitur, diligenter aduertendum eſſe, quinam ſint veræ partes communitatis interdictæ, & nomine collectiuo illius propriè ſignificentur.

Vnde fit vt abſentes tempore, quo fertur In- 4
terdictum, vnà cum reliquis interdicantur, quia abſentia à loco communitatis non facit, quin abſentes ſint vera illius membra. Ita Sylu. ℣. Interdictum. 2. n. 2. Sayr. lib. 5. Theſau. cap. 4. n. 13. Henriq. l. 13. cap. 42. num. 2. Bonac. diſp. 5. p. 1. & alij ab ipſo relati.

2. Qui poſt latum Interdictum, eo tamen du- 5
rante fiunt ciues, aut partes alicuius populi interdicti, interdicuntur & ipſi, quod etiam de infantibus, qui eodem perſeuerante Interdicto, annos rationis attingunt, atque inſanis, qui ad mentem redeunt, tradunt DD. cit. Suar. diſp. 36. ſ. 1. n. 9. & 10. Auila. 5. p. diſp. 1. dub. 4. cum gloſſa, in cap. ſi ſententia. de ſentent. Excomm. in 6. ℣. non competunt, & Panorm. in cap. Quoniam. de officio ordina. Init. & in cap. cùm in partibus. de verbor. ſignificat. Initio. quia verè pertinent ad communitatem Interdictam

2. Qui habitant in ſuburbiis lociſque continen- 6
tibus, ſi verè ſint conciues populi interdicti, quia eodem Iure reguntur, eoſdem honores & onera participant, reuerà vnà cum reliquo populo interdicuntur; ſecùs verò dicendum foret, ſi ſui Iuris eſſent, haberentque diſtinctos honores & onera, quod tradunt Tabiena. ℣. Interdictum. 1. num. 9. Hugolin tab. 5. cap. 20. §. 2. Sylu. eod. ℣. Interdictum. 2. n. 15. Sayr. cap. 4. n. 23. Bonac. p. 1. cit. n. 18. Auila. dub. 4. conc.

4. Duces, Magnates, Marchiones aliique ſobi- 7
les, cùm & ipſi ſint membra Communitatis eidem Cenſuræ ſubiacebunt, niſi vel conſuetudine, vel priuilegio quodam eximantur; quæ exemptio non benè probatur eo quod non ſunt obnoxij reliquis oneribus, hinc enim potiùs colligitur, eos eſſe de eo populo, vt aduertit Sayr. lib. 5. cap. 4. n. 14. & Alteri. diſp. 1. de Interd. cap. 5. dub. 4. in 2. q. Si verò ſui omnino Iuris eſſent, neque quidquam haberent commune cum populo Interdicto, reuerà ipſi eximerentur vinculis Cenſuræ in communitatem latæ.

5. Dixi ſuperiori q. 2. exteros, qui habitant in 8
ea communitate, cuius tamen reuerà partes non ſunt, non interdici vnà cum illa.

6. Qui habent duplex domicilium, vnum in lo- 9
co

to populi Interdicti, aliud in loco populi non interdicti; interdicti sunt durante habitatione in populo interdicto; dum autem habitant in populo nō interdicto non sunt interdicti; atque ita concilia̅tur duæ extremæ sententiæ, quarum vna Calderin. tract. de Iurisdictio. memb. 2. n. 39. quem sequuntur aliqui summistæ ℣. Interdictum, vt Rosella. n. 8. Tabiena. n. 10. & Angel. 1. n. 4. affirmat esse interdictos, cùm reuerà sint partes populi interdicti, cuius etiam gaudent honoribus; altera verò negat esse interdictos, quia cùm æquè pertineant ad populum non interdictum, atque ad interdictum, nulla ratio persuadet, potiùs illos puniendos esse cum populo interdicto, quàm eximendos cum non interdicto. Ita Henriq. lib. 13. cap. 42. n. 2. sequutus Sylu. ℣. Interdictum. n. 15. neque putat improbabile Sayr 4. cit. n. 18. Nos mediam viam, vt vides, inuimus cum Suar. disp. 32. s. 2. n. 16. Bonac. disp. 5. de Censu. p. 1. n. 20. Filliuc. tract. 18. c. 1. q. 5. n. 14. quia æquū omninò videtur, vt durante habitatione reliquo populo, cuius partes sunt & membra, conformentur. Si verò in neutro istorum domiciliorum maneant tempore Interdicti, sed aliò negotiorum causa diuerterint interea, existimarem locum tunc esse sententiæ Sylueslri, & eos reuerà non fore censendos interdictos.

10 7. Interdicto populo non interdicitur Clerus, neque interdicto Clero dicitur interdici populus, quia nomine populi soli laici, nomine clerici soli Ecclesiastici intelliguntur. Ex cap. si sententia. de sentent. Excomm. in 6. & glossa ibid. ℣. è conuerso, estque ea communis sententia DD. quos refert Sayr. cap. 4. cit. n. 15. De hac tamen significatione populi fusius post Panorm. & Felin. disputat Alteri. disp. 1. de Interd. cap. 5. dub. 5.

11 8. Interdicto aliquo collegio Clericorum, omnes tum Clerici, tum laici, qui sunt de illo Collegio interdicuntur. Angel. ℣. Interdictum. 1. n. 7. vbi adducit Ioann. Andr. & Geminian. in cap. si sententia. cit.

12 9. Interdicto Clero interdicuntur omnes & soli, qui gaudent priuilegio fori, & non illi, qui tantùm priuilegio Canonis fruuntur, hi enim subiiciuntur Iurisdictioni sæculari. Ita Hurtado. diffic. 4. de Interd. sub. fin. Konin. disp. 17. n. 10. Sayr. cap. 4. num. 27. quod post Tridentini decretum sess. 23. cap. 6. de Reformat. certum videtur.

13 10. Interdicto Clero non intelliguntur interdicti Religiosi. Ita Sayr. lib. 5. Thesau. cap. 4. n. 19. Sylu. ℣. Interdictum. n. 19. Angel. eod. ℣. 1. n. 9. & Tabiena. n. 9. Hugolin. tab. 5. de Censu. §. 5. n. 3. Kon. disp. 17. n. 8. Henriq. lib. 13. cap. 42. n. 3. Layman. lib. 1. tract. 5. 4. p. cap. 1. n. 3. & cap. 4. n. 3. Maiol. lib. 3. de Irregularit. cap. 20. n. 6. Filliuc. tract. 8 cap. 1. n. 14. Auila 5. pa. disp. 1. dub. 4. con. 7. Hurtado. diffic. 4. Bonac. disp. 5. p. 1. n. 14. Villalob. tract. 19. diffic. 2. n. 12. contra. Geminian. in cap. si sententia. Couarru. in cap. Alma Mater. 2. p. §. 1. n. 8. Vbi testatur esse communem. Nau. cap. 27. n. 167. Zerola. 2. p. praxis Episcopal. ℣. Interdictum. sub fin. Philiarc. de officio sacerdo. p. 1. lib. 4. cap. 3. Viuald. de Interdicto. n. 159. quibus adhærent Toletus lib. 1. cap. 18. & alij. Suar. enim disp. 32. s. 2. n. 17. dubius est remque totam diffiniendam dicit ex verbis sententiæ, & variis adiunctis; quæ fuit quoque deinceps Alterij mens. disp. 1. de Interd. cap. 5. dub. 6. Eo quod aliquando Cleri vox in Iure pro solis Clericis sæcularibus accipiatur, aliàs ipsos quoque Religiosos comprehendat; vbi verò dubium erit, de vocis significatione, in mitiorem partem illam interpretabimur. Neque aliud nos profectò volumus, si enim certo constet ex aliquo capite comprehendi Religiosos, qui subiiciuntur ferenti sententiam generalem, non negamus, tunc nomine Clerici interdici Regulares: si verò nihil certò colligere liceat, dicimus non esse extendendam sententiam ad Religiosos, quia cùm clerici & Religiosi diuersis legibus vtantur, non est, cur eodem nomine comprehendantur, maximè in pœnalibus, nam in fauorabilibus Sylu. & alij laudati DD. volunt Regulares nomine Clerici significari; secùs verò si illi Religiosi possiderent beneficium aliquod sæculare, quia enim tunc vnum corpus constituerent cum clericis sæcularibus; cleri quoq; nomine significarentur, sicut etiam, si quopiam alio nomine vniuersaliore vteretur sententia Interdicti, v. gr. personarum Ecclesiasticarum, cùm enim Religiosi etiam nouitij, atque moniales sint personæ Ecclesiasticæ, & Ecclesiæ Iurisdictioni subsint peculiari aliqua ratione, verè omnes interdicerentur sub ea voce designatæ.

Dices, communitatem diuidi in Clerum & populum. cap. si sententia, atqui Religiosi & Moniales non pertinent ad populum, igitur ad clerum spectabunt. ℞. eo loco Pontificem non agere de diuisione cōmunitatis siue adæquata, siue inadæquata, sed duntaxat definire in sententia Censuræ nomine populi, non esse intelligendos clericos.

11. Interdictis Doctoribus alicuius vniuersitatis non, modò laici sed etiam clerici Doctores interdicuntur, nisi aliud ex quapiam circumstantia colligatur, cùm nomen Doctoris æquè clericos atque laicos comprehendat, & omnes illi vniuersitatem constituunt, quod etiam verum erit, si sint aliqui Religiosi ex illis Doctoribus. Ita Tabiena, ℣. Interdictum. 5. num. 9. Armill. ℣. 11. Maiol lib. 3. de Irregularit. cap. 20. num.... Bonac. disp. 5. p. 1. num. 17. Auila. 2. p. disp. 1. dub. 4. con. 9. Henriq. lib. 13. cap. 42. num. 1. contra Angelum. ℣. Interdictum. 1. num. 9. Rosell. n. 13. Sylu. ibid. 2. n. 18. Sayr. lib. 5. Thesau. cap. 4. n. 30. Hugolin. tab. 5. §. 5. n. 3. 14

12. Interdicta familia censentur quoque interdici Clerici illius familiæ vnà cum laicis, cum quibus eam constituunt. Ita Astens. 2. p. suin. lib. 7. tit. 16. a. 1. qu. 13. & alij summistæ. ℣. Interdictum. Rosell. num. 14. Angel. 1. num. 8. Sylu. 2. num. 27. Tabien. 1. num. 9. Armill. n. 11. quibus adhæserunt Hugolin. tab. 5. de censu. Ecclesi. cap. 10. §. 1. num. 1. Henriq. lib. 13. cap. 42. n. 3. & alij deinceps recentiores. 15

13. Interdictis scholaribus alicuius Vniuersitatis, non interdicuntur Doctores, quia hi non comprehenduntur nomine scholaris, vt in proœmium Decretalium à Gregorio IX. tradit Franc. Ioann. Andre. & alij passim. Bald. in cap. cùm diuersis. de priuilegiis. & Cardinal. in cap. certum est. dist. 10. & ratio est aperta, quia per Doctoratum definit quis esse scholaris; secus est de Rectore vniuersitatis, qui aliquando solet esse scholaris; quare nomine scholaris comprehendi quoque Rectorem volunt tum in odiosis, tùm in fauorabilibus Ioan. Andr. & Florent. in proœmio Gregoriano. Neque abnuerim, quando in aliqua vniuersitate mos inualuit, vt scholaris sit Rector, atque ita existimārim illum quoque, si scholaris fit interdici interdictis omnibus alicuius Vniuersitatis scholaribus. 16

Licentiatus verò, quia tertiam quandam speciem

ciem constituit, neque enim Doctor neque scholaris est, vt ait Archidiaco. in procem. cit. idcircò in fauorabilibus significabitur altero nomine, non in odiosis.

17 Quorum omnium Consectariorum hæc vna ratio est iam indicata, quod omnes istæ personæ comprehendantur nomine collectiuo, tanquàm partes collectionis & communitatis designatæ per illud nomen, & cùm collectio, siue communitas non sint in se & formaliter sumpta capax effectuum censuræ interdicti, illa debet cadere, in omnes & singulas partes collectionis, nisi ex aliquo capite & ratione peculiari excipiantur. Quæ ratio cessat etiamsi interdicto populo, loca illius non maneant interdicta, & possint Clerici in Ecclesiis diuina celebrare, etiam pulsatis campanis, cùm nomine populi loca illius non significentur, sed personæ, & maneat adhuc tota sua efficacitas Interdicto, quia populus debebit abstinere à diuinis officiis etiam apertis ianuis celebratis, quod nisi faciat, aut expellendus erit aut, ad vitandam peccati cooperationem, & graue scandalum, cessandum fuerit ab iisdem diuinis officiis, non quod interdictum personale populi inferat locale, sed quia non est alterius peccato cooperandum, vti magis explicabitur disp. 8. Itaque docent Nau. cap. 267. Auila. 5. p. disp. 1. dub. 2. Hurtad. diffic. 3. Kon. disp. 17. n. 29. Sayr. lib. 5. Thesau. cap. 4. n. 16. contra Couarr. in cap. Alma mater. 2. p. §. 1. n. 7. Henriq. lib. 13. cap. 42. sub fin.

18 Restat Interdictum locale, quod etiam aliquando generale est vt diximus disq. 1. quia locus aliquis plura alia complectens interdicitur, siue, vt alij malunt, quia locus ab alia communitate distinctis habitationibus occupatur, vt Regnum, Prouincia, Ciuitas, atque etiam Parochia, de qua tamen id negant Felin. in cap. sanè. 2. de officio delegati. n. 3. Couarru. in cap. Alma mater. 2. p. §. 1. num. 9. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 18. p. 2. affirmant, alij cum Sayro lib. 5. Thesau. cap. 2. n. 9. & Alteri. disp. 1. de Interdicto cap. 4. ad 1. dubitati, quia tenerà Parochia continet plura loca, vt patet, & per illud interdictum non modò prohibetur celebratio diuinorum in Ecclesia, sed etiam extra illam in tota parochia. Ad generalitatem autem Interdicti sufficit, si localis aliqua vniuersitas, siue locus plura continens interdicatur; requirit autem Sayr. vt locus ille vniuersitatis duo genera locorum contineat scil. locum sacrum, & locum profanum, vnde fit, vt etiãsi omnes Ecclesiæ loci alicuius, immò totius Regni, aut etiam totius mundi interdicerentur, non esset Interdictum generale, sed speciale, vt Couarru. l. c. & alij apud Alteri. dub. 3. cap. 4. cit. & Sayr. n. 13. cap. 2. citati communiter docent, quia liceret in eodem loco extra Ecclesias diuina celebrare, & multitudo Ecclesiarum nihil facit ad generale Interdictum nisi etiam simul alia loca interdicantur, ita vt fiat, vt monebam, quædam vniuersitas localis.

19 Statim verò apparet, hanc vniuersitatem localem non interdici secundum se sumptam, & abstractè siue formaliter, cùm eo modo sit incapax Interdicti localis, eiusque effectuum, nam cùm hoc Interdictum ita afficiat locum, vt primò & per se tendat in personas, quibus diuinorum celebratio, & Ecclesiastica sepultura in illo loco interdicto prohibetur, in quo neque incolis, neque exteris quidquam horum facere licet. Certum est hanc diuinorum celebrationem Ecclesiasticamque sepulturam non fieri in vniuersitate locali secundum se sumpta, sed in vno aliquo loco particulari ac determinato; quare Interdictum generale distributiuè cadit in singula loca, quæ sub vno aliquo vniuersali continentur; Interdù vero loca specialia, alia quoque partialia licet, non actu, vt dicunt distincta, siue potius seiuncta & separata suo fine complectuntur, vt vna Ecclesia plures Capellas & altaria atque etiam cæmiterium; aliàs verò plura loca seiuncta & separata contineant, quæ tamen, quia non confluunt ad vnum aliquem componendum, specialia censentur, Interdictum in illa cadens speciale quoque nominatur, vt quando interdicuntur alicuius Ciuitatis, aut Prouinciæ, omnes & singulæ Ecclesiæ; nam interdictum speciale in omnia loca specialia, siue separata, siue coniuncta sint, cadit. Itaque in omnibus Ecclesiæ partibus aut Capellis interdicuntur diuina officia & Ecclesiastica sepultura, quia singulæ partes loci interdicti sunt capaces effectuum illius. Quare ea in parte conueniunt Interdictum generale & speciale locale, quamuis in pluribus aliis, quæ recenset Sayr. lib. 5. cap. 2. num. 14. & commodius alibi excutientur, dissideant; videndumque duntaxat est, quid cuiusque loci nomine significari & contineri soleat in hac maximè materia, qua in re

PRIMA REGVLA.

20 Pono imprimis hanc vniuersalem Regulam. Quoties interdicto aliquo loco siue generali, siue speciali, frustratoria & inutilis esset interdictio loco contiguo aut vicino non interdicto, ad illum erit extendenda Censura. Hanc Regulam colligimus ex cap. si Ciuitas. de sentent. Excomm. in 6. & simili Iuristarum omnium axiomate, toties in pœnis & odiis latam interpretationem faciendam esse quoties aliàquin sententia vel lex pœnalis inanis foret, ratioque euidens est, cùm enim lex & sententia, si iustæ sunt, vti supponimus, suum effectum sortiri debeant, explicandæ omninò erunt ea ratione, quæ ad eiusmodi efficacitatem necessaria esse videbitur.

CONSECTARIVM I.

An Interdicta Ciuitate interdicantur suburbia.

21 Hinc fit 1. vt quidquid tandem nomine ciuitatis in Iure significetur, & vtrum suburbia, & ædificia continentia eadem voce designentur, quod fusè disputant Panorm. & Felin. in cap. Rodolphus. & Couarru. in cap. Alma mater. 2. p. §. 1. n. 8. Alteri cap. 4. cit. dubit. 4. q. 1. illius dubita. Interdicta tamen ciuitate interdicantur quoque suburbia & ædificia continentia, hoc est, prope Ciuitatem sparsa, vt definit Pontifex citato cap. si. Ciuitas, quia alioquin futile esset interdictum impositum ciuitati, possent enim facilè ciues in suburbia & ædificia continentia se recipere ad audienda diuina officia, ex qua etiam Regula quid nomine suburbiorum, ædificiorumque continentium hoc loco intelligatur, ad vnum milliare, cùm Sylu. v. Interdictum. 2. numero 4. nec non Sayr. lib. 5. Thesau. cap. 3. numero 3. facilè definies, esse nimirùm ea loca, ad quæ ciues & incolæ vrbis possent absque magno incommodo diuertere ad diuinorum celebrationem, atque ita frustrari Ciuitatis Interdictum. Ita Kon. disp. 17. num. 18.

Filliuc.

Filliuc.tract.18.cap.1.num.8.& 9. Layman. lib.1. tract.5.pa.4.cap.1.n.1. Suar.disp.32.f.2. num.23. Bonac.disp.5.de censu.p.1.n.28.Auila.5.p.disp.1. dub.3.Hurtad.diffic.5. de interd. Alteri. disp.1.de interd.cap.4.dub.4.

Quæ eadem ratio persuadet in his suburbiis esse illa,que pertinét ad alium dominum temporalem, cui non subiaceat interdicta ciuitas, quod omnes concedunt excepto vno Ancharan. in c.si Ciuitas. cit. n.1.quia si tota Ciuitas in illa suburbia facilè confluat,inutile redditur interdictū ipsi impositū, quàmquam si prouincia vel Regnum interdictum foret, suburbia ad aliam prouinciam aut Regnum pertinentia non comprehendi eodem interdicto vniuersali probabiliter existimat Sayr. cap.3. cit. n.5. quia cessat ratio allata; etsi enim aliqui è Prouincia vel Regno interdictis possint ad suburbia ad aliud regnum aut prouinciam pertinentia accedere,non tamen nisi pauci, valebitque interdictum pro toto reliquo regno & prouincia, neque inutile redderetur propter extremam aliquam partem admodùm exiguam,quæ per accidens illius onere leuabitur.

CONSECTARIVM II.

An Ecclesia suburbiorum alterius diœcesis interdicantur cum ciuitate.

22 2. Ecclesiæ continuæ Ciuitatis, sicut & suburbia, etiamsi alterius sint diœcesis, & in illa penitùs nullam iurisdictionē habeat, qui interdicit Ciuitatem, interdicuntur tamen vnà cum ciuitate, vt fatentur communiter DD. & euincit ratio Pontificis, alioquin inefficax redderetur interdictum ciuitatis: hoc tamen interdictum in alienæ diœcesis loca vult Alterius & alij quidam esse à lute,& non ab homine, quæ leuis controuersia est.

CONSECTARIVM III.

An Ecclesia Regularium interdicantur interdicto generali locali.

23 3. Ecclesiæ quoque Regularium, atque equitum S. Ioannis censentur in interdicto generali locali, quod alioquin inutile esset comprehendi itaque definiuit Trident.sess.25.c.12.& 21. secus verò dicendum est in interdicto speciali, quia etsi omnes vrbis Ecclesiæ interdicerentur, non tamen Ecclesiæ Regularium, quia Episcopus nullam habet iurisdictionem in illas, neque ius statuit,vt illæ censeantur interdictæ vnà cum aliis, vti in interdicto generali locali, & speciale suam vim obtinebit, etiamsi omnia loca non fiant interdicta,sed aliqua libera maneant. Atque hoc Trident.cap.12. decretum annullare priuilegia exemptorum Regularium celebrandi diuina officia, & admittendi ad illa laicos durante interdicto locali etiā ab Episcopo lati interpretantur Garc.ex declarat. Congregat. Cardinal.3.p.de benefic.c.2.n.278.& pa.5. c.8.n. 87. Bonac disp.5.q.vnic. p.1.n.24.Nau.cap.27.n. 190. & consil.7.de priuileg. in Nona Editio.Barbosa de potestate Episcopi, allegat. 105.n.44.manere tamen integra sua priuilegia Regularibus pro certis quibusdam diebus & festis, quibus eis indulgetur diuina celebrare, & maximè si obtenta fuerint post Trident. existimant Henriq. lib. 13. cap. 41.num.1. Roderiq. in Bullam Cruciatæ. §.5. num.15.& in addition. num. 13. & 35.& tom.2. qq. Regulari.q.112.a.1. Miranda. tom.1.Manual. Prælato. q.37.a.12.Homobon. 1.p. Exam. tract. 11.cap.12.q.13. Ioann.à Cruce de statu Religioso. lib.2. cap.7. dub.2. con. 2. vbi aduertit, Trident. velle quidem vt Religiosi seruent interdicta ordinariorum, non reuocare tamen priuilegia,quibus conceditur certis quibusdam diebus suspendere veluti illa interdicta, itaque cassat tantùm eas facultates, quibus indultum fuerat quibusdam Religiosis nulla interdicta seruare, quod Fratribus Hospitalis S. Ioannis Hierusalem concesserat Anastasius IV. Alexander. III. & IV. Vrban.III. Clemens III. & IV. atque etiam PP. Minimis Leo.X. Quæ omnia priuilegia cassata intelliguntur Tridentini decreto, non quæ circa quædam peculiaria tantùm festa erant,vt,vt Pius V. declarauit in Bulla. 7. & quamuis Grego. XIII. Bulla 38. correxerit eam Pij constitutionem in iis, quæ aduersabantur Tridentino, cùm tamen in iis, quæ de quibusdam diebus colebrandi diuina durante interdicto non deroget Tridentino, non est ea in parte correcta à Gregorio XIII.

4. Interdicta diœcesi vel ciuitate, interdicta quoque est Ecclesia Cathedralis,quia vt Sayr.cap. 3. cit n.10. Suar.disp.32. de censu. sect. 2. num. 22. & alij argumentantur, per eam exceptionem redderetur inutile interdictum generale, facilè enim ciues ad Ecclesiam Cathedralem confluerent, neque benè Henriq.lib.13. cap.42. num.1.& Couarru. in cap. alma mater.2. p. §.1. num.4. adducens Staphylæum, de litteris gratiæ, contrarium probant ex cap. Quamuis. de præbendis. Vbi nomine Ecclesiarum non comprehenduntur Cathedralis in casu odioso:Hinc enim tantùm colligi potest in interdicto omnium Ecclesiarum non includi Cathedralem, quod fatetur Sayr.l.c.eo quod propter eminentem dignitatem talis Ecclesia censeatur speciali nomine digna, neque vniuersali dictione designetur, sicut neque nomine omnium Canonicorum significantur Canonici maioris & Cathedralis Ecclesiæ. Quanquàm respondeti etiam posset, exceptionem Ecclesiæ Cathedralis ex dictione Vniuersali non valere,nisi in eo casu peculiari.cap. Quamuis, cùm dicat expressè Pontifex, nolle illam includi hoc casu. 24

CONSECTARIVM IV.

Quomodo interdicatur terra ad duos dominos pertinens.

5.Interdicta terra,cuius pars ad dominum, cuius culpa positum fuit interdictum pertinet, altera ad dominum innocentem tota interdicitur quia alioquin interdictum alterius partis illius terræ esset inutile; si populus partis interdictæ posset ad Ecclesiam sibi proximam in terra contigua accedere; neque satisfacit Sayrus, qui contrarium existimauit cap.1.n.23. dum ait illud interdictum non fore frustratorium respectu domini, cuius reuerà interdicitur terra,licet sit frustratorium quoad populum terræ interdictæ incolam,nam eadem ratione responderi posset, interdictum Ciuitatis non fore frustratorium respectu eius, ob cuius culpam fuit latum, etsi suburbia & continentia ædificia non interdicerentur, contra quàm Pontifex definierit. cap.si Ciuitas. vbi attendit in vtilitatem interdicti respectu incolarum habitantium locum interdictum, eò quòd æquè commodè ad alium non interdictum diuertere possint, ibique diuinis interesse. 25

quam alia quædam causa & vnitas extrinseca, vti contingit in hoc casu, in quo plures terræ interdicuntur, eò quod sint vnius eiusdemque domini, qui ea censura punitur; quarè cùm desinet terra aliqua esse illius domini, desinet quoque esse pars loci interdicti, eâdē prorsùs ratione, ac si funditus destrueretur, tam enim per alienationē perit antiquo domino, quàm si non existeret amplius in rerum natura.

Dices. Hinc sequi terram de nouo acquisitam ab illo domino fore interdictam, fit enim illius domini, cuius terræ omnes sunt interdictæ, habetq; cum illis externam vnitatē, quod sint vnius domini, hāc tamen consequutionem negabamus Corolla, 4.

R. assignatum iam esse discrimen, aliter enim fit vnus populus accessione nouorum incolarū, aliter vna terra, eò quod alia ab eodē domino acquiratur, illa enim prior vnitas propria est, hæc autem posterior extrinseca, quamuis igitur terræ mutent dominum, & ad vnum, vel ad plures pertineant, non magis sunt vna, quàm antea, sed solùm vnius domini aut plurium esse dicuntur. Quando igitur vnius domini terræ interdicuntur, sententia illa cadit in terras omnes & singulas illius domini modo statim explicando, quarè si desinant esse illius domini, iam non comprehenduntur amplius ea sententia; si verò fiunt de nouo illius domini, cùm nullam aliam habeant vnitatem cum terris prius interdictis, neque illarum partes sunt, non possunt subiici illi sententiæ, nisi dicamus eam ad futura extendi, quod contra eius rationem & Iuris mentē est; quarè deest omnino ratio propter quam censeantur interdicta.

CONSECTARIVM VI.

Quid sit alicuius domini terras interdici.

32 6. Cùm terræ domini alicuius interdicuntur, intelligendæ sunt duntaxat illæ in quas plenū & absolutū dominiū habet, non verò eas, in quas tantùm iurisdictionem & administrationem & vsum fructum, aut dominium tantùm directum, vt quas in pignus, vel hypothecam, vel feudum dedit.

Prior pars perspicua est, cùm enim interdicantur terræ, quæ sunt sub illius domino, neque vlla sit ratio, propter quam vna potiùs, quàm alia interdicatur, omnes manēt interdictæ, sunt autem sub eius dominio illæ propriè, quæ illi pleno & absoluto iure subiiciuntur.

Vndè perspicua redditur 2. pars, terræ enim, quarum tantùm administrationem, aut vsumfructum habet, non sunt propriè sub illius dominio, sicut neque illæ, in quas tantùm habet dominium directum, & non vtile, præterquàm quod illud Interdictum cederet potius in damnum feudatarij & hypothecarij, quàm ipsiusmet domini directi. Quoties igitur in sententia interdicentur terræ alicuius domini, vel in quas dominium habet, de iis solis terris, quæ ei subsunt pleno & absoluto Iure fuerit interpretanda.

Excipio tamen terram, in quam indiuisum dominium haberet cum altero innocente, illa enim non interdiceretur, ne absque culpa innocens puniatur contra cap.fin.1.q.4.neque apparet, cur potiùs terra causam nocentis, quàm innocentis domini sequatur. Itaque existimant Antoni.3.p.tit.27.cap.3.Sylu. ℣. interdictum.2. Sayr. lib.5. Thesau. cap. 3. numero 23. Si verò sententia interdicat omnes terras, quas dominus habet, vel possidet probabilius est ēa comprehendi etiam, quarum habet fructum, vt quas in feudum, vel pignus acce-

pit, illas enim verè habet & possidet, quod Sayr. cap.cit. Henriq.lib.13.cap.42.n.2.Kon. disp.17.n.21.Auila 5.p.disp.1.dub.3.& alij dicunt.

REGVLA TERTIA.

Interdictum locale omnes prorsùs obligat, nisi speciali priuilegio exempti sint, & secum semper inuehit interdictum aliquod personale. 33

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLÆ.

1. Pars huius Regulæ patet ex natura interdicti localis, quod non est prohibitio aliqua primò & per se facta personis, sed inhabilitas quædam loci, quod indoneum censetur, quandiu manet eâ inhabilitas vt in illo diuina celebrentur.

Vnde fit vt nullus in eo loco possit diuina officia facere, neque sæcularis neque Regularis, neque incola, neque externus, immò neque ipse qui tulit interdictum, quod postremum obseruant Sylu. ℣. interdictum.2.n.20. Nau. cap.27. num.161. Hugolin.5.tabula.de censu.c.6.§.1.Sayt.Auila Bonac. & alij recentiores, quia illa loci incapacitas & inhabilitas ad diuina officia est effectus necessariò consequens interdictum ex natura eius institutionis per Ecclesiam & ius commune factæ, quam institutionem eiusque naturam nequit mutare iudex aut Prælatus, neque proinde efficere, vt perseuerante interdicto locus ille fit habilis ad diuina officia, quarè vel interdictum à se positum tollere debet, vel abstinere ab officiis diuinis in eo celebrandis. De priuilegiis autem Regularium hac in parte diximus q.3.

2. Pars nostræ Regulæ æquè cōmunis & euidens est, quia qui causam dederunt interdicto locali, manent & ipsi specialiter interdicti, qui neque in eo loco, neque alibi possunt diuina participare, c.sicut. de sentent.Excomm.in 6.Reliqui autem omnes, qui inculpabiles sunt, extra locum interdictū non prohibentur sacris, licet sint incolæ loci interdicti, v. gr. Canonici interdictæ Ecclesiæ extra illam celebrabūt, si causam nō dederint, vt dixi, interdicto, eò quod interdictum locale & personale prorsùs distinguantur, neque locale personas afficiat nisi in ordine ad locū, vt Nau.c.27.n.167.Sot.in 4.d.22.q.3.a.1. Couarr.in c.Alma mater.2.p.§.1.Henriq.lib.13.c.42.n.4. & alij omnes vnanimi cōsensu tradūt.



DISQVISITIO V.

De causa materiali Censuræ.

QVÆSTIO 1. *An ad censuram necessaria sit culpa illius, in quem fertur.*

Quæst.2. Qualis debeat esse culpa, vt sit sufficiens materia censuræ.

Quæst.3. An mandantes & consulētes opus sub censura prohibitum eandem censuram incurrant.

Quæst.4. An & quomodo vnus & idē pluribus censuris simul innodari poßit.

Quæst.5. Quando multiplicentur numero censura multiplicatis eiusdem legis transgreßionibus.

 Ita

ITA nomino cauſam ſiue culpam, propter quam fertur cenſura, cùm enim pœna ſit & medicina, culpam aliquam & morbum ſupponi oportet, vti ſæpiùs monuimus diſq. 2. Totam verò iſtam controuerſiam in plures quæſtiones perſpicuitatis cauſa partiar.

QVÆSTIO I.

An ad Cenſuram neceſſaria ſit culpa propria illius, in quem fertur.

PROPOSITIO. *Sola culpa eſt materia Cenſuræ. n.1.*

Confirmatio Propoſitionis. n.2.

An ſufficiat culpa aliena. n.3.

Confecta 1. An Excommunicatio feratur propter alienam culpam. n.4.

Confecta. 2. ſuſpenſio non fertur ob alienam culpam. n.5.

Duplex genus ſuſpenſionis. n.6.

Varia Iura obiecta explicantur. n.7.

Confecta. 3. Quomodò Interdictum afficiat innocentes. n.8.

Cõfect. 4. De Interdicto generali perſonali. n.9.

Quodnam delictum dicatur publicum & communitatis. n.10.

Confect. 5. Quanam culpa ſit materia interdicti localis generalis. n.11.

Confect. 6. De interdicto ſpeciali perſonali.

PROPOSITIO.

1 ℟. Et dico ad ferendam Cenſuram requiri aliquam culpam ſiue propriam, ſiue alienam.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

2 Difficultas nulla eſt in priori parte huius propoſitionis, manet enim ſatis perſpicua, vt iam monui, ex natura Cenſuræ explicata, diſq. 1. & ex iis, quæ diſputata ſunt de cauſa finali, diſq. 2. ex quibus omnibus manifeſtum fit, requiri aliquam culpam, quæ per cenſuram punienda & ſimul emendanda ſit, quamque etiam à ferente cenſurã cognoſci oportebit, vt definitur, c. ſacro. §. caueant. de ſentent. excomm. alioquin de cauſa ſibi incognita iudicaret; quod verum eſt quando cenſura fertur per ſententiam propter contumaciam adhuc perſeuerantem, & peccatum emendandum; quando autem fertur vel à Iure, vel per præceptum generale, ita vt ipſo facto ſit incurrenda, quæ ſententia eſt ſeipſa exequutiua, vbi commiſſum eſt peccatum, non requiritur quidem cognoſci à Iudice peccatum commiſſum, ſtatim enim atque commiſſum eſt, incurritur cenſura; vt tamen Reus ille denuntietur publicè excommunicatus, vel quapiam alia cenſura innodatus, debet haberi notitia iuridicè à Iudice denuntiante & iuridicè declarante.

3 Tota itaque difficultas eſt in altera parte propoſitionis, an ſemper ad Cenſuram incurrendã requiratur cauſa propria, an verò aliquis propter alienam culpam hac ſpirituali pœna puniri poſſit.

Non placet modo inquirere diligentiùs, an aliquis propter alterius peccatum puniri iuſtè queat, cùm omnium ferè gentium receptis moribus videamus liberos luere nonnunquam pœnas ſceleris paterni, & tum ciuilibus, tum Eccleſiaſticis legibus Rei violatæ diuinæ humanæque Maieſtatis ſuis pœnis alios quandoque innoxios implicent: Et denique quamuis nullus ſit puniendus ſine cauſa, aliquando tamen ſine culpa pœnam patitur. c. Quoniam frequenter. §. ſi verò. Vt lite non conteſt. & ibi gloſſa. atque in cap. reuocantes. 22. diſtin. & in cap. antiqua. de priuilegi. & in cap. 2. de conſtitutio. de de quarum ſanctionum æquitate pluribus cum S. Thom. 2. 2. q. 108. a. 4. diſput. Alphonſ. A Caſtro. lib. 2. de Iuſta hæretico. punitio. cap. 10. & 11. Ioan. à Turre cremata, in cap. vndecumque 36. diſt. Simanc. tit. 29. Catholicæ Inſtit. Couarru. lib. 2. Varia. cap. 8. Ioan. Arborenſ. lib. 6. Theoſophiæ. cap. 9. Ricciul. lib. 5. de Iure perſonarum. cap. 29. ex quibus aliiſque nos rem totam definiemus alibi.

Obſeruo duntaxat, nunquàm aliquem propriè puniri propter peccatũ alterius, cùm punitio eſsẽtialiter ſupponat culpam eius, qui propriè punitur, poteſt tamen aliquis torqueri, aut quidpiam pati occaſione alterius delinquentis, quo cum aliquam coniunctionem habet, & cuius veluti quædam pars eſt; quarè delinquens potius in eo punitur, tanquàm in aliquo ſui. Quod ferè contingit in quibuſdam bonis, quæ tum delinquenti, non perſonæ illi coniunctæ communia fuerant, & quibus vterque tunc priuatur, eaque priuatio reſpectu delinquentis pœna & punitio propria eſt, reſpectu autem alterius innocentis eſt tantùm quidpiam malum & incommodum, quod infligitur quidem ſine culpa, ſed non ſine cauſa, vel quia ad quandam moleſtiam & pœnam Rei redundat, vel quia ad terrorem incutiendum, & vt alij facilius ab atroci adeò ſcelere reuocentur, neceſſarium eſt. Quæ omnia veriora multò ſunt, quoties quis propter alienum ſcelus nullo proprio iure priuatur, ſed tantùm non recipit, quæ à Principe, aut ab aliis ſolitus fuerat accipere, eò quod prohibeantur alij ipſi exhibere ſua miniſteria, neque velit Princeps ſua bona aut alia, quæ in eius poteſtate ſunt, communicare illi, qui eſt pars quædam eius, qui deliquit, aut cum eo quandam communionem habet. Punit itaque Reum non innocentem Iudex, quamuis incommodum illius punitionis ex quadam conſequutione deriuetur in innocentem Reo coniunctum, qui fit particeps pœnæ debitæ illi, qui deliquit, & cuius ipſe aliqua pars eſt, aut res eius reputatur, vt ſeruus domini & filius patris.

Quando igitur cenſura propriè dicta, & pœna ſpiritualis Eccleſiaſtica directè & per ſe fertur in aliquam determinatam perſonam, illius præcedentem culpam neceſſariò ſupponit, verumque eſt illud cap. 2. de conſtitut. Rom. quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit, & cap. 2. de his quæ fiunt à maio. parte Capit. peccata ſuos authores tenere debent, nec pœna eſt vlterius protrahenda, quàm delictum fuerit in excedente repertum. Quoties verò cenſura afficit tantùm aliquem indirectè, & quatenùs eſt pars, aut quidpiam eius, qui primò & per ſe innodatur, requirit quidem culpam illius, in quem primò & directè infligitur, non verò illius, ad quem indirectè, & per quandam veluti conſequutionem extenditur, cùm non ſit tam pœna & punitio illius, quàm quodpiam incommodum, quamuis quia in eo quoque eundem habet effectum, cenſura dici ſoleat.

Omnis porrò Cenſura non poteſt in aliquem indire-

indirectè, & ex eo tantùm quod sit alteri coniunctus, ferri, sicut neque omnis pœna nequit in quemlibet cum delinquente coniunctum protendi, vt de pœna corporis, mutilationis, immò & propriorum bonorum, & in quæ Reus nullum planè ius obtineat, docebimus alibi cum communi sententia. Ea igitur Censura, quæ priuat aliquo spirituali & proprio iure personali, non fertur nisi directè in delinquentem, & ad personas quantumuis coniunctas minimè extenditur, quia iniustum esset aliquem propter alienum crimen priuari Iure sibi proprio, quod habet independenter à delinquente. Quia verò aliqua Censura priuat bonis quibusdam seu potiùs actionibus, quæ sunt in potestate Ecclesiæ, quas propter graues causas prohibere potest, ne à suis ministris exerceantur, & consequenter velle, vt ea priuentur cæteri, poterit ea priuatio, atque adeò incommoda, quæ ex illa prouenjunt, deriuari in innocentes coniunctos cum illo, propter, cuius delictum fuit facta ea prohibitio ab Ecclesia negante in detestationem tam atrocis criminis sua officia, & ministeria, neque in eo toto processu vlla prorsus apparet iniustitia.

CONSECTARIVM I.

An Excommunicatio feratur propter alienam culpam.

4 Hinc fit 1. Excommunicationem nunquàm ferri, nisi propter propriam culpam eius qui excommunicatur; quod omnes omninò concedunt, & traditur cap. si habes. 24. q. 3. ex Aug. Ep. 75. Cuius euidens ratio petitur ex natura & grauitate huius Censuræ, quæ & priuet spirituali bono, & comparetur morti, immò & mors appelletur. c. per venerabilem, qui filij sint legitimi. & c. si quis venerit. de maiorit. & obedient. qua etiam de causa nominatur mucro Episcopalis. c. visis. 16. q. 2. & c. Quoniam in plerisque. de officio ordinar. & c. dilecto. de sentent. Excomm. in 6. & denique est pœna omnium grauissima. c. sacro. de sentent. Excomm. & qua maior non est in Ecclesia. c. corripiantur 24. q. 4. Ita vt Cælestinus III. fateatur, Ecclesiam nihil durius in Reum statuere posse Excommunicatione, eo quod si ad eas tam acerbas plagas obdurverit, nihil habeat Ecclesia vltra, quid faciat. Ita enim loquitur. c. cùm non ab homine. de Iudiciis. Quarè ex mente sapientissimi Pontificis excõmunicatio grauior est aliis acerbissimis pœnis, quas certum est Ecclesiam in quædam crimina maximè hæresis infligere posse: de carcere enim perpetuo habetur. c. excõmunicamus. 2. de hæretic. & c. Quamuis. c. 1. de calũn. de seruitute c. cum multa. 15. q. 8. & c. eos 32. dist. Immò & extremum supplicium ab Ecclesia Iure decerni pluribus probat Bellarm. l. de laicis. c. 21. & 22. & nos alibi ostendemus. His tamen omnibus pœnis grauiorem dixit Excommunicationem Cælestinus, quandoquidem post eam intortam fateatur nihil reliquum esse, quo Reus durius plecti possit; quare non nisi omnibus aliis tentatis remediis ad illud procedendum esse vult, & puniendos esse præcipites Iudices, qui sine maturitate debita Excommunicationum sententias fulminant, definit Innoc. IV. in Concil. Lugdun. c. cùm medicinalis. de sentent. Excomm. in 6. si itaque mutilatio, mors que corporis nũquàm infligi potest ab homine pro aliena culpa, vt latè ostendit Couarru. lib. 1. varia. c. 8. multò minus Excommunicatio, quæ, vti vidimus, multo grauior pœna est, si innocenti ob crimen alterius quamuis coniuncti infligetur; qua etiam de causa negabamus cap. superiori in communitatem ferri posse hoc censuræ genus.

CONSECTARIVM II.

Suspensio non fertur ob alienam culpam.

5 2. Colligo, suspensionis censuram propriè dictam innocentem & ob culpam alienam ferri non posse cum Suar. disp. 28. s. 4. n. 3. Auila. 3. p. disp. 3. dub. 2. Hurtad. de suspens. diffic. 9. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 3. c. 3. Kon. disp. 15. dub. 3. Alteri. disp. 7. de suspens. cap. 2. Tolet. lib. 1. c. 44. Henriq. lib. 13. c. 34. n. 1. Nau. cap. 27. n. 151. Caietan. in sum. v. suspensio contra S. Thom. in 4. d. 18. q. 2. a. 2. q. 2. v. suspensio n. 4. vbi ait aliquando ferri sine culpa, non sine causa, & Villalob. tract. 16. tom. 1. diffic. 9.

Ratio Corollarij manifesta est, cùm enim Censura suspensionis propriè dicta priuet aliquo Iure personali, & sit vera punitio, non potest ferri, nisi in delinquentem, & indirectè extendi ad personam coniunct. non debet, vt tradidimus in nostra propositione; & reuerà id nunquam factũ esse constat. quod enim dicunt suspensa communitate, suspendi quoque innocentes, qui illam constant, immò & ipsam communitatem non suspendi nisi propter alicuius ex ea delictum v. gr. capitis, aut alterius è præcipuis membris, non vrget. Nam negamus suspensa communitate suspendi singulos, nisi secundum eas actiones, quæ ipsi communitati conueniunt, & quæ ab illa, aut eius vice & authoritate exerceri debent, atque à singulis præcisè, vt sunt membra communitatis; quare non puniuntur singulæ priuatæ personæ secundum actiones & Iura ipsis personalia, sed punitur ipsa communitas quæ deliquit, neque enim verum est suspendi communitatem propter crimen priuatæ alicuius & singularis personæ, nisi ipsa nomine communitatis egerit, aut factum illud probârit communitas, aut in delinquente repræsentaretur, vt fieri solet in capite, aut præcipuo membro, cui suas vices delegare solita fuerit, delinquente.

Vt verò nonnulla, quæ in contrarium allegari solent ex Iure facilè intelligantur, Distinguenda est cum Suar. & qui eo sublegere perpetuò solitus est Alterio locis citat. duplex suspensio, quarũ vna vera censura & pœna est; altera est simplex quædã prohibitio exercẽdi alicuius ordinis aut officij, quæ ad quandam veluti irregularitatẽ refertur, quando versatur circa ordinum functiones; prior illa suspensio supponit crimen proprium eius, in quem fertur; altera verò habet pro causa, & veluti radice defectũ quendam, siue physicum, siue moralem, & indecentiam, ex qua nascitur inhabilitas etiam moralis ad exercitium alicuius ordinis, alteriusue actionis, quia verò defectus & indecentia, quæ, vt dixi, est fundamentũ inhabilitatis & Irregularitatis, vel suspensionis non pœnalis & punitiuæ, sed quæ sit simplex prohibitio, deriuatur aliquando ex crimine alterius quod illi defectui causam dedit, idcircò dicitur aliquando quis suspendi ob alterius crimen, quæ tamẽ suspensio neque pœna, neque punitio, neque vera Censura est, vti vides. Hanc autem geminam suspensionem agnoscit Panorm. in cap. vlt. de clerico excomm. ministrante. n. 4. ibi enim suspensionem maiorem aliam contrahi dicit propter delictum, aliã propter defectum, & aliam propter infamiam; inter quas suspensiones illud interest, quod suspensus propter delictum fit irregularis celebrando, suspensus verò propter defectum aut infamiam non

non incurrit Irregularitatem, si celebret, quia nimirum in iure non reperitur ea Irregularitas, & suspensis tantùm propter defectum aut infamiam non est directè prohibita exequutio officij; quam postremam Panormitani rationem merito reijcit. Suar. disp. 28. cit. s. 4. n. 5. cùm enim ea duplici suspensione suspensus sit verè prohibitus in suo ordine ministrare, vt ex cap. vel compos. citato constat, directè prohibitus est, cùm nihil aliud ad directam prohibitionem requiratur. Itaque ratio propter quam ob vnam suspensionem, & non ob alteram, quæ oritur tum ex defectu & infamia, non incurratur Irregularitas, quod fatetur etiam Innocent. & alij cum Couarru. in Clement. si furiosus. 1. p. §. 1. n. 4. & quia in iure non reperitur Irregularitas, nisi propter suspensionem ex crimine, neque ad suspensiones ex alijs capitibus ortas extendenda est, Constitutio siquidem pœnalis & odiosa strictè interpretanda est: Deinde hæc prohibitio siue suspensio propter defectum & infamiam est potiùs quædam, vti dicebamus, Irregularitas, quam suspẽsio, Irregularitas autem non parit aliam Irregularitatẽ, quod cõstat ex iis quę diximus lib. de Irregula. Quare qui celebrat cum defectu prohibente, ante dispensationem non fit denuò Irregularis, & cum eo deinde dispensatur tantùm in Irregularitate defectus prohibentis à celebratione, non autem in noua Irregularitate; quandoquidem in iure non est expressa vlla eiusmodi Irregularitas, quod dicemus inferius cum Turre-Cremata. in cap. Apostolica. 56. dist. Mihi in præsentiarum sufficiat, rectè statui geminam suspensionem, quarum vna sit vera pœna & punitio, supponatque crimen eius, qui illa punitur, altera verò est prohibitio tantùm, & quædam Irregularitatis species, quæ non supponit necessariò crimen in eo, qui suspenditur, sed incapacitatem quandam & indecentiam moralem ex defectu, aut infamia, aliave ex causa ortam. Ex quibus, quæ aduersarij congerunt, ex varijs iuribus facile intelliges.

7 1. Igitur cap. vel non est compos. de temporib. ordinat. Diaconus ordinatus an. 13. suæ ætatis suspenditur ab officio diaconi non ob propriam culpam, sed in iniuriam ordinantis.

℞. Cum glossa & Panorm. causam impellentem ad eam suspensionem fuisse delictũ ordinantis, finalem autem esse defectum ætatis ordinati, itaque fuit iste prohibitus ab officio ex defectu ætatis, ratione cuius reddebatur Irregularis, ea tamẽ suspensio recidit in iniuriam, id est, confusionem & verecundiam ordinantis, vt agnosceret, quàm grauiter deliquisset, cùm videret à se ordinatum tandiu suspendi & prohiberi ab exercitio suscepti ordinis; Habuit igitur illa prohibitio & suspensio legitimã causam in suspenso, nimirùm defectum ætatis, non fuit tamen punitio respectu illius, sed respectu ordinantis, qui deliquerat, & qui ex suspensione atque prohibitione facta à se ordinato, notatus est aliqua labe, & aspersus infamia.

2. Cap. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renuntiauit, iubetur eiusmodi ordinatos manere supensos ab officio, donec cum iis legitimus Pontifex dispenset, quamuis ignorantes huius vitij fuerint ordinati, ac proinde ipsi non peccauerint.

℞. Nullam hic neque propriam suspensionem, neque propriã dispensationem existere, sed ob præsumptũ crimen & fraudem ab iis commissam in sua ordinatione prohiberi ab officio suo, donec rem totam patefecerint legitimo Pontifice, & apud eum se purgârint, illeque declarârit non esse suspensos, quæ declaratio non est dispensatio, nisi admodum impropriè eò quod post eiusmodi declarationẽ liberã facultatem nãciscantur isti ordinati ad munera sui ordinis, à quibus propter criminis præsumptionem fuerant prohibiti.

3. Feruntur plures suspensiones à Tridentino in vitiosè ordinatos, non tam sua culpa, quàm ordinãtis, vt Sess. 6. cap. 5. suspenditur ordinatus ab aliquo Episcopo extra suam diœcesim sine licentia ordinarij loci pontificalia exercente. Eadem pœnâ percelluntur Sess. 14. cap. 2. qui absque suorum prælatorum consensu & litteris dimissoriis ordinantur ab aliquo Episcopo titulari in loco exempto commorante. & Sess. 23. cap. 8. qui cuiuscunque priuilegij prætextu ab Episcopo non suo promouetur. In quibus aliisque similibus casibus potest ordinandus existimare Pontificem obtenta facultate & licitè ordinare, vti se facere asserit.

℞. In his omnibus non ferri suspensionem propriè dictam, sed esse solam prohibitionem exercẽdi ordinem vitiosè susceptum, quamuis absq; culpa suscipientis, sed solius conferentis, qui inde suffunditur pudore, atque ignominia, præterquàm quod iure præsumit Ecclesia culpã quoq; suscipientium, quæ præsumptio sufficiens est occasio inhibendi exercitium ordinis ea ratione suscepti. Manet itaq; quod contendebamus in nostro Corollario suspensionis censurã nunquàm ferri propter culpam alienam; quod de depositione & degradatione æquè certum esse debet.

CONSECTARIVM III.

Quomodo Interdictum afficiat Innocentes.

Colligitur 3. Interdictum aliquando ferri propter culpam alienã, quod de Interdicto generali, siue personali intelligendum est, nam Interdictum speciale personale postulat proprium crimen eius, qui illo percellitur. Ita omnes, & patet ex cap. superiori, vbi diximus interdici communitatem distributiue sumptã, atque omnes & singulos, qui in ea continentur, siue præsentes, siue absentes sint, siue innocentes, cum eo tamen discrimine, quod innocentes feriantur tantùm indirectè & quodammodò secundariò, quatenùs partes sunt communitatis interdictæ, & prohibitio facta communitati in eius membra refunditur, vnde vbi desinunt esse partes illius communitatis soluuntur quoque Interdicto communitati facto; at verò nocentes directè per se & specialiter interdicuntur, quare nisi absoluantur, semper & vbiq; interdicti manent. Idem contingit in interdicto locali, vbi enim locus redditus est inhabilis ad sacra, nulli licet in eo celebrare, eaque incapacitas loci interdicti manet respectu cuiuscunq; etiam innocentis qui tamen extra illum locum interdictum poterit diuinis interesse; nocens verò qui sua culpa causam interdicto locali dedit, interdicitur specialiter & directè ac per se; vnde dicebamus interdictum locale semper inuoluere necessario interdictum quodpiam personale eius, qui suo scelere ita locũ inquinauit, vt in eo prohibeat Ecclesia sacra fieri in tanti criminis detestationem. 8

Ratio porrò cur his casibus interdictum indirectè, secundariò & ex quadã consequutione innocentem aliquãdo afficit, iam superius reddicta fuit, eo quod hoc interdictum respectu innocentium non sit punitio, & censura, sed solùm negatio quædã ministeriorũ Ecclesiæ, quæ communitati illi propter crimẽ commissum negat sua solita officia, atque ita plectit quidem cõmunitatem nocentem, cuius tamen

pœnæ

pœnæ effectus in singulas communitatis partes redundat,& ipsos etiã innocẽtes afficit,non punit tamẽ,sicut dicebamus nuper de prohibito cõmercio cũ aliqua Ciuitate & in vindictam acceptæ ab illa iniuriæ,ea enim prohibitio ciues quoq; innocentes ligat,& iis non leue incõmodũ affert;est tamen iusta eiusmodi prohibitio, neque ciuibus innocentibus fit aliqua iniuria, quibus cum prohibetur grauem ob causam haberi commercium, atque adeò in pœnam ciuitatis,cuius partes sunt.

CONSECTARIVM IV.

De interdicto generali personali.

Hinc fit 4. ad interdictum generale personale 9 necessariam esse culpam quæ non sit tantùm priuatæ personæ, sed quæ ipsius communitatis aliquo modo dici possit, cùm enim in eo interdicto communitas primariò & directè interdicatur, & puniatur, peccare debuit, quod reuerà non fecit, si aliquis tantùm priuatus peccauit, quis enim dicat singulorum peccata esse peccata communitatis, atque ob illa esse plectendam, certè ea pœnæ & culpæ commensuratio & adæquatio,quam iustitia vindex, quæ commutatiua est, postulat, non patitur, vt culpa priuata plectatur pœna communi, quæ propter suam amplitudinem & vniuersalitatem maior multò foret crimine admisso. Ita docent Ioan. Monach.in cap. 1. de vsuris in 6. Cosmas in pragmat. sanctio.tit. de interdictis indifferenter non ponendis. ℣. priuatæ vl i affert etiam Hentic. in cap. in quibusdam de pœnis, Nau. cap. 27. n. 168. Sylu. ℣.interdictum 3.n. 5. Innoc. & Hostiensem allegans. Couarr.in cap.alma mater 1. p.§. 1. n. 4.Angelus.℣.interdict.n.5.Sotus in 4.d.22. q. 3. art.1. Henriq.lib.13.cap.50.n.1.Sayr lib.5.cap. 11.n. 7. Auila 5.p.disp.3.dub.1.con.3.Suar. disp. 36. §. 3. n. 5.6.& 9.Kon.disp.17.dub.1.sub fin.Layman lib. 1.tract.5.p.4.cap 4. n. 4. Hurtad. de interd. diffic. 13.n.38.qui alios allegant.

10 Delictum porrò publicum est & commune siue communitatis, 1. quando committitur à Principe vel Rectore ciuitatis habète iurisdictionem temporalem vel spiritualem in eam communitatem, quæ propter tale delictum iure interdicetur, cap. Non vobis de sponsalibus & cap. sanè 2. de officio delegati, docentque laudati DD. & ratio est, quia potestas & iurisdictio capitis est totius quodammodo communitatis, & ita sunt inter se connexa caput & membra,vt pœna membrorum redundet in caput, quod in illis punitur, & culpa capitis deriuetur in membra,sic patens in filio punitur; qua similitudine vtitur in hac materia cap. in peccato ciuium 1.q.4. & glossa in extrauag. 1. de pœnis.℣.quomodolibet.

Alij autem communitatem puniri posse propter peccatum domini spiritualis,displicet enim, quod Cardinal. & Panorm. in cap. sanè 2.de officio delegati & Henriq. lib. 13. cap. 50. n. 1. negant congruum videri spiritualis pastoris contumaciam tam graui & atroci pœna vindicari, voluntque cap. sanè in quo dicitur interdici posse terram, quæ est in iurisdictione Episcopi delinquentis, intelligi de Episcopo,qui habet iurisdictionem temporalem,& non spiritualem duntaxat: sed reuerà nullum idoneum discrimen afferunt propter quod crimen Principis Laici sufficiat ad interdictum generale communitatis,non verò crimen Principis sacri,&Ecclesiastici Episcopi, v. gr. ad capitulum aut clerum, aut etiam ciuitatem & diœcesim interdicendam,quod idcircò concedunt communi consensu reliqui DD.cum Felin. in illud cap.sanè 2.& Decius ibid.notab.7. Archidiac.in cap.si sententia de sent.excomm.in 6.Dominic.&Geminian.ibid. Hugolin. tab.5. de cens. cap. 20.§.1.n.2.Sayr cap. 11.cit. n. 9. Alteri. disp. 10. de interdictis cap. 1. Suar. & Auila locis indicatis superius.

2. Quando delinquunt principalia membra communitatis, quæ illam illiusque Iurisdictionem repræsentant,eiusmodi sunt consules,Baliui,Conseruatores, Senatus, Consiliarij, tunc enim toti communitati crimen tribuitur, & illud publicum esse censetur.

3. Si ipsa communitas tanquàm corpus aliquod morale, siue quia collegialiter congregata, siue quia communi consensu conspirat in aliquod factum,delinquat.

4. Crimen priuatæ personæ fit aliquando ex quibusdam circumstantiis quodammodo publicũ, & redundat vel in principem, vel in rectores cõmunitatis, vel in ipsam etiam communitatem, 1. quidem si à maiori parte populi fiat,& Magistratus patiantur scientes volentesque, neque obsistant, quantum possunt,videntur tum ipsi, tum communitas, cuius personam gerunt id delictum probare; alioquin si vel ignorante Magistratu, vel resistente peccetur etiam ab ingenti multitudine Ciuium, non dicitur peccari ab vniuersitate, sed per singulos de vniuersitate,quod plurimi usu seruat Cosmas in pragmatic. sanctio. loco citato & ex Bartholo, Baldo,Paulo à Castro, Panorm.& modernis.

5. Quoties singularis aliqua persona peccat & deinde à Republica propugnatur ne sui criminis luat pœnas, ea enim receptatio & tuitio nocentis, est criminis approbatio;vnde Conc.Basiliens.edixit, receptumque est deinde in pragmatica sanctione castrum & villam interdici posse propter crimen priuatæ personæ, quoties illa persona fuit primùm excommunicata, & deinde Iudex Ecclesiasticus petiit à Rectoribus ciuitatis, vt eam suis finibus eiicerent,neque illi parere intra biduum voluere, vbi vides priuati culpam in ipsam communitatem, aut eius magistratus deriuari, vel potiùs committi contumaciam aduersus Ecclesiam à Rectoribus & Magistratibus ciuitatis,propter quam cõtumaciam interdicitur ciuitas non propter crimen illius priuati, quem iam excõmunicatum eiicere noluerunt; illud enim peccatum priuatum fuit tantùm occasio contumaciæ publicæ, quæ est vera & propria materia huius interdicti generalis.

Quarè non placet,quod Couar.Sayr & alij negant ab alio,quàm à Pontifice posse interdici communitatem pro culpa priuati alicuius, quasi indicare velint, id posse Pontificem, nam si ita maneat priuata ista culpa,vt nulla ratione fiat publica,nũquam erit causa sufficiens & iusta interdicti generalis:quarè neque Põtifex eo casu interdictum eiusmodi ferre poterit, supponere enim debet, culpam illius,quem tam graui & acerba pœna primò & per se,atque directè punit, neque enim legibus diuinis & naturalibus,qualis est ea,quæ requirit culpam ad punitionem commensuratam eximitur Pontifex;persona autem,quæ directè & per se punitur hoc casu, est communitas, illius igitur aliqua ratione culpa, propter quam punitur, esse debet:quod non contingit,si ita peccatum fuit à priuato, vt nulla ratione implicetur eodem crimine communitas, & sanè modus,quem Couarr.seruandum esse refert ex Ioan. Staphilæo, vt ob crimen priuati communitas interdicatur, satis ostendit semper aliquam contumaciam

niaciam ab ipsa communitate occasione priuatæ personæ delinquentis committi.

CONSECTARIVM V.

Quanam Culpa sit materia Interdicti localis generalis.

a5 Sequitur 5. Interdictum locale siue generale, siue etiam speciale supponere aliquam culpam quodammodò communem, quia cùm causa interdicti, quam ex vniuersali propositione constat esse culpam in omni Censura propriè dicta, non reperiatur in loco immediatè & directè interdicto, siue incapaci & inhabili reddito ad diuina officia, peccare enim non potuit, necesse est illam reperiri in aliqua persona, ad quam locus interdictus quapiam ratione pertineat: quo enim iure propter crimen hominis prorsus extranei interdiceretur. Deinde cùm in interdicto generali locali pœna extendatur in totam incolarum vniuersitatem, iniustè omninò propter vnius peccari scelus, quamuis atrox, vniuersitas plecteretur, vti iam ostendimus, debet igitur culpa, quæ causam dedit interdicto generali locali, esse ipsius communitatis aliquo modo ex superiùs recensitis. Quia verò interdictum locale speciale, etsi non comprehendat plura loca, sed vnum tantum, pertinet tamen ad plures personas, quæ priuantur diuinis in eo loco, atque ita hoc interdictum habet quandam amplitudinem, & veluti vniuersitatem, aut potius extensionem ad plures personas, requiret aliquam causam suo quoque modo communem, seruandumque erit etiam in hac communitate proportio inter culpam, & pœnam, sicut in interdicto generali locali seruatur.

CONSECTARIVM VI.

De Interdicto speciali personali.

a2 6. Sequitur, quod monebamus Corolla. 3. in interdicto speciali personali requiri culpam eius, qui interdicitur, quia ille primò, per se, & directè punitur; in particulari autem aliquis pro culpa alterius puniri non debet, vti dicebamus in propositione vniuersali. L. sancimus. C. de pœnis. Quarè, si, qui ita interdicitur, reuera fuerit innocens, non ligabitur eiusmodi sententia vt pote inualida & nulla, quod docent Richard. in 4. d. 58. a. 3. q. 3. ad 1. Henriq. lib. 53. cap. 50. n. 2. Hugolin. tab. 5. cap. 19. §. 1. & Sayr. lib. 5. cap. 51. n. 5

QVÆSTIO II.

Qualis debeat esse culpa, vt sit sufficiens materia Censuræ.

PROPOSITIO. *num.* 1.
Expositio propositionis. num. 2.
1. *Pars de necessitate culpa mortalis ad censuram. n.* 3.
Ad minorem tamen Excommunicationem sufficit venialis. n. n. 4.
An suspensio solam venialem exigat. n. 5.
Quid de interdicto personali particulari sentiendum sit. n. 6.
2. *Pars propositionis. An sola culpa externa sit materia censura. n.* 7.
3. *Pars, requiri Contumaciam ad Censuram. num.* 8.
4. *Pars, requiri actũ completum in suo genere. num.* 9.
Triplex Imperfectio & complementum actus. num. 10.
Probatio huius 4. partis. num. 11.
Consectarium 1. *Quicquid excusat à culpa, excusa à censura. n.* 12.
Consect. 2. *opus ex necessitate factum die festo non est materia Excommunicationis contra operantes tali die lata. n.* 13.
Consect. 3. *leuiter percutiens Clericum non excommunicatur. n.* 14.
An pueri tonsurati rixantes incurrant Excommunicationem. n. 15.
Consect. 4. *Neque Haretici, neque alij peccatores mentales excommunicantur. n.* 16.
Consect. 5. *Hareticus externus duntaxat non excommunicatur. n.* 17.
Consect. 6. *de Excommunicatione pro futuris culpis. n.* 18.
Consect. 7. *Ex incompleto homicidio, simonia, & aliis actibus non incurri Censuram. num.* 9.
Consect. 8. *Defectu voluntarij requisiti vitatur Censura. num.* 20.

VIdimus hactenùs culpam aliquam præsupponi à Censura, nunc quærendum vlterius est, an quælibet culpa censura plecti iure valeat; quam controuersiam, quæ plurimas difficultates continet, hac vna vniuersali propositione definio.

PROPOSITIO.

Ad quamlibet Censuram propriè dictam & adæquatè sumptam, præterquam ad Excommunicationem minorem requiritur culpa mortalis, quam præterea oportet esse externam contra præceptum Ecclesiasticum, & in suo genere completam.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Quadripartita est ista propositio, quæ proinde explicari & confirmari nequit nisi singulis suis partibus expositis & probatis.

PRIMA PARS.

Sola culpa mortalis est materia maioris Censura.

1. Pars asserit ad omnem Censuram propriè dictam & adæquatè sumptam, præterquam ad minorem Excõmunicationem requiri culpam mortalem.

Neque

Neque absque causa limitaui assertionem ad censuram propriè dictam & adæquate sumptam, quia, vti sæpius obseruauimus, aliquæ Censuræ imponuntur vt pœnæ, aut etiam vt simplices quædam prohibitiones, & non vt Censuræ, & præterea cùm habeant singulæ multiplices effectus, imponuntur quandoque secundum vnum aliquem duntaxat, vt prohibitio ministrandi aliquod sacramentum, audiendi Confessiones, ingrediendi Ecclesiam, aliaque eiusmodi, quæ non modò propter culpam venialem, sed etiam sine culpa propter grauem aliquam causam prohiberi possunt, vt statim constat, neque eæ prohibitiones sunt aut suspensio, aut interdictum vti disq. 2. q. 1. annotasse me memini.

Hac igitur posita distinctione vniuersim pronuntio ad censuram totalem & secundum suos omnes effectus requiri culpam mortalem; neque DD. qui in contrarium allegantur, loquuntur de censura totali, vt facilè constat ex exẽplis quarundã suspensionum & interdictorum, quæ pro leuioribus culpis imponi solent.

Ratio huius nostri dicti perspicua est ex commensuratione, & adæquatione pœnæ cum culpa, cùm enim censuræ istæ totales, & secundũ omnes suos effectus sint pœnæ grauissimæ, grauem quoque culpam, quam puniant, exigunt.

Et quidem de Excommunicatione id nemini dubium esse potest, & docuimus, dum diximus disq. 2. q. 1. illius interminationem adiunctam præcepto supponere grauẽ obligationem illud seruandi: atque ex iis, quæ de grauitate huius censuræ sæpius monuimus, & eruditè congessit Theophilus Raynaud. tota 2. parte. de monitoriis, liquidò constabit.

4 Minor tamen Excommunicatio, etiamsi vera sit Excõmunicatio, vti disq. 1. ostensum fuit, cùm tamen nullo negotio, & à quolibet sacerdote, saltem quando est imposita à iure, tollatur, exigua pœna existimatur, neque multũ eius metu moueri solent homines, licet priuet vsu passiuo sacramentorum, atque ita ex obiecto suo sit grauis, ex facilitate tamen, per quam tollitur, leuis ducitur; quæ eadem ratio valet in excommunicatione minore generaliter lata ab homine, quia etiam illa auferri poterit à quolibet Confessario. At verò quando specialiter fertur ab homine, cùm tolli tantùm possit à iudice in foro exteriori, iam erit grauis pœna, vt rectè ratiocinatur Hurtado. diffic. 10. disp. 1. de Censu. in comm. n. 14. cùm & obiectum graue habeat, priuat enim ingenti bono, & careat illa facilitate absolutionis, propter quam ea, quæ à iure, vel ab homine generaliter lata est, leuis existimabatur, & solam culpam venialem requirebat; Quarè hæc Excommunicatio, quamuis minor, si tamen feratur specialiter ab homine culpam mortalem necessariò præsupponet.

5 Iam verò quod attinet ad suspensionem, cùm leuior pœna videatur, quàm ipsa minor Excommunicatio, quæ priuat sacramentorum vsu pro veniali culpa, sicut & ipsam minorem Excommunicationem, ferri dixerunt Caietan. ℣. suspensio. Armilla, ℣. eod. Nau. cap. 27. n. 151. & 159. & 165. Henriq. lib. 13. cap. 34. n. 1. Auila. 3. p. disp. 3. dub. 3. conc. 1. Medin. lib. 1. Summ. cap. 11. §. 8. Verùm iam docui grauitatem pœnæ pensandam ex hominum æstimatione, qui non magni facere solent pœnam ex obiecto suo grauem, quando illam facilè à se amoliri possunt: Qua de causa Excommunicationem minorem, licet ingenti bono priuet, leuem reputant, quoties autem pœna imposita difficilè tollitur, etiamsi non sit adeò grauis ratione sui obiecti, tamen timeri solet & acerba censeri, quo ex capite suspensio durior omninò est Excommunicatione minore, maximè cùm aliquando afferat damnum irreparabile, & infamiæ turpem notam inurat siue à iure, siue ab homine imponatur. Itaque ad hanc quoque Censuram culpam mortalem exigunt Sotus in 4. d. 22. q. 3. a. 1. Vasq. 1. 2. disp. 158. n. 44. Suar. disp. 28. de Censu. s. 4. n. 6. Kon. disp. 15. dub. 5. Layman. lib. 1. tract. 5. 3. p. cap. 3. Hurtad. disp. 1. de Censu. diffic. 10. n. 43. Qui tamen omnes loquuntur de suspensione totali, nam partialis aliqua ab aliqua functione, & ad modicũ tempus, cùm reuerà sit quædam exigua pœna, leuem tantùm culpam postulat; Vti obseruant laudati DD. neque aliud, nisi fallor, voluit Caietan. & qui illi adhæsere cum Alterio. disp. 7. de suspens. cap. & nos in nostra propositione loqouti sumus de Censura adæquatè sumpta secundum omnes suos effectus, ad eam enim tantùm culpam mortalem requirebamus.

Ex quibus multò magis efficitur depositionem & degradationem, quæ sunt grauissimæ suspensiones, requirere culpam mortalem, neque ea in parte dubium excitant.

Restat interdictum & quidem locale, cùm ad plures redundet, atque etiam generale personale, non nisi ex atroci scelere ferri posse, consentiunt omnes, ob ingentia incommoda, quæ illud consequuntur.

Difficultas est de interdicto personali particulari, 6
an ob veniale peccatum imponi queat, qua in controuersia vtor distinctione iam allata, integrũ enim & totale interdictum postulat culpam mortalem, eò quod pluribus omninò bonis, iisque magnis priuet, quàm Excommunicatio minor, & difficilius tollatur, vti constabit ex disq. 19. de absolutione, præterquã quod ex violatione interdicti incurritur Irregularitas, quam violatio minoris Excõmunicationis non inducit; atque ita cẽsent Suar. disp. 36. de Censu. s. 3. n. 2. Vasq. 1. 2. disp. 158. n. 50. Layman lib. 1. tract. 5. p. 4. c. 4. n. 4. Kõ. disp. 17. dub. 1. sub fin. Sayr. lib. 5. Thesau. cap. 11. n. 6. si verò agamus de interdicto aliquo leuiori & partiali, atque ad breue aliquod tempus, nihil vetabit pro leui culpa illud imponi. Itaque interpretor eos, qui docuerunt interdictum, sicut & minorem Excommunicationem culpæ venialis pœnam aliquando esse, eum Caietan. ℣. suspensio, & ℣. interdictum. Sã eod. ℣. n. 7. Auila & Henriq. locis citatis. Hurtadu. diffic. 13. de interdicto; neque dissentiunt Suar. & Layman locis allatis, atque Alteri. disp. 10. de interdicto. cap. 1. & Bonac. dis. t. q. 1. p. 3. n. 6.

SECVNDA PARS PROPOSITIONIS

De necessitate culpæ externæ ad Censuram.

1. Pars propositionis postulat ad censuram pec- 7
catum externum contra glossam in Clem. 1. de hæretic. & alios in Corolla allegandos, sequimurque magis communem opinionem, vt ex iisdem Corollariis constabit. Ratio verò manifesta est, vt enim modò nõ disputem quid possit Ecclesia circa actus mere internos, & an illos præcipere possit, quod cum communiore sententia negauimus alias. Videmus præterea eandem Ecclesiam posse reseruare peccata prorsùs interna, sicut & illa potest absoluere, cùm ea reseruatio sit aut non absolutio, aut negatio Iurisdictionis necessariæ ad illa relaxanda, qua de re diximus quoque aliàs, certũ est non posse

puniri

puniri externa pœna peccatum merè internum atque ea de causa Iudicium de occultis non pertinere ad humanam potestatem etiam Ecclesiasticam, vt dicitur cap. 1. 15. q. 6. & cap. sicut de simonia. Et fatetur Innoc. III. cap. tua nos eod. tit. vt enim ex S. Thoma argumentabamur quondam, hæc punitio cùm sensibilis sit, & prodeat à iurisdictione, quæ fundatur in hominum societate, quæ sensibilis est, ad solas quoque actiones sensibiles extendi debet.

Neque sanè affertur vlla actio aut omissio punita ab Ecclesia, quę non habuerit coniunctum aliquid externum, quo seipsam proderet: Aliud verò est non puniri actum externum nisi ex actu aliquo interno foret culpabilis, aut in certa peccati aut malitiæ specie constitueretur; aliud puniri actum purè internum; nam reuerà in priori illo casu non punitur nisi actus externus corruptus tali specie malitiæ, quam tamen non sortitur, sicut neque rationem liberi voluntarij, nisi ab interna voluntate; quando autem actum internum plecti negamus, agimus de actu, qui ita consummatur interius, vt nullum planè actum externum, neque vt sui manifestatiuum, neque vt complementum habeat.

Quæ autem afferi solent ab aduersariis, pertinēt tantùm ad certos actus externos, qui non plectuntur, nisi quatenùs informantur quibusdam actibus internis, vt odio, præsumptione, aliisque similibus. Itaque nostram hanc assertionem docent non modò, qui in vniuersum negant actus purè internos subiici Ecclesiæ potestati, sed etiam expressè censuras in eiusmodi actus non ferri specialiter tradūt. Nau. cap. 23. n. 38. & cap. 27. n. 56. Couarru. in Regulam peccatum, p. 2. initio n. 7. Suar. disp. 4. de censu. s. 2. n. 1. Layman lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 5. n. 5. Auila 1. p. dub. 10. Hurtad. disp. 1. de censu. difficult. 11. n. 49. Vasq. 1. 2. disp. 1. n. 60. Konin. disp. 13. dub. 8. n. 71. Bonac. disp. 1. de censu. q. 1. p. 3. n. 4. Alteri. lib. 3. de excommunic. disp. 1. cap. 2. qui alios referunt.

TERTIA PARS.

Censura non fertur nisi propter contumaciam.

8 3. Pars postulat contumaciam & inobedientiam aliquam aduersus præceptum Ecclesiasticum, alioquin peccatum contra ius naturale aut diuinum, quamuis mortale & grauissimum non erit sufficiēs materia censuræ, quod apertè colligitur ex cap. ex parte 1. de verborum signific. & c. 1. de sentent. excomm. in 6. traduntq; Panorm. c. qua fronte de appellationib. Nau. c. 27. n. 9. quos alij passim sequuntur cōtra Caietan. 2. 2. q. 69. a. 2. & alios relatos disq. 2. q. 2. coroll. 5. qui pro culpis præteritis & nullum tractum successiuum habentibus ferri posse excommunicationem contendebāt. Probatur ex Christi verbis Matth. 18. Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm Ethnicus & Publicanus, dedit enim in illo loco Christus Ecclesiæ potestatem excōmunicandi sibi non audientes, & contumaces, vti disq. 3. ostēdimus, & in eundē quoq; finem instituit cēsuras Ecclesia, vt sibi contumaces simul frangeret & emendaret; quarè nisi præcesserit aliqua contumacia & inobedientia, non erit ferenda censura; inobedientia porrò supponit eius, cui inobedientes sumus, præceptum; Immò hanc contumaciæ conditionem ita essentialem esse ad valorem censuræ, vt alioquin nulla futura sit, dixisse memini cum Suar. disp. 4. de censu. sect. 5. Auila 3. p. disp. 1. dub. 10. capitis 5. Vasq. dub. 12. de excommunic. & Konin. disp. 13. dub. 8. contra Hurtad. de censu. in cōm. diffic. 12. qui quamuis existimet à Prælatis inferioribus inualidè ferri censuras absque contumacia eius, in quem feruntur, quia ex institutione Ecclesiæ ex iure communi eorum potestas ad hoc genus peccati limitata est, putat tamen Pontificem qui amplissimæ potestatis Ecclesiasticæ plenitudinem obtinet, in alia quoque peccata, quàm contumaciæ, illas validè intorquere, illicitè tamen, nisi grauis vrgeat causa ad secum dispensandum in iure illo Ecclesiastico, saltem quoad vim directiuam. Verùm verba Christi apponentis conditionem aliquid amplius videntur exigere, vt quid enim de non audiente Ecclesiam egisset duntaxat, si ob aliam quampiam culpam dedisset potestatem excommunicandi, quam Christi institutionem probabilissime ostēdit perpetuus vsus Ecclesiæ, quæ nunquàm pro peccatis aliis, quàm in quibus esset aliqua aduersus legem aut præcepta inobedientia censuram tulit.

An verò peccatum, quod est materia censuræ, debeat non modò esse prohibitum ab Ecclesia, sed etiam prohibitum sub pœna censuræ, maior videri posset difficultas; Ita tamen affirmant DD. citati, quia alioquin non esset necessaria præuia monitio, vti reuerà necessariam esse ostendemus disq. sequenti.

QVARTA PARS.

De complemento actus in suo genere, vt sit materia censuræ.

Postrema demum parte assertionis exigebamus ad censuram contrahendam peccatum externum completum in suo genere secundum proprietatem verborum legis censuram ferentis. Ita sentiunt Auila 1. p. dub. 11. & 2. p. cap. 5. dist. 3. dub. 5. Suar. disp. 4. s. 3. n. 7. atque alij vulgò ex cap. perpetuo sanctionis, de electione in 6. vbi negatur, eligentes indignum incurrere pœnas, nisi communis electio votis ipsorum responderit. 9

Ratio verò perspicua est, leges enim pœnales & odiosæ strictè sunt interpretandæ, & secundum verborum proprietatem, vti dictum fuit aliàs, & præterea lex non operatur vltra illud, quod suis propriis verbis continet & declarat, neque reuerà violatur, nisi fiat actio tali lege prohibita, atque secundum rationem, secundum quam prohibita est.

Triplex porrò potest esse imperfectio in actu, siue actus ex triplici capite incompletus & inconsummatus esse potest, 1. quia positus quidem est totus actus ex parte agentis ad obtinendum vltimū effectū, ad quē ex sua natura tendit & quem vitare intendit lex, ille tamen effectus sequutus non est, quacunque ratione fuerit impeditus, quarè actus ille completus & consummatus non est propter defectum vltimi effectus, sic qui lætaliter alium vulnerauit, si tamen mors sequuta non fuerit, reuerà non commisisse homicidium, ille enim actus non dicit tantùm læthale vulnus, sed mortem ipsam ex vulnere consequutam, 2. actio est in se imperfecta, quia est insufficiens ad obtinendum effectum lege prohibitum, quamuis reuerà ille aliunde sequatur occasione eiusmodi actionis, quę tamen non fuit causa adæquata ipsius, qui enim sauciauit alium vulnere insufficienti ad infligendam necem, quæ tamen deinde ex aliquo alio casu 10

contigi

contigit, non nisi imperfectum homicidium commisit. 3. imperfecta aliquando est actio ratione voluntarij, quod postulat lex, ita vt licet sit voluntarium sufficiens ad peccatum, illudque mortale, non tamen vt lege postulatur, quæ vtitur verbis aliquid particulare significantibus, v.g. Quicunque præsumpserit, qui temere hoc fecerit, qui temerario ausu. Hæ enim voces non significant tantùm actionem fuisse voluntariam, & malam, sed prætereà *præsumere* significat quidpiam ex dolo & certa malitia fieri, vt ex communi DD. in Clem. Religiosi. de decimis, probat Aloysi. Riccius in praxi resolut. 19.n.2.& ex cap.1. de vita & honestat. Clericorum, vbi Constitutio prohibens, ne Laici sedeant in choro cum clericis, dum diuina officia celebrantur, non ferit eos, qui inaduertenter ex simplicitate, aut inuitati id faciunt, quia reuerà illi non dicuntur præsumere contra eam sanctionem. Idem huius vocis significatum tradit Nau. in cap. accepta. de Restitutione spoliatorum, oppositione.8.& in cap.statuimus.n. 62. 19. q. 3. Menoch. consil. 763. n. 10. Sanch. lib. 9. de Matrimo. disp. 32.n. 38. Idem quoque importat Audax & temerarius, nempe dolum & perfectam scientiam contra legem, siue vexationem, & attentationem contra Ius, siue denique contemptum. Quarè etiamsi ignorantia crassa non excuset à peccato, non tamen sufficiet ad incurrendam pœnam impositam scienter quid facienti, aut præsumenti aut ausu temerario suscipienti: Quarè optimè monet ibid. Sanch. non satis apposite Suar. disp.4.de Censu. s. 10.n.4. appellare temerarium violatorem legis eum; qui cùm suspicaretur, aut dubitaret de obligatione legis, non adhibuit sufficientem diligentiam, vt inquireret de lege & obligatione, quia etiamsi dicatur temerarius, ratione periculi vitandi, cui se exponit, non tamen quoad pœnas impositas à iure temerariis violatoribus. Quæ omnia iam monuimus in scientia Canonica & dicemus etiã inferius disq. 9. Vide Dian. 3. p. tract. 6. resolut. 7. His verò modò breuiter explicatis.

11 Aio Censuram nunquàm incurri nisi per actum completum ea completione, quam sententiæ & legis verba significant, atque ita si actio careat suo vltimo effectu, à quo talis denominatur, etiãsi vi ipsius sequuturus fuisset, & à causa quapiã extrinseca præter intentionem & conatum agentis impeditus fuerit, verè non est actio completa, neque materia Censuræ impositæ, quarè si vulnus fuit læthale, & necem intenderit vulnerans, reuerà tamen homicida non est, morte nondum sequuta, neque vt homicida punietur, nunquàm enim pœna à iure procedit, nisi delictum fuerit consummatum, vt cum Panorm. Ioann. Andr. & aliis relatis à Graffi. lib. 1. decisio. cap. 13. n. 71. diximus Quando verò actio est imperfecta, quia non est satis efficax ad effectum ponendum, etiamsi ille ex aliqua alia causa sequatur, non erit materia censuræ, quia reuerà non prohibetur sub Censura talis actio, nisi quatenus est talis efficaciatis ad ponendum talem effectum; quarè non fit reuerà actio prohibita sub censura, si quis igitur non vulnerauit læthaliter alium, etiamsi deinde ex eo vulnere Medicorum aut propria vulnerati incuria crescente contingat illum mori, non erit reuerà homicida, qui vulnus intulit, neque censuram aut pœnam incurret; quia eiusmodi pœna ferebatur in homicidium, & non in quamcunque vulnerationem.

Denique cùm lex illo suo modo loquendi exigat aliquod aliud voluntarium, quàm quod sufficit ad peccandum mortaliter, postulat enim audacem & temerariam præsumptionem, nisi quidquid illis vsibus significatur, adsit, reuerà non incurretur pœna, cùm intentio legislatoris (à qua totam suam vim obtinet lex) limitetur ea conditione, quam suis verbis apposuit.

CONSECTARIA

Ex hac vniuersalissima propositione plurium difficultatum enodationes facilè & solidè habebis.

Atque ex prima quidem parte de necessitate culpæ mortalis.

CONSECTARIVM I.

Id quod excusat à culpa mortali excusat à Censura.

Sequitur imprimis, quidquid excusat à culpæ mortali, siue illud sit leuitas materiæ, siue indeliberatio, siue aliud quidpiam, excusare quoque à censura Ex qua Regula plurima circa Monitoria ad restitutioné & reuelationem rei arcanæ extorquédam data colligebamus disq. 2. & in aliis omnibus materiis facilè fuerit adaptare. 12

CONSECTARIVM II.

Necessitate operans die festo non incurrit Excommunicationem.

2. Qui necessitate compulsus quidpiam facit die festo, quod sub pœna excomunicationis facere illo die prohibebatur, non incidit in Excommunicationem. Rosella. ℣. feriæ. §. 27. Sylu. ℣. dominica. n. 9. & ℣. Excommunicatio. 2. n. 20. Nau. cap. 13. n. 15. quia præceptum superioris iuridice interpretandum est, vt non prohibeatur opus lege concessum, quod si sententia prohiberet quodlibet opus illa die, siue necessitatis, siue pietatis causa factum, contineret errorem intolerabilem & nulla atque inualida foret, vt iidem DD. obseruant. 13

CONSECTARIVM III.

Leuiter percutiens Clericum non excommunicatur.

3. Qui Clericum adeò leuiter percussit, vt iudicio viri prudentis non sit percussio grauis continens culpam mortalem etiamsi suadente diabolo, & animo grauiter vulnerandi, aut etiam occidendi percusserit, non incidit tamen in Excommunicationem Canonis. Ita Nau. in cap. inter verba Corolla. 6. Couarru. lib. 1. Varia. cap. 1. vt ipsemet se allegat, in cap. alma mater. 1. p. §. 9. n. 2. Caietan. ℣. Excommunicatio. cap. 10. §. nota sexto. Angel. eod. ℣. n. 27. Molina. tract. 3. disp. 51. n. 6. Henriq. lib. 13. cap. 17. n. 2. Sotus in 4. d. 22. q. 1. a. 2. Layman lib. 1, tract. 5. p. 2. cap. 5. n. 5. Sayr lib. 1. Thesau. cap. 9. n. 7. & alij nouiores passim; non placet tamen quod Molina ibid. tradit, Quoties actus interior est culpa læthalis, etiamsi leuior tãtùm sit externa percussio atque ex suo obiecto venialis, incurri excommunicationem, atque ita qui sagittam aut lapidem iacit in clericum animo occidendi, etiamsi extremam tantùm cutem perstringat, reuerà excommunicatum esse; quod verius negant Caietan. & Angel. 14

gel. locis citat. aliisque passim, quos dabit Bonac. disp. 1. de Censuris. q. 1. punc. 3. num. 13. Sanch. lib. 2. in decalog. cap. 8. num. 7. & Gutierr. lib. 1. qq. Canoni. cap. 5. num. 13. Cum enim Excommunicatio cadat in externam percussionem, illa debet esse ex natura sua grauis, neque enim attenditur odium, aut internus animus, nisi quatenùs necessaria est voluntas, vt externa actio humana & peccaminosa censeatur, nam si percussio grauis foret, inuoluntaria tamen, neque animo nocendi, aut iniuriam ferendi facta, ita vt defectu prauæ intentionis immunis maneat peccati mortalis ex communi prudentum iudicio, reuerà non incurretur propter illam excommunicatio, vti docet ipse Molina. Itaque oportet actionem externam, quæ plectitur excommunicatione, & ex obiecto suo grauem esse & sufficienter voluntariam ad culpam læthalem, ita vt si alterum desit, quia vel non est sufficiens voluntarium saltem indirectum ad culpam mortalem, vel etiamsi sit praua & læthalis intentio, opus externum sit leue, non erit materia sufficiens grauioris censuræ, aut excommunicationis, vti in hac clerici percussione docet Caietan. l. citato, vbi hanc tradit generalem Regulam dignoscendi grauem percussionem clerici, quando nimirùm in laico esset mortalis, quæ tamen Regula displicet, quia eadem actio potest esse magis damnosa respectu Clerici quam laici, atque ita respectu vnius erit mortalis, & non respectu alterius; quarè Molina tract. 3. disp. 51. n. 8. in vniuersum pronuntiat eam percussionem, quæ prudentum iudicio foret mortalis seclusa excommunicatione illius esse materiam, sed semper recurrendum est ad iudicium prudentum, quam vnicam Regulam alij definiunt, vt Couarru. l. c. vbi ex Antoni. Angel. Sylu. Panorm. & aliis DD. id totum arbitrio Iudicis statuendum permittit.

15 Hinc Sotus, Henriq. Sayr loc. citat pueros clericos tonsuratos rixantes in Ecclesia, etiamsi pugno se percusserint, & aliquantulum sanguinis è naribus elicuerint, aut etiam ex capite, non incurrere excommunicationem, eò quod non censeatur grauis ea percussio, & castigatione potiùs egeant pueri, quàm excommunicatione: sed de hac excommunicatione, & an pueri excusentur illa, dicam aliquid inferius, vbi etiam singillatius inquiremus, quid nomine violentæ iniectionis manuum intelligendum sit; sufficiat in præsenti indicasse vniuersalem Regulam, ad quam ea debet examinari, nempè vt ex obiecto suo sit mortalis, & præterea sufficienter voluntaria ad grauiorem noxam contrahendam.

CONSECTARIVM IV.

Hæreticus & alij peccatores mentales non excommunicantur.

16 4. Ex 2. parte propositionis, de necessitate actus externi ad censuram liquidò sequitur, Hæreticum mentalem non incurrere excommunicationem, aliasue pœnas huic crimini in iure statutas, eo quod nulla lex Ecclesiastica puniat actus merè internos, vti alias stabilitum fuit; atque ea de causa sententiam nostri Corollarij docent 45. authores apud Sanch. lib. 2. in decalog. cap. 8. n. 2. quibus deinde omnes Sanche recentiores magno consensu adhæsere apud Garc. vndecima p. de benef. cap. 10. n. 91. contra plures vtriusque Iuris DD. atque è Theologis Adrian. quodlib. 8. & q. 1. de Confess. Cordubam lib. 4. q. 1. & 13. Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 4. & 7. qui glossam in Clem. 1. de hæreticis; & in 24. q. 1. in summario, ℣. quod autem Cardinal. in Clement. cit. n. 8. q. 7. Panormit. in prœmio decret. ℣. Rei pacificus, n. 6. fin. & in cap. extirpandæ, in repetitione de præbendis, n. 21. & in cap. finali de hæreticis, n. 1. & Felinum in cap. fin. & in cap. porrò de sententia excommunic. statim initio in vtroque loco, sequuti dixerunt, hæreticum occultum incidere in excommunicationem, sed vereor vt nomine hæretici occulti non significarint mentalem, sed latentem duntaxat, qui etiamsi verbo aut scripto, aliòue externo signo suam hæresim prodiderit, latet tamen neque detegi potest, quem occultum tantùm per accidens alij nominant, hunc autem fatemur excommunicatum esse, agimusque de mentali, quem quamdiu retinet animo, & interius suam hæresim, neque illam exterius significat aliquo signo illius manifestatiuo, vel ex sua natura, vel ratione circumstantiarum negamus excommunicatum esse, quid verò requiratur, vt quis dicatur hæreticus externus, ac proinde obnoxius omnibus pœnis in illud crimen statutis dicetur commodius alibi.

Hinc verò vlterius sequitur hæresim purè mentalem à quocunque absolui posse, quandoquidem non reseruatur nisi ratione excommunicationis annexæ vt dixi alibi; atqui hæresi purè mentali nullam impositam esse excommunicationem constat ex nostro corollario.

Quod de hæresi mentali diximus, idem de omnibus aliis peccatis purè mentalibus dicendum est, vt de simonia mentali, de eo, qui ratam habet clerici percussionem, neque vllo externo signo suum illum animum manifestat, tradit Sayr lib. 1. Thesau. cap. 9. n. 16. 17. 18.

CONSECTARIVM V.

Hæreticus tantùm externus non excommunicatur.

5. Sequitur eum, qui facit actum externum destitutum ea malitia propter quam prohibetur sub censura, illam non incurrere, quia censura non cadit in quemcunque actum externum, sed vt malus est certa quadam & determinata malitia, ratione cuius sub tam graui pœna prohibetur; quarè illum qui metu aliave ratione profert exterius hæresim, cùm ipse rectè sentiat, quamuis in foro externo puniatur vt hæreticus, atque ita tanquàm excommunicatum gerere se debeat in foro tamen poli, siue coram Deo minimè excommunicatum esse docent Auila 1. p. de censu. dub. 11. con. 3. Nau. cap. 11. n. 27. & cap. 27. n. 56. Sylu. ℣. hæresis, q. 9. Tabiena, ℣. hæreticus n. 2. & ℣. Apostasia, n. 3. Tolet. lib. 4. cap. 4. & in 1. excommunic. Bullæ cœnæ, n. 9. Suar. disp. 4. de censu. s. 2. n. 29. & disp. 11. s. 2. n. 3. Valent. 2. 2. disp. 1. q. 12. p. 1. Bann. ibid. q. 11. a. 4. dub. 2. con. 3. Less. lib. 2. de iustitia cap. 43. n. 11. Azor. 1. p. lib. 8. cap. 9. q. 9. 10. & 11. & cap. 21. q. 5. & 6. Simancas tit. 17. Catholicæ institut. n. 36. Directori. inquisito. p. 1. q. 9. & ibid. Penna commen. 24. Sayr lib. 4. clauis, cap. 4. n. 11. Sanch. lib. 2. in decalog. cap. 7. Kon. disp. 13. n. 75. Bonac. disp. 1. de censu. q. 1. p. 3. n. 14. contra Caietanum 2. 2. q. 12. a. 1. & q. 94. a. 1. ad 1. quia non excommunicatur nisi hæreticus, eiusmodi autem non est ille, qui non errat in fide, etiamsi exterius quidpiam contra fidem committat, & fingat se aut hæreticum aut apostatam 17

tam

tam, vt ex communi ſententia & definitione ipſiuſmet hæreſis certum eſt, & tradit Simanc. tit. 31. Catholic. inſtitut. n.8. Quarè vides, non ita poſtulari actum externum ad cenſuram, vt ille ſolus ſit ſufficiens, niſi habeat quoque internum, à quo ſuam ſpecialem malitiam ſortitur.

CONSECTARIVM VI.

De excommunicatione pro futuris culpis.

18 Ex 3. parte colliges 6. non poſſe ferri cenſuram pro peccato prorsùs præterito, ſi prius non fuerat ſub cenſura prohibitum, quod latè oſtendimus diſq.2.q.2.Corolla. 5. quia ad cenſuram requiritur contumacia, quæ in peccato præterito fingi non poteſt, ſi non fuerat prius ab Eccleſia ſub ea pœna vetitum.

Reſtat itaque, vt cenſura feratur vel propter peccata præterita, in quibus fuit aliqua contumacia, & in quæ fuerat iam intentata cenſura, vel imponatur ad impedienda peccata futura ſiue incurrenda ipſo facto, ſiue per ſententiam Iudicis: atque hanc pro futuris culpis cenſuræ comminationem & impoſitionem frequentem eſſe in iure certum eſt, itaque per modum legis & ſtatuti, à homine quoq; ferri poſſe tradit gloſſa in cap. Romana, de ſent. excommun. in 6.ꝟ. futuris, quam DD. communiter ſequuntur, & ſanè cap. à nobis 2. de ſent. excommunic. dicitur excommunicationem generalem in huc modum ferri poſſe, quiſquis furtum fecerit, ſit excommunicatus, quod caput ſaltem de cenſura per modum legis & ſtatuti lata interpretandum eſt. Ratio etiam aperta eſt, quia ſtatutum reſpicit futura, quibus prouidere debet, vt ait Panorm. in cap. licet deuitanda de electione n. 6. Quarè non niſi de futuris conduntur leges & ſtatuta, quæ pœnalia aliquando eſſe nemo dubitat, qui igitur poterit actionem quampiam lege ſancita prohibere, poterit eadem lege in violatores illius pœnam ferre.

Quarè tota difficultas reſtat circa ſententiam hominis ſiue generalem, ſiue ſpecialem, nimirùm an Iudex Eccleſiaſticus poſſit circa peccata prorſus futura ſententiam excommunicationis ferre, excómunicare v.gr. omnes, qui adulterium admiſerint, aut ſpecialiter Petrum, ſi ſacrilegium aut furtum fáciat, id enim negat gloſſa, in cap. Romana, quia Innocent. IV. videtur id prohibere eo cap. apertiſſimis omninò verbis: cui tamen videtur repugnare cap. à nobis iam allatum, quod ad cenſuram lege & ſtatuto latam reſtringi non debet, cùm in verbis Pontificis nihil occurrat quod ad eam reſtrictionem nos cogat; idemque omninò colligitur ex cap. vt animarum de conſtitutionibus in 6.

Dicendum tamen eſt cum Couarru. in cap. Alma mater 1.p.§.10.n.1. Sayr lib.1. Theſau. cap. 9. n.24. Suar. diſp.3. de cenſu. ſ. 4. Vaſq. dub. 12. de excommunicat. Hurtad. de cenſu. diffic. 16. n. 71. Riccio in praxi Reſolut. 45. qui ita validè & legitimè factum fuiſſe à Cardinali Spinello contendit Gutierr. lib. 4. qq. Cano. cap. 4. Alterio. lib. 3. de excommunic. diſp. 1. cap. 5. ferri poſſe cenſuram per ſententiam generalem ab homine pro futuris culpis: quia ſpectata natura cenſuræ, & Iuriſdictione ferentis, non magis repugnat eiuſmodi cenſuram ferri per ſententiam, quàm per legem, vt optimè aduertit Suar. cùm enim illa ſententia ſit conditionata, non punit peccatum antequàm fuerit commiſſum, quia non habet effectum niſi poſita conditione, quę eſt cómiſſio criminis; atque ita verum eſt ſententiam hominis reſpicere præſentia, vti tradit gloſſa in cap. Romana, §. caueant, notatque Cardinal. in Clement. 1. de priuilegiis, q. 32. quæ communis doctrina intelligenda eſt de ſententia quoad plenam efficacitatem, quam non habet, niſi peccato iam commiſſo, quod non impedit, quin ferri poſſit ſub conditione futuri peccati, ſicut & lex imponit pœnam peccaturo, quam non ſubibit, niſi vbi peccauerit: attenta itaque natura rerum non magis repugnat, ſententiam aliquam ferri ſub conditione peccati futuri, quàm legem pœnalem.

Ius verò poſitiuum nullum eſt, quod prohibeat eiuſmodi ſententiam generalem ferri, nam & in cap. à nobis citato probatur, cui non derogauit cap. Romana, cùm eius non meminerit, vt enim ius aliquod poſterius cenſeatur priori derogare, illius meminiſſe aliqua ratione oportet per clauſulam derogatoriam ſaltem generalem. Deinde Innocent. IV. in illo cap. Romana non prohibet eiuſmodi excommunicationes, ſed monet tantum, ne paſſim & abſque graui cauſa vſurpentur, quod ſatis indicat vox *caueant*. Præterea ferri permittit, vbi rationabilis aliqua cauſa cogit, quam cauſam in ipſis ſententiis exprimi vult Pontifex. Denique quamuis vltro daremus cap. illo Romana contineri prohibitiones, illi tamé contrario vſu detractum fuiſſe dicendum fuiſſet, cùm cottidiè cenſuras eo modo ferri videamus; quam cottidianam praxim pluribus tuetur Gutierr. cap. 4. cit. exiſtimat quidem Anton. à Butuo in cap. à nobis de ſentent. excom. nihil intereſſe inter excommunicationem generaliter latam ab homine pro futuris culpis, & latam à iure, ſiue à lege, octo tamen differentias inter eas conſtituit Francus in cap. Romana, §. caueant, quibus omiſſis certum eſt cenſuram per legem latam eſſe perpetuam, non autem eam, quæ fertur per ſententiam; Quarè ſi Iudex amittat iuriſdictionem, antequàm ſententia ſuum effectum ſortiatur, nulla eſt. Deinde cenſura à lege reſpicit territorium, ſententia verò afficit ipſas perſonas, vti diximus diſq.4.q.2.Corolla.16.

Iam verò quod attinet ad excommunicationem pro futuris culpis ab homine latam ſpecialiter, v. gr. excommunico Petrum, ſi furetur, negant paſſim DD. apud Sayr l.c. eam ferendam eſſe, eo quod tractatus futuri temporis non ſpectet ad Iudicem l. 1. ff. de vſuris. Id tamen intelligendum ita eſt, vt ea ſententia ſit illicita, non inualida, immò ſi quæpiam grauis cauſa vrgeat, neque illicita fuerit.

CONSECTARIVM VII.

Non incurri cenſuram propter incompletionem actus homicidij, Simoniæ & aliorum.

7. Ex vltima parte propoſitionis, in qua dicebamus requiri actum completum, qualem ſignificant verba ſententiæ, aut legis cenſuram ferentis. 19

Sequitur 1. qui vulnerauit lætaliter Titium, qui tamen eſt miraculo perſanatus non contrahere excommunicationem, ſi quæ lata ſit contra homicidas. Ita Suar. diſp. 4. ſ. 3.

2. Neque qui leui vulnere percuſſit Caium, qui tamen aut ſua intemperantia aut medicorum incuria periit, Reus erit cenſuræ contra homicidas, quia in his omnibus non fuit reuerà

positum homicidium, quod solùm punitur Censura, vt ex verbis legis aut sententiæ propriè acceptis constabit.

3. Simoniaci mentales, qui reipsa cõmutant spirituale in tẽporale sine vllo tamẽ exteriori pacto, aut cõuentione tacita vel expressa, non incurrunt censuram, vt dicam fusius tract. de Simonia, cuius alia ratio nequit afferri, nisi quia hæc actio licet ex intentione praua sit simoniaca, est tamen in eo genere imperfecta secluso pacto externo, cùm Ecclesia non puniat illam commutationem temporalium in spiritualia, nisi prout ex pacto aliquo proficiscitur.

4. Quoties vetatur aliquis actus externus sub Censura, nisi ponatur ita actio exterior, vt simul fiat actus interior, qui est de eius substantia, non incurritur Censura: si autem actus interior non sit de substantia exterioris sufficit poni exteriorem ad vitandam censuram, v.g. ad orationem & auditionem Missæ, requiritur aliqua attentio, tanquàm essentialis, & sine qua non erit aut oratio aut auditio Missæ, ad communionem autem Eucharistiæ nulla requiritur dispositio ad eius substantiam, nam verè communicat Corpori Christi etiam qui illud indignissimè recipit. Hinc fit, vt qui indignè communicat in Paschate, non incurrat Censuram latam contra non communicantes, quia reuerà ponit actionem imperatam, nempè communionem, qui autem nihil prorsus ad missam attendit, cùm reuerà non audiat Missam, neque ponat, quæ sunt de essentia auditionis imperatæ, contrahet Censuram contra non audientes missam. Quæ omnia iam indicata sunt ex iis quæ de materia legis Ecclesiasticæ disputata sunt, ex quibus aliaque similia Corollaria facilè fuerit colligere.

CONSECTARIVM VIII.

Vitatur Censura ex defectu voluntarij alicuius specialiter requisiti.

20 9. Ex eadem incompletione actus fit, vt quoties Censura fertur in actum certo modo voluntarium, non incurratur, si desit illud voluntarij genus, vt quando temeritas aut præsumptio requiritur in actu, nisi adsit ea fraus & dolus, aut contemptus, quæ significantur his vocibus, non contrahitur excommunicatio: ex quo principio deducere licet omnia, quæ diximus de ignorantia excusante à pœna; non enim cum ignorantia constare potest præsumptio, aut temeritas, vti explicuimus; quarè his omissis pauca quædam colligo circa Excõmunicationes, quæ annotauit Riccius in praxi Resolut. 19.

1. Qui ignoranter absque dolo alienauit res Ecclesiæ, non incidit in Excommunicationem Extrauagantis Pauli IV. contra præsumentes alienare bona Ecclesiastica editæ.

2. Excommunicatio in sumentes sacramenta ad malum finem, non cadit in eos, qui sine dolo & malitia id faciunt.

3. Constitutio excommunicans præsumentes alloqui moniales, non ferit eos qui imprudenter, ignoranter secluso dolo & malitia illas alloquũtur, vt si vna cum alio, qui habet licentiam, & quem ipse comitatur, loquitur cum moniali.

4. Clem. 1. de priuilegiis excommunicans Regulares, qui extremam vnctionem ministrare præsumpserint, non ligat eos, qui vrgente necessitate bona fide, absq; dolo & malitia id fecerint. Vti docent Caietan. ℣. Excommunicatio. 1. Nau. cap. 27. n. 120. Ex quibus alia similia facilè dissolues.

QVÆSTIO TERTIA.

An Consulentes & mandantes opus sub Censura prohibitum, eandem Censuram incurrant.

PROPOSITIO. *num. 1.*

Consulens aut mandans actionem non incurrit Censuram, nisi in lege exprimatur. n. 2.

Discrimen inter causam moralem & physicam n. 3.

Aliquando tamen comprehendit consulentes & mandantes, quandonam id contingat. n. 4.

Tunc autem debet opus positum fuisse vi mandati aut consilij. n. 5.

Discrimen mandati & consilij. n. 6.

Facilius reuocatur mãdatum, quàm consilium. num. 7.

Mandatum & Consilium directum aut indirectum. n. 8.

1. Regula. num. 9.

Consectaria n. 10.

2. Regula. n. 11.

3. Regula. n. 12.

Consectaria. n. 13.

An mandans percuti certo loco sit Reus percussionis alibi factæ. ibid.

An mandans rapi virginem sit Reus cædis illi resistenti illatæ. n. 14.

An armatus capiens possessionem beneficij sit reus cædis commissæ. n. 15.

De Consilio rei illicitæ quid sentiendum in casibus singularibus. n. 16. 17. 18.

An parens sit Reus cædis filij, qui ad vitandas minas sibi factas sponte perijt. n. 19.

An Confessarius, qui suasit pœnitenti fateri crimen, ex quo periit, sit reus eius cædis. n. 20.

4. Regula n. 21.

5. Regula. n. 22.

Ad quid teneatur, qui suum mandatum reuocauit, si nihilominùs mandatarius agere pergat. n. 23.

An efficax reuocatio mandati, si ad mandatarium non peruenerit, excuset mandatem à pœna. n. 24.

Consectaria. n. 25.

6. Regula. n. 26.

An reuocatio consilij sufficienter excuset Consiliarium. n. 27.

An ea reuocatio consilij excuset ab Irregularitate. n. 28.

Vltima Regula. n. 29.

VLtimò denique ex hactenùs dictis colligendum est, quoties censura fertur in committentes aliquod delictum, non incurri à mandantibus 1.

tibus aut consulentibus, vel tatum id habentibus, nisi Edictum, aut lex exprimat, se comprehendere etiam consulentes aut mandantes; aut iis exclusis redderetur inutilis, tunc verò necessè est effectum siue actum, quem quis mandauit, aut suasit, fuisse positum vi illius mandati aut Consilij.

Neque difficile fuerit singulas huius Consectarij partes ex vniuersali nostra propositione eruere.

Dico igitur imprimis Censuram latam propter aliquod crimen non comprehendere illud mandantes, aut consulentes, nisi id ipsum exprimatur apertè. Ita Sanch. disp. 49. lib. 3. de matrimon. n. 2. Hurtado. disp. de Censu. in communi. diffi. 14. Kon. disp. 14. n. 188. Auila. 2. p. cap. 5. disp. 3. dub. 2. Vbi tamen maximè agit de Excommunicatione de qua specialiter idem sentiunt Sylu ✠. Excommunicatio vltimo. q. 4. dicto 3. & alij summistæ passim eod. ✠. Caietan. Initio Armilla. n. 2. Tabiena eod. ✠. 5. casu. 49. n. vlt. Nau. cap. 17. n. 57. Bartholom. de Ledesma. dub. 6. de Excommunic. Henriq. lib. 13. cap. 17. num. 2. & cap. 21. num. 1. & denique communem sententiam esse testatur Hurtado & Sanch. contra Rosellam. ✠. Excommunicatio casu 43. num. vlt. & Sylu. sibi contrarium eod. ✠. 9. num. 79.

Ratio nostræ sententiæ perspicua est, diximus enim censuram cadere in actionem quandam criminalem, quam verè non facit, qui illam mandat aut consulit, non incurret igitur Censuram, aut pœnam in facientes eiusmodi actionem latam, in legibus enim pœnalibus & odiosis non sunt amplificanda verba per impropriationem, quandoquidem strictius sunt interpretanda; vnde dixi in vniuersum alibi pœnam contra facientem siue iure communi, siue statuto latam non afficere mandantem contra Abbat. in cap. mulieres. de sentent. Excommunic. n. 10. Angel. ✠. mandatum. n. 1. & Sylu. eod. verbo. n. 4. qui malè id affirmabant, quando pœna per statutum, & non per ius commune lata est, cùm tam odiosum sit statutum pœnale, & æquè strictè interpretandum, quàm Ius commune.

3 Vt verò quæ singillatim pro extensione Excommunicationis ad mandantes afferuntur ex iure, facilè soluantur, obserua quod aliàs dixisse me memini, discrimen esse inter causam moralem tantùm, cuiusmodi est suadens & imperans, aut approbans, & causam physicam ad alterius imperium aut suasionem agentem, etiamsi enim vtraque causæ tribuatur actio etiam in iure, & vtraque delinquat eodem crimine, quandoquidem in mandante est sufficiens voluntas talis delicti: aliter tamen atque aliter agere, siue actionem illam externam & delictum v. gr. homicidium committere dicuntur, quamuis vterque delinquat peccato homicidij, eiusque reus sit; nam qui reipsa occidit, verè & propriè occidit, eiusque tota actio est, quam tanquàm propria & physica causa solus ipse producit; mandans autem non nisi interpretatiuè & non verè occidit: vt latè probat Decian. tract. criminali. lib. 9. cap. 32. n. 2. ex Barth. l. si is qui pro emptore. ff. de vsucapioib. num. 36. & l. sed etsi vnius. §. seruus. ff. de Iniuriis. num. 2. Iason. l. si quis id quod ff. de Iurisdict. omnium iudicum. n. 36. Iuli. Clar. lib. 5. recepta. §. fina. q. 89. vbi esse communem omnium scribentium opinionem dicitur, eamque satis insinuat cap. vt famæ. de sentent. Excomm. dum ait illos, quorum authoritate aliquid fit, videri facere, verbum autem *Videri* fictionem quandam importat, & non realitatem aut veritatem vti obseruat glossa in l. nemo. ff. de restitutione in integrum. ✠. pollicetur, & ibid. Barth. n. vnico. cap. etiam 2. de Clericis pugnantib. in duell. pugil dicitur verè homicida non mandans, licet & ipse Reus sit homicidij suo mandato commissi cap. si quis viduam. 50. d. mandare & facere tanquàm diuersa ponuntur, vti reipsa sunt, nam mandatum præcedit factum, quod vi mandati deinde ponitur. Ex eo tamen quod mandans sit causa moralis, atque interpretatiuè faciat actum, dicitur aliquando in iure eius causa, & illo crimine quod fieri imperauit, teneri, atque ita cap. mulieres. de sentent. Excomm. dicitur verè committere delictum, nimirùm quantum ad rationem culpæ. & cap. nuper eod. tit. facientem & consentientem pari pœna constringi, & Regula. is damnum, ff. de Regulis iuris, qui damnum dari iubet, dare dicitur. Verùm cum hæc acceptio causæ sit tantùm interpretatiua, atque etiam impropria, vsurpari non debet in legibus pœnalibus, nisi aliunde cogamur, & maximè in censuris, quod postremum probat solemnis vsus Ecclesiæ, quoties enim vult excommunicare non modò facientes sed etiam mandantes, id disertè exprimit, vt cap. fœlicis. de pœnis in 6. & Clement. si quis suadente, eod. tit. atque in pluribus bullæ cœnæ Excommunicationib. & cap. mulieres. de sentent. Excomm. vbi extenditur Excommunicatio lata cap. si quis suadente. 17. q. 4. in Clerici percussores, ac mandantes. Non fuisset autem opus hac noua Constitutione, si iam vetus comprehendebat quoque mandantes illam percussionem. Ratio verò propter quam sit illa Excommunicationis extensio, optima redditur, quod is committere verè dicatur, cuius authoritate delictum committitur, quia ille mandans verè peccat in legem prohibentem, etiamsi non eliciat actum illum prohibitum, vnde iure punitur, atque ita, qui imperat percussionem Clerici, etiamsi non percutiat verè Clericum, atque ita non incurrat pœnam decretam aduersus percutientem; alia tamen ratione verè delinquit in eandem legem; quare iure, simili pœna plectitur per nouam illam sanctionem in cap. mulieres; & malè Panorm. ibid. n. 12. reijcit communem istam interpretationem eo quod ibidem agatur de pœna excommunicationis & non de peccato mandantis: fateor enim extendi excommunicationem percutientis ad mandantem, non quia percutiat verè, sed quia verè committit delictum contra legem sacrilegam, eiusmodi percussionem prohibentem, & graui pœna damnantem; qua etiam de causa in cap. nuper. de sentent. Excomm. dicitur consentientem & facientem eadem pœna constringi, cùm enim æque delinquat in legem, eadem pœna puniri possunt, quamuis non soleant semper, & nisi id lex exprimat, relinquatur arbitrio Iudicis illos pœna aliqua punire. Ita etiam intelliges Regulas, quæ tribuunt damnum illis, qui inferri mandarunt, nam reuerà illi mandantes peccant contra Iustitiam & damnum inferunt, sed interpretatiuè tantùm, quia sunt causa actionis damnificatiuæ, optimè enim aduertit Barthol. l. si is qui pro emptore ff. de vsucapionib. num. 56. legem æquiparantem factum vnius facto alterius necessario fingere, cùm physica actio & factum vnius nequeat dici factum alterius. Hæc omnia confirmantur ex cap. Quicunque de sentent. Excommunic. in 6. vbi Excommunicatio contra dantē licentiam quidpiam malè faciendi, non extenditur ad illū, qui vtitur ea licentia; cur igitur

igitur cenſura contra facientem extendetur ad dā-tem licentiam aut mandatum aut conſilium.

Dixi 2. aliquando tamen cenſuram comprehendere conſulentes & mandantes, quando nimirùm id diſertè ſignificat, vt de percuſſione clerici ſtatuitur cap. mulieres de ſentent. excomm. aut quando verbis generalibus id indicatur, eo quod excommunicentur, quicunque & quacunque ratione alicuius criminis cauſa fuerint, aut denique, quando alioquin lex aut ſententia fruſtratoria & inutilis foret, tunc enim, vt aduertit Nau. cap. 27. n. 51. lex pœnalis extenditur ab vno caſu in alium, & notant quoque gloſſa fin. in cap. 2. de vſuris, in 6. Felin. in cap. tranſlato de conſtitutionib. num. vltim. & alij quos refert & ſequitur Couarruu. lib. 3. varia. cap. 3. num. 9. quibus adde Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 49. num. 4. Qua de cauſa dixit Nauarr. l. cit. in cap. ſignificauit de Iudæis, mittentes per nuntios aut alias perſonas arma Saracenis, incurrere excommunicationem in defferentes latam cap. Ita quorundam eod. tit. quia cùm intendatur per prohibitionem deferendi illa arma, impedire ne Saraceni iuuentur ad bellum faciendum contra Chriſtianos, inutilis foret ea prohibitio, ſi illis liceret mittere. Neque placet, quod Auila & Hurtado videntur negare has limitationes, quod vix aut ſaltem rarò admodum contingant, nam quidquid ſit de peculiaribus caſibus, an in illis ſit neceſſaria extenſio ad mandantes, ne alioquin inutiles ſint prohibitiones, verum ſemper erit, quoties ad vitandam eiuſmodi inutilitatem neceſſarium fuerit extendere legem ad mandantes, omninò extendendam eſſe, quandonam verò id contingat, erit in arbitrio prudentis, & quidem quod attinet ad excommunicationem mittentium arma Saracenis, non malè concedit Auila, eam incurri propter cap. ſignificauit, non verò præciſe per caput. Ita quorundam. Vnde fit vlterius, quod ſi quis conſuleret aut mandaret mercatori mittere eiuſmodi arma, non incurrere illam excommunicationem capitis. Ita quorundam, quæ modò octaua eſt in bulla cœnæ, in aliam tamen incideret latam in extrauag. multa & in extrauag. copioſus de Iudæis.

Dices eum qui communicat cum excommunicato in crimine criminoſo excommunicatum quoque eſſe, cap. nuper, & cap. ſi concubinæ de ſentent. excommunic. atqui mandans & conſulens communicant in crimine, quod mandant & conſulunt, ergo excommunicationem pro illo latam incurrunt. ℞. iis locis agi de communicatione poſt excommunicationem iam contractam, quarè nihil ad noſtram controuerſiam faciunt ij textus.

Dixi 3. parte noſtri corollarij, quoties mandans aut conſulens comprehenduntur lege aut ſententia ferente cenſuram, requiri vt poſitum re ipſa fuerit opus vi illius mandati aut conſilij, niſi cenſura æquè primò lata fuiſſet in mandantes & conſulentes, atque in facientes.

Hæc aſſertio colligitur ex propoſitione vniuerſali poſita quæſt. ſuperiori, quæ exigebat effectum completum in ſuo genere ad contrahendam cenſuram propter ipſum latam. Hîc autem mandatum & conſilium non habuit effectum, quem iura vitari cupiunt, cùm v. gr. percuſſio ſequuta non fuerit & ob illam tantùm excommunicarentur mandantes & conſulentes, vt optimè argumentatur Konin. diſp. 14. num. 175. de mandante percuſſionem clerici, qui, ſi non ſequatur ea percuſſio, non incurrit excommunicationem, quod & alij paſſim docent adducendi in caſibus ſingularibus, qui in iſta Corollarij parte continentur, & quos perſpicuitatis cauſa ſigillatim expendo, & ad certas Regulas reuoco.

Obſerua verò inter mandatum & conſilium plurimùm intereſſe, mandatum enim eſt intimatio & ſignificatio voluntatis mandantis facta mandatario, qui agit tantùm voluntate & nomine mādantis. Conſilium verò eſt perſuaſio facta alteri, qui deinde ſuo nomine & voluntate operatur, etiamſi eiuſmodi voluntatem non ſuſceperit, niſi alterius ſuaſione; diſtinguit tamen Sua. diſp. 44. de cenſu. ſ. 3. n. 15. duo genera conſiliorum, quorum vnum tendit ad perſuadendum intellectum, alterum ad inclinandum affectum: primum eſt perſuaſio, quæ fit momentis rationum adductis, quibus probetur quidpiam alteri commodum aut honorificum fore, atque ita omninò faciendum eſſe v. gr. occidendum eſſe inimicum: quæ perſuaſio, ſi propriè loquamur, verum & proprium conſilium eſt; alia quædam ſpecies conſilij eſt inductio quælibet ad quidpiam faciendum ſiue rogando, ſiue blandiendo, ſiue promittendo, ſiue comminando, vt cùm pater iubet filium carere ſuo conſpectu, donec fuerit vltus illatam iniuriam: hi enim omnes modi inducendi alium ad faciendum quidpiam pertinent, vt vides, ad commouendum affectum potiùs, quàm ad docendum intellectum. 6

Hinc verò oritur alterum quoque diſcrimen inter mandatum & conſilium, quod in rem noſtram maximè fuerit obſeruandum, nimirùm aliter retractari & reuocari mandatum, quàm conſilium, quod ægrius multò reſcinditur, vti contra Maiol. lib. 5. de irregularit. cap. 48. §. 2. num. 3. annotant Iuriſtæ relati à Suar. cit. num. 11. nam cùm mandatum ſit tantum intimatio voluntatis mandantis, mutata illa voluntate, & intimata atque ſignificata mandatario iam ſufficienter tollitur mandatum, & ceſſat omnis influxus & motio in actionem, quam ſi nihilominus pergat exequi mandatarius, iam agit ex propria voluntate, & non mandantis, cui proinde homicidium v. gr. prius mandatum non poterit tribui, cùm ab illo reuerà non prodierit. 7

Neque dicas mandatarium agere motum ex priori motione facta, & veluti impreſſa à mandante, qui deinde motum ſiſtere non poteſt, ſicut neq; impetū impreſſū lapidi retinere, nā cū impetus moueat phyſicè, & authoritas mādātis moraliter duntaxat, mirū nō eſt quod vnius actio impediri poſſit, non autē alterius, & reuocari queat virtus agēs moraliter, non autē agens phyſicè: quia cùm virtus actiua non impediatur, niſi per ipſius deſtructionem, aut contrarij reſiſtentiam: virtus actiua phyſica impreſſa paſſo non poteſt deſtrui ab agēte, quod eam impreſſit, cum ab eius influxu non conſeruetur, reſiſtentia verò erit à contraria virtute & non ab agente; atque ita qui impetum impreſſit lapidi ad motum, non poteſt aut illum deſtruere, aut eius actionem per reſiſtentiam morari: quando verò virtus actiua eſt moralis tantum, pendetque à ſola mouentis voluntate, tolli facilè poterit eiuſdem, qui illam impreſſit, voluntate, quod contingit in mandante, qui ſua voluntate & authoritate mouit mandatarium ad agendum; vbi enim illi ſignificauerit ſe mutaſſe voluntatem & animum, nolleque vt ſua authoritate & imperiis agat, ſuâ tantum deinde ſponte & malitia aget mandatarius,

ſi

si post illam significationem mutatæ voluntatis mandantis agat; quamuis enim fateat mandatum dedisse causam huic priori voluntati, quod tamen modò in ea pergat eamque exequatur, mandatum non est amplius causa.

At verò Consilium propriè dictum non tam facilè reuocatur, vti Nau. cap. 27. n. 233. cũ Innoc. cap. ad audientiam. de homicidio, & aliis aduertit, eius enim est docere intellectum, quod vbi semel factum fuit, non pendet ampliùs à voluntate consulentis, nam persuasus & conuictus intellectus manet persuasus, siue qui illum persuasit, id velit, siue id nolit, quarè diligentiam adhibeat oportet, vt illum contrariis rationibus dedoceat, aliamque opinionem ingeneret, quod ægrè aliquando obtinebit, quia difficilè sententiam prius conceptã deponimus, & sæpiùs in his moralibus priùs consilium continebat commodum eius, cui persuadere quidpiam faciendum esse conabamur, quare illius reuocatio passim inefficax esse solet. Quod si consilium fuerit tantùm inclinatio & instigatio quædam effectus, minis, promissis blanditiis & precibus commoti, cùm tota ea instigatio nitatur voluntate petentis per solam reuocationem prioris voluntatis tota ea petitio desinet esse efficax, quarè ea impropria persuasio & consilium æquiparatur mandato, quoad facilitatem reuocationis.

8 Aduerte denique mandatum & Consilium aliquando directum esse, dum expressè quis aut mandat, aut consulit; aliquando indirectum, dum quidpiam facit aut dicit, vnde eius voluntas aut consilium intelligi possit, vt si dominus famulo, aut amicus amico prohibeat ingressum suæ domus, donec audiat aliquid noui de eo, & illo, à quo iniuriam accepit, in illis enim verbis contineri tacitum præceptum plores docent apud Couarru. in Clem. si furiosus. 2. p. §. 1. n. 4. & Sayr. lib. 7. Thesau. cap. 2. n. 9. aut si quisquam rixatus cum alio petat ab amico, an existimet se esse iniuria affectum, & an agatur de suo honore, nisi se vlciscatur, respondeatque amicus interrogatus videri sibi iniuriam acceptam fuisse, & dubitari iure poterit, an hæc responsio contineat consilium vltionis, sitque causa homicidij, si quod deinde consequatur, cùm videatur tantùm esse iudicium quoddam speculatiuum de re facta, & non practicum de re facienda, quarè non tam ita iudicans incitat ad vindictam, quàm ipsa res & iniuria accepta, qui enim narraret alteri iniuriam ipsi inflictam, etiamsi inde ad vindictam & homicidium incitaretur, non diceretur illa sua narratione præcepisse aut consuluisse homicidium quamuis non diffitear fuisse moralem occasionem ad vindicationem excitatam. Quarè erunt singulæ circumstantiæ expendendæ, vt in tanto dubio pronuntiari certò possit, an fuerit in illa responsione, aut iudicio & narratione iniuria ab alio accepta, mandatum aut consilium indirectum ad homicidium inde consequutum; siue an fuerit causa propinqua illius cædis, & non tantùm occasio, nam eum, qui narrat marito adulterium vxoris, aut amasio perfidiam amicæ, quæ sui copiam fecit alteri, si ex leuitate quadam & loquacitate dixit, negat esse Irregularem Maiol. lib. 5. cap. 48. §. 2. n. 7. etiamsi cædes vxoris & amicæ sequatur, cùm id non dixerit animo incitandi maritum aut amasium ad vindictam & necem.

His obseruatis sic definienda videtur omnis ista controuersia, & 3. pars nostri Corollarij explicanda.

PRIMA REGULA.

Quoties Consilium non est malum, etiamsi actus, qui consulitur sit malus, non incurritur Excommunicatio extensa ad Consulentes. 9

Probatur hæc Regula, quia ea Censura supponit omninò malitiam in eo consilio, vt optime docet Sylu. v. Excommunicatio. 10. n. 5. vbi ait hanc excommunicationem intelligi de consilio fraudulento non nudo, quod nihil adiicit ad peccatum, vt notat glossa 2. in cap. nuper. de sentent. Excommunic. & in cap. sicut dignum. de homicidio. Estque solemnis illa Regula iuris in 6. nullus ex consilio, nisi fraudulentum fuerit, obligetur. Quarè si illi, quem dimouere non possum à cæde clerici, consulam percussionem, non incurro excommunicationem, quia eiusmodi consilium licitom est in illis circumstantiis, quod adoertit Auila 2. p. cap. 5. disq. 3. dub. 1. & Sayr. lib. 7. Thesau. cap. 3. n. 13. alios adducens, & sanè tunc illud consilium non tendit in percussionem, & mutilationem, vt ipsa fiat homicidium; quarè ille nequidem erit irregularis, quod multò verius erit, quando non modo licitum sed pium fuerit consilium, etiamsi deinde aliqua mutilatio aut cædes præter intentionem sequatur, neque enim aut incurretur Excommunicatio, aut irregularitas, quæ alioqui cõsulentes comprehenderet, vt ait Maiol. c. 48. cit. §. 2. n. 9.

CONSECTARIA.

Hinc solues multos casus, quos congerit ibid. Maiol. & ex illo atque aliis Sayr. lib. 7. cap. 3. n. 8. & seq. qui enim consulit alicui, vt vitam pro Christo obiiciat tyranno, aut qui fugienti suadet sistere excusso omni timore, eo quod existimet se satis habere aut authoritatis aut virium ad impediendos insequentes hostes, ne lædant, etiamsi illi deinde teuerà occidant, non fiet irregularis, sicut neque, qui transeunti fluuium author est, vt ex equo debilior, quo vehitur, descendat, facilius transiturus, illeque imprudenti consilio obtemperans submergatur; qui suadet alicui vt patrem, aut amicum; aut bona magni momenti cum periculo vitæ tueatur, ex eaque defensione sequatur homicidium vel defendentis, vel impugnantis, non est irregularis, vt passim tradunt DD. apud Sayr. l. c. neque etiam erit excommunicatus. Et hæc omnia exempla habet Vgolin. cap. 16. de irregularit. §. 5. 6. & 7. Vbi tamen aduerte illum agere de irregularitate ex quocunque homicidio prouenienté, non autem de irregularitate, quæ ex solo delicto nascitur. Initio verò cap. n. 5. ait eum, qui bona fide suasit alteri, vt per locum certum transiret, vbi insidiis hostium petitus occubuit, & vt per pontem traiiceret flumen, in quod ruina pontis impulsus decidit, cùm neque insidias hostium potuis sciret, non esse irregularem ex eo consilio, quia licitum erat, & non influxit in homicidium per se. 10

Quod diximus de consilio licito & honesto, idem dicendum quoque est de mandato etiam pio & licito, propter quod incurri nequit excommunicatio, neque etiam irregularitas ex peccato, ex homicidio v. gr. iniusto. Requiro autem mandatum reipsa iniustum, & non tantùm in speciem; alioquin incurritur Excommunicatio, si ea in mandantes extendebatur, atque etiam Irregularitas, quæ ex mandato iniusto sequuta fuisset, nam reuerà mandatum fuit iniustum,

atque ita iudices, qui prætextu falso damnant aliquem, quem sciunt non probari Reum, & occidi aut mutilari iubent, sunt Irregulares ex iniusta mutilatione, aut homicidio, ex Nau. cap. 27. n. 225. & Henriq. lib. 14. cap. 14. n. 5. Quidni igitur etiam, si quis iuberet percuti Clericum falso obtentâ causâ contraheret Excommunicationem latam. cap. mulieres. de senteot. Excomm. in mandantes percussionem Clerici.

SECVNDA REGVLA.

11 Quando aliquis mandat aut consulit fieri actionem aliquam licitam, quæ est inchoatio quædam actionis illicitæ, quæ prohibetur sub pœna Excommunicationis & Irregularitatis contrahendæ à facientibus, & mãdãtibus, & quæ reuerà sequitur præter intentionem mandantis & consulentis, non incurritur Excommunicatio, aut irregularitas à mandante & consulente.

Mandauit v. gr. pater corripi & verberari filium etiam clericum iusta de causa, mãdatarius verò mutilauit, aut etiam per imprudentiam occidit inflicto graui vulnere, non est excommunicatus aut Irregularis. Ita Tabiena. ✠. Irregularitas. 2. §. 3. Nau. cap. 27. n. 233. vbi opinionem Syluestri, qui ✠. homicidium. 1. n. 11. contrarium sentit, subtilem sed periculosam dicit Henriq. lib. 14. cap. 14. n. 2. & c. 16. n. 1. litt. G. Vbi negat esse irregularem, qui licitè iubet capi possessionem Castri, ea qua propter iniquam resistentiam aduersariorum sequuta est aliqua cædes. Vgolin. cap. 16. de Irregul. §. 6. Ratio est perspicua, quia illud mandatũ & consilium licitum fuit & inculpabile, puniri igitur non potest censura aut ea Irregularitate, quæ ex delicto prouenit, & quæ proinde vera pœna est, vti latè diximus lib. de Irregul. Quod enim mandatarius sua aut malitia, aut imprudentia plura præstiterit, quàm ipsi mandata fuissent, non debet tribui mandanti, qui suo mandato nihil peccauit.

PRIMA REGVLA.

12 Qui illicitè mandat, aut consulit aliquam actionem, quæ est per se & ex natura sua inchoatio vlterioris sub censura aut irregularitate prohibitæ, Reus est Censuræ & Irregularitatis subsecuta eiusmodi actione, quamuis præter eius intentionẽ subsequatur, immò quamuis eam fieri omninò prohibuisset.

Iussit v.g. aut consuluit Titius aliquem illicitè verberari, prohibuit tamen ne aut mutilaretur, aut occideretur, mandatarius nihilominùs mutilat, aut occidit, Reus est huius mutilationis & homicidij mandans & consulens illicitè verberationem, fietq; Irregularis; atque adeò si ob eam mutilationẽ aut cædem sit lata censura quæpiam in mandantes extensa, ea censura innodabitur. Ita de Irregularitate tradũt passim iuristæ cum Innoc. in cap. Ad audientiã. de homicid. & Panorm. ibid. n. 6. sequuntur summistæ & alij apud Sayr. lib. 7. cap. 2. n. 7. & traditur in cap. fin. de homicid. in 6. vbi Bonifac. VIII. causam suæ sanctionis reddit, quia fuit in culpa mandando, & hoc euenire posse debuit cogitare, atque vt subtiliter aduertit Couarru. in Clem. si furiosus. 2. p. §. 1. n. 2. illud homicidiũ fuit indirectè voluntarium mandanti, cuius voluntas directè ferebatur in id, ex quo immediatè sequuta est mors, & quod præuideri debuit: Vnde infert non esse hoc homicidium casuale, sicut neque, qui aliũ in capite percuteret, nolens occidere, diceretur casu occidisse, cùm ex eiusmodi vulneribus soleat infligi mors, quarè qui posset dispensare in Irregularitate ex homicidio casuali contracta, non posset dispensare in hoc casu, in quo reuerà homicidiũ casuale non est, sed voluntarium indirectè saltem, & mandans cùm illicitè iusserit actionẽ, ex qua potuit præuidere sequuturum tale homicidiũ, illud indirectè mandauit, atque ita pœnas mandantibus iniustũ homicidium impositas verè incurreret, cuiusmodi pœnæ sunt, Irregularitas, atque etiã aliquando censura, eadem enim erit vtriusque ratio, si vtraque sit imposita, quamuis aliqua alia fortassis sint discrimina inter Irregularitatem ex delicto & Censuram.

Dici autem hunc mandatarium & consiliarium teneri facto contra mãdati & consilij limites commisso, quando imperauit, aut consuluit, id ex quo difficilimũ est non subsequi vlteriorẽ illam actionẽ sub censura & Irregularitate prohibitam, quamque ille cauere vellet ad euitandã pœnam, debuit enim præuidere eam consequutionẽ, quare cùm id ex quo ordinariè sequi solet, iusserit iniustè & illicitè, indirectè quoq; iussit eam vlteriorem actionem, eiusque Reus est & causa moralis vi sui mandati vel cõsilij, neque ea prohibitio aut nolitio actionis prohibitæ sub censura impedit, quominus volita fuerit, quandoquidem eius causam voluit & liberè posuit, vt statim amplius explicabo, dum agam de retractatione mandati & consilij. Si verò fuerat facillimum mandatario fines & formam mandati obseruare, neque ex actione imperata sequatur ordinariò illa vlterior prohibita, reuerà non erit Reus illius actionis, esto peccauerit in imperanda priori actione, v.g. imperauit quidpiam, ex quo non solet nisi casu valde extraordinario, aut ex malitia mera agẽtis sequi homicidium, & potuit proinde facillimè mandatarius absque homicidio rem imperatam exequi, si voluisset, non tenebitur mandans illo homicidio, & licet peccauerit in imperãdo aliud quidpiam, ex quo illud sequutum est extra ordinem, non dicetur tamen mandasse homicidium, ac proinde non contrahet Irregularitatem aut censuram, aut aliam quamcunque pœnam in mandantes homicidiũ latam, quia reuerà illud neque indirectè mandauit, neque tacitè, neque expressè. Ita omninò Couarru. allegans Felin. in cap. licet indignum de homicid. & alios.

CONSECTARIA.

Hinc 1. ait Couarru. illum qui mandauit alium percuti extra prætorium & domum publicam, non teneri de percussione illata intra Prætorium, quam reuerà non mandauit, nisi ita significasset se velle illum percuti extra Prætorium, vt si id commodè fieri nequiret, vbicunque percuteretur. 13

2. Si quis impetrauerit graue aliquod delictum, quod tamen ex se non tendit ad homicidium, non tenebitur de illo homicidio; si enim mandauit rapi virginem causa libidinis, & raptor reluctantem rapiendo occidit, mãdator Reus erit Raptus non homicidij, quia raptus fit causa libidinis, neque vlla ratione tendit in occasionem raptæ, quam non nisi per accidens occidi contingit. Ita Decius. Consil. 234. sub. fin. & alij apud Couarru. Neque dicas dãti operam rei illicitæ tribui omnia, quæ ex prauo eius opere etiam præter eius intentionẽ subsequuntur. cap. Tua nos. cap. sicut ex litterarum. cap. suscepimus. de homicid. Nam ea Regula intelligenda est de iis, quæ ex prauo eiusmodi actu per se immediatè & necessariò subsequi solent, & proinde præuideri 14

uideri & præcaueri debuerunt, ac potuerunt, non autem de iis quæ omninò per accidens ex aliquo prouenunt, illa enim nulla ratione agenti imputari debēt. Quarè nō existimarim tūc incurri ab eiusmodi mandante censurā latā in mandantes homicidiū, cùm reuerà non mandauerit vlla ratione homicidium, neque in illud suo mandato influxerit, vt ostēdi, quod idem dicendū mihi videtur de irregularitate ex delicto, licet nōnihil dubitet Couarru. sed absque causa, cùm ipsa omninò supponat influxum aliquem moralem & proximum directum vel indirectum in homicidium, qualem influxum iam reiecimus: aliud fortassis fuerit de irregularitate ex homicidio casuali, de qua dicetur alibi, si tamen mandans raptum virginis, præuiderit famulos aut alios quospiam restituros, & ea de causa iusserit raptores armatos procedere, atque vim vi repellere, ne prædam elabi sinerent, atque inter rixandum aliqui cæsi fuerint aut etiam ipsa virgo rapienda occuburit, Reus esset illius cædis, & pœnam mandantibus occisionem impositam incurreret, cùm eiusmodi raptus cum illis circumstantiis per se tendat in homicidium; secus verò quando est ra-
15 ptus simplex, vti dicebam, & puella dùm fugit, aut vi rapitur & opprimitur, occiditur, tūc enim occisio omninò per accidens est cum raptu coniuncta.

3. Qui iustam possessionem beneficij, aut castri cum armorum strepitu, balistarum & bombardarum capit fit irregularis cęde consequuta. Ex Specu-
16 latore tit. de dispensation. §. iuxta Innoc. cap. ad audientiam de homicid. Panorm. ibid. n. 5. Henriq. lib. 14. c. 16. §. 1. Maiol. lib. 5. cap. 48. §. 2. n. 4.

4. Hac eadem distinctione vtendum est in iis omnibus casibus, quos adducit Vgolin. cap. 16. cit. n. 4. 6. & seq. circa consilium rei illicitæ, ex qua deinde sequitur cædes aliqua, vult enim tunc fieri irregularem, quod negandum est, si agamus de irregularitate ex delicto, de qua modò tantùm disputo, eò quod illa sola pœna sit, & cum censura consentiat, neque enim, vt dixi, videndum est, an res imperata sit licita, an illicita, sed an ex ea sequatur immediatè & per se, aut saltem ordinariè cædes & mutilatio in talibus circumstantiis, an verò tantùm per accidens; si enim primum contingat, incurretur pœna ratione homicidij mandati, aut consulti; si secundum verò, nulla prorsus ex homicidio luenda pœna erit. Quarè qui consuluit, aut imperauit, vt quis cuniculis arcem subiret, aut furtum & rapinam committeret, qui dixit vtile esse, si Titius occideretur, qui iniurias alteri illatas tecta, qui adulterium cum vxore alterius suasit, qui, ne cuipiam laboranti subueniret, dissuasit, ægrum verbis asperis irritauit, fenestram aut arborem conscendere consuluit, qui mulierem ad se per tecta, vel per fenestram, vt illa frueretur, venire voluit, aut flumen periculosum traiiciendo; si sequatur in his omnibus euentibus aliqua mors, fiet irregularis ex homicidij delicto, ex Vgolin. & consequenter, si quæ censura erat imposita illi homicidio, illam incurret, quia imperauit rem illicitam, ex qua sequutum est homicidium.

Nobis tamen probabilius videtur, expendendas esse omnes singulorum istorum euentuum circumstantias, & dispiciendum an ex actionibus illis imperatis per se & moraliter sequutura esset cædes aliqua ob ordinarium & manifestum eius periculum, tunc enim ex prudentis sensu præcaueri & præuideri debuit ac potuit tale homicidium, cuius proinde reus erit, qui eas actiones imperauit, non quia illicitæ sunt, sed quia per se coniunctæ erant cum euidenti periculo homicidij.

Quod si non erāt attentis omnibus circumstantiis actiones imperatæ ordinatæ ad homicidium, centies v. gr. traiectum erat flumen, aut per tecta sæpius subierat domum Amasij mulier absque periculo, casu tamen impegit in aliquid & cecidit fractis ceruicibus, homicidij eius Reus non erit, qui eam causa libidinis euocarat; atque ita de cæteris casibus allatis sentio, quæ omnia fusius lib. de irregularitate sunt à nobis explicata.

5. Qui suadet alicui, vt inimicum fugiat, se de- 17
iiciat e fenestra, aut in mare se præcipitet, si sit aliqua spes euadendi tum attenta ratione periculi, tum personæ, loci, aliisque cæteris adiunctis, non est Reus cædis, etiamsi illa præter spem contingat, tum quia consulit rem eo casu licitam, & consequenter consilium illud licitum est, quod nulla pœna aut censura puniri potest, vt dicebamus Regula 1. tum quia non consulit rem per se coniunctam cum homicidio, quandoquidem erat prudens & moralis aliqua spes euadendi.

6. Concionator disputans de contemptu mor- 18
tis, non est Reus cædis, quam aliquis abutens ea disputatione, sibi inferret, non ex eo tantum, quod licitæ rei operam daret, sed quia ea disputatio ex se nulla ratione ferebatur ad eiusmodi necem quarè neque fiet irregularis, neque alia pœna dignus erit.

7. Parens filio interminatus verbera, non est ir- 19
regularis, etiamsi filius eius pœnæ metu præcipitio pereat, quia reuerà eius cædis reus non est, cap. cùm homo 23. q. 5. cùm ex iis minis eiusmodi cædes non soleat euenire.

8. Confessarius, qui Reo suadet, vt crimen fa- 20
teatur, vnde illi mors certò imminet, quod tamen fateri non tenetur, cùm non sit semiplena probatio, neque infamia, aliáue requisita ad iuridicam interrogationem, reuerà erit Reus mortis huius Rei ex ea confessione subsequutæ, & fiet irregularis, vt tradit Vgolin. illo cap. 16. n. 12. quia consulit illicitè rem, ex qua morali quadam necessitate consequitur mors. Si autem teneretur Reus crimen fateri, non fiet irregularis Confessarius, qui licitè eam confessionem suaserit. Itaque vt quis ex eo, quod mandarit aut consuluerit actionem, ex qua deinde consequuta est vlterior actio sub censura & pœna aliqua prohibita, v. gr. cædes, teneatur illa pœna, duo necessaria sunt, 1. vt illicita mandet & consulat. 2. vt ex illa actione primò, per se, immediatè, & necessariò, necessitate saltem morali sequatur vlterior actio, cui pœna imposita est, v. gr. sequatur cædes, alioquin si alterum ex istis duobus desit, non incurret pœnam debitam illi actioni, quia vel illam reuerà non mandauit, aut consuluit, cùm neque in se neque in causa sua proxima & necessaria, neque directè, neque indirectè illam mandarit aut consuluerit; vel si illam mandauit & consuluit, in eo mandato & consilio non peccauerit, quandoquidem rem licitam & licitè mandauit & consuluit, ergò dignus pœna non est, quarè neque censuram propterea contrahet, neque irregularitatem ex delicto, de qua sola iam sæpius monui me agere hoc loco. Atque hæc omnia liquidò constant ex duabus istis Regulis.

Quæ porò dicta sunt de mandato expresso homicidij, eadem omninò dicenda sunt de mādato tacito, aut remoto, vt qui mandauit aut consuluit explodi bombardam in locum hominibus confertum, cum inde mutilatio aut cædes contingere facilè possit, fieret irregularis ex Innoc. cap. Ad audientiam citat. n. 8. Felin. in cap. pen. eiusd. tituli, n. item 8. Vgolin. cap. 16. de irregularit. §. n. 3.

REGVLA QVARTA.

1 Qui mandauit, aut consuluit quidpiam alteri, quod ipse eodem modo facturus erat, non incurret pœnam & Censuram in mandantes & consulentes latam.

Titius erat percussurus Marcellum Clericum, aut occisurus Sempronium, quod ipsum deinde tu illi imperas aut persuades; non contrahes ob illud consilium & mandatum Censuram vllam aut Irregularitatem. Ita de consilio definiuit Panorm. in cap. Ex litteris. de Excessibus Prælatorum. num. 5. Felin. in cap. 1. de offic. delega. num. 8. & in cap. sicut dignum. de homicidio. num. 8. Couarru. in Clem. si furiosus. 2. p. §. 2. num. 4. quos vnanimi consensu reliqui sequuti sunt, testaturque Decius in l. consilij. ff. de Regulis iuris. num. 4. ex communi DD. non teneri eum de Consilio faciendi delictum, quod alter erat facturus. Idem verò de mãdato dicendum existimo contra Couarru. l. c. & Vgolin. cap. 16. de Irregularit. §. 1. num. 2. qui dicunt distinctionem illam, an quis fuisset facturus, an non secluso alterius impulsu valere quidem in consilio, non autem in mandato, volunt enim mandantem teneri de mandato, etiamsi mandatarius fuisset crimen commissurus. Itaque sentire Barthol. in l. non solùm. §. si mandato. ff. de iniurijs, & communem esse opinionem apud Iason. in l. 1. C. de seruis fugitiuis. n. 22. & in l. si quis mihi bona. §. sed quid si mandauit. ff. de acquirenda hæredita. n. 16. fusius Ludouicus Carreri. in practi. criminal. tit. de homicidio. §. circa. num. 75. verùm si rationem consulamus, fictitium dicamus totum illud discrimen inter consilium & mandatum: Nã si agamus de peccato, æquè peccauit consulens, atque mandans rem illicitam & sub censura prohibitam, siue ex eo consilio & mandato sequatur actio siue non, atque ratione illius peccari æquè puniri posset & deberet Consulens atque mandans; si Consilium & mandatum primò & per se, & non ratione actionis siue operis, atque accessariò prohiberentur, vt dicemus in postrema Regula. Si verò influxum moralem consilij & mandati in opus consideremus, vti facimus hoc loco; cùm ratione illius tantùm influxus pœna operis refundatur in mandatum & consilium, statim apparet, non magis mandatum influere in opus, quod mandatarius secluso omni mandato, facturus esset eodem prorsus modo, quàm influat consilium in opus, quod is, cui datur consilium, eodem modo præstiturus erat præciso eo consilio, cùm non magis tunc opus ponatur vi mandati, quàm vi consilij, nam eâdem ratione se habent mandatum & consilium respectu illius operis, atque si reuerà non fuissent, tunc autem non influerent, cur igitur tribuetur mandanti opus, quod nullum dicit respectum ad illud, & vi illius non ponitur, si ex defectu similis influxus moralis non tribuitur consulenti, quoties consilium non influit in illud, eo quod eodem modo faciendum esset absque consilio. Quod enim aduersarij dicunt mandatarium semper operari in mandantis gratiam, etiamsi esset alioqnin facturus, est contra suppositionem, alioquin dicam eundem operari motum consiliis alterius, etiamsi iam esset facturus; Non nego quidem, illum, qui quidpiam sua sponte susceptums erat, posse illud ipsum exequi, vt mandanti pareat, & vt consiliis alterius obsequatur; atque ita agere & suopte ingenio ac nutu iam motum, & alienis imperiis ac consiliis simul impulsum, & tunc certum est tum mandatum, tum consilium influere in illud opus, atque pœnas si quę sint aduersus simile opus mandantes aut consulentes decretæ, incurri, sed nego vllum esse discrimen inter mandatum & consilium: quarè quoties ex eo quod consilium nihil prorsus influxerit in opus, quod alius erat eodem prorsùs modo præstiturus, consulens vitabit pœnas alioquin debitas; contendo mandantem quoque illis immunem fore, quando eius mandatum nihil etiam influxerit in opus, quod mandatarius eodem modo erat facturus, neque facit vt pareat mandato, aut imperio alterius, quod omninò supponunt DD. qui contrariam opinionem communiter docent.

Suppono autem in Regula, eum, cui mandatur aut suadetur, esse illud idem & eodem modo facturum, nam si vel celerius, vel alia ratione faciat, eo quod per alterius mandatum aut consilium sit depulsus timor, aut dubium sublatum, aut aucta malitia, & voluntas, iam reuerà iste mandans & consulens influit suo modo in opus, atque ita pœnas impositas mandantibus & consulentibus subibit; sicut si quis homicidæ manum iuuaret, vt facilius aut securius aut celerius occideret, Reus foret homicidij, quod alter tamen non tantùm iam animo destinârat, sed etiam committebat, atque ita docent Sylu. ℣. Excommunicatio. 8. num. 10. Vgolin cap. 16. de Irregularit. §. 1. numero 1. Sayr. lib. 7. Thesauri. cap. 2. num. 11. Auila. 2. p. cap. 5. disp. 3. dub. 3. con. 3. & non multum abest Couarru. in Clem. si furiosus. 2. p. §. 2. num. 1. Hoc verò intelligendum est siue inter mandatum aut consilium, & opus ipsum interiectum fuerit plurimùm temporis, aut parùm, modò enim vi mandati & consilij agatur, aut alio modo agatur, reuerà mandatum & consilium sufficienter influet in illud opus ad subeundam pœnam mandanti & consulenti impositam. Cuius rei ratio manifesta petitur ex natura causarum moralium, quæ non debent existere physicè, quando agunt.

Immò addo cum Suare disp. 44. de censu. s. 3. num 9. licet mandatarius dixerit se nolle obedire mandanti, aut eius obsequi consiliis; si deinde mutet voluntatem, atque sinat se illo imperio vel consilio persuaderi, quamuis inscio mandante & consulente, qui fortè iam & ipse sententiam abiecit, mandantem tamen & consulentem incurrere pœnam ratione illius mandati, & consilij, quia licet initio mandatarius & consultus non consenserit mandato & consilio, potest tamen deinde reuerà ratione & vi mandati & consilij moueri; quare nisi fuerit sufficienter reuocatum mandatum & consilium, & ex illo agat, vti agere potest, mandatarius & consultus reuerà mandans & consulens æquè influent in illud opus, atque si ab initio mandatum & consilium ipsorum acceptatum fuisset.

Tota itáque difficultas est, vt cognoscatur, quandonam quis esset facturus, & eodem modo absque mandato & consilio alterius. ℟. id colligendum esse ex variis circumstantiis, vt si iam parasset necessaria ad cædem, si minatus fuisset mortem, solitusque fuerit suas minas exequi.

2. in dubio non præsumitur facturus aliquis, nisi ad id consilio vel imperio mandantis & consulentis fuisset impulsus, quod communiter tradunt DD. cum Felin. in cap. 1. de officio delegat. n. 10. & in cap. sicut dignum. de homicidio. n. 8. & Couarru. in Clem. si furiosus. 2. p. §. 2. num. 2. Vgolin. cap. 16. cit. §. quia in dubio nemo præsumitur

delictum

delictum commissurus. l. merito. ff. pro socio. & glossa in l. qui iurasse. §. si patet. ff. de iureiurando.

REGVLA QVINTA.

22 Qui mandatum reuocauit, quantum potuit efficaciter, tacitè, vel expressè, siue ea reuocatio innotuerit mandatario ante exequutionem operis mandati, siue non innotuerit, non est reus illius operis, neque incurret censuram aut irregularitatem mandanti impositam.

Ita censent DD. communiter apud Sayr. lib. 7. Thesau. cap. 2. num. 13. Bonac. disp. 7. de censuris. q. 4. p. 8. num. 13. Vgolin. cap. 15. de Irregulant. §. 4. & alios, vbi reuocatio mandati mandatario innotuit, tunc enim omnem motionem, quam mandatarius acceperat ex authoritate & voluntate mandantis cohiber & prorsus extinguit; quare si agere nihilominus pergat sua malitia, & non vi mandati operabitur, & sicut telum inutile foret, si vis illi impressa subitò extingueretur; ita mandatum inane omninò est, & caret omni vi motiua ad opus per eam reuocationem significatam mandatario, vt argumentatur Lessi. lib. 2. cap. 13. num. 17.

Diximus autem satis esse reuocationem tacitam, si Titius enim, qui tibi mandarat occidi Sempronium hostem, rediit cum Sempronio in gratiam, & cum eo depositis inimicitiis agit, aut cum eo affinitatem medio matrimonio quopiam contraxit, idque tu ipse probè scias, iam satis cognitam habes prioris mandati de Sempronio occidẽdo reuocationem, neque moueri potes ad cædem Sempronij, vt Titio olim imperanti pareas. Quo exemplo passim omnes vtuntur in explicanda tacita reuocatione mandati.

23 Quæri tamen potest ad quid teneatur mandans quando mandatarius post cognitam reuocationem mandati pergit nihilominùs in voluntate susceptæ cædis prioris mandati, neque monente quantumuis serio mandante desistere vult, nam monendum esse à mandante eum, de cuius vita agitur, vt sibi caueat affirmat Suar. disp. 44. s. 3. num. 8. cum enim priori suo mandato iniuriam fecerit illi, cuius cædem imperauit, quam iniuriam tenetur ex iustitia reparare, & damna, quæ timentur, impedire, quantum poterit, neque suæ illi obligationi satisfacit auferendo mandatum, ex quo nata erat iniuria & creatum periculum, quia cùm illud mandatum creauerit in mandatario voluntatem cædis, quæ adhuc perseuerat sublato mandato, quamuis ex pertinacia potius mandatarij, quàm vi mandati, quod vbi fuit rescissum, non ampliùs agit, neque causat eam voluntatem, cùm tamen reipsa causarit illam, & adhuc permaneat, atque vnà cum illa periculum damni & cædis proximi: non videtur fecisse satis obligationi impediendi damnum, quod iniustè creauit proximo, nisi causam illius damni à se positam, licet non ampliùs à se pendentem in conseruari, impedibilem tamen adhuc per monitionem proximi de periculo in quo est, tollat. Quare ad eam obligationem omninò tenebitur, vbi simplex reuocatio mandati non fuerit sufficiens propter obstinatum mandatarij animum in perficienda cæde sibi imperata etiam post rescissum imperium: ideoque Maiol. lib. 5. cap. 48. §. 3. contrariam sententiam periculosam esse pronuntiat, quam tamen docent Henriq. lib. 14. cap. 16. num. 2. plures allegans l. cit. & communem esse testatur Sayr. lib. 7. Thesau. cap. numero 14. Vgolin. verò cap. 15. de irregularit. §. 5. ait illum mandantem non fieri irregularem & non teneri ex iustitia monere illum, cuius vita periclitatur, sed lege tantùm Charitatis, quamuis strictiori aliqua obligatione, quàm si nũquàm mandatum, ex quo sequitur illud periculum temorè licet dedisset: quam distinctionem quoque probarunt Lessi. lib. 2. cap. 13. n. 18. & Kon. disput. 24. num. 181. quia reuerà per reuocationem mandati sustulit iniuriam quam fecerat proximo, cuius cædem imperarat, & voluntas occidendi, quæ permanet in mandatario, non est eadem cum ea, quam susceperat vi mandati, cùm ducatur alio protsùs motiuo, quam mandantis voluntate, & authoritate à quo post eam retractationem moueri non potest amplius, & cædes sequitur tantùm ad priorem voluntatem, & non ex illa; quare periculum in quo manet proximus non oritur modò ex iniuria mandantis, sed ex malitia mandatarij, vt dixi, alioquin etiam post eam monitionem, quam volunt aduersarij, & post adhibita quæcunque alia remedia ad impediendam cædem olim imperatam, teneretur tamen ad restitutionem, si ea sequeretur; sicut qui per iniuriam constituit alium in hostium periculo, ex quo illum deinde non potest eripere, tenetur ad reparationem damni consequuti.

Difficilior est 2. pars nostræ Regulæ, in qua asserimus efficacẽ reuocationem, quantum requiri poterat ex parte mandantis, etiamsi ad mandatarium non peruenerit absque culpa mandantis, impedire, ne effectu subsequuto Censura incurratur à mandante; suppono autem mandantem fecisse quod potuit, vt reuocaret mandatum, & impediret eius effectum, quod tamen non obtinuit, quia vel reuocatio, vt dixi, non peruenit ad mandatarium, siue quia longius aberat, siue perfidia nuntij, siue qua alia ex causa, aut quia effectus & motio mandati non est amplius impedibilis, ipse tamen mandans & consulens, quantum in illo est, pro temporis opportunitate conatur impedire efficaciam, seu motionem & influxum sui mandati.

Et quidem communis opinio Lessij cap. 13. cit. numero 17. Kon. disputat. 14. num. 183. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 5. numero 7. Auila. 2. p. cap. 5. disp. 3. dub. 7. qui sequuti sunt Sylu. ꝟ. Excommunicatio. 6. n. 5. vbi Bernard. & Hostiensem allegat esse eam reuocationem non impedire Censurã, quia reipsa mandatum illud influit in actionem prohibitam, & quamuis tunc non committatur peccatum à mandante, tunc tamen ponitur effectus externus vi peccati antea commissi, & actio tribuitur mandanti quandoquidem ab illo reuerà pendet, sicut qui vbi lapidem aut sagittam proiecit in Clericum, etiamsi mutet voluntatem, non liberatur censura, si reipsa eã sagittã percutiatur Clericus.

Nostram tamen sententiam docent Innoc. in c. mulieres. de sentent. Excommunic. relatus à Sylu. num. cit. & à Tabiena. ꝟ. Excommunic. v. num. 35. vbi illi consentit, aitque illum, qui mandauit percussionem Clerici, & reuocat quantum potest, quæ reuocatio peruenire non potuit ad mãdatarium antequàm percuteret, non incurrere Excommunicationem. Sequitur etiam Hurtado. disp. de censu. in communi diffic. 15. num. 68. & valdè probabilem existimat Auila l. c. Ioann. verò Andreas in cap. cùm quis. de sentent. Excomm. in 6. vbi vtramque opinionem retulit concludit hunc non esse excommunicatum quantum ad DEVM, sed tantum quantum ad Ecclesiam, quod intelligo, quando non potest constare sufficienter eam reuocationem seram

fe

& efficacem fuisse, tunc enim inefficax præsumitur, & cùm sequutus fuerit effectus, iure tribuitur mandanti in existimatione humana. Itaque ille se gerere debet pro Excommunicato, vt in aliis pluribus contingere solet, vti dicemus disq. 8.

Cæterùm si agamus de censura reipsa nondum contracta, & non tantùm præsumpta, vbi fuit efficax illa reuocatio mandati, quantum potuit à mandante facta, existimo impediri censuram nondum contractam, quia per eiusmodi reuocationem cessat tum culpa, tum inobedientia, & contumacia aduersus Ecclesiam non modò actualis, sed etiam habitualis; atqui Ecclesia vel non debet, vel etiam non potest ferire censura eum, qui non est actualiter aut habitualiter saltem inobediens, sicut etiam debet absoluere illum à censura contracta, quem efficaciter, & quantum ex se est, pœnitet contumaciæ commissæ.

Quod autem dicitur statum gratiæ non impedire Excommunicationem, id verum est de statu gratiæ consequente Excommunicationem, etiamsi enim aliquis, vbi fuit excommunicatus, aut alia quapiam censura notatus, redeat in diuinam amicitiam per contritionem, non tamen liberatur censura: dum tamen illa primùm percellitur, debet esse in culpa & contumacia contra Ecclesiam, vti diximus latè in nostra propositione vniuersali; alioquin cùm non sit Reus, eo momento, quo punitur, iniustè punietur, peccauit quidem sed tunc non incurrit censuram, modò verò non peccat peccato contumaciæ aut actuali, aut habituali, vt ex efficaci retractatione illa constat. Ergò Ecclesia percellet censura non peccantem & nullo modo contumacē, quod neque præstare debet, neque potest vlla ratione. Quarè posita veritate vniuersalis nostræ propositionis de necessitate contumaciæ alicuius ad incurrendam Censuram, quæ idcircò pro peccatis purè præteritis, & nullum tractum successiuum habentibus ferri nequit, vt ex communi DD. sensu, & firma ratione ostendimus, dicendum omninò est cessante omni contumacia tum actuali, tum habituali in reuocante mandatum, quantum potest efficaciter, impediri excommunicationem nōdum contractam, etiamsi actio prius mandata posita fuerit à mandatario, quidquid in contrarium conatus fuerit mandans, aut fatendum foret imponi censuram pro peccato prorsùs præterito, & dum primum datum fuit mandatum commisso, quod absurdum esse patet ex vniuersali propositione.

CONSECTARIA

25 Hinc infert Hurtad. 1. quando excommunicantur ad moniales scribentes, si quis antequàm litteræ perueniant, resipiscat, & redditionem, quantum potest, impediat, non incurrere eam excommunicationem, etiamsi litteræ tandem deuenerint ad moniales.

2. Qui scribit ad Excommunicatum, & deinde pœnitens impedit redditionem litterarum, vt dicebam in priori casu, non incurrit excommunicationem minorem latam contra communicantes cum excommunicatis.

3. Qui propinauit venenum Clerico, si ante mortem eius resipiscat efficaciter modo explicato, non incurret Excommunicationem Canonis. Si quis suadente,

4. Qui ante sententiam latam à Iudice, dolet de violato præcepto, & obedit facitque quod fuerat imperatum, v. gr. restituit, aut si non possit id tunc præstare, paratus tamen est obedire, non incurrit Excommunicationem in ipsum siue absentem à Iudice latam; quod intelligendum est quoad forum poli, nam in foro externo habebitur pro Excommunicato, vti iam monuimus.

Quorum omnium Consectariorum hæc vnica ratio est, quia cùm in his absit omnis contumacia tum actualis, tum habitualiter perseuerans, eo quod per retractationem efficacem, quantum in se est, sublata fuerit, ferretur censura pro contumacia, & culpa prorsùs præterita, & nullo modo perdurante, quod fieri non potest.

REGVLA SEXTA.

Quoties aliquis reuocat, quantum potest, consilium à se datum de cæde aut alia quapiam actione prohibita perpetranda, neque potest impedire, quin committatur, non incurrit censuram, neque Irregularitatem in consulentes latam. 26

Prima pars quoad euitationem Censuræ traditur ab Auila. 2. p. cap. 5. disp. 3. dub. 7. con. 4. Hurtado. diffic. 15. citata. Vbi eodem modo de consulente atq; de mādante disputat. Laymnan. lib. 5. tract. 5. 2. p. cap. 5. n. 7. Petrus Nauarr. lib. 3. cap. 4. n. 27. allegans Medinam. Kon. disp. 14. n. 185. quibus præiuerat Sylu. ℣. Homicidium. 1. n. 11. & Antonin. 3. p. tit. 28. §. 2. vbi etiam allegat Innocent.

Ratio huius partis Regulæ est, quia vel consilium fuit tantùm ad inclinandum affectum per preces, blanditias, aliisque modis superius enumeratis, vel fuit ad persuadendum intellectum variis adductis rationibus, vel ad docendum modum, quo tutò & cōmodè aut facilè cædes aut alia quæpiam actio perfici possit. Prius illud consilij genus eodem modo reuocatur & tollitur quo mandatum, cùm enim fiat per solam significationem voluntatis consulentis, per contrariam voluntatem sufficienter delebitur.

Difficultas tota versatur circa consilium propriè dictum, quod intellectum docet, videtur enim perstare, quamdiu rationes allatæ mouent, & contrariis adductis non inducuntur, siue quia hæ posteriores sunt minus efficaces, siue quia suadent id, à quo iam abhorret voluntas, quam intellectus in contrariam partem traxerat propositis rationibus sibi à malo consiliario adductis, vnde fit sæpiùs, vt post reuocatum consilium mens tamen prioribus rationibus incitata operetur, ac proinde totum opus fiat vi prioris cōsilij, cuius idcircò author causa moralis talis operis iure dicetur, cùm in illud etiam post factam reuocationem reuerà influat. Quæ ratio plures in cōtrariam sententiam traxit, vt dicerent Consiliarium Reum esse operis, quod consuluit, etiamsi consilium retractauerit, vbi consultus in priori consilio pergere vult, cùm enim Consiliarius hîc alterum impulerit ad opus, neque eum impulsum aut impetum impressum sistere possit, tam operis consequentis causa est, quam vbi explosa bombarda, aut iacto lapide in aliquem, vulnus prohibere nequit.

Perstandum nihilominùs est in nostra sententia, vt enim subtiliter ratiocinatur Suar. 44. de Censu. f. 3. n. 13. Consilium non est causa mere naturalis, quæ physica quadam necessitate agat, vt contingit in veneno propinato, sagitta emissa, & aliis causis naturalibus, quæ licet aliquando applicentur à causis moralibus & liberis, nunquàm tamē in sua actione ab illis pedēt; quarè vbi semel applicatæ sūe passo, non possunt à causa applicante impediri, quin

quin agant. At verò causæ morales, cùm vim agendi quoque moralem habeant, non modò in sui applicatione pendent à causa libera, Sed etiam in sua actione, & sicut possunt liberè applicari, aut non applicari, ita vbi semel fuerunt applicatæ; ab eadem libertate possunt tolli aut impediri ab agendo. Cum igitur Consilium sit eiusmodi causa moralis, sicut per liberam voluntatem poni, ita & per eandem tolli atque impediri poterit: quarè vi 1 quidquid potuit præstare ad reuocandum malum consilium quis præstitit, reuerà operis inde sequuti causa non erit, cùm eius author non etiam ampliùs eo consilio, sed aliis rationibus motus agat, eiusque malitia est, quod nolit dedoceri, & cùm prioris consilij author illud iniquum planè esse pronuntiet, exequutor illum audire tenetur. Fateor tamen, quod ait Kon. sæpiùs in foro externo præsumi consilium non fuisse ex animo, aut sufficienter reuocatum, & exequutorem operis agere vi & rationibus prioris cõsilij incitatum, atque ita cõsulentẽ percelli censura, quæ tamen in foro interno erit nulla, si reuerà, vt dixi, fecit, quod potuit.

Requirunt autem D D. laudati, quos sequimur in hac parte, vt consulens moneat illum de cuius agitur vita, si videat consultum pergere in opere suscepto. Verùm non hîc agnosco aliam obligationem quam Charitatis, vt dicebam in simili casu, de mandante, cùm per hanc reuocationem æquè fuerit ablata iniuria priùs illata, quàm reuocata fuit per rescissionem mandati illa quæ per illud fuerat irrogata, cùm neque consilium, neque mandatum post eam reuocationem influant in cædem, aut aliud opus mandatum, vel persuasum & consultum, vt ita dicam. Quarè rectè Hurtad. quidquid dixit de mandati reuocatione efficaci, quantum requiritur ex parte mandantis, de reuocatione etiam Consilij statuit.

28 2. Pars huiusce Regulæ, nimirùm per reuocationem consilij explicatam vitari Irregularitatem ex delicto, etiamsi sequatur nihilominùs effectus, traditur à Pet. Naua. Antoni. & Suar. locis citatis, neque existimatur improbabilis à Lessio & Layman contra communem DD. quam refert Sayr. lib. 7. Thesau. cap. 3. n. 4. quibus adhæsit Hurtado distinguens inter cẽsuram & Irregularitatem; quod Censura non tantùm delictum præcedens puniendum supponat, sed etiam aliquam eius perseuerantiam & contumaciam vel actualem, vel habitualiter saltem durantem, qualis, vt ostendimus, non reperitur post eam reuocationem consilij ac mandati factam. At verò Irregularitas, quamuis quando contrahitur ex delicto, vera forsan sit pœna dici possit, cùm tamen non sit Censura, imponi potest pro peccatis præteritis & non amplius perseuerantibus; quarè cùm iam peccatum sit in dando consilio, & deinde ponatur actio prohibita, quæ requirebatur tanquam conditio quædam, vt consuleos incurreret Irregularitatem, nihil aliud exigi videtur, vt ipsa contrahatur, nam reuocatio tantùm impedit, ne culpa consulentis perseueret, non autem ne non fuerit posita, quam culpæ perseuerantiam non postulat, vt monui, Irregularitas, sed solùm culpam aliquando fuisse positam, & deinde impleri conditionem, sine qua non erat imposita Irregularitas tali culpæ, nimirũ vt homicidium reipsa consequeretur. Quæ eadem etiam causa est de obligatione reparãdi damnum realiter illatũ ex illo cõsilio, quæ obligatio manet etiam retractato consilio; atque hæc ratiocinatio ita explicata magnam capit probabilitatẽ ex hactenùs à nobis disputatis.

Placet nihilominùs persistare in Regula tradita cum laudatis recentioribus, eo quod leges pœnales benignè, quantum fieri potest, interpretãdæ sint, & saltem non sint extendendæ vltra casus Iure expressos, quod maximè verum est in Irregularitate; neque enim pœna Irregularitatis imponetur hoc loco mandato & consilio principaliter ratione ipsorum, sed solùm accessoriè ratione actionis prohibitæ, quam ita leges vitari volunt, vt etiam ipsius pœnam ad mandantes & consulentes extendant, quando ab ipsis ponitur; atqui vbi fuit mandati & consilij reuocatio, actio subsequens non amplius habet illum influxum ab illis, sicuti fusius ostensum fuit; pœna igitur actionis, quæ refunditur in eius causas morales, non potest complecti mandantes & consulentes, qui causæ morales reuerà non sunt, sed futuræ tantùm erant nisi per liberam voluntatem, à qua positæ fuerant, subductæ aut impeditæ fuissent: quamuis igitur Irregularitas aliæque pœnæ, quæ Censuræ non sunt nequaquàm postulent præsentem culpam & contumaciam, & pro præterita infligi meritò possint, si tamen non nisi ex redundantia quadam ab actione primò & per se prohibita & punita in causas eius morales deriuentur, exigunt influxum moralem illarum causarum in actiones vetitas, & deficiẽte illo influxu non imponuntur. Itaque neque Irregularitatem neque obligationem compensãdi damnum subibunt, qui mandatum & consilium cædis ita reuocãrunt efficaciter, quantum in ipsis erat, vt in illam cædem, quamuis commissa fuerit, non influxerunt, vt optimè statuit Layman, & manifestè conuincit allata ratio.

REGVLA VLTIMA

Quæ superioribus Regulis diffinita sunt de mandantibus, & consulentibus intelligenda sunt, quando Censura accessoriè tantùm fertur in mandantes & consulentes, & principaliter in facientes tunc enim non sequuto effectu & actione primò prohibita non incurritur Censura ab istis: quando verò Censura æquè principaliter fertur in mandantes & consuleotes, atque in ipsos facientes, ea incurritur etiam non posita actione & effectu imperato, aut consulto, sed sufficit si mandatum & consilium datum fuerit, neque per ipsius reuocationem impeditur Censura. 29

Ita Caietan. ỳ. Excommunicatio ante cap. 1. Sylu. ỳ. eod. 7. n. 24. Nau. c. 27. n. 51. & Auila disp. 3. cit. dub. 6. Ratio manifesta est ex prima propositione vniuersali, quæ requirit actum completum & consummatũ in suo genere ad incurrendam Censuram; quando autem consilium & mandatũ prohibentur sub Censura accessoriè tantùm ratione actionis, non est cõpletus effectus prohibitus, nisi ponatur actio. Vnde etiam fit, vt nunquàm incurratur Irregularitas ob consiliũ & mandatũ homicidij, nisi illud sequatur reipsa, quia ea pœna Irregularitatis non imponitur in eo casu nisi primò ratione ipsius homicidij vitandi & faciendi, & inde extenditur ad mandantes. Quando autem consilium & mandatum æque primò & principaliter, atque ipsa actio prohibentur sub Censura, vbi positum est mandatum & consilium, statim completus & consummatus est actus prohibitus etiamsi vlterior non sequatur. Ita qui homicidiũ fieri imperat per assassinos, incurrit Excommunicationem, etiamsi non cõmittatur homicidium cap. 1. de homicid. in 6. & qui concionatur, vt auertat auditores à soluendis decimis, excommunicatur, quamuis auditores non inde negent decimas,

decimas. Clem. cupientes. §. 1. de pœnis Quoties autem non conftat, vtrum æquè principaliter lex comprehendat mandantes & confulentes, atque facientes, dicendum eft comprehendere tantum acceflorie, vt Palac. & Nauarr. annotat Auila l.c.

QVÆSTIO IV.

An & quomodo vnus & idem pluribus Cenfuris fimul innodari, poffit.

1. PROPOSITIO. *De Cenfuris diuerfi generis.n.1.*
2. *Propofitio. De Cenfuris eiufdem generis. num.2.*

Probatio propofitionis.n.3.4.& 5.
Fit ea multiplicatio 1. per diuerfas caufas. num. 6.
2. Si propter eam caufam à diuerfis iudicibus imponatur Cenfura.n.7.
3. Ferri poffunt folo numero diftincta Cenfura ab eodem Iudice.n 8.
Exprimere autem debet fe intendere illam multitudinem Cenfura, nifi in quibufdam cafibus.n. 9.
An idem iudex poffit idem crimen pluribus cenfuris folo numero diftinctis punire.n.10.

PLurimas eafque graues difficultates continet hæc quæftio,quam ex iis, quæ diximus de caufa fubiectiua & materiali Cenfuræ explicare licebit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Vnus & idem pluribus Cenfuris diuerfi generis & rationis innodari poteft.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

In hac propofitiooe non poteft effe vlla dubitatio, cùm enim fint diuerfæ pœnæ, diuerfaque vincula, quid prohibet vnum eundemque pluribus vinculis ligari & multiplici pœna plecti fiue fimul,fiue fucceffiue, itaque fert frequens Ecclefiæ vfus, qoæ crefcente rei contumacia nouas adiicit, pœnas,additque Excommunicationem fufpenfioni, & violantibus cenfuras infligit Irregularitatem, quæ cùm puniat crimen violatæ Cenfuræ, pœna quædam dici poteft; aliquando etiam quando crimen grauius eft, fimul pluribus cenfuris oocentem percellit, vt in Extrauag. 3. de priuilegiis, quod etiam multò verius erit, fi crimina fint diftincta, quia quoties pro delictis fpecie diftinctis,diftinctæ pœoæ funt ftatutæ, delioquens omnibus illis eft puniendus. Neque quicquam intereft an delicta diftincta committantur fucceffiuè,& ex interuallo; an fimul & vnico actu,quia vt dicitur L. nunquàm ff. de priuatis delictis. delictum ob aliud delictum non minuit pœnam,qui igitur hominem furripuit, &occidit,quia furripuit,furti,quia occidit, Aquileiæ tenetur,neque altera harum actionum alteram confumit.Ibidem alia exempla afferuntur, & l.fi adulterium cum inceftu.§.1.ff.ad legem Iuliam,de adulterii. Si vir ac mulier eodem actu committant adulterium & ioceftum fcienter, vtrumque effe puniendum pœna adulterij & ioceftus. Qui igitur Clericum occidit. incurret Irregularitaté ratione homicidij, & Excommunicationem, eò quod manus violentas attulerit perfooæ Ecclefiafticæ ex Canon. fi quis fuadente.

SECVNDA PROPOSITIO.

Plures Cenfuræ eiufdem rationis ab eodem fimul incurri poffunt,propter caufas materialiter aut formaliter diuerfas, vel à pluribus iudicibus, vel ab eodem per plures fententias,aut per vnam tantùm. a

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Appello caufas diuerfas materialiter,quando vel crimina diuerfa funt vt facrilegium & adulterium, aut fi fint eiufdem generis numero multiplicantur, vt duo adulteria, duo facrilegia; aut verfantur circa diuerfa obiectà, vt contumacia,& inobedientia circa varias leges & præcepta.

Formaliter autem caufæ diuerfæ funt, quoties à diuerfis iudicibus, aut à lege fimul & ab homine idem crimen prohibetur, aut idem opus imperatur intermioata Excommunicatione noo parentibus, tunc enim eft vna inobedientia materialiter circa vnum & idem opus,quod iubetur aut vetatur,quæ tamen refpicit diuerfos & diftinctos præcipientes, qui non vna eademque authoritate præcipiunt:qui diuerfus ordo ad præcipientes non fufficit quidem ad multiplicanda formaliter peccata,fi ratio formalis & motiua præcipiendi fit vbique eadem,neque ad multiplicandas eiufdem præcepti violationes & inobedientias in ratione peccati, vt 1. a. diximus, quia tamen cenfuram latam ab homine,neceffe eft præcedere Canonicam monitionem, quoties violatur præceptum à Iure, & ab homine,aut à pluribus cum comminatione Cenfuræ impofitum, eft multiplex contumacia formaliter in ratiooe contumaciæ refpectiuæ, quidquid ftatuatur de multiplicatione peccati;quod idem dicendum eft, quando iura,quæ pro eodem peccato Cenfuram eandem infliguot,diuerfa funt, quia voum eft ius commune, aliud verò eft ftatutum particulare,quod reuerà nouum ius condit, & nouam pœnam decernit,& non tantùm, quid prius decretum fuerit, quodque obferuari velit, declarat.

Dixi igitur quoties occurrunt diuerfæ caufæ, fiue diuerfi tituli finguli per fe fufficientes ad ferendam cenfuram, multiplicari poffe eandem Cenfuram vel à pluribus iudicibus, vel ab eodem per plures fententias, aut etiam per vnam. Ita Garcias 8.p. de beneficiis, cap. 3. num. 86. Molina tract. 3. difp.41.num.3.& 7. Soto in 4. dift. 22. quæft. 2. a. a. con. 5.& ibidem Theologi dift. 18. Bonau. Gabriel & Richard, quos adducit Suar. difp. 5. de Cenfu. f. 2. num. 6. Sayr. lib. 1. cap. 10. num. 1. Villalob. tract. [illegible] diffic. 15. Layman. lib. 1. tract. 5. 2. p. punc. 5. n. [illegible] Alteri. lib. 3. difp. 10. Couarru. lib. 2. Varia. cap. 10. n. 8. §. quintum,contra Meldendum quendam relatum à gloffa in cap. Engeltrudam. 3. q. 4. §. Anathemate, a quo 3

difcedit

discedit ipsa, tum omnes DD. vt obseruat Felin. in c. Ita quorundam de Iudæis, vt latè ibid. Nau. notabili 11. circa glossam vltimam, quæ tradit Excommunicatum posse iterum Excommunicari, quã verissimam esse secundum omnes, vt ex vsu cottidiano asserit Nau. & præter iura allata à glossa adducit c. Cùm pro causa de sententia Excommunic. & c. ex parte. de officio ordina. alia dabit Sayr. l. cit.

Ratio perspicua est ex natura harum pœnarum, quas solo numero multiplicari in eodem subiecto nihil vetat, quamuis enim subiectũ priuatu aliqua forma non possit amplius illa priuari, ad hoc enim necesse esset formam tolli à subiecto, à quo tolli non potest, si in illo non est, in illo autem non est, si priuatio ipsi opposita est, & sane non esse, non potest augeri aut minuij, nisi posito aut sublato esse, cuius est nõ esse: Cẽsuræ tamẽ non sunt formaliter priuationes, sed causaliter tantùm, priuant enim suũ subiectum vsu legitimo bonorum spiritualium, quia obligant eos, quos afficiũt abstinere eiusmodi bonis, si attrectent, peccant, & pleruműque inutiliter in iis omnibus, quæ pertinent ad Iurisdictionem Ecclesiasticam, quare veluti quibusdam nodis constringunt manus Excommunicati v. gr aut suspensi, ne liberè & licitè exequatur, quæ prius poterat. Obligant etiam cæteros, ne eas actiones ab iis, qui Censura multati sunt, petant, ne communicent cum excommunicato, ne incitent suspensum ad ea ministeria, quæ legitimè exercere non potest. At verò nihil impedit, quominùs eadem priuatio à diuersis causis & titulis inducatur, siue simul, siue successiuè, vt videmus in priuatione gratiæ, quam quodlibet mortale peccatum inuehit, & in priuatione visionis beatificæ, quam in damnatis plura peccata simul causant, ita vt si quod aliqui volunt, posset remitti peccatum vnum mortale sine alio per condonationem extrinsecam condonato vno peccato, & altero manente, maneret adhuc in peccatore debitum carendi gratia, cuius priuationem quodlibet peccatum mortale essentialiter importat, etiãsi eius natura & ratio quidditatiua non consistat in eiusmodi priuatione. Quidni igitur priuatio, quam Excommunicatio vel suspensio causat, poterit simili ratione à diuersis causis induci, aut successiuè aut simul, maximè cùm hæc priuatio, vt dixi, sit tantùm obligatio abstinendi ab actionibus licitis ante Excommunicationem vel suspensionẽ, quidni ex diuersis titulis obbligabitur Excommunicatus ab iisdẽ actionibus desistere, ita vt si aliquis ex istis titulis, aut causis tollatur, maneat adhuc ratione alterius eadem obligatio non exercendi certas actiones & carendi aliquibus bonis & commodis spiritualibus. Quarè non placet glossa in c. Ita quorundam cit. & ibi Hostiens. Panorm. Nauarr. notab. 11. cit. num. 3. Ricci. lib. 4. de iure personarum extra Ecclesiam. cap. 1. num. 3. Alteri. & Sayr. cap. 10. citato. num. 2. & 3. alios allegans, qui idcircò concedunt excommunicatum posse sæpiùs excommunicari, quia prima Excommunicatio eiicit extra Ecclesiam, secunda verò eiectum retinet & declarat non esse communicandum cum eo eiecto, nisi post obtentam absolutionem à prima Excommunicatione absoluatur etiam à secunda, atque ita de tertia, quarta & cæteris philosophantur; nam reuera secunda Excommunicatio idem facit quod prima, & habet vtrumque illum effectum, quem Excommunicationi tribuit eo loco glossa, quam vt magistram omnes sequuntur teste Nau. ibid. n. 7. eiicit enim & retinet extra Ecclesiam, quantum in se est, atq; nouo titulo, sicut nouum peccatũ mortale priuat gratia, ponit enim aliquid incõpatibile cum gratia, quod verò illa non sit in subiecto, & iam ante fuerit expulsa per accidens est respectu huius noui peccati mortalis. Ita secunda Excommunicatio ponit nouam quandam formam moralem incompossibilem cum legitima communione fidelium & vsu sacrorum, estque omninò per accidens, quod idem ille vsus & communicatio fuisset iam illi per aliam causam, quæ similem formam moralem induxerat prohibita, satis enim est, quod in ista noua forma reperiatur ea incompossibilitas, & quandiu illa manebit in subiecto, non possit licitus esse ille vsus, cuius priuationem causat, aut ad cuius carentiam obligat; sapienter itaque Felin. & Nau. n. 9. reiicit magistram illam glossam, quæ insipienter omninò negat secundam Excommunicationem sortiri effectum, antequàm prima tollatur, id enim falsũ esse iã satis ostendi, & præterea probat Nau. quod ea excommunicatio lata fuerit absolutè & non conditionate, quarè non est, cur in pẽdenti maneat eius effectus. Rectè autẽ interpretatur glossam Alteri. quod non appareat effectus 2. Excommunicationis nisi priore sublata, tunc enim, cũ homo maneat adhuc ligatus, constat, quid effecerit 2. Excommunicatio.

Quarè frustrà obiicitur non posse accidentia solo numero multiplicari in subiecto, nam tum in physicis, tũ maximè in moralibus id falsum est, & quãuis fortassis in physicis id nunquàm contingat propter superfluitatem, quam natura perpetuò & sollicitè vitat, in formis tamen moralibus cum facile assignemus distinctos numero effectus, qui non sunt inuicem cõnexi, sed mutuò separabiles, nullũ planè incommodũ afferet hæc numerica multiplicatio, immò prorsus necessaria est, vt in nostro casu, in quo nisi secunda Excõmunicatio, aut suspensio tollatur, manet eadem priuatio & obligatio, quæ per primam inducta fuerat, neque hæ formæ morales solo numero diuersæ concurrunt ad vnam aliquam constandam aut integrandam, vti fit in formis physicis, duæ enim albedines & duo calores in eodem subiecto faciunt vnam albedinem & vnum calorem, sed intensiorem, eodem planè modo atq; si omnes illi gradus entitatiui & intẽsiui caloris & albedinis vnâ eadẽq; actione producti essẽt, quod enim interrupta fuerit ea productio, non impedit, quominùs æquè vniantur ad vnam albedinem componendã, nã etiãsi omnes illæ partes graduales productæ fuissẽt vnica actione, fuisset tamẽ aliqua successio in ea actione alteratiua cõtinua & nõ interpolata. Hîc autẽ duæ Excõmunicationes non faciunt vnã, quia sunt duæ obligationes carendi aliquibus actionibus ex diuersis causis & titulis, diuersisq; prohibitionibus à diuersis superioribus, aut ab eodem variis de causis simul aut successiuè factis, quæ profectò sufficiunt ad diuersitatem obligationis formaliter, etiamsi omnium eiusmodi obligationum sit vnum & idem obiectum, à quo abstinere obligamur; neque negabit aliquis obligationes multiplicari numero multiplicatis numero præceptis, si reuerà ea noua & distincta præcepta fuerint, & non tantùm nouæ denuntiationes, aut meræ iterationes prioris præcepti absque animo denuò præcipiendi & obligandi, neque refert quod idem omnibus illis præcipiatur, & quod omnia vnico actu violentur, atque adeo fortassis vnica culpa, id enim modò non quærimus; sufficit autem quod violentur diuersæ obligationes per diuersa præcepta imposita: nam inde necessariò sequitur, quod intendimus, diuersas nimirùm censuras, quæ obligationes quædam sunt, simul reperiri

5

posse, etiamsi sint eiusdem rationis & speciei respectu obiecti, quod attingunt, & obligent ad carentiam earidem actionum; hinc enim efficitur plures Excommunicationes pluresque suspensiones in eodem aliquando subiecto reperiri posse. Atque ita probata manet 1. pars nostræ propositionis, nimirùm plures censuras eiusdem rationis infligi posse eidem subiecto.

2. Pars erat hanc multiplicationem Censurarum eiusdem rationis fieri propter diuersas causas, quod quàm verũ sit statim apparet, vbi singulæ causæ per se sufficientes sunt ad Censuram, neque vnam tantùm causam totalem conflant, siue hæ causæ inter se sint eiusdem rationis, siue diuersæ, vt sacrilegium & adulterium, aut iteratum adulterium, & repetita percussio Clerici ; siue pluribus actibus, siue vnico plures prohibitiones interminata excommunicatione factæ violentur, vt si quis incestum, adulterium, & sacrilegium committat, eo quod cùm in sacris sit consanguineam suam vxoratum cognouerit, si singulis illis flagitiis sit imposita excommunicatio, reuerà triplicem excommunicationem incurret, est enim ibi vna quidem causa materialiter, & vnus actus entitatiuus, est tamen triplex culpa atque etiã triplex causa adæquata excõmunicationis.

7 3. Parte dicebam propter vnam eandemque causam imponi Censuram à diuersis iudicibus siue simul, siue successiuè, atque ita Censuram numero multiplicari, quod docent Alteri, Bonac. Filluc. Suar. & alij nuper laudati, & manifestum fit ex dictis cùm enim supponantur cõtumaciæ diuersæ distinctæque prohibitiones violatæ, iam ista causa entitatiuè & materialiter vna, formaliter multiplex est, & virtute continet plures non connexas inter se nisi per accidens; sicut enim, si successiuè violatæ fuissent diuersæ illæ prohibitiones per distinctos actus contumaciæ, fuissent reuerà diuersæ causæ inducentes excommunicationem, ita etiam nunc sunt diuersæ formaliter, quamuis entitatiuè non fuerit nisi vna actio, omnia illa præcepta simul violans, & proinde Reus est ille omnium pœnarum, quæ singulis illis præceptis fuerunt impositæ, si eæ pœnæ multiplicari possunt, vti possunt Excommunicationes aliæque Censuræ, quod iam ostendi; quando enim pœna non potest multiplicari aut sæpiùs repeti, vt mors, reuerà quamuis aliquis simul vel successiuè committat distincta scelera, quibus singulis decreta est, nonnisi semel capite plecti, aut suspendi, aut alio quopiam supplicio necari poterit.

Quod si concedas posse successiuè à diuersis iudicibus ferri excommunicationem in eundem propter causas saltem formaliter diuersas, etiamsi materialiter & entitatiuè vna, simul quoq; ferri posse fatearis oportet ; si quæ enim esset repugnãtia & incompossibilitas ex earũ natura petẽda foret, non autem ex eo quod simul aut successiuè infligantur, nam illa interpolata interruptio non impedit quin simul Reum afficiant æquè, atque si simul infligerentur, & qui heri excommunicatus hodie iterum excommunicatur, tam est bis excommunicatus, atque si heri eodem momento gemino illo fulmine perculsus fuisset.

8 4. Parte propositionis dixi censuras eiusdem rationis, atque solo numero distinctas ab vno eodemque iudice ferri posse. Quod certum est si agatur de distinctis criminibus siue materialiter, siue formaliter, eo quod in eodem actu sint plures circumstantiæ maleficæ, quarum singulæ eadem Censura plectuntur, estque omninò per accidẽs, vt in eodem actu materiali coniungantur: neque obstat quod sit vnica sententia, est enim verbis vna, sed virtute & efficacia multiplex, potestque plures effectus operari, sicut cum vna absolutione plures Censuræ tolluntur, sunt enim plures solutiones, vna quoque forma plures simul baptizari posse, dicemus alibi.

9 Necessarium porrò est, vt multiplicem illam censuram Iudex intendat, alioquin non infligetur nisi vna, quia sentẽtia nihil operatur vltra intentionem illam proferentis, nisi etiam perspicuis verbis suam illam mentem Iudex aperiat, eius sententia cùm pœnalis & odiosa sit, in mitiorem partem accipietur, atque non nisi vnam pœnam imponere censebitur, nisi in quibusdam peculiaribus.

1. Quando sententia est tantùm declaratoria, & quia non infert censuram, sed declarat fuisse contractam, si singulis titulis & causis, quæ in admisso crimine coniunguntur, singulæ, & distinctæ censuræ fuerint à iure definitæ, & ipso facto contractæ omnes per sententiam declaratoriam multiplicis illius criminis significabuntur.

2. Si circa singulas causas & crimina præcesserunt singulæ distinctæ, & sufficientes monitiones cum comminatione talis Censuræ, quæ per sufficientem contumaciam circa singula despectui habita fuit, vnica sententia circa totam illam materiam plures censuras operabitur, accommodatur enim subiectæ materiæ.

Si itaque non fuerint diuersæ & sufficientes contumaciæ circa causas saltem formaliter diuersas, sententia Iudicis eas omnes respiciet per modum vnius, infligetque vnam censuram, sed quæ tolli non possit nisi per absolutionem, quæ omnes istas adæquatè respiciat ; quarè necessaria fuerit præuia satisfactio pro omnibus illis causis, & non pro vna tantùm aut altera, alioquin absolutio, quæ in eiusmodi satisfactione inadæquata & partiali tantùm fundabitur, insufficiens erit & nulla, cùm neque totaliter, neque partialiter tollat censuram, quæ plures causas per modum vnius attingit. Hæc omnia docet Suar. disp. 5. de Censu s. 2. n. 12. Manet itaque eundem Iudicem per vnam vel plures sententias posse ferire aliquem pluribus censuris eiusdem rationis propter causas materialiter aut formaliter diuersas.

10 Sed difficultas est an simili ratione possit vnus idemque propter idem crimen Censuras solo numero distinctas in eundem intorquere, v. gr. sacrilegum & in sacrilegio perseuerantem sæpiùs excommunicare ; quod Iure merito affirmant Soto in 4. d. 22. q. 2. a. 1. Auila. 2. p. c. 4. disp. vnica. dub. 7. & Alteri. lib. 3. disp. 10. c. 7. qui obseruat eum quondam fuisse vsum in Ecclesia, vti colligitur ex Cyprian. Ep. 39. & 55. vbi Felicissimus & eius in crimine socij sæpius excommunicantur Nicolaus etiam 1. Engeltrudam vxorem Bosonis sæpiùs per septennium excommunicauit, quod nollet ad virum redire. Sequiturque ista assertio ex hactenùs disputatis, quia etiamsi sit idem omninò crimen, est, tamen noua quædam obstinatio & contumacia, atque adeò diuersa causa formaliter, propter quam noua pœna ad maiorem terrorem incutiendum & ruborem pariendum puniri possit. Sapienter nihilominùs monet Suar. s. 2. cit. n. 8. & ex illo Villalob. diffic. 15. cit. n. 5. id neque in vsu esse, neque in vsum induci debere, sufficit enim si iteratò denuntietur excommunicatio, etiamsi noua non intorqueatur, quod etiam contingit, quando Censura lata à iure, deinde iteratur ab homine, quia non fertur

fertur distincta v. gr. Excommunicatio, sed illa ipsa quæ est in Iure, denuntiatur, atque ita interpretari licebit Ecclesiæ vsum, quem obiicebat Alterius.

QVÆSTIO V.

Quomodo multiplicentur numero Censuræ multiplicatis eiusdem legis transgressionibus.

Status huius quæstionis hic est. Titium, qui heri & hodie percussit Clericum siue eundem, siue diuersum, geminam Excommunicationem incurrisse, consentiunt laudati DD. q. superiori, traduntque tanquàm vniuersalem Regulam: vnam tunc existere Censuram & excommunicationem, quando vna fuit transgressio, multiplicem autem esse pœnam & Excommunicationem, si multiplex fuerit violatio legis: quod ex dictis liquidò efficitur, cùm enim non repugnet has Censuras simul in eodem subiecto multiplicari, propter diuersas causas à quibus oriuntur, vt latè fuit ostensum, & in pluribus istis transgressionibus sint plures causæ censuram inferentes, multiplicari censuras prorsùs oportet neque vllus, opinor, est qui obnuat. Tota itaque difficultas, eaque admodum grauis est, in assignanda aliqua nota, per quam distinguatur multitudo & diuersitas trangressionũ, cùm plures aliquando in vnam coincidere videantur; & quamuis 1. 2. explicuerimus, quandonam multiplicentur actus peccaminosi circa idem obie-

obiectum, quia tamen hoc loco non attendimus hanc multitudinem actuum in ratione solius culpæ, sed in ordine ad pœnam lege præscriptam, quæritur, quandonam ita multiplicentur legis eiusdem transgressiones siue vna, siue pluribus actionibus, vt pœnam à lege, quæ violatur, impositam multiplicare necesse sit; quod explicare conantur Molin. tract. 3. disp. 41. Couarru. lib. 2. Varia. cap. 10. n. 8. Suar. disp. 5. de Censu. s. 3. Bonac. disp. 1. de Censu. q. 1. p. 5. Alteri. disp. 10. cit. cap. 8. & quamuis commodè potuisset ea quæstio disputari à nobis alibi, dum ageremus de lege pœnali, aut, dum dissereremus de pœnis; quia tamen præcipuæ difficultates versantur circa censuras visum est totam controuersiam hoc potissimùm loco diffinire.

RATIO DVBITANDI.

2 Ratio igitur difficultatis est, quia plures aliquando malitiæ solo numero distinctæ in eodem actu reperiuntur, & consequenter sunt formaliter & moraliter plures violationes eiusdem legis numero distinctæ, cur igitur singulæ non punientur pœna imposita à lege æquè, atque si distinctis actionibus & temporibus commissæ fuissent; hæc enim connexio & simultaneitas est per accidens, vnde si separatæ facerent plures violationes, facient etiam coniunctæ. Hinc porrò sequi distinctis pœnis & Censuris esse puniendas, statim constat ex dictis; docuimus enim censuras multiplicari, quoties ponuntur causæ ipsarum materialiter, vel formaliter tantùm diuersæ: hoc autem reperitur quoties in vna actione plures malitiæ solo numero distinctæ concurrunt, sunt enim reuerà tunc formaliter plures legis, cótra quam peccatur, violationes, quamuis sit vna materialis entitas actionis; hunc porrò concursum plurium malitiarum numericarum in vnam actus entitatem ostendimus c. 2. cum communiori sententia, qui enim vno actu occidit tres homines, committit tria homicidia, qui Coniugatus coniugatam cognoscit, duplicis adulterij & iniustitiæ Reus est.

E contrario verò plures actiones & violationes legis, vnam aliquando numero malitiam habent, qui enim eundem pluribus vulneribus occidit, aut qui vno animi impetu sæpiùs alterum iniuriis accipit, non nisi vnum peccatum cómittere censetur, igitur neque nisi vnam pœnam & Censuram incurret, quoties plura delicta, quibus eiusmodi pœna imposita est, continuò iterabit.

Ex quibus omnibus plura videntur sequi absurda circa actiones particulares, qui enim subriperet thesauri, qui ad plures Ecclesias pertinet, pluribus excommunicationibus furtis sacrilegis inflictis puniretur, si ad vnam autem tantùm Ecclesiam pertineret, non nisi vna feriretur: si hodie partem vnam thesauri, die sequenti alteram, atque ita deinceps, donec totum expilârit, asportet, pluribus censuris ligabitur, si verò eodem die continuis furtis exhauriat, vna Excommunicatione plectetur. Quæ aliaque eiusmodi innumera perincommoda videntur, quare ne per infinitas & singulas actiones ire cogamur, statuenda foret vniuersalis aliqua Regula, vt dignosceremus, quandonam ita solo numero multiplicentur actiones, quibus in aliquam legem peccatur, vt singulæ plectantur pœna per legem imposita atque ita sint plures pœnæ numero tantum distinctæ, & eiusdem prorsus rationis Reo ferendæ, quod aliqui præstarunt, sed fortassis non sunt assequuti: ex iis tamen, quæ ipsi fusè & confusè satis disputarunt, lucem aliquam accipere conabimur.

NOTATIONES AD SOLVTIONEM DIFFICVLTATIS.

3 Obseruandum igitur imprimis est, quod iam initio monui, & Alteri. lib. 3. de Excomm. disp. 10. cap. 8. aduertit, non tam attendi multitudinem & distinctionem peccatorum in legibus istis pœnalibus, quàm iniuriam & damnum proximo illatum; vnde fit, vt quamuis quispiam alium percusserit animo illum occidendi, si tamen reuerà non occidit, non plectatur pœna, aut excommunicatione lata contra homicidas, etiamsi nemo neget, eiusmodi percussorem Reum esse homicidij. Ratio est, quia lex pœnalis, quæ est actus Iustitiæ vindicis spectat reparationem damni & iniuriæ, vel priuatis, vel Reipublicæ illatæ, itaque non peccati malitiã, sed, vt dixi, iniuriam facti attendit. Quarè longè aliud est quærere, quandonam ita numero multiplicentur actus peccaminosi, vt singuli exprimi debeant in confessione, quod 1. 2. & in tractatu de pœnitentia quæritur, nosque illis locis diffiniuimus; aliud verò quærere, quandonam singulæ violationes vnius & eiusdem legis pœnalis, ita numero distinguantur, vt singulæ, pœna legis mulctari debeant.

4 Obseruandum 2. est, duplicem esse vindictam, vnam publicam, quam Reus subit, vt iniuriæ publicæ satisfaciat; alteram priuatam esse satisfactionem, per quam satisfit priuato, quem quis suo crimine pulsarat, & cui competit actio siue criminalis siue Ciuilis; deinde alia pœna est corporalis, vt mortis, flagellationis, mutilationis & exilij; alia pecuniaria, vt dupli, aut quadrupli; alia est ordinaria; alia est extraordinaria; Quædam certa est à lege statuta; alia arbitraria prudentiæ & diffinitioni Iudicis concessa, alia ipso Iure, siue ipso facto contrahitur, quia non indiget sententia, vt incurratur cum effectu, & vt censeatur exequutioni mandata, cuiusmodi diximus esse Censuras latæ sententiæ; alia est pœna, quę à Iudice infligi debet ad præscriptum tamen legis; denique alia est, quę repeti nõn potest, alia, quam sæpiùs iterare nihil prohibet.

5 Obseruandum est 3. quod monet Sayr lib. 1. c. 11. num. 11. & Alteri. lib. 3. disput. 10. cap. 8. tria inspicienda esse in hac disputatione, nimirum continuationem vel interruptionem physicam & moralem actionis: vnitatem vel pluralitatem obiecti circa quod versatur ea actio, aut legis violatio: & denique naturam ac modum ipsius actionis, quę omnia paucioribus fuerat complexus Caietan. v. Excommunicatio in princip. in excommunicatione attendendam esse personam excommunicatam, & actionem propter quam excommunicatur, & actionem quidem considerandam esse ex parte termini, & ex parte agentis, nomine termini intelligit tum obiectum in quod tendit, tum finem, quem sibi proponit, atque etiam complementum actionis, nomine verò agentis comprehendit quoque modum agendi.

Quod igitur spectat ad continuationem & interruptionem actionis, alia est physica, alia moralis, potest enim continuari moraliter actio, etiamsi physicè sit interrupta, quoties enim diuersæ actiones necessariæ sunt ad vnum finem, ad quem tanquam media ordinantur, quia priores sunt veluti præpa-

præpa

præparationes quædam ad posteriores, etiamsi illæ actiones sint plures physicè, sunt tamen vna moralis, quia eadem in illis voluntas perseuerat virtualiter in aliquo actu externo vi illius posito; aliquãdo verò idẽ quidẽ actus externus durat, mutatur tamen voluntas interior, & sæpius repetitur, est tamen eadem actio moralis, cùm enim actus internus & externus faciant vnum actum humanum & moralem, & idem externus perseueret, censebitur ratione ipsius idem actus & voluntas in illo virtualiter perseuerare, vt diximus 1. 2. cum Vasq. ibid. disp.75.cap.2.Suar.tom.4.in 3.p.disp.21.f.5.n.20. alijsque eo loco adductis; quia verò transgressiones legis non spectantur materialiter tantùm, & in ratione entis, non multiplicantur per solam interruptionem physicam, aut multitudinem entitatiuam actionum, sed moralem; quoties igitur illæ actiones, quibus lex violatur, interrumpentur moraliter, siue facient multitudinem actionum moralium distinctarum, toties erunt plura distincta peccata contra legem, siue distinctæ eius transgressiones: interruptio autem moralis cognoscitur ex longioti temporis mora interiecta inter actiones, ex modo agendi, ex circumstantiis & actionibus intermediis.

Vnitas quoque & distinctio obiecti plurimùm hoc loco conducit, cùm aliud sit pluribus vulneribus ferire vnum aliquem, aliud verò plures confígere, siue vno siue pluribus ictibus, siue continuò, siue per interualla ista fiant; & saltem negari non poterit istam vnitatem, vel pluralitatem obiecti, & personæ plurimùm conferre ad rationem iniuriæ & damni, quæ sine dubio crescunt non modò grauitate, sed etiã numero pro multitudine personarũ, quæ offenduntur etiam vnica & eadẽ actione physica; vt si eadem sagitta tres homines configas, tribus iniuriam distinctam infers, quidquid modò sentiendum sit de multitudine peccati, & an in eo casu triplex homicidium agnoscendum sit, quod statim indicabo, quamuis vt iam monui, cùm agamus hoc loco de punitione, multitudinem iniuriæ & damni spectamus potiùs quam peccati.

Actio denique violans legem consideranda est, aliquando enim simul & tota punitur, aliàs successiuè & per partes, & quidem quando simul fit, toties vna est & distincta, quoties fit saltem ordinariè; si autem fiat successiuè, videndum est, an singulæ illæ actiones, quæ toto en temporis successiui tractu fiunt, componant moraliter vnam totalem & integram actionem; an verò quælibet sit totalis per se, & completa actio, quamuis sibi continuò succedant, priori enim modo est vna tantùm transgressio legis, posteriori autem sunt plures completæ duntaxat per accidens, diiudicabimus autem, an plures illæ actiones sint plures integræ & totales in genere moris, an verò vna sit pars alterius ex vnitate obiecti, & ratione finis, seu termini ipsius, quando enim vnicum est obiectum nõ est nisi vnica actio; quando verò duo sunt aut plura obiecta in genere moris aut iniuriæ, sunt quoque plures actiones morales & iniuriosæ.

Quod autem pertinet ad finem actionis, quando illa tendit ad definitum terminum, in quo consummatur actus, ita vt qui continuò succedit, non sit pars prioris, sed nouus, sunt duæ transgressiones legis, sic maritus, qui post consummatũ adulterium cum pellice, aliud continuò cum eadẽ perpetrat, duo reuerà committit adulteria; quod si actio nullum certum terminum habeat, actiones contiguæ, quamuis si per longiora interualla interruptæ fierent, forent distinctæ trãsgressiones repertæ, quia tunc non coniungerentur ad componendam aliquam totalem, vbi tamen sibi continuò succedunt, non faciunt nisi transgressionem ex pluribus illis partialibus conflatam; ita qui thesaurum furatur, quem non potest totum simul, sed continuis tantũ acceptionibus auferre, committet vnum furtum duntaxat, quia furtum non habet certam materiam, in qua consummetur, sicuti adulterium, quarè quãdiu continuatur, censetur esse idem furtum; quod idem dices de iniuriis continuo impetu in eundem prolatis. His obseruatis vniuersales quasdam Regulas præscribo.

PRIMA REGVLA.

6 Quoties idem delictũ ita iteratur, vt plura & distincta crimina sint, toties vt plura distincta, & non vt vnum puniendum est, siue ea iteratio simul, siue ex interuallo fiat.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLAE.

7 Ratio huius Regulæ manifesta est, quia iteratio criminis non minuit crimen, sed potiùs illud auget, quarè tantum abest, vt Reum pœna eximat, vt illum grauiori dignum reddat, neque etiamsi primum delictum fuerit punitum, omittẽda erit illius punitio dum repetetur. Ita omnes in l. nunquam ff de priuatis delictis; quanquam rectè aduertit Couarru.lib.2.varia ca.10.n. 8. Vlpianum ea lege non agere de iteratione eiusdem delicti, sed de diuersorum criminum concursu circa idem obiectum, quę non nisi impropria admodùm repetitio criminis est, agit enim de eo, qui seruum surripuit & occidit, & quia surripuit, furti tenetur, quia occidit lege Aquilia, ille enim qui occidit, & flagellis cecidit seruum, quem subtipuerat, commisit furtum, iniuriam, & homicidium. DD. tamen in commentariis huius legis agunt, vt dixi, de propriè dicta iteratione eiusdem criminis, quam non impedire nouam punitionem, quoties ex iteratione sequuntur distincta crimina rectè asserunt; quamuis glossa in eandem l.¶.occiderit, id verum esse dicat tantùm, quando crimina ex interuallo repetuntur, quia nẽpè existimat continuam iterationem non esse sufficientem ad distinctionem criminum, eorumque pluralitatem, quod modò videримus, nobis sufficiat in præsenti tradidisse vniuersalem Regulam, vt quoties ex iteratione criminis oritur distinctio & pluralitas criminum, sequatur pœnæ pluralitas & iteratio, continuitas enim & interruptio iterationum nihil efficient hoc loco, si distinctionem & pluralitatem criminum non causent aut impediant. Denique PP. Toletani cap.1.de pœnis & apud Burchard.lib.6.decreto, cap.11.& Iuonem p. 10. cap. 240. rectè pronuntiarunt ea, quæ frequenti præuaricatione iterantur, frequenti sententia condemnanda esse.

SECVNDA REGVLA.

8 Eiusdem criminis vno impetu continuato iteratio circa idem obiectum & personam facit vnum tantùm numero crimen, nisi illæ actiones essent totales, & in seipsis completæ, ac solùm coniunctæ per accidens, ita vt neque ex natura sua, neque saltem ex intentione operantis, vna esset præparatio, & via ad aliam, tunc enim essent distincta numero peccata

peccata; neutro tamen modo censentur plura quoad publicam vindictam & punitionem, sed vnicum tãtum, grauius tamen propter iterationem puniendum.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLAE.

9 Tripartita est, vt vides ista Regula, cuius priorem partem de vnitate peccati, quãdo plures actiones coniunctæ sunt veluti media ad aliquid vlterius vel ex natura sua vel ex agentis intentione ordinata probauimus 1.2. cum Nau. cap. 6. num. 17. & in cap. consideret de pœnitentia. dist. 5. n. 48. Caietan. tom. 1. opusc. tract. 31. q. 15. & alijs communiter, quo loco etiam diximus eum qui vno impetu continuo ter lancea configit alium, qui plura conuitia iacit in eundem, plures blasphemias in aliquem sanctum euomit vrgente eodem furoris æstu, qui pluries continuò fœminam osculatus est, siue sequuta fuerit copula, siue non, Reum vnius peccati tantùm esse, neque teneri exprimere in confessione numerum percussionum, aut vulnerum aut singula conuitia; vel basia; quod tradunt quoque DD. à nobis ibidem laudati, quibus annumera Baldellum. lib. 2. Theolog. moral. disp. 22. & 23. Ioan. Sancti. disp. 6. selecta. & Ferdinand. A C..o. tract. 3. disp. 3. punc. 3. qui illos aliosque dant, ex quibus Sancti. & Dian. tract. 7. Resolut. 28. cum alijs quos allegant, existimant etiam, quando conuitia & contumeliæ diuersæ speciei & rationis iaciuntur continuato eodem impetu non multiplicari peccatum, quia non improbabile videtur omnes contumelias esse vnius speciei, cùm vnam rationem formalẽ respiciãt, nempe detrahere proximo, quod nos ibidem quoque monuimus.

Ratio huius Regulæ manifesta est, quia etiamsi singulæ istæ actiones aptæ essent constituere diuersa crimina, si ex interuallo & seorsim committerentur, neque in vnius alicuius totalis & consummati operis veluti compositionẽ venirent; cùm tamen continuò fiant, & vel ex intentione operantis assumãtur vt media aut præambula operis vlterioris, vel ex natura sua ad aliud ordinentur, vt oscula & tactus ad copulam, percussiones & vulnera ad necem, censentur moraliter partes vnius eiusdemque operis peccaminosi consummati, cùm enim in his eadem voluntas perseueret, ex eaque omnes actiones suscipiantur & vniantur non in ratione entis, sed moris, non potest ex illis exurgere nisi vnum peccatum, quod nunquàm multiplicatur sine morali interruptione, eâque totali & sufficienti ad distinctionem numericam malitiæ, qualis non contingit, quando voluntas eadem vel formaliter, vel saltem materialiter perdurat in aliquo externo opere ex eius efficacitate suscepto, aut continuato.

10 2. Pars Regulæ erat multiplicari numero peccata, quando actiones, quæ continuò fiunt, sunt in se completæ & consummatæ, & idcirco vna non est via aut pars alterius; sic qui post consummatam cum vxorata copulam, aliam continuò adiicit, committit duo adulteria, quæ distinctè in confessione explicanda sunt, qui post cognitam fœminam pergit osculari, & impudicè tangere ad exsatiandam libidinem, nouum committit crimen, quia ista oscula & tactus sunt præparationes ad nouam copulam, & nõ prioris copulæ partes, atque ita tanquam distincta peccata enumerãda esse in Confessione vult Suar. tomo. 4. in 3. par. disp. 22. sect. 5. n. 20. contra Nauarr. cap. 6. numero 17. qui negat actus ordinarie consequentes actionem malam, quamuis & ipsi turpes sint, esse sigillatim aperiendos, quod & Sanctio, aliisque placuit, vti l. c. monuisse me memini, eo quod etiamsi in his videatur esse distincta numero malitia, cùm prioris actionis, quæ completa & consummata fuit, nequeant esse partes, sunt tamen quædam appendices, & ordinariò ex priori illa actione explicata ista consectaria intelliguntur, quod verò ordinariè intelligitur esse cum alio cõnexum, explicari necessè non est, vbi illud cum quo connecti solet, satis explicatum fuit.

Hinc vides quarè, qui continuis furtis tota die thesaurum expilat, quem totum simul auferre non potest, non committat nisi vnum furtum quia nempè furtum non habet certam materiam & diffinitum terminum, in quo consummetur, vnde diutius continuari potest, & quamdiu non interrumpitur aliquo temporis interuallo censetur eadem actio furandi in genere moris propter perseuerantem eandem voluntatem, etiamsi sint diuersæ actiones physicæ, quod non contingit in adulterio, quod consummatur perfecta copula, vnde etiamsi ex eadẽ libidine sequẽs copula statim committatur, nouum omninò adulterium exurgit; sicut si cum quapiam alia fœmina continuò committeretur. Quando enim noua opera externa fiunt, quæ neque ex natura sua, neque ex intentione operantis sunt dispositiones & præambula ad aliquod opus, eo quod singula habeant propriam & consummatam malitiam, tunc etiamsi suscipiantur ex eadem voluntate & intentione, habent distinctas malitias, nisi in opere, quod vt medium assumitur ab operante, duplex malitia agnoscenda sit, natiua nimirùm, quam habet ex proprio obiecto, & externa ex fine extrinseco refusa: in eo enim qui furatur, vt adulteretur, furtum participat quoque malitiam adulterij, ad quod ordinatur, sicut igitur, qui furto hodierno clauium muniret sibi viam ad expilandum Thesaurum post aliquot dies, peccaret modò furto clauium & deinde furto thesauri; ita qui primo adulterio viam sibi parat ad secundum, & aggreditur primum cum animo perpetrandi secundi & tertij, statuit siquidem multiplici & repetita copula libidinem suam exsatiare, plura adulteria committit, quia facit plures actiones habentes suam consummatam malitiam, etiamsi illas ad alias vlteriores referat, ea siquidẽ relatio non spoliat has actiones sua propia malitia; secùs verò contingit, quando actiones habent, vt loquuntur, tractum successiuum, & vna potest esse pars alterius aut præparatio ad illam saltẽ ex intentione operantis, eòquod vel nullam habeat malitiam, vel non consummatam, tunc enim conflat vnam actionem totalem moralem cum alia, & vna in omnibus istis totalis & integra malitia reperitur, atque adeò vnicum tantùm peccatum numero.

Tertia parte Regulæ dixi siue ex iteratione continuata & non interrupta eiusdem actionis peccaminosæ circa idem obiectum & personam exurgat vnum tantùm peccatum, siue plura numero distincta in confessione aperienda; in ordine tamen ad publicam vindictam non censeri nisi vnicum crimen vnica pœna per legem lata, aut per Iudicẽ pro arbitrio imponenda, sed grauiori propter eiusmodi iterationẽ puniẽdũ, nisi lex pro singulis illis actionibus distinctis pœnas imponi expressè iubeat. 11

Ita Molin. tract. 3. disp. 41. cõ. 2. Iulius Clar. lib. 5. sentẽt. §. vlt. q. 84. n. 4. Couarr. lib. 2. Varia. c. 10. n. 8. ✠. quartũ si eiusdẽ actus; vbi alios allegat, & manife-

stè

siè asserit L.illud,§.vlt.ff.ad leg. Aquiliā; *si idem* inquit, *eundem seruum vulnerauit, posteà occidit, tenetur & de vulnerato, & de occiso: duo enim sunt delicta aliter atque si quis vno impetu pluribus vulneribus aliquem occiderit, tunc enim vnica erit actio de occiso.* Hinc, inquit Molin. si alicubi esset statuta vna pœna ferenti arma, altera aggredienti alium ex improuiso, quædam etiam vulneranti, & alia occidenti, qui vno continuo impetu sumpsisset arma, incautum hostem aggressus,& pluribus vulneribus conscissum occidisset, solius homicidij pœna puniendus foret. Limitant tamen hanc regulæ partem Barthol.& in l.nunquam, ff. de priuatis delictis ad intentionem operantis, si enim non intendat omnibus illis actionibus vnum effectum, sed plures diuersos, distincta vult esse peccata distinctis pœnis ferienda, atque ita quot erunt percussiones & vulnera, toties pœnam cuilibet vulneri positam à lege pati tenebitur Reus, qui eas percussiones non retulit ad homicidium, quia est diuersus effectus, nempè vulnus cuilibet percussioni respondens, neque ratione vnius finis intenti coniunguntur, sunt igitur distincta crimina; quarè si vidente quis alium percutiat, & vno quoque dente vulnus infligat animo tantùm vulnerandi, geminata pœna plectendus erit.

Quæ consequentia satis ostendit reiiciendam esse hanc Bartholi limitationem, contrariumque toto orbe seruari dixit Angelus relatus à Couarru. & sane l.illud superiùs adducta non dixit illum, qui continuo impetu plures percussit intendisse homicidium, quod fortassis præter ipsius intentionem accidit,& tamen decernit homicidam illum puniēdum esse vna pœna, quæ multiplicanda fuisset ex mente Bartholi. Hinc fit, vt qui vno impetu plura conuitia diuersa protulit, vnica pœna conuiciantis damnetur, quia hæc omnia vnum conuitium censentur, grauius tamen, aut leuius pro multitudine conuitiorum eorumque atrocitate; ipseque Barth.in l.Item apud Labeonem,§.ait Prætor, ff.de iniuriis, fatetur eandem orationem iniuriosam sæpiùs repetitam, esse vnam tantùm iniuriam; idem asserit Molin.& Couarru. de proferente simul plures iniurias in Deum, nam vna pœna blasphemiæ lege statuta puniēdus foret, sin autem pœna arbitraria esset grauiori pœna pro grauiori iniuria; quæ ex omnibus illis resurgit, puniri deberet à Iudice.

Ratio istorum est, quia vel vnicum tantùm peccatum propter continuationem moralem existit, vt in exēplis allatis, in quibus non licet assignare vllum aliud caput, ex quo numerica distinctio & pluralitas capi possit, & tunc perspicuum est, multò maiori ratione in foro externo censeri vnum peccatum in ordine ad punitionem, grauiorem tamen aut leuiorem pro grauitate criminis, vel sunt distincta peccata, vt de duabus illicitis copulis consummatis & continuis dicebamus; cùm tamen eadem iniuria idemque damnum eidem proximo per illa peccata inferatur, sed grauius pro continuatione iniuriæ & damni duratione, ac quadam perpetuitate, & forum externum solam damni & iniuriæ reparationē spectet, non nisi vnam pœnam profectò decernet, grauiorem tamen pro grauitate iniurię repetitæ & diutius perdurantis, vt statim ostendā in pluribus adulteriis etiam ex interuallo repetitis in grauissimam eiusdem mariti iniuriam, quæ tamen non nisi vna pœna, sed atrociori castigabuntur.

Limitaui hanc Regulam, dixi enim legis verba nonnunquam singulis actibus repetitis singulas pœnas infligere: nam nihil prohibet, quin pro qualibet alapa, aut quolibet verbo iniurioso pœnam diffiniat, & tunc qui continuo impetu plures alapas alicui impegisset, pluribus istis pœnis puniendus foret, quod concedit Couarru. alijque ab ipso relati, quibus suffragatur Mol. disp.41.cit.n.6. qui tamen monet mutandum esse eiusmodi statutum, si alicubi reperiretur, quia insolitum & contra leges ordinarias iudiciorum foret, illi tamen, donec vigeret insistēdū esset, quia reuerà careret ōni iniustitia.

TERTIA REGVLA

Iteratio eiusdem criminis circa idem obiectum & personam ex interuallo facta constituit distincta crimina numero, quæ etiam distinctis pœnis puniuntur, quando pœna ipso iure statuta est, & incurritur ipso facto, neque opus est sententia ad eam contrahēdam; alioquin si iteretur ante prioris actus punitionem non censebitur nisi vnum crimen quantùm ad publicam vindictam maxime corporalem, nisi aliud ferat consuetudo aut lex municipalis, manetque nihilominus obligatio integrè reparandi damnum illa frequenti iteratione crimē num alteri illatum, & si pœna arbitraria fuerit, grauior profectò imponenda erit.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLÆ.

Prima pars huius Regulæ ex interrupta nimirùm & discōtinua iteratione eiusdem actionis nasci distincta pluraque crimina, manifesta manet ex 15
Regula Superiori, & traditur cap.1. de pœnis, atq; à glossa in cap.imitare, 6.q.1. quarè Innocent. IV. in Conc. Lugdun. obiicit Friderico Imperatori, quod multotiens deierasset violans pacem cum Ecclesia sancitam. Felin.in cap.sicut de testibus, plures alios in hanc rem allegat, & sapienter omninò dicit ista procedere absque dubio in foro cōscientiæ, in foro autem contentioso esse magis dubium. Nos verò in hac priori parte de solo conscientiæ foro loquimur, siue de iteratione, quæ distinctum peccatum verè inferat, siue distinctam malitiam in confessione explandam, & sanè cùm ea sit inter repetitos istos actus interruptio, vt moraliter connecti non possint, & vnam actionem conflare, quia neque physicè, neque moraliter ob non perseuerantem virtualiter eandem voluntatem medio & interiecto tempore in aliquo opere à se relicto cōiunguntur, distingui necesse est, etiamsi circa idem obiectum & personam tendant, vnitas enim obiecti sufficiet quidem ad vnitatem specificam, non autem ad numericam, quando aliunde distinctio inuehetur, vt fit in hoc casu.

2. Pars Regulæ negat, hæc distincta numero 16
peccata puniri distinctis pœnis à Iudice, & tot quot fuissent impositæ seorsim singulis, sed vna tantùm grauiore singulis seorsim sumptis, ita glossa in l. vulgaris, ff. de furtis, ait enim, cùm quis alterius vxorem pluries cognouit, plura esse adulteria videri, vna tamen pœna eam continuationem puniendam esse affirmat; quam glossam omnium calculis receptam esse testatur Couarru.cap.10.cit.n.8, sub fin.laudans Bald. Anacharan. Calderin. Angel. Iasonem, Rochum de Curte, & Barthol. quamuis hic postremus in comm. ad illam l. vulgaris scripserit, idcircò plura adulteria vnica pœna puniri, quia pœna adulterij est pœna mortis, C. quāuis, C. de adulteriis, quę iterari nequit, alij tamē intelligunt sententiam glossæ de pœna pecuniaria, aut alia simili iterabili, neque aliquid affertur, propter quod Barthol. ad pœnam initerabilē restringat, præterquàm quod iure Pandectarum, quod glossa

interpretatur, nondum erat pœna mortis decreta aduersus adulteros, vt ipsemet Couarru. ostendit in 4. Decreta. cap. 7. §. 7. n. 16. eadem glossa addit eum qui repetitis furtis armarium exhausit commisisse plura furta, cùm enim recessit ex illo armario, res, quam ibi i [illegible]iquit, remansit in potestate domini, cùm igitur eam denuò contrectat, nouum furtum committit, & tamen non agitur in illum, nisi vnica actione furti, quod vnica pœna, sed grauiori punietur, quia hæc omnia furta reputantur vnum furtum in foro externo propter continuationem, grauius tamen quamuis si fuit sufficiens interruptio, vt vnius aut alterius diei, quod supponit glossa, sint reuera plura peccata, vti diximus priori parte Regulæ, alioquin enim, cùm actio furti sit successiua, nec habeat definitum terminum, in quo consummatur, repetitiones continuatæ illius facient vnum numero peccatum, vti 2. Regula superiori dictum fuit; verùm siue in his repetitionibus sint distincta furta, siue non, Pomponius. l. ei qui ff. de furtis, ait, ei, qui furti actionem habet assidua contrectatione furis non magis furti actionem nasci posse, ne in id quidem, in quod creuisset res surrepta, quod ibid. glossa exponit, de Contrectationibus per diem interpolatis, & tunc ex prima contrectatione oriri actionem furti, non autem ex assidua acceptione rei meæ nasci actionem furti in plus.

Hinc quoque eum, qui sæpiùs in eadem controuersia aduersus eundem falsos testes aut instrumẽta produxit, non nisi vna pœna falsariis debita plectendũ dicunt communiter DD. additque Couarru. contra Barthol. id verum esse, etiamsi in diuersis controuersiis aduersus eundem testes corruperit, & instrumenta falsârit, nam licet tunc distincta crimina admiserit, non tamen in ordine ad publicam punitionem, foretque prudentis iudicis pœnam potius augere, quàm iterare, ac tot pœnis vlcisci, quot fuissent inflictæ, si diuersis temporibus singulæ illæ falsitates punitæ fuissent.

Qui pluribus, vel eisdem etiam eadem die interpolatis vicibus vini mensuras supra pretium lege definitum vendidit, pluries deliquit, vt ait Barthol. in l. inficiando. §. infans. ff. de furtis. n. 5. quia reuerà sunt plures & distinctæ vẽditiones iniustæ, vna tamen pœna lege statuta plectetur iniquus ille propola, vt ait Molin. disp. 41. cit. n. 11. si iudicis arbitrio relicta sit, grauior erit, quàm si vnica venditio iniqua fuisset.

17 Ratio istorum omnium est, quia cùm forum externum attendat potius rationem iniuriæ, quàm peccati, hæc delicta circa idem obiectum & personam continuata, licet intercedat aliqua cessatione, habet pro vna quadam iniuria perseuerante, & pro vno damno. Atque in hunc sensum trahi poterit sententia Bartholi in l. nunquàm. ff. de priuatis delictis. n. 4. quam magno cõsensu cæteri docuerunt, vt Socin. lib. 1. Consil. 62. & ex illo Couarru. testantur quoties eiusdem criminis iteratio fit ad eundem effectum, siue statim, siue ex interuallo non nisi vnum crimen censeri, nempè quoad publicam punitionem, in quo spectatur effectus, id est iniuria, vel damnum relictum ex eiusmodi actionibus, quando enim isti effectus seu iniuriæ & damna sunt eiusdem rationis, atque in vnum aliquod damnum totale concurrere possunt, censetur vnus effectus, & vnâ pœnâ punitur actio successione quadam inferens eiusmodi damnum, quod totum præterea reparandum manet. Quando verò isti effectus, siue damna & iniuriæ propter diuersitatem vel longiorem interruptionem, vel aliqua alia de causa non possunt integrare vnum totalem effectum, qui fictione saltem iuris ex omnibus illis iniuriosis actionibus tanquàm partialibus, etiamsi singulæ in se spectatæ sint completæ, tum in ratione entis, tùm in ratione distincti peccati resultet, tum etiam quoad punitionem habentur tanquàm distincta crimina, & distinctis pœnis plectenda sunt, vt dicebam priori parte huius Regulæ; id tamen in delictis eiusdem speciei rarò contingit, nisi in casibus, quos in tertia parte Regulæ indicaui. Confirmatur, quia etiam actiones non multiplicantur in ratione peccati, nisi propter obiectum totale, vt de ludente tota nocte tradit Baldell. lib. 2. disp. 23. n. 8. etsi enim cum pluribus ludat, vnum tantùm peccatum committere dicit, quod & docent alij ab ipso laudati, cùm igitur obiectum punitionis publicæ sit iniuria, si ea sit vna tantùm totalis, vna tantùm erit punitio decernenda. Quia tamen iniuria & damnum quod ex frequenti illa repetitione actionis iniuriosæ, eiusque duratione, quamuis interpolata relinquitur, grauius est, eò quod singulæ actiones repetitæ inferunt, si singulæ seorsum accipiantur, maiori quoque & acerbiori pœna puniendum illud esse dixi, siue sit pœna corporalis, siue pœna ciuilis dupli aut quadrupli, Ridiculum enim esset, vt egregiè monet Celsus. l. inficiando. ff. de furtis. existimare meliorem esse conditionem furis propter cõtinuationem furti, vti reuerà foret, nam ex cõtinnato furto proficeret, plura; acquireret, neque tamẽ aliter plecteretur, quàm si vnica cõtrectatione partem tantùm aliquam subripuisset; Vnde censet ibid. Celsus, furem, qui infantem quondam abstulerat, vbi ille deinde apud ipsum adoleuit, teneri Reum furti infantis, & adolescentis, & quamuis vnicum furtum sit, & vnica actione furti aduersus ipsum agatur, tenebitur tamen dupli, & quanti pluris æstimatur adolescens, quàm infans.

An verò pœna corporalis ita crescere possit, propter iterationem criminis, vt deueniat ad pœnam mortis, quæ lege non erat statura, lis esse potest, & vix id concedi debet, nisi aut ita ferat lex, quæ crimen illud sæpius repetitum morte damnet, aut eæ causæ sint, quæ ad id omninò vrgeant, vt optimè monet Iulius Clarus. lib. 5. sentent. §. vlt. quæst. 84. n. 6. 18

Præterea aduertendum erit, an plura crimina, quæ simul puniuntur, puniantur merè criminaliter, an etiam Ciuiliter; si enim omnia v. gr. furta & adulteria puniantur merè criminaliter, non imponentur tot pœnæ pro omnibus illis furtis, aut adulteriis simul, quot fuissent impositæ si singula furta & adulteria seorsim punita fuissent, sed vna quædam arbitraria, quæ maior esset qualibet earum, quæ singulis criminibus inflicta fuisset. Quod si pœna pro quolibet ex illis criminibus statuta sit pœna mortis, ea nihilominus augeri poterit, vel in ratione supplicij, vel quia simul agi poterit aduersus aliquod ex illis criminibus ciuiliter pro satisfactione damni illati, atque ita pro homicidio & mutilatione ex interuallo factis, sut circa diuersas personas, decernetur duplex pœna, mutilatio enim punietur pœna pecuniaria, & homicidium morte, aut ipsum etiam homicidium vtraque pœna. Sed de vtrinsque huius actionis ciuilis & criminalis coniunctione aliquid indicabo sequenti Regula.

Hæc 2. Pars hactenùs explicata restringitur per tertiam, quæ assignat casus, in quibus iterationes discon- 19

discontinuæ eiusdem criminis ita constituunt distincta peccata, vt singula singulis pœnis puniãtur, eodem modo atque si successiuè vnum post aliud punitum fuisset.

Id verò contingit 1. quando pœna decreta incurritur ipso iure ante omnem sententiam, quod meritò indubitatum esse dixit Molina, nam tunc singula crimina seorsim & successiuè puniuntur; cùm enim eo ipso quod admittantur, eodemque momento incurratur pœna, admittanturque successiuè siue continuò, siue interiecta aliqua temporis mora, successione quoque infligetur illa pœna, ac proinde seorsim singula punientur. Immò etiamsi opus foret sententia declaratoria ad contrahendam pœnam, cùm tamen id genus sententiæ nullam punitionem inurat, sed tantùm crimen admissum fuisse pronuntiet, atque adeò Reum teneri pœna per legem lata ex ipso patrati sceleris primo momento, ad quod retrotrahitur pœna, reuerà si singulis peccatis erant distinctæ pœnæ statutæ, Reus omnibus illis erit obnoxius post eam sententiam merè declaratoriam.

2. Quando primum peccatum punitum fuit à iudice, antequam secundum admitteretur, hoc posterius noua pœna puniendum esse nemo negabit, quia primum peccatum punitum fuisse non minuit pœnam secundi posteà perpetrandi; quarè si res subducta rediit ad dominum, qui pactus est de non agendo furti, si tamen fur denuò subripiat dabitur in illum noua actio furti.

3. Si vel lex municipalis, vel consuetudo ferat, vt quoties quis peccat, toties iteretur pœna, & cùm simul punitur, tot pœnas subeat, quot subiisset, si successiuè fuisset punitus, illi standum erit, vt concedunt passim omnes apud Molin. nam eæ leges & consuetudines iniquæ non sunt, cùm pœnam crimini admetiantur.

Duo tamen obseruanda videntur, primum est, quoties ob aliquod scelus statuitur amputatio alicuius membri & mortis, incipiendum esse à minori pœna, quia illa mutilatio, qua sæuiretur in cadauer, non esset pœna, vnde viuum adhuc & spirantem Reum flammis addicũt leges, quoties ignis pœnam decernunt; Hanc tamen sententiam Bartholi, & sequacium de viuicomburio impiam & crudelem esse contendit Couarru.cap.10.cit.n.9. Qua de re, sicut & de illa membri laceratione, quam fieri posse post mortem iam receptum est, dicemus aliquid vbi de pœnis.

Alterum obseruandum est, quoties distinctis sceleribus iteratis suæ pœnæ præscriptæ sunt, si vltimò mors definita sit, vbi simul omnia puniẽtur, sola mors inferenda erit, Reo non aliæ pœnæ corporales, v. gr. primo furto flagella decreta sint. 2. aurium abscissio. 3. furca, si tria furta simul puniantur, fur ad furcam ducetur, neque prius flagella, auriumque abscissionem pati debebit, neque enim alia legis mens est, quæ idcircò grauiorem pœnam præscripsit tertio furto, quia illud grauius est propter iteratam repetitionem, non tamen voluit, dum tria furta simul punientur, simul omnes pœnas corporales infligi; atque ita fert cottidianus vsus.

Ad extremum dixi in nostra Regula, manere obligationem Reo, qui sæpius idem crimen aduersus alium commisit, etiamsi vna tantùm pœna puniatur à iudice, resarcire totum damnum illatum omnibus illis repetitionibus actionis damnificatiuæ, nisi aliquid aliud excuset ab ea obligatione, quod patebit ex iis quæ modò dicam de actione ciuili & criminali.

QVARTA REGVLA.

Quoties aliquis vnica actione vel pluribus continuo, aut per interrupta spatia repetitis diuersas personas offendit, distincta crimina committit, quæ distinctis pœnis puniuntur, quando illæ incurruntur ipso iure, si autem per sententiam iudicis damnentur, vnica pœna aduersus illa decernetur, manebit tamen singulis personis offensis ciuilis actio aduersus omnium illorum criminum Reum pro damnis illatis. 20

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLÆ.

Huius Regulæ exemplum habemus in illo, qui vno telo tres homines occidit, aut mutilauit; vno verbo CHRISTVM & Sanctos, aut vna contumelia violauit, vno furto thesaurum, qui ad tres dominos pertinebat, expilauit, aut vna sagitta duns clericos confixit, qui vno occiso alium eodem momento fuit aggressus, aut suffuratus vnius rem, alterius deinde nummos subripuit.

Dico igitur hunc hominem plura & distincta numero peccata peccasse; quod dubium non est, 21
quando iniuriosæ actiones circa diuersas personas diuersis temporibus commissæ sunt, cum ex interrupta illa repetitione eiusdẽ actionis circa eandem vnamque personam, distinctionem numericam iniuriarum & criminum nasci diximus superiori Regula. Tota itaque quæstio est de actione, quæ vel eodem momento plures personas attingit, vel eodẽ impetu & animi calore circa diuersas personas successiuè fertur, in quibus omnibus agnosco multiplicem malitiam, eumque qui eodem telo tres homines simul confodit triplicis homicidij Reum facio, quod si euicero, nemo negabit, multiplicari quoque homicidia ista, si se successiuè consequantur, quamuis eodem animi æstu, & concitatione commissa fuerint. Primum autem illud 1. 2. ostensum fuit, vbi plurium malitiarum numericarum concursum in eandem entitatem stabiliuimus cum Nau. cap.6.n.4. Roderiq. in summa cap. 53. n. 5. Azor. 1. p. lib. 4. q. 4. & 5. Lessius. lib. de temperantia cap. 3. n. 74. Baldell. lib. 2. disp. 22. n. 2. & disp. 53. n. 7. Vasq. 1. 2. in notis ad art. 1. q. 73. & disp. 98. cap. 3. n. 9. & 3. p. in q. 91. a. 1. dub. 4. Salas tract. 13. disp. 5. n. 65. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 15. n. 6. Ferdinand. a Castro. tract. 2. disp. 3. pun. 3. Dian. tract. 7. Resolut. 17. & aliis passim contra Suar. tom. 3. in 3. part. disp. 25. s. 5. n. 34. & Bonacinam dis. 2. de peccat. q. 4. p. 2. n. 5. qui triplex homicidium ab eo, qui vno vulnere tres homines occidit, & duplex adulterium in coniugato cognoscente vxoratam, & multiplicem blasphemiam in verbo contumelioso contra duodecim Apostolos negant, contra quam nos cum aliis laudatis asseramus, quarè hæc vt distincta crimina in confessione explicanda esse ostendit Salas alios allegans tract. 13. disp. 3. sect. 2. n. 19. contra Sa. v. Confessio. n. 3. & sane ipsemet Suar. vult. numerum personarum, quæ eadem iniuria læsæ sunt, exprimendum esse in confessione, quod tenet quoque Bonac. disp. 5. de sacram. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. diffic. 3. num. 16. quod non satis consequenter assertum mihi videtur, cùm non existimem obligari

nos

nos ad quidpiam exprimendum in cõfessione præter numerum & speciem peccatorum.

Probatur porrò nostra sententia, quia entia relatiua & connotatiua multiplicantur multiplicato termino, stante licet eodem fundamento, atqui actus moralis & liber est tantùm fundamentum malitiæ, quæ est dissonantia quædam obiectum externum respiciens tanquam terminum, eo igitur multiplicato multiplicari debet; quia eiusmodi actus propter damnum diuersis personis illatum habet peculiarem repugnantiam cum recta ratione, licet solo numero distinctam, quæ omnia fusiùs alibi explicata sunt, vbi etiam, quæ à Suar. & aliis obiiciuntur, diluimus, ostendimúsque hæc obiecta esse totalia, in qua totalitate tota difficultas versatur.

22 2. Pars Regulæ asserit hæc plura crimina pluribus quoque pœnis puniri, quando incurruntur ipso iure, & non indigent sententia saltem condemnatoria. Ita passim DD. in consectariis allegandi & iam prolata fuit hæc assertio in tertia parte Regulæ superioris, cùm enim eo momento, quo committuntur hæc crimina puniantur, & singula sint distincta, habeantque singulas pœnas à lege latas, simul quoque omnibus istis pœnis puniri necesse est, cùm vt in vniuersum pronuntiauimus prima Regula, distincta crimina sint punienda singillatim, & licet eodem momento committantur, sicut illa simultaneitas non impedit distinctionem criminis, neque etiam impediet distinctionem pœnatum, quæ tunc incurruntur, quia non plectuntur tanquàm vnum aliquod crimen ex pluribus conflatum, sed vt plura.

23 3. Parte dixi, hæc tamen distincta crimina non puniri à Iudice, nisi vnica pœna, quæ simul cadat in omnia, quod volunt Couarru. Molin. loc. cit. aliique relati, & ex superiori etiam Regula colligitur, quia etiamsi res furto sublata pertineat ad plures dominos, non tamen censentur tunc plura furta ad effectum legis & statuti, quod iubet fures suspendi, aut cædi flagellis, vt Couarru. notat cum communiori sententia.

24 4. Parte dixi manere singulis personis offensis actionem maximè ciuilem aduersus reum pro damnis acceptis; id voluit Ioan. Andr. in Regul. Delictum de Regul. Iuris in 6. cùm ait toties eiusdem criminis iterationem vt plura crimina puniendam esse, quoties agitur de pœna inflicta à lege, non ratione publicæ vindictæ, sed læsionis, & iniuriæ priuato factæ, quia scilicet cuiuslibet iniuria reparanda est, & si illam solam reparationem, seu satisfactionem lex attendat, tot pœnas satisfactorias imponet, quot sunt iniuriæ resarciendæ, nisi vna punitione omnibus & singulis satisfiat, atque hac fortassis distinctione conciliari facilè possent DD. quorum alij negant esse distincta crimina in ordine ad punitionem, alij affirmant, loquuntur enim illi de punitione, ratione, publicæ vindictæ; isti verò de pœna, quatenùs satisfacit pro iniuria priuatis singulis facta, ratione cuius habent singuli actionem ciuilem in Reum; quare Molin. tract. 3. disp. 41. n. 10. obseruat in criminibus alteri iniuriosis, vt subornatione testium, & corruptione tabularum, videndum esse, an is, qui iniuriam & damnum passus est, agat, vt puniantur Rei, an verò Iudex ipse ex suo munere illa crimina puniat actore ministro publico, siue procuratore Regio in Gallia, cùm enim plures offensi agunt simul actione iniuriarum & damni, non minùs sunt punienda simul ista delicta, quàm si seorsim punirentur, nisi pro vtroque delicto pœna mortis aut alia, quæ vel iterari, vel cum altera quapiam consistere non posset, fuisset imposita, tunc enim vnica pœna infligeretur, sed grauior, siue pecuniaria, siue etiam corporalis esset, vt diximus in superiori Regula. Si verò Iudex procederet ex officio ad commune bonum, nihil agentibus illis, in quorum iniuriam & damnum cesserunt ea delicta, v. gr. corruptio & adulteratio tabularum siue in vna, siue in pluribus ac diuersis causis, simul, aut ex interuallo commissa sint, vnica sed grauiori pœna punienda simul erunt.

Atque vt hæc omnia dilucidiora fiant, obseruandum denuò est agi ad puniendam iniuriam aliquando criminaliter, vt Reus pœnas lege statutas subeat; aliàs ciuiliter ad ipsius iniuriæ pecuniariam æstimationem. §. pœna & §. atrox. Instit. de Iure-iurando l. Idem apud Labeonem. §. ait Prætor. ff. de Iniuriis, & tradunt Panorm. in cap. 1. de Iniuriis; Molin. tract. 2. disp. 695. n. 5. & 6. & alij Præter quam actionem datur alia quoque de expensis & damnis, differt enim æstimatio ipsius iniuriæ ab æstimatione damnorum & expensarum, vt ex pluribus refert Couarru. lib. 2. varia. cap. 10. cit. n. 7. sub fin. & nos fusius alibi docebimus; quamuis igitur non possit persona offensa agere simul ciuiliter & criminaliter pro eadem iniuria, vt Panorm. & Molin. l. c. docuerunt, poterit tamen pro damni accepti compensatione agere. Quare cùm plures personæ damnum acceperint, omnes compensandæ erunt, quod affirmabat hæc quarta pars nostræ Regulæ.

REGVLA QVINTA.

Toties multiplicantur censuræ eiusdem rationis propter criminis eiusdem iterationem, quoties ea iteratio siue continua, siue interrupta, siue circa vnam, siue circa distinctas personas parit distinctionem numericam criminum, aut quoties aliqua actio licet entitatiuè vna, propter tamen personarum, quas attingit multitudinem, plures malitias numericas sortitur & censuræ incurruntur ipso Iure, si verò ferantur per sententiam Iudicis, quamuis ex legis præscripto agentis, in omnes illas legis violationes vna solum censura intorquebitur; sed quæ difficiliùs tollenda sit, quam quæ successiuè singulis delictis fuissent inflictæ. 25

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLÆ.

Hæc Regula manifestò sequitur ex superioribus, cùm enim censura sit pœna in foro externo, quæ ad publicam vindictam pertinet, eadem ratio seruanda erit, quæ in aliis pœnis eiusdem fori seruari solet.

Vt igitur censuræ eiusdem rationis à lege statutæ multiplicentur propter multiplicatas eiusdem legis violationes duo requiro. 26

Primum est, vt tenerà hæ legis violationes sint distincta numero peccata, siue sit vnica entitatiuè actio, siue plures modo sæpiùs exposito, quia si non esset nisi vnum numero peccatum, non posset iustè nisi vna puniri, vti prima Regula dictum fuit.

Alterum, quod requiro ad hanc censurarum multiplicationem est, vt censuræ ipso iure & ipso facto incurrantur, tunc enim vt docuimus, a. Regula simul atque admittuntur ea peccata, contrahitur pœna

pœna, atque ita eodem modo se habent, atque si singula successiuè punirentur, quod verum quoque esse de peccatis, quæ in eandem entitatem actionis concurrunt, probaui 4. Regula.

27 2. Pars Regulæ, nimirùm quando per sententiam Iudicis fertur censura in omnes illas numericas legis vnius fractiones non ferri, nisi vnam Censuram eiusdem rationis, paret ex omnibus illis, quibus hactenùs docuimus hæc crimina quamuis in se plura sint, non censeri tamen nisi vnum in ordine ad publicam vindictam, quæ etiam per Censuras exercetur a Iudice Ecclesiastico; quarè nisi ille disertè exprimat, se pro singulis violationibus singulas Cẽsuras imponere vti sanè posset, nunquàm existimare debemus tulisse nisi vnam Censuram pro omnibus illis criminibus, quę simul punit. Aduertendum porrò est, quod dixi, hæc omnia simul puniri, nam si vnum iam fuisset punitum, non impeditetur Censura pro altero, aut si per singulas sententias singula peccata plecterentur, singulis sua pœna propria esset; quod idem dicendum esset, si per vnam sententiam singula vt singula & vt distincta punirentur, essetque illa sententia virtualiter multiplex, vt sæpius monui, quod tamen circa censuras eiusdem speciei, & peccata tantùm numerica vix vnquàm fieri solet.

28 Vltimò dixi hanc Censuram, qua puniuntur simul illa distincta peccata grauiorem fore, quàm esset, quæ pro vno aliquo ex illis peccatis solitariè sumpto fuisset imposita, quia difficilius illius absolutio obtinebitur: præterea, quia si plures personæ fuerint offensæ, licet vnica actione, singulis quoque erit satisfaciendum, antequàm amoueatur Censura, quæ tota manebit; si vel vni non fuerit satisfactum; quarè absolutio tunc erit virtute multiplex, quia etiam poterit solui ex parte tantùm, siue pro vno tantùm, cui fuit separata iniuria, vt fusius dicemus disp. 10. Atque ita conciliantur diuersæ sententiæ de multiplicatione Censurarum eiusdem rationis propter peccata solo numero distincta.

CONSECTARIA.

Ex duabus proximis quæstionibus & Regulis hactenùs allatis innumeræ difficultates particulares solui possent, ex quibus aliquam tantùm seligo.

CONSECTARIVM I. ET II.

De percutiente sæpiùs eundem Clericum.

29 Colliges igitur 1. Eum qui quinquies percussit eundem clericum vno impetu & continuatis percussionibus vnam tantùm excommunicationem incurrisse. Ita Ioan. Andr. in Reg. delictum. de Regulis Iuris in 6. Cardin. in Clem. 1. de priuilegiis. §. si qui 1. oppositio. & cæteri omnes, est enim manifestum caput, Cum causa de sentent. Excomm. Vbi, qui Clericum verberauerat continuo per claustrum, semel tantùm excommunicatur.

Ratio Corollarij patet, quia ex continuatis istis percussionibus non exurgit, nisi vnum delictum, vt 1. parte Regulæ dictum fuit, & præterea quia licet essent distincta numero peccata in continuis eiusmodi percussionibus, non esset nisi vnum crimen in ordine ad publicam vindictam, vti ostendimus postrema parte illius Regulæ 2. Censura autem est punitio pertinens ad publicam vindictà.

Huc facit, quod qui bis aut ter vno & continuo impetu appellauit à sententiâ semel tantùm appellasse dicitur. cap. Lotharius. 31. q. 2. iuncta glossa; V. appellauit, & qui eandem rem in testamento bis, aut ter eidem legauit semel tantùm legasse dicitur. L. cùm quæstio. ff. de legatis. §. sed & alia.

Colliges 2. qui sæpiùs per interrupta spatia percussit eundem clericum, toties incurrisse Excommunicationem & non vnam tantùm, etiamsi ex postremo vulnere, aut ex omnibus tandem obierit, & percussor illius cædem in primo vulnere intenderit; sic qui alium primùm vno membro, & deinde altero mutilat, incurrit duplicem Irregularitatem. Ita Molin. tract. 3. disp. 41. num. 7. Suar. disput. 5. de Censu. ſ. 3. Alteri. lib. 3. de Excomm. disput. 10. cap. 8. Bonac. disp. 1. de Censu. quæst. 1. p. 5. num. 5. Candidus disquisit. 22. a. 10. dubit. 2. & 3. & alij passim quoad excommunicationem, quia hæ percussiones sunt distincta numero crimina, & Excommunicatio, de qua agimus, atque etiam Irregularitates incurruntur ipso Iure; diximus autem 3. 4. & 5. Regula, quoties Censuræ, aut aliæ similes pœnæ contrahuntur ipso facto, illas multiplicari multiplicatis delictis, quibus imponuntur, sed de multiplicatione Irregularitatis statim plura dicam. 30

CONSECTARIA III. ET IV.

De percutiente diuersos Clericos.

Colliges 3. Eum qui successiue percutit plures Clericos, aut occidit plures homines, plures excommunicationes & Irregularitates contrahere, quia in illa successione sunt distincta homicidia, & non vnum tantùm, distinctæ etiam illæ percussiones non possunt in vnam aliquam actionem moralem concurrere, & pœnæ istæ non indigent sententia saltem condemnatoria Iudicis vt incurrantur, eodemque momento infliguntur, quo eiusmodi percussiones & homicidia patrantur. 31

Colliges 4. Confodientem vno vulnere tres Clericos, & occidentem tres homines, triplici excommunicatione innodari, & triplici quoque Irregularitate percelli. Ita Nau. cap. 6. n. 18. Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 10. num. 9. Candidus a. 10. cit. dubit. 7. & Suar. dispùt. 5. de Censu. ſ. 3. qui ita in praxi omninò sentiendum esse docet propter communem sensum DD. sententiam tamen negantem multiplicationem excommunicationum hoc loco speculatiuè probabilem putat, quod ipsum dixit Alteri. cap. 8. cit. Bonac. p. 5. cit. num. 7. & Villalob. tract. 16. 1. partis diffic. 15. num. 3. quia non existimant improbabile, nunquàm in eadem entitate actus multiplicari malitias solo numero diuersas, cuius tamen contrarium nobis euicisse videamur; si porrò aliquando reperitur ille concursus malitiarum tantùm numericarum, reperietur maximè in hoc casu propter multiplicitatem iniuriæ & damni, quod ratione personarum, quibus distinctè infligitur, multiplicari necesse est Censuras & mihi dubium esse nequit, multiplicari Censuras & Excommunicationes, vti rectè statuit communis sententia, contra quam ire Suar. non est ausus, etiamsi, vti monuimus 4. Regula, triplicem malitiam minime in eo actu admittat. Ne tamen nihil dedisse videamur magnis nominibus, cùm etiã Vasquez & alij, quibus adhæsimus in multiplicanda malitia numerica eiusdem actus, contrariam sententiam non planè reiiciant vbi 32

vbi quis in obtinenda absolutione & dispensatione exposuisset tantùm vnam clerici percussionem, aut vnum homicidium, etsi teuera vno ictu plures percussisset, aut occidisset, ac proinde iure dubitaret, an esset absolutus & dispensatus, neque valeret sine grandi difficultate nouam absolutionem & dispensationem obtinere, haberem illum pro omninò absoluto & dispensato propter probabilitatem, quam hæc sententia à magnis Doctoribus accipit potiùs, quàm à firma aliqua ratione, vti ostendi.

CONSECTARIVM V.

De Excommunicatione percutientis Clericum & Monachum.

33 Colliges 5. Eum, qui percutit Clericum, qui simul Monachus est, duas incurrere Excommunicationes. Ita Alteri. lib. 3. disp. 10. cap. 8. sub fin. Candid. disq. 22. art. 11. dubit. 2. Suar. disp. 3. de Censur. s. 3. num. 15. Bonac. disp. 1. de Censu. q. 1. part. 5. n. 8. quia pro qualibet ex istis circumstantiis lata est excommunicatio, propter reuerentiam nimirùm status Clericalis & Monachalis, quod autem percutiatur clericus, qui sacerdos est, non causat nouam excommunicationem, quia prohibitio, & interminatio censuræ non attendit nisi ordinem clericalem eiusque reuerentiam, non autem diuersos gradus in eodem statu, etsi percussio sacerdotis sit grauior culpa, quàm percussio simplicis clerici, atque etiam censura propter percussum sacerdotem difficiliùs tollatur, quàm ea, quæ ex percussione solius Clerici inflicta fuit.

CONSECTARIVM VI.

De Sepeliente Excommunicatum in loco interdicto.

34 Colliges 6. Illum qui sepeliret in loco sacro interdicto publicum excommunicatum, aut excommunicatum nominatim denuntiatum incurrere plures excommunicationes latas in Clem. 1. de sepulturis, quia pro singulis illis circumstantiis feruntur distinctæ excommunicationes, cùm igitur simul, & vnâ actione violentur omnes illæ prohibitiones pœnæ ipsis statutæ, & ipso iure incurrendæ teuerà tunc incurruntur: Ita glossa in Clem. citat. ꝟ. subiacere. Alteri. lib. 1. de Excom. disp. 14. cap. 2. dub. 4. Candid. art. 11. citat. dubit. 3. Sayr. lib. 1. Thesauri. cap. 10. n. 10. Suar. & alij cit. Qui autem vnum interdictum sepelit tempore interdicti vnam excommunicationem incurrit ex Bonac. par. 5. cit. n. 10. & Suar. s. 3. Item cit. n. 14. quia in priori casu committitur triplex sacrilegium formaliter diuersum sufficiens ad tres excommunicationes; in posteriori autem non committitur nisi vnum peccatum, sicut qui commederet cibum prohibitum tempore prohibito sub censura, vnicam censuram contraheret, quia ille actus est vnius speciei licet intra illam magis ac magis corrumpatur ex pluribus circumstantiis, verùm si tum cibus, tum tempus sint prohibita duplici prohibitione, & singulis sit annexa censura, probabilius est ex hactenus disputatis contrahi duplicem malitiam, & incurri geminam censuram, si sit latæ sententiæ, secus verò si sit tantùm ferendæ sententiæ.

CONSECTARIVM VII. & VIII.

De Violatione eiusdem prohibitionis. 35

Colliges 7. Quoties aliquid præcipitur, aut prohibetur interminata excõmunicatione aliaue censura, etiamsi sæpiùs violetur ea prohibtio aut præceptum non infligitur deinde per sententiam Iudicis, nisi vna excommunicatio seu censura, etiamsi dicat Iudex se punire omnes & singulas legis ac præcepti violationes, quia etiamsi singulæ istæ execratationes à lege sint distincta peccata, in ordine tamen ad publicam vindictam, quæ per impositionem censuræ curatur, non censetur nisi vnica violatio legis aut præcepti, sed ex pluribus conflata. 36

Colliges 8. Qui peccat contra leges ab eodem superiore sæpiùs repetitas, semel tantùm vnica censura afficitur, quia violat tantùm vnam legem, vnamque contumaciam committit, cùm ex repetitione legis ipsa non multiplicetur.

CONSECTARIVM IX.

De Censura & Violatione legis à diuersis superioribus lata.

Colliges 9. Illum qui peccat contra prohibitionem factam sub censura à iure communi, & à iure particulari, aut à Pontifice & priuato Episcopo, vel alio superiore, qui possit ferre censuram; gemina censura percelli quando Episcopus, aut alius superior priuatus intendit nouum ius condere, & non tantùm vetus denuntiare, quod fit, quoties isti superiores sunt diuersi ordinis, neque vnus videtur agere alterius nomine, aut potestate ab illo deriuata: Exemplum afferunt in Inquisitore & Episcopo, quando quidpiam imperant intentata censura, sunt enim istorum diuersæ omninò potestates. Idem dico de Excommunicatione à iure lata, & deinde ab homine repetita, si non sit tantùm, vt monui denuntiatio quædam, & promulgatio iuris iam conditi. Ita omnes, quos sequitur Candidus disquisit. 22. art. 12. 37

CONSECTARIVM IX.

An ex violatione Bullæ, Cœnæ multiplicentur Censuræ.

Colliges 10. An qui violat Bullam Cœnæ, vbi ea viget, geminam incurrat excommunicationem. Ratio difficultatis est, quia hæ excommunicationes cùm per viam sententiæ ferantur ab homine, diuersæ esse videntur ab iis, quæ in iure latæ sunt; si quispiam igitur aliquid in iure primùm, deinde in Bulla Cœnæ prohibitum faciat, & vtrobique illi crimini fuerit annexa censura, geminam omninò censuram contrahet. 38

℞. probat illus videri ex mente Nau. in cap. Ita quorundam de Iudæis, notab. 11. num. 35. & 38. Bullam Cœnæ, qua parte antiquas iuris excommunicationes reuocat esse meram illarum damnationem ac repetitionem addita duntaxat reseruatione propter quam præcisè noua excommunicatio non est, & quamuis daremus esse censuras ab homine, cùm tamen certum sit eas esse similes censuris iuris, & ferantur ab eadem potestate, quæ condidit ius; neque intentio Pontificis sit multiplicare excommunicationes, sed solum difficiliorem ad absoluen-

soluendum reddere, non incurretur nisi vna excommunicatio in casu posito, quod optimè tradit Alteri.lib.5. disp.1.cap.4.

CONSECTARIVM XI.

De ferentibus arma Saracenis contra plures Pontificum prohibitiones.

39 Colliges 11. An qui deferunt arma Saracenis incurrant plures excommunicationes, eò quod latæ sint ab Alexand.III.in Conc.Lateran.cap.Ita quorundam de Iudæis, Clem.III.cap. quod olim eod. tit.Clem.V.in Extrau.multa eod.tit. Nicolaus III. & Bonifac. VIII. in Extrau. Martino V. in Bulla Cœnæ, & ab Episcopis maritimarum ciuitatum. Nouam & difficilem quæstionem istam nominat Nauarr.glossa in cap.quod olim, diuersam excommunicationem esse dicit illius capitis ab ea, quæ existit in cap. Ita quorumdam, quam glossam singularem nominat Nau. in idem cap. Ipsemet tamen dubius est, an tot incurrantur excommunicationes, quot violantur leges eam imponentes: glossam porrò sequitur omninò Hostiens. Felin. & alij in idem cap. magno numero, & probari potest ex eo, quod lex noua inducens pœnam non tollit eam, quæ per veterem fuerat imposita ex Barthol.in l. 1.ff. de vi bonorum raptorum, quod probat ex l.quoties, ff. de actionibus & obligationibus.

℟. Tamen cum Nauarr. notabil. 11. cit. n. 25. omnes illos Pontifices non tulisse nisi vnam eandemque excommunicationem & posteriores innouasse & confirmasse quòd priores statuerant, & iam in desuetudinem abierat; quare sanctiones istæ non fuerunt nouæ & distinctæ leges ea ex parte, nam posteriores aliquando Pontifices prædecessorum leges vel ad quæpiam alia extendunt, vel paucioribus circumscribunt, & sanè capite Quod olim & capite ad liberandam, quæ maximè obiiciebantur, à glossa & Hostiensi fertur excommunicatio tum verus in arma deferentes, tum noua in eos, qui naues & merces non vetitas sine malo animo, durante bello deferebant ad Saracenos; neque censetur vnquam Pontifex sanciens legem pœnalem, & puniens censura crimen, quod per veterem legem simili censura punitum fuerat, nouam censuram apponere, sed veterem tantùm iterare, nisi aliam esse suam mentem disertis verbis aperiat, cap. fœlicis §. præsenti de pœnis in 6. & Clem. 1. eod. tit. neque obstat quod vnus Pontifex sibi reseruet excommunicationem, quam alius non reseruauerat; illa enim adiectio non facit nouam & distinctam esse censuram.

Ex eo igitur, quod arma subministrantes Saracenis violent plurium Pontificum leges, non incurrunt multiplicem excommunicationem, neque etiam ex eo, quod eadem prohibitio facta sit, & excommunicatio intentata per Bullam Cœnæ, vt in vniuersum statuimus Superiori Corollario.

Multiplicari tamen potest ista censura, eo quod feratur ab Episcopis Ciuitatum maritimarum, si illâ eiusmodi ferant vt suâ, inquit Nau.ibid.n.34. hoc est si non ferantur hæ censuræ tantùm, vt denuntiationes & Iterationes earum, quæ iam à Pontificibus constitutæ sunt, sed tanquàm ab illis omninò independentes, & vt à sola Episcopi authori-

tate profectæ, tunc enim omninò diuersæ erunt, siue ferantur per modum statuti, siue per sententiam, & circa idem obiectum ac crimen vti diximus q.superiori.

CONSECTARIVM XII.

De multiplicatione Depositionis & cessationis à diuinis.

12. Quia depositio, Degradatio & cessatio à diuinis nunquàm incurruntur ipso facto & Iure, eo quod sint grauissimæ pœnæ, & propter enormia tantùm scelera ferendæ à sententia Iudicis nunquàm multiplicantur in eodem subiecto quamuis enim Reus aliquis admiserit plura & distincta crimina, quorum singula digna sunt pœna depositionis, ea tamen omnia puniuntur à Iudice per modum vnius, habentque vnum effectum totalem vt faciant subiectum dignum degradatione, diximusque superius, quando pœnæ non incurruntur ipso Iure, sed per sententiam Iudicis punientis non multiplicari propter peccata eiusdem rationis, quod si sint diuersæ speciei, in ordine tamen ad publicâ vindictam non multiplicabuntur, maximè quando est pœna grauissima, deinde pœna mortis multiplicari non potest, illi autem comparatur Degradatio; ergò multiplicari nequibit. 40

CONSECTARIVM XIII.

De multiplicatione Irregularitatum.

13. Multiplicatis peccatis eiusdem generis & speciei, v.gr. homicidiis, multiplicantur quoque Irregularitates. Ita Suar. disp.42. de censu. f.5. n. 2. vbi sæpiùs rebaptizatum, aut rebaptizâtem sæpius quoque incurrere Irregularitatem asserit Bonac. disp.7. de Irregularit. q.3. punc.3.n.1. Villalob. tract. 20.1. tom.diffic.11.n.2. Idem de iterata Irregularitate ex multiplici homicidio, aut mutilatione tradit Molin.tract.3.disp.41.& Suar.lib.6.de legibus cap.24.n.12. Contra Garcl.p.8. de benefic. cap.3.n.85. 41

Ratio aperta est, pœnæ enim quæ ipso Iure incurruntur, multiplicantur multiplicatis peccatis etiam numericè tantùm vti ostendimus, & apparet in censuris, quas Irregularitates ex delicto omninò imitantur, neque idoneum discrimen assignat Garcia n.87. Quod irregularitas sit per modum habitus, qui non multiplicatur per actus eiusdem rationis: censura verò sit vinculum, inde enim non sequitur has incapacitates, quamuis perpetuæ & permanentes sint per modum habitus, non posse, diuersis ex causis multiplicari, sicut ipsa vincula, vti diximus q.3. Hinc fit, vt qui cum pluribus excommunicationibus celebrauit, aut qui vna tantùm Excommunicatione irretitus pluries sacrum fecit plures Irregularitates contraxerit contra Henriq. lib.12. c.10.§.3.& lib.14.c.7.§.5 Sanch.lib.8. de matrim. disp.24.n.7. Auila de irregularit.disp.10.dub.8.Sa. ℣. Irregularitas ex ordinis abusu.numero fio.Garc. cap.3. cit. numero 80. Ratio tamen sententiæ nostri Corollarij manifesta relinquitur ex dictis, quam etiam tenet Roderiq. tom. 1. summ. cap. 181. numero 2. Vbi in vniuersum pronuntiat toties incurri Irregularitatem, quoties committitur culpa, cui ipsa annexa est, non placet tamen quod addit numero 3. celebrantem prima vice cum pluribus Excommunicationibus non incurrere nisi

vnam irregularitatem; hæc enim assertio priori contraria est, vt aduertit optime Garcias. Cùm igitur sint eo casu plures violationes formaliter censuræ, & distincta crimina, quæ eodem modo simul puniuntur, atque si successiuè punirentur tot erunt Irregularitates, quot fuissent, si singula illa crimina & distinctè & successiuè punita forent, tunc autem singula punita fuissent Irregularitate, similiter eadem pœna simul plectentur.

DISQVISITIO VI.

De causa Formali.

QVÆSTIO 1. *Modus ferendi Censuram.*
Quæst. 2. An Monitio Canonica præcedere debeat omnem censuram.
Quæst. 3. De denuntiatione censuræ.

FOrmæ siue physicæ, siue morales nullam aliam habent causam formalem præter seipsas, quare cùm censura sit quædam forma moralis afficiens censuratum, & illum priuans non formaliter sed causaliter quibusdam bonis spiritualibus, sicut calor priuat aquam frigore; vti dicemus disq. sequenti initio, & iam monuimus q. 3. disq. superiori; non debemus aliam eius causam formalem inquirere; quia tamen modum, quo censura ferri solet, aut debet, vulgo appellant formam saltem externam censuræ, ideirco illum explicabimus hoc capite, quo etiam persequemur varia huius ritus & modi adiuncta.

QVÆSTIO I.

Modus ferendi Censuram.

SVppono varios censurarũ modos disq. 1. recẽsitos, dum censuras in sua membra partiremur, videlicet censuram à Iure, & ab homine, generalẽ & specialem, latæ sententiæ, aut ferendæ, purã aut conditionatam; agimus enim dontaxat de modo, quo fertur sententia censuræ siue ea sit condemnatoria, siue declaratoria tantùm; vnde etiam quomodo censura per statutum siue legem decernenda sit, statuetur. 1

Hæc porro quæstio gemina est 1. an aliqua certa forma necessaria sit ex natura rei ad ferendam censuram; altera, an aliqua sit ex Iure Ecclesiastico præscripta ad eius valorem aut legitimitatem.

PRIMA PROPOSITIO.

Ad valorem censuræ requiritur ex natura rei essentialiter signum aliquod externum & sensibile, quod ita significet voluntatem Superioris censuram imponentis, aot sob censura obligantis ad aliquid faciendum vel omittendum, vt tum speciem censuræ, quæ fertur, tum personam, in quam fertur, determinate designet. 2

EXPO

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

3 Ago de censura spectata eius duntaxat institutione & natura, & seclusis omnibus, quæ circa modum illam ferendi ius deinde Ecclesiasticum siue commune, siue priuatum seruanda esse præscripsit. Ad valorem igitur naturalem cuiuslibet censuræ essentialiter & indispensabiliter duo postulantur, primum est signum aliquod sensibile, quo exprimatur voluntas & intentio, quam habet Superior vel præcipiendi aliquid sub censura, vel imponendi censuram, aut declarandi illam iam esse contractam. Alterum est, vt hoc signum determinatè designet, tum speciem censuræ, quæ fertur, tum personam, quæ illo vinculo innodatur; quæ duo facilè demonstrari possunt.

PRIMA PARS.

Requiritur signum externum ad Censuram ferendam.

4 Et 1. quidem quoad necessitatem signi alicuius externi & sensibilis nullum potest esse dubium, cùm sola interna voluntas, & intentio Superioris, quamdiu in eius animo latet, nullam vim habeat obligandi, vt ex scientia canonica in qua disputamus de iurisdictione, manifestè constare potest, & constanti inductione in omnibus actibus huiusce iurisdictionis facilè fuerit ostendere; præterquàm quod inutilis foret omninò censura illo modo lata, neque enim, qui se ignoraret censura innodatum, pro tali gerere se posset, aut teneretur abstinere ab actionibus, quibus per censuram priuatur, alij etiam cum eo, solito modo agerent, neque ab eius commercio & consuetudine cauerent, etiamsi foret excommunicatus, eos enim ignorantia excusaret illo onere, & denique cùm censura pertineat ad forum externum atque contentiosum, ridiculum omninò esset, illam mentaliter duntaxat ferri.

SECVNDA PARS.

Quale debeat esse signum sensibile in ferenda censura.

5 Maior porrò difficultas est quale sit signum sensibile, quod requiritur hoc loco, nam Vgolin. tab. 1. de censu. cap. 2. §. 5. requirit necessariò verba, negatque sufficere scripturam, ait enim mutum pollentem iurisdictione non posse ferre censuram, quia cap. sacro, & cap. à nobis 1. de sentent. excomm. & cap. 1. eod. tit. in 6. & cap. vlt. de constitut. in 6. requirunt ad censuram pronuntiationem & promulgationem, quæ non fit nisi per verba, non autem per scripturam, & multò minus per nutus aliaue signa externa, quæ cùm omnia ferè ambigua, & æquiuoca sint, assumi non poterunt ad exprimendam certò mentem ferentis censuram, vti tamen necessarium est; quod confirmari potest ex sacramento pœnitentiæ, in quo verba absolutionis pronuntiari, & non tantùm scribi oportet, vti diximus par. 3.

Verùm non agimus hoc loco de iis, quæ in ferendis censuris ius Ecclesiasticum seruari imperat, sed quærimus quidnam attenta natura censuræ requiratur, an verba, an alia signa sensibilia: & quidem si agamus de scriptura; certum mihi est illam sufficere, cũ verba scripto tradita æquè exprimãt mentẽ nostrã, atq; ore pronuntiata, neq; enim scriptio aut pronuntiatio mutat, aut minuit vocum significationem; non est etiam de ratione præcepti aut sententiæ, vt ore proferatur, & non solo scripto, nisi id peculiari aliquo iure caueatur, vti statutum fuisse à Christo in absolutione sacramentali colligimus ex communi Ecclesiæ sensu, quæ nunquàm, licet grauissimæ necessitates vrgerent, existimauit confici Sacramentum pœnitentiæ ab aliquo muto Sacerdote, aut per absolutionem scriptam, sed semper voluit adhiberi verba formalia, hoc est ore pronuntiata, quod habet hæc sententia non præcisè ex ratione sententiæ, neque ex ratione iudicij, sed ex ratione iudicij sacramentalis, siue quia est pars essentialis & formalis Sacramenti; formæ autem omnium Sacramentorum constant verbis & non scriptura, quod commune est Secramento pœnitentiæ; quæ ratio cùm non vrgeat in censuris, non est cur dicamus, ipsarum duntaxat attenta natura & institutione, per scripturam ferri non posse.

Immò addiderim cum Suar. disp. 3. de Censu. s. 2. num. 4. mutum pollentem Iurisdictione, si cognouit sufficienter causam ferendæ Censuræ & suam deinde voluntatem circa speciem determinatam Censuræ, atque personam, quam illa innodare vult, exprimere possit, validè omninò censuram ferre, quidni enim possit vti ministerio illius, cui suam mentem aperuit, atque eo veluti præcone edicente censuram præscribere, & legem aut præceptum interminata Censuræ pœna sancire, quia tamen vix illa signa reperire est, quæ distinctè mentem superioris in his casibus explicent præter verba seu voce prolata, siue scripta, aliaque omnia sunt admodum ambigua, idcirco dici posset, saltem moraliter loquendo, requiri verba ad valorem Censuræ, & quia moribus omnium receptum est, vt tum leges, tum sententiæ, etiamsi mandentur scriptis, atq; in tabulis exaratæ prostẽt, pronuntientur tamen vel à Principe & Iudice, vel ab aliquo ministro & præcone in aliquo consessu, idcirco Iura, dum requirunt ad Censuram illius intimationem, appellant eam promulgationem siue pronuntiationem, quæ vocale quid, & non scripturam sonat, neque aliud efficiunt Vgolini rationes. 6

Alterum, quod exigebam in signis externis, siue verbis, quibus fertur Censura, erat, vt ea distinctè & determinatè tum speciem Censuræ, tum personam, cui imponitur, designarent, quod omnes æquè concedunt: alioquin sententia, quæ indeterminata & confusa est, nulla & inualida est. Ratio à priori redditur ex eo quod verba Censuram ferentia sint practica & operatiua, efficiunt enim quod significant sicuti in formis sacramentorum contingit, atque etiam in omnibus sententiis, quæ semper aliquid efficiunt, damnant enim reuera vel absoluunt saltem pro foro externo; verba quoque præceptiua imponunt obligationem subditis, & quamuis hi effectus sint tantùm morales, & non formæ aliquæ physicæ, aut entitates de nouo productæ in subiectis, sunt tamen veri & reales ac proprij effectus, sed morales, quidquid tandem moralitas illa importet, non enim minuit aut tollit rationem veri & proprij effectus, sed negat entitatem nouam relictam à causa & permanentem in subiecto: atqui omnis effectus determinatus est in specie, & si fiat in subiecto, illud quoque determinatum postulat, non potest autem esse talis, nisi procedat à causa

determinant, qualis non erit sententia indeterminata, cùm enim non efficiat, nisi quod significat, & nihil determinatum significet, neque subiectum, in quo agat, designet, nihil planè efficiet, nisi dicamus produci aliquem effectum in specie tantùm & in genere & agens agere in subiecto indeterminato: Et sanè Iudex qui damnaret aliquem vagè tantùm & indefinitè, neque quicquam adduceret, vnde persona damnata determinari posset, aut qui nullam certam pœnam exprimeret, nihil planè proficeret, sicut neque Princeps, qui diceret se legem ferre, neque distinctè & determinatè explicaret actum, quem imperaret, neque illos, quibus imperaret, an omnes, an aliquos duntaxat subditos obligaret, hæreretque dubius, animus, quinam ea lege tenerentur, inutiliter omninò præciperet, vt statim apparet, neque satis est, Iudicem aut superiorem habere determinatam voluntatem tum circa pœnæ speciem, tum circa rem præceptam, atque personas, quæ vel sententia damnantur, vel obligantur præcepto, nisi suam illam voluntatē exprimat, quamdiu enim latebit interius, nihil operabitur: sufficeret quidem illa intentio ad determinandam significationem vocum, si illa multiplex fuerit in ambiguis & æquiuocis, quod etiam in formis sacramentorum, quæ sunt propositiones practicæ, verum est, debet tamen illa determinatio vocis & significationis ambiguæ facta à pronuntiante colligi posse ex variis adiunctis aut substantiali materia, alioquin eodē modo se habebit illa intētio, atque si non fuisset explicata, & Censura ita lata nihil valebit.

Denique necessarium est, vt verba, quibus vtitur ferens censuram significent practicè censuram de præsenti, alioquin reuerà nihil facit, si enim dicat, excommunicabimus, reipsa non excommunicat, sed tantùm comminatur & excommunicaturus est, quia verba nihil aliud operantur, quàm quod significant.

SECVNDA PROPOSITIO.

In iure nulla præscribitur certa forma verborum ad ferendam Censuram, requiritur tamen vt scripto feratur, & cum expressione causæ eiusque exemplar tradatur intra mensem excommunicato petenti, & grauibus pœnis plectitur Iudex, qui in hac parte peccauerit, valida tamen manebit sententia ab illo lata, nisi quidpiam aliud obstet.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO

PROPOSITIONIS.

Perspicua est ista Propositio, eiusque partes facilè confirmantur, agimus enim de Iure Canonico, & quærimus quidnam illud præscripserit in ferendis censuris.

PRIMA PARS.

Conditiones in ferenda Censura sententia à Iure præscripta.

9 Et 1. quidem nulla verba certa determinauit, quibus Iudex vteretur in sua sententia, quarè hac in parte seruandum duntaxat erit, quod Ius naturale postulat, vti priori propositione explicuimus, nimirum vtendum erit verbis, quæ distinctè tum speciem censuræ, tum personam aduersus quam fertur, exprimant.

2. Aliquas conditiones ad hanc sententiam requirit Innoc. IV. in conc. Lugdun. atque imprimis vt scripto feratur. cap. Cùm medicinalis. de sentent. Excomm. in 6. & ibi glossa, atque omnes DD. qui, etiamsi videatur loqui Pontifex de Excommunicatione tantùm, extendunt tamen ad suspensionem & Interdictum: Eo quod sub finem dicatur *hac eadem in suspensionis & Interdicti sententijs volumus obseruari*; quæ verba expendit glossa, & in omnibus istis omnes censuræ species pares facit.

Ita porrò intelligenda est ista conditio, vt non tantùm opus sit sententiam censuræ scriptis consignari, siue ante, siue post eius pronuntiationem, sed debeat omnino ex scripto legi, & non memoriter pronuntiari, id enim ferunt illa verba, *Quisquis excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat*, vt obseruauit Alteri. lib. 3. disp. 4. cap. 2. Init. Ex quibus etiam verbis ipsummet Iudicem teneri sententiam ex scripto legere, & non id committere Notario, aut scribæ etiam publico colligunt aliqui, quia Notarius non excommunicat, sed Iudex, qui autem excommunicat, iubetur excommunicationem in scripto legere; & sanè in cap. fin. de sententia & de re iudicata in 6. præcipitur Iudicibus, vt per se ipsos ferant sententias Exceptis Episcopis, quibus ob dignitatis prærogatiuam licebit per alium recitare sententiam. Quarè Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 13. n. 3. existimat omnes Iudices Episcopo inferiores teneri censuram ex scripto per seipsos recitare; debebit tamen Episcopus, vbi per notarium recitata fuerit sententia, dicere, nos talem in scriptis excommunicamus Idemque censet Vgolin. tab. 1. de Censu. cap. 21. §. 1. Archidiacon. Ioann. Andr. Gemini. & alij, quos Sayr. allegat, quibus malè repugnat Alteri cap. 2. cit. eo quod Innocentius non dicat, vt Excommunicans proferat Excommunicationem per se, ea enim conditio talis intelligitur ex alio textu generali à nobis allato vbi solis Episcopis conceditur, vt sententias recitari iubeant per suos ministros, quamuis enim omnia quæ eo cap. fin. statuuntur de sententia, non valeant in sententia Excommunicationis, vti statim constabit, id tantùm verum est, quando in quopiam alio textu, contrarium statuitur circa Excommunicationem, alioquin enim comprehenditur in statuto generali præscribente formam in ferendis sententiis seruandam.

Quod denique Alteri obiicit contrariam Iudicum consuetudinem, nihil probat, ea enim consuetudo, si alicubi vrgeat, potuit derogasse Iuri communi hac in parte, atque ex eiusmodi recepto iam vsu argumentatur maximè Suar. disp. 3. s. 13. & Bonac. disp. 3. de Censu. in particul. q. 5. p. 1. §. 2. num. 5. dum per notarium legi posse censuræ sententiam existimant. Scripturam porrò istam nihil attinet esse aut publicam, aut authenticam, siue sigillo authentico sigillatam, aut ab ipso Iudice, vel ab alio scriptam, vt tradit Innoc. in cap. 1. de sentent. Excomm. in 6. ✠. in scriptis, ea tamen talis esse debet, quæ habeat vim probandi latam excommunicationem tum apud Reum, tum apud superiorem, tum apud alios quoscunque, ea enim probatio finis est illius canonis & id circò illius sententiæ exemplar tradi iubetur Excommunicato petenti ipsam.

2. Requirit Innoc. vt in sententia Censuræ exprimatur causa ipsius, cap. Cùm Medicinalis. cit. quod non est intelligendum de causa tantùm in genere, ita vt dicat Iudex se ex causa rationabili

rationabili excommunicare, aut suspendere Titiũ, sed aperienda est causa indiuidua, siue specialis propter quam talis Censura fertur, quia causa propter quam quis Excommunicatur, non debet esse nota soli prælato, vt obseruat Tabien. ℣. Excommu. 42. n. 3. & dixerat Panormit. in cap. sacro. de sent. Excomm. n. 1. alioquin posset Iudex modò vnam, modò aliam causam allegare, neque vnquàm de Iustitia, aut iniustitia causæ, atque adeò ipsius Censuræ constare posset, neque se tueri censuratus, si innocens foret, aut à contumacia siue culpa, propter quam excommunicatur, recedere; & denique facilè cum Excommunicato communicarent in crimine, atque idcircò eâdem & ipsi Excommunicatione ligarentur, iuxta cap. Concubinæ, & cap. Nuper. de sentent. Excomm, nisi sciunt ob quam causam & crimen fuerit quis excommunicatus.

Hanc porrò causæ expressionem extendit glossa in c. cùm medecinalis ad censuram generalem, quæ contra incertam personam fertur, v. gr. contra eum, qui tale furtum admisit, vt cap. Quidam 5. q. 1. & cap. si sacerdos de officio Ordinarij, idemque existimat Hostiens. allegans Innocent. & Ioann. Andr. & sequuntur Vgolin. tab. 1. cap. 21. Sayr. lib. 1. cap. 13. numero 1. & alij, quia reuerà illa sententia ligat certam personam, quàmuis incognitam & non expressam, sed quæ posteà innotescet, & Constitutio ista Innocentij generalis est, neque vllum genus Censuræ excipit, quarè illam restingere non debemus. Contrarium verò docent Ioann. Monach. & Archidiac. à glossa relati, hoc dissidium non male conciliat Alteri. lib. 3. disp. 4. cap. 2. fatetur quippè causam remotam exprimendam esse in Censura contra incertam personam, nempe commissum peccatum, non verò causam proximam, quæ est contumacia, quod citatus comparere noluerit, aut non satisfecerit, quæ contumacia non est, durante termino præfixo in mandato & citatione, illo autem expleto statim incurritur Censura, si fuerit latæ sententiæ, neque noua expressione causæ indiget, sicut neque sententia.

11 3. Requiritur in cap. cùm Medicinalis cit. vt Iudex requisitus tradat intra mensem exemplum Excommunicationis ipsi Excommunicato, quod exẽplũ gloss. & Ioan. And. & Hostiẽs. vult esse totale, & continere sententiam Excommunicationis de verbo ad verbum, cum annotatione diei, mensis & anni, argum. cap. Eam te. de Rescript. & cap. rescripta. ℣. 8. negat tamen hanc conditionem necessariam esse, quando excommunicatur incerta persona excommunicatione generali: rectè porrò monet Ioan. And. & Hostiens. quod si innominatus, qui comprehendi poterat sub generali sententia, petat illius sententiæ exemplar, dandum omninò erit.

Obseruandum autem est, quod ait Pontifex, Iudicem requisitum teneri tradere exemplar sententiæ, si enim non fuerit requisitus, non tenetur, & sufficit si paratus sit tradere, vt obseruat quoque glossa in Clem. gratiæ. de Rescriptis. ℣. paratus. Si autem requiratur intra mensem à die sententiæ nõ requisitionis, vti exponit glossa, debet sententiæ exemplar tradere, aliòquin incurret pœnas à Pontifice latas; quod si requisitio fiat post mensem à prolata sententia, idèm quoque exemplar dare quidem debebit, sicut & cætera acta causæ. cap. Quoniam contra de probation. & cap. cùm dilecti. de dolo & contumacia; non tamen si deneget, incurret pœnas huius Constitutionis Pontificiæ: non videtur autem improbabile Bonac. p. 1. cit. §. 2. num. 12. Mensem, de quo agit Pontifex sumendum esse à die requisitionis, ita vt non teneatur Iudex nisi intra illum mensem tradere exemplar. Egò ad vitanda vtriusque sententiæ incommoda existimo vtroque modo intelligendum esse mensem hunc, ita vt neque teneatur dare hoc exemplar nisi intra mensem à die latæ sententiæ fuerit requisitus, neque nisi intra idem spatium, postquam fuerit requisitus; super ea porrò requisitione vult Pontifex confici publicum instrumentum, & litteras testimoniales sigillo authentico consignatas; itaque quamuis in aliis sufficiant testes ad probationem. l. in exercendis. C. de fide instrum. & cap. cùm Ioannes. de fide instrum. hic tamen ex speciali lure requiritur instrumentum publicum, nempe, vt facilius contra Iudicem, qui suo munere functus non fuerit, in hac parte agatur. Ea quoque Requisitio debet fieri à Iudice loco & tempore congruis, si enim dum equitat, aut dum recitat officium, aut subit lectum, poseeretur, non esset congrua Requisitio, & requirens expectare deberet, vt ex Innoc. tradit Sayr. lib. 1. cap. 13. num. 11. vbi etiam aduertit, quod si Iudex, qui initio denegauit exemplar Excommunicationis excommunicato petenti, illud deinde ipsi obtulit, sed ipse recipere noluit, culpa imputabitur excommunicato recusanti, non Iudici. Quodsi excommunicatus congruo tempore petiit & expectauit, noluitque Iudex facere, quod rogabatur, & tenebatur, & deinde antequam labatur mensis præfixus vult tradere requisitum exemplar, sed non potest, eò quod absit Reus, debebit Iudex, vt Sayr. refert ex Hostiens. & Archidiaco. ad euadandas pœnas sibi impositas mittere illud exemplar ad domum Excommunicati, atque eius amicos & familiam requirere, siue in testes accipere; illisque dare exemplum, atque etiam palam in Ecclesia pronuntiare, non stare per se quo minus exemplar illud tradat; quarè consulunt hi DD. fieri duo exemplaria, quorum vnum super altare collocetur, aut foribus Ecclesiæ affigatur; alterum domum excommunicati mittatur, eiusque familiæ tradatur, aut si illæ nolit admittere, ponatur, inquiunt, super aliquo bancho domus, & de eo fiat instrumentum.

Ratio porrò propter quam Innoc. & Concilium Lugdun. has omnes conditiones præscripserunt Iudicibus, alia non fuit, quam ve eos in officio continerent, & ne præcipites ac temerarij essent in Censuris ferendis & distringendo gladio Ecclesiasticæ excommunicationis ad mactandas potiùs oues, quam sanandas, cùm tamen, vt loquitur Pontifex, Medicinalis sit Excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicãs. Cùm verò nõ nisi ex scripto proferatur sententia, eiusque causa exprimitur, atque illius exemplar traditur Reo, vt aduersus ipsum Iudicem apud superiorem agere possit, vix poterit esse fraudi vlli locus: quarè Concilium vult hunc modum à quocumque excommunicante seruari, ita vt nullus eximere se possit ab obligatione eiusmodi, nisi qui ipsi Iuri communi non subditur, id enim ferre vocem. Quisquis igitur excommunicat, est enim dictio generalis, vt obseruat Geminian. in illud cap. numero. 11. 12

SECVNDA PARS.

Pœna Iudicum, qui præſcriptas conditiones in ferendis cenſuris non ſeruant.

13 Dixi porrò in 2. parte propoſitionis, Iudices Eccleſiaſticos, qui has conditiones non ſeruant in ferendis cenſuris ſubiacere grauibus pœnis, quas Innoc. IV. in illo cap. ſæpiùs citat. Cùm Medicinalis impoſuit. 1. enim Iudicem temerarium violatorem ſuæ illius conſtitutionis ſuſpendit per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, & à diuinis officiis, ita vt ſi tunc ea exerceat, incurrat irregularitatem à ſolo ſummo Pontifice diſpenſabilem. 2. Iubet Superiorem, ad quem excommunicatus recurrit, & apud quem non ſeruatas fuiſſe conditiones præſcriptas queritur, excommunicationem eiuſmodi abſque vlla difficultate relaxare. 3. Vt damnet Iudicem, qui illegitimè tulit eam ſententiam ad omnes expenſas & intereſſe aduerſus excommunicatum. 4. Animaduertat in eundem Iudicem condigna alia pœna, vt diſcant Iudices, inquit Pontifex, quàm graue ſit excommunicationum ſententias ſine maturitate debita fulminare.

Circa has pœnas nonnulla ſunt obſeruanda. 1. eandem pœnam ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem, atque aliam arbitrariam imponendam à Superiore latam eſſe contra Iudicem, qui omiſſa præuia monitione quempiam excommunicat ſiue iuſtè ſiue iniuſtè, cap. ſacro. de ſentent excomm.

2. Ex his pœnis alias incurri ipſo facto, nimirum menſtruam ſuſpenſionem à diuinis officiis, & ingreſſu Eccleſiæ, alias verò eſſe imponendas à Superiore Iudicis, qui has conditiones non ſeruauit.

3. Hæ pœnæ incurruntur, etiamſi vna tantum ex prędefinitiuis conditionibus ſeruata non fuerit; v.gr. tulit quidam Iudex ſententiam ſcripti, & illius exemplar tradidit petenti excommunicato, ſed non expreſſit cauſam cenſuræ in ſua ſententia. Ita gloſſa, Alteri. diſp. 4. cit. cap. 8. Hoſtien. Geminian. & alij apud Sayr. cap. 13. cit. num. 16. quia reuerà ille vel vnicam conditionem omittendo violat conſtitutionem Lugdunenſem capitis cùm Medicinalis, atqui violatori talis conſtitutionis imponuntur illæ pœnæ.

4. Iſtæ pœnæ contrahuntur, etiamſi ſententia
14 cenſuræ non fuerit ſortita ſuum effectum, quia vel Reus appellauit, antequàm dies termini aſſignati adueniret, vel quia paruit. Ita Bonac. quæſt. 5. cit. p. 1. §. 2. num. 15. 16. Alteri. cap. 3. dubit. 4. cit. Francum allegans, tenentque omninò Cardin. in Clem. 1. de conſanguin. oppoſitio. 8. & Felin. in cap. tua nos de iurerando num. 7. & cap. ex tenore de Reſcriptis, num. 6. dum dicunt, quoties in aliquo facto lex potius attendit animum facientis, quàm ipſum effectum, imponi pœnam etiam de acto nullo; quarè qui contrahit ſecundum matrimonium primo non ſoluto, punitur, etiamſi ſecundum iſtud matrimonium fuerit inualidum; quod ſi lex potiùs attendat effectum, quam animum facientis, non incurretur pœna propter actum inualidum; quam diſtinctionem fuſiùs ſtabiliuimus alib. agentes de obligatione legis pœnalis; atqui hoc loco Pontifex non conſiderat Iuris effectum, ſed animum facientis, ac proinde ferens ſententiam non ſeruata iuris forma, afficitur pœnis ſtatutis violantibus illum ordinem, quamuis ſententia aliunde fiat inualida. Ratio mihi videtur perſpicua: quia talis Iudex reuerà violauit legem præcipientem talem ordinem, quod autem actus, ſiue ſententia, circa quam violauit legem, ſit valida, aut inualida, omninò impertinens eſt ad ipſam legis violationem, cui infligitur pœna; Itaque quando paſſim dicitur, legem poſtulare actum completum, aut validum, quo ſeruetur, aut violetur, intelligendum eſt de actu, qui proximè & formaliter eſt violatio, aut obſeruatio, non autem de illo actu, qui eſt tantum materia remota, ſiue circa quam verſantur tum lex, tum actus ab illa imperati aut vetiti, vt in hoc caſu, ſententia cenſuræ eſt materia remota & circa quam: ordo autem ſeruandus in ea ſententia ferenda eſt materia proxima, & actus, qui imperatur à lege; quarè eius actus omiſſio eſt formalis violatio legis, quæ eſt completa in ſuo genere, etiamſi ſententia, circa quam occupatur, ſit inualida. Quod confirmatur ex eo, quod aliqui exiſtiment conditiones, de quibus agimus eſſe eſſentiales ſententiæ, quæ ipſarum defectu nulla & inualida manet; quod quamuis falſo dicatur, vt ſtatim apparebit, potuit tamen ita à Pontifice ſanciri, & ſententia, quæ contra hunc modum pronutiaretur, nulla haberi; tunc tamen, qui inualidam ſententiam ferret, plecteretur pœnis decretis aduerſus non ſeruantes ordinem diffinitum à iure; quia actio quæ punitur non eſt prolatio ſententiæ inualidæ, ſed omiſſio conditionis, & modi in ferenda ſententia definiti: vnde ſoluitur argumentum Lapi, qui contrarium docuerat, allegat. 73. de ſentent. excommunicationis initio, pœnam iſtam acceſſoriam ad ſententiam excommunicationis, ac proinde donec ipſa ſententia, quæ principalis eſt, firma ſit, non fore locum pœnæ acceſſoriæ nam reuerà pœna non accedit ad ſententiam, ſed primò & per ſe præponitur violationi ordinis ſanciti circa ſententiam cenſuræ, qui ordo cùm violatus fuerit, incurritur pœna ſiue ſententia, circa quam violatus fuit, firma maneat, ſiue non.

5. Illud intereſt inter pœnam ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, atque diuinorum officiorum, quæ fertur in hoc capite cùm medicinalis. & inter pœnam ſimilem latam in cap. ſacro. de ſentent. excommunica. contra omittentes canonicam monitionem: quod qui violauit caput Cùm medicinalis, ſi intra menſem celebret diuina, ſiue in Eccleſia, ſiue extra illam, fiat irregularis, qui æquè principaliter ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ & celebratione diuinorum; at verò qui peccauit tantùm omittendo monitionem præmittendam cenſuræ, cùm ſuſpendatur ab Innoc. III. cap. ſacro. primò & abſolutè ab ingreſſu Eccleſiæ, & conſequenter à celebratione diuinorum in Eccleſia, cap. is cui de ſent. excomm. in 6. ſi in Eccleſia celebret, fit irregularis, non tamen ſi ſub dio, aut ſub tentorio, aut in domo priuata, aut denique alicubi extra Eccleſiam, fiet irregularis, quod notat gloſſa in citat. cap. is cui, ✠. in ea, quia non fuit ſuſpenſus ab officio, niſi conſequenter, ſed ſolùm ab ingreſſu Eccleſiæ, in qua cùm ſoleant celebrari diuina officia, neceſſariò ſequitur, vt ab eiuſmodi officiis diuinis interdicatur, ſed in Eccleſia tantùm; quod ſi ingrediatur Eccleſiam, & diuina inibi non celebret, non fiet irregularis, quia prohibitio ingreſſus Eccleſiæ non eſt propriè dicta cenſura, ſed pœna duntaxat, vt aliàs quoque monuimus, quarè eius violatio non inducet irregularitatem, vti dicemus alibi.

6. Pœnæ iſtæ Incurruntur, ſiue iuſta ſine iniuſta fuerit excommunicatio, quod de ſuſpenſione menſtrua iam docui, & de aliis pœnis affirmant DD. apud Sayr, maximè Innocent. cap. ſacro. n. 7. Ratio mihi manifeſta videtur, quia pœnæ, quæ à Superiore imponentur, culpæ commiſſæ à Iudice in ferenda iniuſta ſententia, aut in violanda conſtitutione Pontificia de forma ſententię ſeruanda, admetiendæ erunt. Ea verò quæ obligat ad expenſas & intereſſe, quod ex ea ſententia contigit excommunicato, ſi illud reparari poſtulet, non minuitur ex eo, quod ſententia alioqui iuſta fuerit, cùm enim reuerà damnum intulerit excommunicato Iudex, qui illum præter iuris ordinem excommunicauit, fecit illi iniuriam, & iniuſtè illum damnificauit, habebat enim ius non vt non excommunicaretur, quandoquidem iuſtam cauſam excommunicationi dederat, vti ſupponimus, ſed vt in ea excommunicatione, quam commeritus fuerat, ſeruaretur ordo iuris; ſi itaque ex illo ordine non ſeruato damnum aliquod paſſus eſt, iniuſtè illud paſſus eſt, & eius reparationem poterit poſtulare, ad quam is, qui iniuriam & damnum fecit, omninò tenebitur ſaltem poſt ſententiam condemnatoriam. Quarè diſtinguendum eſt intereſſe & damnum, quod prouenit excommunicato ex violatione ordinis præſcripti ab illo, quod parit ipſa ſententia excommunicationis; ad prius enim condemnabitur excommunicans, ſiue iuſta, ſiue iniuſta fuerit ſententia, quam tamen iniuſtè & præter iuris ordinem pronuntiauit, vti diximus, ad poſterius autem cogi non poteſt, niſi iniuſta fuerit ab ipſo lata excommunicatio, vti diffinitur, cap. ſacro. de ſentent. excomm.

7. Temerarius violator conſtitutionis Pontificiæ
16 has pœnas incurrit, in quibus tamen negat gloſſa requiri dolum aut ſcientiam in violatore iſto, & ſufficere negligentiam, ſtultitiam, vel fatuitatem, vel inſcitiam, ex qua peccarit, quod tenet etiam Ioan. Andr. Geminian. & alij in idem cap. Socin. in cap. ſacro. n. 20. Sayr cap. 13. n. 16. & Alteri cap. 3. diſp. 4. lib. 3. dubit. 2. Ratio eſt, quia ignorãtia eius, quod ad proprium officium pertinet, non excuſat. §. prætereà habetur, inſtit. de l. Aquilia. Quãuis autem vox illa temerarij paſſim requirat dolum, atque ſcientiam legis, quæ violatur, vti diximus cap. ſuper. ex l. 2. ff. vi bonor. rapto. §. doli mali; aliquando tamen vſurpatur pro eo, qui abſque iuſta & rationabili cauſa quidpiam aggreditur lubens tamen & volens; ille enim reuera in ſuo opere temerarius eſt & præceps, licet non agat dolo malo, aut ex contemptu legis; ſic cap. vt periculoſa. Ne Clerici vel Monachi in 6. prohibetur ne quis Religioſus temerè habitum ſuæ Religionis dimittat, tum additur, ſi quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto, vbi vox temerè ſignificat ſine iuſta cauſa, vti obſeruat ibidem gloſſa, quia ex iuſta cauſa, v. gr. ex iuſto timore licet habitum dimittere.

Probabilis tamen eſt ſententia Suar. diſp. 37. de cenſu. ſ. 1. n. 1. & Bonac. diſp. 3. de cenſu. in particulari, q. 5. p. 1. §. 2. n. 4. requiri videlicet dolum, vt hæc pœna incurratur; quod idem quoque dicetur de dimiſſione habitus temerè facta à Monacho: adhæſit huic ſententiæ ſibi ipſi contrarius deinde Alteri. diſp. 12. de interdicto, cap. 2. Verum quidquid ſit de hac temeritate, an exigat dolum, an non, certum eſt requiri aliquam culpam in iſta violatione ordinis, alioquin non poſſet contrahi ſuſpenſio, quæ à iure imponitur, aliæue pœnæ, quæ Superioris arbitrio permittũtur, quę cõſequẽtia ex ipſa ratione pœnæ & cenſuræ ſatis patet: quarè eadem gloſſa in ℣. temerarius negat eſſe locum huic pœnæ, ſi periculum erat in mora, neque neceſſaria erat ſcriptura, quæ idcircò etiam fuit omiſſa, quod Bonacin. quoque ex communi ſententia fatetur diſp. 1. de cenſu. q. 1. punc. 8. n. 2. Vbi idem dicit de eo, qui per inaduertentiam inculpabilem cenſuræ idem facit.

8. Omnes Iudices ſiue ordinarij, ſiue delegati, 17
qui non ſeruant hanc conſtitutionem in ferendis cenſuris ſubiiciuntur his pœnis, quia verba Pontificis generalia ſunt, vt iam monui, & neminem excipiunt; quarè niſi aliunde gaudeant aliquo priuilegio, reuerà comprehenduntur hac conſtitutione.

Ideoque Epiſcopi licet peccent grauiter violando hunc ordinem, tenentur enim lege communi & Pontificia; quia tamen cap. Quia periculoſum de ſentent. excomm. in 6. datur ipſorum dignitati, vt ſententiis generalibus non comprehendantur, niſi ſpecialis de iis mentio fiat, non incurrent has pœnas.

Prælati verò Regulares niſi aut peculiari priuilegio, aut vſu fuerit derogatum huic conſtitutioni, illa ligantur, & ſi violent, pœnas eaſdem incurrent; quod rectè affirmant Nau. cap. 27. n. 7. Vgolin. tab. 1. cap. 14. §. 6. n. 2. Auila 3. p. diſp. 3. dub. 1. con. 4. Alteri. lib. 3. diſp. 4. cap. 3. dubit. 1. Bonac. diſp. 3. cit. q. 5. p. 1. §. 2. n. 14. Sayr lib. 1. cap. 13. n. 15. Vbi Hoſtienſis Gemini Panorm. & alios adducit contra Lapum allegat. 73. Angel. ℣. excommunicatio. 2. n. 3. Tabien. ℣. citatio. §. 3. & ℣. excommunicatio. 2. §. 2. atque etiam gloſſam in cap. cùm ſpeciali ℣. regulares de appellationibus, quia cùm iura nolunt comprehendere Regulares, id ſolent exprimere, vt in Clem. 1. de priuileg. Neque aliud obiiciunt DD. contrarij, quàm quædam priuilegia, aut conſuetudines, quas in pleriſque Religionibus eſſe non diffitemur cum eodem Sayr, & Henriq. lib. 13. cap. 43. n. 5. quod autem ait Tabiena neceſſarium fore perpetuò notarium adeſſe Superiori Regulari ridiculum eſt, quaſi enim omnes & ſingulæ correctiones aut prohibitiones Regulares habeant annexam cenſuram: neque magis vrget, quod addit excuſari Religioſos ignorantia probabili, eò quod propter complexionem facilè ignorent iura cap. veniens de ſimonia. Prælati enim ſcire debent quæ ſui muneris ſunt, vt dixit Sylu. ℣. excommunicatio 1. n. 14.

Neque aliud circa has pœnas obſeruandum occurrit, leuis enim quæſtio eſt, an imponatur hoc loco propria ſuſpenſio, an potiùs interdictum vti mauult Suar. diſp. 37. ſ. 1. n. 2. Neque immorandum eſt in alia æquè leui quæſtione, an qui non vt Iudex pœnam imponit, aut ſimplicem prohibitionem facit, vel pœnam infligit & non cenſuram, incurrat has pœnas, niſi ordinem & conditiones, de quibus hactenus egimus, ſeruet; ſtatim enim apparet legem non agere niſi de Iudicibus ferentibus cenſuram, ac proinde alios omnes ea ſanctione minimè vinciri. Moneo denique Iudicem iſtum grauiter delinquere conditiones ſtatutas omittendo, cùm in re magni momenti violet legem Eccleſiaſticam, præterquàm quod graues pœnæ adiectæ criminis atrocitatem ſatis arguunt.

TERTIA PARS.

Censura sine superioribus conditionibus lata, valida nihilominùs est.

Tertia parte propositionis dixi has omnes conditiones hactenùs explicatas non esse substantiales censuræ, quæ valida manet, licet tales conditiones omittantur: Ita glossa, quam omnes sequuntur, quia Pontifex, vbi præscripsit eiusmodi conditiones, iubet vt sententia, quæ aliter lata fuerit, sine difficultate relaxetur à superiore, valida igitur fuit absque illis conditionibus, quando indiget relaxatione. Neque dicas c. fin. de sententia & re iudicata in 6. sententiam, quæ sine scripto profertur, nullam esse, quia censura siue sententia Excommunicationis diffinitiua dici possit, siue non, habet quædam peculiaria, quæ non conueniunt aliis, quod nimirum ferri non debeat absque causæ expressione, & quod, licet absque scriptura pronuntietur, valida tamen existat, quod vtrumque in hoc cap. Cùm Medicinalis; apertè definitur, vt dixi.

TERTIA PROPOSITIO.

Nullæ aliæ circumstantiæ temporis & loci seruandæ sunt in ferendis censuris, quàm quæ in aliis sententiis iudicialibus cum cognitione causæ, aut exercitio iurisdictionis contentiosæ seruari debent.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Hæc Propositio non indiget alia propositione, vbi enim nihil singulare statuitur circa censurarum sententias, standum est quoad locum, tempus aliasue circumstantias communi doctrinæ de sententiis, quas excutiemus disputantes de Iudic. videndum duntaxat est, an sententia censuræ sit diffinitiua, an interlocutoria, quod quærit Panormit. in Rubric. de sentent. excomm. num. 2. Vbi ait non esse propriè sententiam, eo quod neque definitiua sit, cum causam non definiat, petenti enim absolutionem, nunquàm denegatur audientia. cap. ex parte 1. de verbo. signific. & per eundem Iudicem reuocari potest; neque interlocutoria, illa enim fertur inter principium & finem iudicij, Clem. 1. de sequestro possessi. & fructuum. Censura verò quandoque fertur extra iudicium cap. dilect. de sentent. excomm. in 6. Verùm etiamsi dubitari possit, cur censuræ, quæ reuerà sunt pœnæ quædam ac proinde effectus quidam sententiarum, appellentur sententiæ, quæ vox non conuenit aliis pœnis, cuius rei causam reddidimus disq. 1. q. vlt. in 1. Corolla. Tamen negari nullo modo potest, iudicium illud, siue actionem, qua Iudex imponit delinquenti censuram aliquam, esse veram sententiam, sicut quando quâpiam alia pœna dignum & plectendum esse Reum pronuntiat, verè sententiam profert. Quando autem superior extraiudicialiter punit subditum censura, præceptum quoddam est, quod habet vim sententiæ, in quo tamen non sunt seruanda solemnia diffinita à iure circa sententias, vti patet & in Corollariis monebimus inferiùs.

An verò impositio iudicialis censuræ sit sententia diffinitiua, an interlocutoria, non quæritur omninò inutiliter, inde enim patebit, quid in ea ferenda seruandum fuerit, & imprimis certum videtur, neque propriè diffinitiuam, neque propriè interlocutoriam esse, cùm ab vtraque differat in quibusdam, vt obseruabat Panorm. Felin. in Rubric. cit. de sentent. Excomm. dicit n. 2. habere vim interlocutoriæ, & appellantem ab ea debere exprimere causam, ex qua grauatur singillatim, & sicut interlocutoria potest reuocari, ita etiam excommunicatio, quæ omnia ex variis glossis Cardin. & Speculat. probat ibid. Felin.

Ad id verò, quod obiicitur, interlocutoriam mandatam executioni, non posse reuocari nisi consentientibus partibus ex glossa in l. 1. §. fin. ff. de præter stip. ✝. vel addi; & prætereà sententiam excommunicationis secum trahere exequutionem. C. pastoralis. de appellation. in fine, ac proinde reuocari non posse.

Respondet idem Felin. interlocutoriam executam non reuocari, quando agitur principaliter in fauorem partis, quare eâ etiam non consentiente aut satisfactione illi non exhibita minimè reuocabitur excommunicatio; si autem non fuerit lata principaliter in fauorem partis, nihil impediet quo minus ea excommunicatio refigatur etiam nonscitato aduersario, atque adeò ipso contradicente ex notabili glossa in cap. excommunicatos 11. q. 3. quod idem dicit Cardin. in cap. perpendimus de sentent. excomm. Et denique excommunicationem latam iudicialiter esse interlocutoriam, extra iudicium autem non esse sententiam,, sed censuram & pœnam duntaxat docent Bald. Domini. Ancharan. relati à Felino ibid. aliquam tamen vim diffinitiuæ habere aduertit Alteri. lib. 3. disp. 4. cap. 2. sub fin.

Tempus igitur & locus ferendi iudicialiter censuram erit idem, quod in sententia iudiciali seruatur; si autem non sit simplex prolubitio, & pœna, seu, vt loquuntur hi DD. mera censura quolibet tempore & loco imponi poterit.

CONSECTARIA

Ex Superioribus propositionibus.

CONSECTARIVM I.

An ille, quem Episcopus vitat, censeatur excommunicatus.

Colliges 1. Non censeri aliquem excommuni- 21
catum, eò quod Episcopus aut Pontifex ipse illum vitet, & ab eius consortio sese separet, quod docet Innoc. in cap. cùm olim 1. de priuilegiis n. 4. & Felin. in cap. si aliquando de sententia excommunicationis. Ratio est, quia illa vitatio non est signum sufficiens ad exprimendum animum, quem habet Pontifex aliquem excommunicandi, quod tamen in 1. propositione requirebamus, vbi etiam diximus vix alia signa sensibilia hac in parte reperiri posse præter verba vocalia, aut scripta præterquàm quod licet Pontifex non obligetur communibus legibus, non censetur tamen quolibet suo facto in illis dispensare; quare cùm requirantur verba etiam scripta ex iure communi, nisi Pontifex dicat se velle excommunicare, aut qualibet alia censura innodare aliquem non seruato iuris ordine non censetur reuerà id velle, neque ex illius gestis colligi poterit latam fuisse aliquam censuram.

CONSECTARIVM II.

Quæ verba sufficiant ad ferendam Censuram.

21 Colliges 2. Ex eo quod Ius naturale & Ecclesiasticum nulla certa & determinata verba postulent ad ferendam censuram, sed quæcunque idonea sint, modo exprimant speciem censuræ, & personam cui infligitur, quid sentiendum sit de quibusdam vulgaribus formulis.

1. Enim, siue dicat Iudex Excommunico te, siue separato te à communione, aut alia verba æquiualentia & prorsus synomina vsurpet, reuerà excommunicat.

2. Hæc verba, denuntio te Excommunicatum: habeo te pro Excommunicato, & similia, non imponunt excommunicationem sed eã iã fuisse contractam declarant, vt aduertit Sylu.ẏ.excommunicatio. 1. numero 13. Nau. cap. 27. num. 1 2. & alij; quia reuerà illud non sonant ea verba in propria sua significatione, debent autem, vti dicebamus in explicatione 1. propositionis significare practicè & de præsenti imponi Censuram, quandoquidem faciunt, quod significant. Addit tamen Nau. ea verba posita in excommunicatione Canonis, aut decreti aut in censura condicionali, qualis est, quæ pro futuris culpis & cum monitione canonica fertur, sufficere ad ferendam censuram & excommunicationem, significant enim impleta conditione haberi verè & esse excommunicatum, non vti refert Felin. in cap. Rodulphus. de Rescriptis. num. 25. Andreas Sicula in c. si sacerdos. de officio ordinarij, verbum futuri temporis importat latam à lege sententiam quando est executiuum, vt caueat communicatione & numero 27. idem Felin. ait hæc verba, sciat se Excommunicatum, nisi fecerit, esse latæ sententiæ in casu inobedientiæ ex cap. Engeltrudam. 3. q. 2. & cap. 2. de testibus cogend. & cap. præterea requisisti de Appellation. & cap. Excommunicationi. de Raptoribus: secùs autem cùm dicitur, sciat se excommunicationem incursurum, nam nondum excommunicatur etiam posita illa culpa, sed erit excommunicandus. cap. Relatum. de Iure Patronat. Hoc tamen vltimum latè negat Vgolin. tab. 1. cap. 9. §. 6. num. 10. & alij communiter apud Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 11. num. 11. Qui omnes dicunt his verbis induci Excommunicationem, & non tantùm præcipi inducendam; sed hæc alia quæstio est, quam alibi definiuimus, quæ nimirùm verba latam sententiam, & quæ ferendam designent, nunc quæro duntaxat, quibus vocibus sententia censuræ exprimenda sit, & dico illa verba, Habeo te excommunicatum, si hoc facias in canone posita, aut in præcepto Iudicis, reuera excommunicationem inducere ex propria significatione, quod in aliis quoque excommunicationibus contingit, si fuerit intentio Iudicis per ea verba excommunicandi, & non tantùm declarandi priorem excommunicationem incursam esse, eaque intentio constet ex aliquibus circumstantiis, quia nempè ita sæpiùs solitus est excommunicare, id obseruat Tabien. ẏ. Excommunicatio. 2. n. 4. & Ratio est, quia verba deseruiunt intentioni, non intentio verbis cap. humanæ. 22. q. 5. & sermo rei, non res sermoni subiecta est. cap. intelligentia. de verbo. signific.

3. Hæc verba, Incurras indignationem Dei, Petri & Pauli, aut nostram non sunt Excomunicatoria: Angel. ẏ. lex. num. 3. quia ea non significant separationem à communione fidelium, vti statim apparet; quod idem est de his verbis, sub obtestatione diuini iudicij præcipio, aut maledico tibi, grauem enim ista obligationem & sub mortali inducunt, sed non Excommunicationem. Ita Felin. in cap. Veniens. de præscription. n. 1.

4. Hæc verba, nullus eidem communicet, si constet de mente Iudicis, illeque habeat potestatem excommunicandi, reuerà sufficiunt, vt post Ioan. Andr. tandem concludit Panorm. in cap. 1. de Iudic. numero 34. contra Guilielmum de monte Lauduno, & Ioann. de Lignano; quanquàm moneat non esse vtendum illa formula, neque in eo cap. 1. de iudiciis, fuisse illam vsurpatam, sed alia quædam verba magis expressiua fuisse adhibita, quæ tamẽ omiserit textus. Quod si dubitaretur de mente Iudicis, qui reuerà potest excõmunicare, videndum erit, an aliqua alia verba addita illam satis explicent, vt si dicat, Nemo illi communicet, donec fuerit absolutus satisfactione præmissà, hæc enim postrema verba vinculum Excommunicationis supponunt.

5. Hæc verba, fero in te Censuram aut Censuræ Ecclesiasticæ sententiam, aut ferio te mucrone Episcopi, mucrone Ecclesiastico, inutilia sunt, quia nullam Censuram determinatam significant, etiamsi communiùs de excommunicatione soleant vsurpari.

6. Hæc verba. Excommunico te vel absoluo, contineot ineptam formam, quia nihil determinatè significant, inquit Suar. disp. 3. s. 2. n. 5. aut etiam pugnantia loquuntur.

7. Maior dubitatio moueri poterit circa aliam quandam formam, Excommunico te & absoluo, validam enim esse voluit Vgolin. tab. 1. cap. 20. §. 5. alios allegans, etiamsi enim prior forma tollatur à posteriori, habuit tamen, vbi primùm pronuntiata fuit, suum effectum, & deinde per posteriorem, quæ est noua quædam forma & sententia, extinguitur. Negat verò glossa in cap. si is qui. 11. q. 3. quia vnica forma est, quæ componitur verbis inuicem pugnantibus. Dissidium istud facilè composuit Suar. disp. 3. s. 1. cit. num. 6. consulendam nimirùm esse mentem ferentis, si enim reuera voluit duas sententias pronuntiare, quarum vna Reum damnaret, altera absolueret, valida fuit ea formula, qua vtraque illa sententia exprimebatur, & quæ suum effectum sortita est; neque enim immediata consequutio effectum inuehit illorum repugnantiam, voluntas siquidem ferendi nunc censuram optimè cohæret cum voluntate illam statim, vbi lata fuerit, tollendi, nullum etenim tempus, aut duratio est de ratione censuræ, & si Iudex amitteret vsum loquendi, vbi prima verba nempe, Ego te Excommunico, protulit, neque posset postrema, Et te absoluo, adiicere, vti intendebat, maneret omninò Reus ligatus Excommunicatione. Si porrò intenderet Iudex simul illa omnia, quæ eiusmodi verbis significantur perficere, & per modum vnius simplicis formæ illa pronuntiaret, ineptè omninò & stolidè operaretur, intenderet enim aliquid, quod repugnantiam implicaret, & significatio illius formæ seipsam destrueret.

8. Quod attinet ad formam disiunctiuam, v. gr. Excommunico te vel suspendo: suspendo ab officio vel beneficio, verum sensum habere posse, & effectum suum sortiri definiuimus disq. 1. in Corollariis.

CON

CONSECTARIVM III.

An valeat excommunicatio lata in vnum è duobus.

23 Colliges 3. An valeat excommunicatio, quæ fertur in vnum ex duobus Angel. enim, ỽ. excommunicatio 2. n.4. negat esse validam, vnde neuter erit excommunicatus, quia verba censuræ debent determinare personam, quod non faciunt. Quarè Tabien. ỽ. eod. n.4. idem concedit, nisi intentio excommunicantis sit determinata, tunc enim ille, quem determinatè voluerit excommunicare, erit verè excommunicatus; quamuis cæteri, quibus ea determinatio incognita est minimè ipsum vitare teneantur, idemque docent Rosella & summa Pisana, atque etiam Auila 2. p.cap. 2. disp.vni. dub. 2. Mihi tamen perstandum videtur in sententia Angel. quæ, vt vides ex tradita à nobis doctrina necessariò consequitur; quamdiu igitur nihil apparebit in verbis aut aliis circumstantiis, vnde exprimatur determinatio illa intentionis vnum ex duobus excommunicantis, neuter erit excommunicatus quia initio prioris propositionis ostendi intentionem & voluntatem excommunicandi prorsùs inefficacem esse, nisi prodatur exteriùs, quod non fit, quando indeterminata tantùm & vaga esse cognoscitur, licèt reuerà determinata sit; Itaque docuit etiam Bonac. disp. 1. de cens. q.1.p.7.n.7.

CONSECTARIVM IV.

An omnis prohibitio celebrandi sit suspensio.

24 Colliges 4. Quoties Prælatus prohibet alicui solo verbo, ne celebret, non suspendere propriè illũ. Ita Henriq. lib. 14. cap. 5. n. 2. Auila 3. p. disp. 3. dub. 1. con. 4. Quod idem dico de prohibitione audiendi confessiones, quia in dubio nemo præsumitur delinquere, vti faceret Prælatus, si solo verbo & non in scriptis censuram ferret, vti diximus in 2. propositione. Si verò Prælatus haberet priuilegium in ea Religione ferendi censuras solo verbo, attendenda esset grauitas peccati, & vsus suspensionum in ea Religione, si enim vel peccatum leuius appareat, quamuis etiã mortale sit, & infrequentes admodum suspensiones in eo ordine vigeant, non existimandum erit fuisse suspensum per eam prohibitionem celebrandi, aut audiendi confessiones; secùs verò si peccatum graue appareat, & crebrius suspensiones etiam solo verbo ferri soleant.

CONSECTARIVM V.

Qui non fert iudicialiter Censuram non tenetur pœnis lat s contra non seruantes formam præscriptam.

25 Colliges 5. Qui non excommunicat, suspendit, aut interdicit iudicialiter, non incurret pœnas cap. cùm medicinalis de sentent. excomm. in 6. etiamsi conditiones ibidem præscriptas, & superius in 2. propositione explicatas non seruet, quia verba Canonis non loquuntur nisi de Iudicibus, *si quis autem Iudicum*, quod accuratè obseruauit Sayr lib. 1. Thesau. cap. 13. n. 18.

CONSECTARIVM VI.

Suspensio per modum simplicis prohibitionis non postulat conditiones c. cùm medicinalis.

Colliges 6. Quoties suspensio fit per modum simplicis prohibitionis, ita vt non sit vera censura, non requiruntur conditiones 2. propositione explicatæ, id autem fit quoties reuocatur concessio & facultas alicui data faciendi quidpiam, ad quod ille non habet vllum ius, nisi ex commissione & libera concessione alterius, dum enim ille superior, qui facultatem illam indulsit, eam reuocat, quamuis in pœnam admissi criminis, illum non suspendit, v. gr. dum Episcopus simplici sacerdoti facit potestatem audiendi confessiones, etsi eam deinde reuocet, non suspendet reuerà eiusmodi sacerdotem; si autem inhiberet parocho excipere suarum ouium confessiones, illum propriè suspenderet, quia priuaret eum Iure quod ipsi ex proprio munere, & non ex sola Episcopi venia competit, siue inhiberet actum, ad quem præstandum ius habet Parochus; quarè in hac inhibitione facienda parocho debet seruare cap. Cùm medicinalis. hoc est ex scripto proferre sententiam huius prohibitionis, eius causa expressa: quæ omnia poterit omittere, si eãdem inhibitionẽ faciat simplici sacerdoti; Vnde Palud. in 4. d. 18. q. 7. a. 3. con. 10. & ex illo Sayr. lib. 4. cap. 2. n. 18. colligunt vniuersalem Regulam nunquàm Iudicem Ecclesiasticum incurrere pœnas, c. cum Medicinalis, propter non seruatam formam ab illo statutam, quoties suspendit tantùm aliquem ab actu, qui illi non competit ex proprio Iure, sed solum ex Iure aut concessione ipsius suspendentis, tùm enim non peccabit in illum Canonem, qui loquitur de propria censura. 26

Vnde vlterius intulit Sayr. n. 19. & 20. neque Prælatos Regulares peccare quando sine scriptis suspendunt ab audiendis Confessionibus, quia si agamus de aliorum Regularium Confessionibus, certum est eam potestatem illis non congruere, nisi ex suorum Prælatorum deputatione; facultas autẽ audiendi sæcularium peccata datur quidem à Pontifice Regularibus, sed cum aliquo ordine ad superiores, quorum est non modò designare huic ministerio idoneos, sed qui facultatem concessam toti ordini singulis deinde pro arbitrio & mensura largiuntur; quarè hanc prohibitionem & suspensionem fieri à Prælato solo verbo tandem [illegible] Paludan. quod intelligo etiam in iis Religionibus, quæ præcipuo aliquo Iure non eximuntur à Canone citato. cap. Cùm Medicinalis.

CONSECTARIVM VII.

An hac censura, Excommunico te, si ab hac sententia appellaueris, sit valida.

Colliges 7. formulam istam, Excommunico te, si ab hac sententia appellaueris, aut si paraueris te ad appellationem, nullam & inanem esse, quia cùm vt diximus, non operentur istæ sententiæ, nisi quod significant, si prout significant, & significent effectum ponendum tantùm posita conditione, reuerà non erit excommunicatio, nisi cum impleta fuerit conditio, quæ hoc loco est appellatio: eâ autem positâ non poterit excommunicari atque ita nunquàm excommunicabitur, neque ante appellationem, cùm nondum impleta fuerit conditio, quam 27

postula

postulabat Iudex in sua sententia; neque post appellationem, cùm ea impediat & moueretur effectum sententiæ, & tunc peccaret superior contra ipsum Ius naturale, quod cuilibet sui legitimam defensionem permittit, ipse autem puniret aliquem, qui se defenderet, quod per appellationem præstat. Iure igitur negatur Innoc. in cap. præterea. 2. de Appellationib. hanc excommunicationem valere, & ex nostra doctrina manifestò sequitur contra Ioann. Andr. qui malè ait excommunicationem eodem momento concurrere cum appellatione, & cum Excommunicatio sit gladius domini penetrabilior facto hominis, censetur præcessisse appellationes, sed hunc cócursum optimè negauit Sylu. v. Excommunicatio. 2. num. 16. quandoquidem conditio poni debet ante effectum, quem impediebat, eius enim positionem veluti præstolabatur causa parturiens vt eniteretur & poneret suum effectum; Quarè appellationem in hoc casu comparat Sylu.cum excommunicatione, sicut causam cum effectu, & negat gladium illum penetrabiliorem esse quando, inquit, non habet Iuris acumen & sermonis rectitudinem; nam, vti monebamus, verba Iudicis ferunt, vt excommunicatio non sit ante appellationem, vult enim vt non prius incidat iste gladius, quam appelletur; si autem datus esset iste Iudex à superiori cum clausula omni appellatione remota, posset ille etiam excommunicare appellantem, vt dixit Panorm. in cap. pastoralis, de Appellationib.n.9. sed de appellationibus suus erit alibi commodior locus.

CONSECTARIVM VIII.

An hæc sententia, Excommunico Te Caium, si excommunices Titium, sit valida.

18 Colliges 8. An hæc sententia, Excommunico te Caium, si excommunices Titium, valeat posita cõditione, quia videtur quod excõmunicatio tunc ferretur ab excommunicato, ac proinde inualidè. Existimo nihilominùs validam esse excommunicationem, cùm verba sint satis determinata, & in conditione, quam includunt nullam implicent repugnantiam, nam Caius prius validè excommunicat Titium, antequàm ipse excommunicetur, & posita excommunicatione Titij tanquàm conditione, deinde eandem censuram incurrit, qua ratione Iudex, qui fert Censuram solo verbo sine expressione causæ suspenditur ipso facto per mensem ab Innoc.IV. cap. Cùm medicinalis, & licèt suspensus non possit ferre Censuram, ille tamen Iudex validè tulit, quia non fuit suspensus nisi post eam latam. Verùm de conditionali cẽsura dicam disq. 9. dum quæram quomodo effectus censuræ impediatur aut suspendatur.

QVÆSTIO II.

An monitio Canonica præcedere debeat omnem Censuram.

Præuiam monitionem tanquàm conditionem necessariam, vt legitimè feratur Censura Excommunicationis præscribit Innoc. III. in Concil. Lateran. cap. 27. quod refertur in cap. Sacro, de sentent. Excomm. & Innoc. deinde IV. in cap. Romana. eod. tit. in 6. quod vtrumque nobis expendendum est, hac quæstione.

PRIMA PROPOSITIO

Omnis Censura postulat essentialiter & ex natura sua præuiam aliquam monitionem, vel comminationem.

EXPO

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Distinguo monitionem à comminatione, quamuis reuerà comminatio sit etiam monitio quædam qui enim comminatur pœnam non parenti, ipsum quoque monet, vt illam euitet, vt faciat quod imperatur, ne si contumax sit, Reum se decretæ pœnæ faciat: quia tamen monitio sumi vulgò solet post factum vt Reus se emendet, vel vt Iudici suam innocentiam probet, & obiecta crimina diluat, quos duos fines huius monitionis obseruauit Innoc. in cap. proposuit de concess. præben. Idcircò illam à comminatione, quæ criminis admissionem antecedit, distinguebam: quamquàm monitio quoque fiat ante commissum delictum, atque ab obiurgatione, quæ est post turpe factum, differat. Duplex porrò est monitio, vna iudicialis, quæ fit iuridicè per modum citationis; altera simplex monitio, quæ extraiudicialiter, idest, non seruato iuris ordine, nomine tamen & authoritate iurisdictionem habentis ad ferendam censuram fit.

a Aliquam igitur siue monitionem, siue comminationem ad ferendam censuram essentialiter necessariam esse contendo, quia censura non fertur, neque ferri potest siue à Iudice, siue à iure nisi propter contumaciam & inobedientiam aduersus Ecclesiam, vti latè disq. 2. & 5. fuit ostensum; atqui fingi nequit aliqua contumacia, vbi neque monitio, neque comminatio præcessit, alioquin pro peccatis merè præteritis, & nullo modo aut futuris, aut continuantibus infligeretur censura, quod disq. 4. contra Caietan. ex communi DD. sententia negabamus, atque ex ipsa natura & fine censuræ solidè concludebamus.

Neque dicas fore contumaciã, quam postulamus, si quis violet legem Ecclesiasticam, aut præceptum Superioris, etiamsi in eo nulla facta fuerit mentio censuræ, ac proinde neque illius monitio, neque comminatio præcesserit: nam vel censura fertur à iure, & ipso facto incurretur; vel fertur à Iudice ex proprio arbitrio aut ex legis censuram imponi imperantis præscripto, si primum necesse omninò est, vt lex censuræ meminerit, & sub pœna illius contrahendæ, vel ex ipso iure, vel ex sententia Iudicis aliquid imperet; atque ita tunc continet comminationem censuræ, quam esse loco admonitionis fatentur omnes, cùm lex illâ suâ comminatione perpetuò moneat. Si verò feratur à Iudice nulla præuia admonitione propter violatam legem Ecclesiasticam, iam imponetur merè præteritis peccatis, quod fieri nequit, estque contra rationem censuræ, quæ instituta est ad Rei emẽdationem, & non solam punitionem, idcircò pœna medicinalia appellatur; quod autem merè præteritum est emendari nequit, aut impediri. Cùm igitur inualida sit censura, & omninò nulla, quæ non tendit ad emẽdandum peccatum commissum, & aliquandiu adhuc perseuerans, vel ad impediendum nouum, & hi duo fines, qui sunt essentiales censuræ propriè sumptæ, atque prout distinguitur à pœna & vindicta puta & puta sine præuia monitione aut comminatione censuræ non possint obtineri, dicendum omninò est aliquam vel monitionem vel comminationem præmittendam esse necessariò & essentialiter ad validè ferendam censuram neq; vllus omninò est, qui hanc propositionem eo modo explicatam negare possit, nisi vel censuram cum pœna omninò confundat nullo inter eas adhibito discrimine, vel quod eodem recidit, censuram ferri pro peccatis tantùm præteritis concedat, atque ita totam naturam & institutionem Censurarum immutet: quarè non sufficiet quidquam prohiberi ab Ecclesia, vt deinde ob illud commissum feratur cẽsura, nisi aut interminata censura prohibitum fuerit, aut non desierit eo momento, quo commissum fuit, sed adhuc tractum aliquem successiuum habeat. Vnde etiam dicebamus peccata, quæ momento consummantur, cuiusmodi est v. gr. blasphemia prolata, non esse materiam censuræ, nisi antequàm pronuntiaretur, intentata fuisset: quarè in assertione vsque adeò perspicua mihi non videtur ampliùs inimorandum esse.

SECVNDA PROPOSITIO

Iure Ecclesiastico nulla censura ferri legitimè potest ab homine pro culpis præteritis b aut præsentibus absque canonica monitione, alioquin censura iniusta est, & Iudices grauibus pœnis subiiciuntur.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Diximus quid postulet censura ex naturâ suâ & institutione, nunc definiendum est, quid ex iure Ecclesiastico requiratur, quamuis enim censura sit institutionis Ecclesiasticæ, vti diximus disq. 3. vbi cum Suar. & aliis docuimus Christum quidem dedisse potestatem Ecclesiæ instituendi censuras, ipsum tamen nullas instituisse, non potuit tamen efficere Ecclesia vt censura aliam quandam naturam sortiretur, si eam instituere vellet, & vt nõ esset ad emendationem & medicinam Rei, quamuis potuerit fortassis illam non instituere, quod tamen non facilè concesserim, cùm gubernationi quę tendit ad salutem animarum maximè congruat id genus pœnæ, & vt arbitror, prorsus necessarium sit, neque sola vindicta & punitio, quam attẽdunt aliæ pœnæ, emendãdis & impediendis peccatis, quod tamẽ admodùm curæ esse debet Ecclesiæ, sufficiat. Cùm igitur finis essentialis censuræ sit ea emendatio peccati commissi, & euitatio futuri, neque eo duplici fine sublato maneat amplius censura, atque ex eo fine intrinseco & essentiali proficiscatur necessitas præuiæ alicuius monitionis, vel comminationis antequàm feratur, quod t. nostra propositio euicit, non instituit Ecclesia, vt censuræ sententiam præcederet monitio absolutè loquendo, sed determinauit, qualis deberet esse ea monitio, atque ita ius naturale hac in parte determinauit, vti in aliis fieri solet. Appello autem hoc loco ius naturale id quod postulat natura alicuius rei, quamuis ipsamet res non sit nisi ex hominum institutione, quod sæpiùs monere cogimur & postulat quidem natura censuræ, vt antequàm feratur, præmittatur aliqua sufficiens monitio modo explicato superiori propositione, quod verò ea monitio certas quasdam conditiones habere debeat, præscripsit Ecclesia. De hac igitur monitione, quam adhiberi vult Ecclesia, & quam idcircò canonicam nominamus, quia decernitur à canonibus agit nostra ista propositio, quæ quadripartita est, vt vides.

PRIMA

PRIMA PARS.

Omnis Censura ab homine requirit monitionem Canonicam.

Pars prima asserit omnem censuram ab homine requirere præuiam monitionem canonic. Ita cap. sacro. de sentent. Excomm. & cap. Romana. eod. tit. in 6. & cap. cùm speciali. de Appellationibus atque alibi sæpius definitur quoad excommunicationem. Quod ad suspensionem autem cap. Reprehensibilis. de Appellationib. Vbi etiam nomine suspensionis interdictum agnoscunt Hostiens. Ioann. Andr.& alij relati à Sanch.lib.9.de matrim. disp.32. n. 17. neque ea suspensionis significatio insolita est in iure, vti monuimus disq. 1. & colligitur ex cap. cum Medicinalis de sentent. excom. in 6. Quare eandem esse interdicti & cæterarum censurarum rationem, quoad necessitatem monitionis DD. æquè consentiunt Vgolin. tab. 5.cap.20. §.1. n.4. aliique quos dabit Sayr lib.5.c.11.n.24. Hoc tamen inter excomm. & alias censuras interest, quod excommunicatio nunquàm feratur per modum puræ pœnæ & punitionis, sed tantùm vt censura; aliæ autem possint aliquando imponi in solam vindictam, cuius rei causam inquirebamus disq.2.q.1. Inde autem fit, quod eo loco diximus, vt excommunicatio nunquàm imponatur pro culpis omninò præteritis, sed tantùm pro futuris, aut in futurum aliquo modo pendentibus: suspensio verò & interdictum nonnunquàm vt punitiones duntaxat pro culpis iam commissis indicuntur; quod de suspensione in cap. tam litteris.de testibus. & cap. cùm in cunctis. de Electione; de interdicto autem cap. sacro de sentent. excomm. & cap.cùm medicinalis, eod.tit. in 6. obseruant DD. tunc autem non requirunt præuiam monitionem vllam, quam excommunicatio essentialiter postulat, vnde de illa loquitur maximè ius Ecclesiasticum, quādo ius naturale circa istam monitionem censuris præuiam determinat. Atque ita conciliabis diuersos textus qui videntur aut requirere monitionem canonicam ad suspensionem, aut negare, & intelliges communem distinctionem canonistarum, suspensionem, quæ est propter contumaciam exigere eiusmodi monitionem, non suspensionem quæ fit ob delictum commissum, quia eius tantùm pœna est, vti explicant Innoc. in cap. Ad hæc quoniam. de Appellationibus, & in cap.1.de excessibus Prælato. Sum cap.1.de sentent. excomm.in 6.Panorm. in cap. Reprehensibilis de Appellationib. n.3.& 4. Sylu. ꝟ. suspensio q. 4. Tabien. eod. ꝟ. numer.8. Vgolin.tab.1.cap.2.n.18. & alij.

SECVNDA PARS.

Ea monitio non requiritur nisi quando censura fertur ab homine pro culpis præsentibus aut præteritis.

2. Parte dixi hanc monitionem requiri ad censuram, quæ fertur ab homine pro culpis præteritis aut præsentibus, nam cap.Sacro de sententia Excomm.agit tantùm de sententia Excommunicationis, quæ à iudice,aut alio superiore pronūtiatur,& cap. Romana. eod.tit.in 6.idem affirmat,& specialiter exprimit sentētias pro culpis & offensis præteritis aut præsentibus.Ratio verò ex radice necessitatis huius monitionis facilè & euidēter colligitur.

Nam quando lex ipsa fert Excommunicationem aliamuè censuram, quæ deinde ipso facto incurritur, comminatio est loco monitionis perpetuæ, vti dicebamus. 1. propositione; & qui eam legem violat, reuera contumax est & manet innodatus censura, nisi ipsa lex aliquando expressè monitionem præuiam postularet: sic Clem. vlt.§. fin. de statu monachorum, excommunicantur ipso facto qui visitationes impedire præsumpserint, nisi moniti resipiscant: quare glossa ibidem obseruat tanquàm aliquid singulare, quod ad hanc excōmunicationem contrahendam nequaquam sit necessaria sententia; & nihilominùs præmittenda sit monitio, distincta nimirum ab ipsa lege comminante & censuram ferente: quo eodem modo suspenduntur Clem. 1. de decimis Religiosi qui decimas Ecclesiis debitas sibi sumunt, nisi intra mensem moniti destiterint. Quod verò diximus de excommunicatione aliisue censuris latis à lege, aut statuto, idem quoque valet in sententiis aut præceptis generalibus, quæ æquiualent statutis, & prohibent aut præcipiunt quidpiam intentata censura ipso facto contrahenda, tum quia hæc præcepta generalia non differunt à legibus, nisi quoad perpetuitatem; tum quia in illis reuerà præcessit sufficiens monitio, nimirùm ipsum præceptum sanciens pœnam censuræ, alioquin nunquàm posset contrahi censura ipso facto, quia post delictum commissum requiretur adhuc canonica monitio; quæ ratio ostendit etiam in præceptis specialibus, & quæ fiunt vni alicui aut determinatæ personæ de quapiam re determinata facienda, aut omittenda sancita pœna censuræ ipsō facto incurrēdæ non requiri vllam aliam monitionem distinctā ab ipso præcepto, vbi enim innotuerit, si violetur, committetur contumacia sufficiens ad censuram. Atque ita explicandi sunt DD. cùm in vniuersum pronunciant consentaneè iuribus allatis ad excommunicationem pro futuris culpis nullam requiri præuiam monitionem. Felin. in cap. sacro. n. 5. allegans Hostiens.& in cap. 51. Romana. de Appellat. adducens Ioann. Andr. Innoc. in idem cap. sacro. Nauarr. in cap. cùm contingat, in 5. nullitate. n.4. quos alij deinceps magno consensu sequuti sunt, hos enim de censuris duntaxat latæ sententiæ pro futuris culpis intelligendos esse persuadet allata ratio.

TERTIA PARS.

Conditiones monitionis Canonicæ.

Tertia Pars nominabat hanc monitionem canonicam, siue, vt loquuntur Pontifices. cap. sacro & cap. Romana citatis, competentem, ad quam certæ quædam conditiones exiguntur:

Primà est vt Reus ter moneatur, cap. contingit. 2. de sentent. excomm. & glossa in cap. Reprehensibilis. de Appellat. idque appellant Domini præceptum PP. Rhotomagenses. cap. omnes decimæ 16. quæst. 7. & Nicola. cap. de Præsbyterorum 17. quæst. 4. PP. autem Parisienses imperante Ludouico ex Euangelica authoritate eandem trinam monitionem repetunt, adductis eam in rem Romanorum Pontificum sanctionibus, cap. de illicita. 24. q.3. quia nempè Christus monuit Matth. 18. vt peccantem fratrem primò moneamus secretò, deinde duos testes adhibeamus, demùm deferamus ad Ecclesiam, quam si non audierit, habeamus illum pro Ethnico & Publicano. Ad imitationem autem illius ordinis, quem seruandum præcipit Christus in correctione fraterna, voluit Ecclesia trinam monitionem præmitti ante censuram, quæ ad emendationē quoq; Rei dirigitur neq; aliud volunt citati

PP. iam enim docuimus disq. 3. neque censuram, neque quod inde necessariò sequitur modum in ea seruandum instituta fuisse à Christo, sed ab Ecclesia per potestatem à Christo acceptam: Quarè alius quondam ordo & processus in his monitionibus seruabatur, nam fiebant quinque monitiones, & post singulas censura infligebatur, sed veluti per partes, prius enim priuabatur Reus ingressu Ecclesiæ, deinde communione fidelium, ac demùm crescente contumacia anathematizabatur, quod cap. præsenti 5. q. 2. decretum fuisse à Syluestro testatur.

Hæc autem trina monitio fieri debet per distincta interualla dierum aliquot, vt Reus tempus habeat se se emendandi, non est tamen necessaria trina realiter, satis enim fuerit, si formaliter multiplex sit, & realiter vna, quæ simul plura interualla assignet, iubeat v. gr. Reum intra quindecim dies se sistere, quinque pro prima monitione deputet, totidẽ pro secunda, & reliquos pro tertia vltima & peremptoria monitione assignando. Ita definitur cap constitutionis de sent. excomm. in 6. quantùm porrò temporis interiici debeat inter has monitiones siue simul, siue distinctis vicibus fiant, variant DD. vt videbis apud Suar. disp. 3. s. 9. & Alteri. lib. 3. cap. 3. disp. 3. Res tota mihi videtur prudentiæ Iudicis relinquenda, expensa necessitate & grauitate negotij, alioquin si trinam monitionem in vnam cogat Iudex & tempus decurrat absque causa, peccat, & iniuriam facit Reo.

Dices glossam in Clem. 1. de vita & honestat. Clerico. negare sufficere vnicam monitionem in tria dierum interualla distinctam, quoties iura trinam requirunt quam glossam sequuntur DD. ibid. & Panorm. cap. 2. ne Clerici vel Monachi &c. ex tua de Cleric. non residentib. Felin. in c. consuluit, de officio deleg. n. 13. & in cap. Quoniam vt lite non contestata, n. 22. & in cap. contingit 2. de sent. excomm. atque alij plures.

Respondet Couarru. in cap. Alma mater 1. p. §. 9. n. 5. eam glossam veram esse, dum agitur de pœna propriè dicta à lege statuta, non autem de pœna infligenda ab homine, & maximè excommunicatione ac censura, quæ pœna ac punitio duntaxat nō est, sed contumacis Rei medicina aut emendatio, quæ proinde Reum resipiscentem non lædit; neque requiritur monitio propriè dicta nisi dum censura ferenda est ab homine, vt iam sæpiùs monuisse me memini. Aliam iurium istorum in speciem dissidẽtium conciliationem affert Felin. in cap. illud contingit cit. vbi ait esse ibi casum peculiarem, in quo requiratur trina monitio distincta realiter, cùm vnica regulariter sufficiat in tria interualla distincta, quod ex pluribus iuribus citat tum ipse, tum qui in illum annotationes edidit.

2. Canonica monitio debet exprimere nominatim eos qui monentur, cap. constitutionem de sentent. excomm. in 6. Illud autẽ nominatim rectè explicat glossa, vt vel proprium nomen monendi exprimat, vel propriis characteribus illum designet, vt si quis nominet filium Petri, qui vnicū filium habet, vt superiùs quoque monuimus ex cap. licet de testibus, & cap. 2. de sentent. excomm. in 6. & l. certum, ff. si certum petatur, l. 2. ff. de liber. & posthum. §. nominatim instit. de exhæredat. liberorum. Quando autem excommunicantur aliqui de collegio, aut vniuersitate, cùm ipsa non possit, vt diximus aliàs, excommunicari, singuli nominatim moneri debent, quod affirmat quoque glossa in cap. constitutionem cit. ṽ. nominatim. Quando verò censura fertur in aliquam communitatem, quod fieri posse in interdicto concessimus, non sunt omnes & singuli de communitate monendi, sed illi solùm, ob quorum culpam fertur censura, illi enim soli sunt contumaces & emendandi aut frangendi, ita Suar. disp. 3. s. 8. n. 2. Alteri. lib. 3. disp. 3. cap. 3. & alij.

3. Hæc monitio debet fieri personaliter ei qui 8
monetur, neque sufficit vt ad domum eius & habitationem fiat, aut in Ecclesia alioue loco publico affigatur, vnde ad eius notitiam peruenire possit. Ita tradunt DD. communiter, quos enumerat & sequitur Couarru. in cap. Alma mater 1. p. §. 9. n. 4. & Tiraq. lib. 1. de retract. §. 9. gloss. 2. n. 4. Felin. in cap. cùm sit Romana de Appellation. n. 13. & Panorm. in c. vlt. de eo qui mittit in possess. Hæc tamen conditio nullo iure expressa est, immò est limitatio quædam iuris communis, quod legitimam citationem eam agnoscit, quæ fit ad domum illius, qui citatur, l. scire oportet, §. qui autem, ff. de excusat. Tutor. cap. causam de dolo & contumac. & Clem. causam de election. & latissimè probat Tiraquell. glossa 2. citat. n. 1. Quarè si etiam in ferendis censuris citatio solita sit fieri ad domum monendi & excommunicandi, & non personaliter ei qui excommunicatur, legitimus erit ille vsus vt pote conformis iuri communi: quanquam enim appareat peculiaris quædam ratio, propter quam in censuris monitionem istam personalem DD. exigant, quia nimirùm censura tendit ad correctionem, diciturque iam verè contumax, qui monitus corrigi non vult, ad quod plus omninò conducit monitio personæ ipsi facta; tamen neque DD. possunt condere ius, neque hæc ratio eiusmodi est, vt ostendat ex natura censuræ requiri, vt monitio sit personalis, sed duntaxat vt Reus moneatur, quod fit omninò quando ea monitio ad eius notitiam peruenit, siue ipse immediatè & personaliter moneatur, siuè mediatè tantùm, poterit enim sese emendare si velit, & nisi faciat, contumax erit: quarè non existimo multum immorandum esse in ista conditione monitionis, quæ si alioquin canonicè facta sit, & ad notitiam personę monendæ sufficienter deuenerit, illam omninò obligabit in conscientia, atque etiam in foro externo, si probari possit monitionem illi tandem innotuisse, quod demùm fateri cogitur Couar. cum aliis quos laudat: sanè quando censuræ generales sunt, quia feruntur contra personas quæ quidpiam commiserunt, ignotæ tamen sunt, non fiunt, neque fieri possunt monitiones personales, sed præconio aliquo publico edicuntur, aut ad valuas Ecclesiæ, aliisque publicis locis affiguntur, vt in aliis quoque citationibus solitum esse monebamus ex communi iure, & in foro externo semper præsumitur eas monitiones innotuisse delinquentibus, nisi contrarium probetur: in foro autem interno debuit reuerà innotuisse Reo talis monitio, vt illum contumacem & censura innodatum reddat.

Denique aliquando etiam in censuris contra notas & determinatas personas singillatim latis non requiri semper personalem monitionem fatentur DD. laudati 1. si Reus se abscondat, vel alia ratione impediat, ne personaliter moneatur. Ita Couarru. l. cap. & Vgolin. tab. 1. cap. 18. §. 1. n. 1. benè tamen addit Sayr lib. 5. Thesau. cap. 12. n. 12. hoc constare debere Iudici per indicia valdè probabilia, quia non præsumitur dolus, nisi probetur.

2. Si iam semel fuit citatus personaliter, reliquæ citationes ad domum eius fieri possunt. 3. Si aliqua

citatio

citatio facta ad domum peruenit iam ad notitiam citandi, reliquæ fieri possunt eadem ratione. 4. quando quis malè absolutus ab Excommunicatione, illa denuò feritur; quos aliosque similes casus dabunt Vgolin. Tiraq. & alij iam adducti.

9 4. Monitio debet fieri cum comminatione talis censuræ ferendæ, & non tantùm, vt quidpiam faciat præcipere, aut monere. Soar. S. 11. numer.7. disp.3. negat quidpiam à Iure statutum esse in hac parte, aut ex sola natura. Censuræ quidpiam colligi satis posse, ac proinde seruandam esse monet consuetudinem, quæ optima legum interpres est, & quæ fert, vt monitiones fiant sub expressa comminatione talis Censuræ. Cæteri vero D D. hanc quæstionem ne attingunt quidem. Mihi tamen ex 1. nostra propositione videtur hæc conditio monitionis liquidò constare, cùm enim ostenderim, non esse sufficientem contumaciam ad incurrendam Censuram in violatione legis Ecclesiasticæ, nisi ea censuræ pœnam delinquentibus sanciuerit, ita neque erit sufficiens ista monitio, si non contineat comminationem Censuræ saltem in genere; quarè nullam esse in foro tum interno, tum externo censuerim eam monitionem quæ tantùm imperabit, vt sistat se Reus Iudici, parti satisfaciat, ab aliquo opere vetito desistat, & alia similia nulla facta mentione Censuræ incurrendæ nisi monitis ac mandatis pareat, si enim ob violatam legem Ecclesiasticam, quæ nullam edixerat Censuram, illa deinde ferri non potest, nisi peccatum adhuc pendeat in futurum, quia desuit in eo peccato contumacia necessaria ad hoc pœnæ genus; cur ob violatam monitionem & citationem Iudicis poterit ferri censura si ea monitio nullam quoque Censuræ infligendæ mentionem fecerit? si enim in priori casu non fuit necessaria contumacia ad censuram, neque erit etiam in isto. Quod verò in monitione exprimatur talis in specie censura ferenda, minimè requiritur, modò enim indicta sit Censura non parenti, sufficienter continax habebitur, si non pareat, & Censuræ Reus erit: pertinebit deinde ad Iudicem eam Censuram imponere, quæ eius contumaciæ & delicto respondeat. Atque ita existimo intelligendum esse, quod dicunt in ista monitione exprimendam esse causam, propter quam admonetur Reus, vt pareat, & desistat à crimine sub pœna nimirum Excommunicationis, aut alterius Censuræ incurrendæ, quod etiam aduertit Alteri. lib. 3. disput. 3. cap.3. sub fin.

10 5. Monitio fieri debet præsentibus idoneis personis, per quas possit probari monitio, si exigat necessitas. Ita definit. cap. sacro de sentent. Excomm. Vnde colligit Panormit. in illud cap. n.3. non esse necessarium hanc monitionem fieri scripto, requiritur enim præsentia personarum, vt probari possit, ad quam probationem duntaxat exigi possit scriptum; quarè distinguitur monitio hac in parte ab ipsa sententia Censuræ, & Excommunicationis, quæ, vti vidimos q.1. in scriptis ferri debet. Ex hac porrò ratione propter quam Pontifex iubet fieri monitionem coram personis idoneis, vt probari possit, colligit Tabiena. ℣. Excommunicatio. 2. num. 1. quando scripto fieret eiusmodi citatio, non fore necessariam personarum idonearum præsentiam, quia per scripturam probari poterit, ad quod tantùm præsentiam testium imperabat Pontifex, quia non crederetur soli Iudici in præiudicium alterius, vt aduertit glossa in cap. Sacro. ℣. possit probari. ex cap. Quoniam. de probatio.

6. Monitio fieri debet nomine & authoritate ipsius Iudicis & Superioris, quia eiusmodi esse debet, vt qui illam violârit, contumax & inobediens existat, ad quod requiritur imperium superioris, deinde hæc monitio vim habet citationis; citatio autem nullius momenti erit, nisi fiat authoritate Iudicis, vnde etiam accidit, vt quia citatio nunquàm fieri potest à Iudice, nisi aut ad instantiam partis, aut propter bonum commune nunquàm etiam monitio imperari debeat, nisi aut ad instantiam partis, aut quando Iudex fert Censuram propter bonum publicum, tunc enim potest ex officio suo procedere, quæ omnia lucem accipient ex iis, quæ disputabimus de Iudicijs, quanquam noonihil intersit inter monitionem & citationem, quod obseruat Bonac. de suspens. particul. disp. 3. quæst. 5. p. 1. §. 1. numer. 4. monitio fit vt subditus obediat, & censuram euitet; Citatio autem vt pars certior fiat de eo quod Iudex facturus est. 11

QVARTA PARS.

Censura sine canonica monitione iniusta est; non tamen inualida.

Quarta parte propositionis dixi Censuram absque Canonica & competenti monitione latam iniustam esse, quod statim apparet cùm lata fuerit contra præscriptum Iuris ordinem, vnde etiam fit, iudicem, qui in te graui legem Ecclesiasticam violauit, grauiter peccasse, quod ex subiectis pœnis in cap. sacro. Euidenter colligitur; priuatur enim per mensem ab ingressu Ecclesiæ, etiamsi alioquin iusta fuerit excommunicatio: de qua pœna disputauimus q. 1. huius capitis. 12

Dixi verò iniustam esse hanc sententiam, non tamen inualidam, itaque docent omnes DD. cum glossa, cum nullo Iure propter defectum monitionis Canonicæ irritetur Censura, nisi in quibusdam casibus particularibus, in quibus id exprimitur, & ex natura rei non postuletur monitio Canonica, etiamsi aliqua omnino exigatur ad contumaciam modo explicato propositione 1. Malè autem aliqui dicunt, Excommunicationem latam à Iudice delegato absque canonica monitione nullam esse, quia vt Panorm. in cap. vlt. de præbendis, Couarru. §.9. cit. num. 7. & alij rectè videtur nihil peculiare circa Iudices delegatos statuit Ius hoc loco, & illi tenentur Canonicam monitionem præmittere ex lege generali cap. Sacro. & aliis locis lata, quæ cùm ita requirat has monitiones, vt tamen non annullet sententias sine illis latas, non est, cur dicamus aliquas esse validas, licet iniustas, alias esse inualidas, nisi causa aliqua peculiaris subsit, aut Ius particulare, quod illas inualidet.

Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus Censura sine monitione Canonica nulla est. 1. quoties Iudex delegatus iussus est excommunicare præmissis admonitionibus, si eas omittat, excommunicatio nulla est, vt tradit Couarru. §.9. cit. n.8. Vgolin. tab. 1. cap. 18. num.4. qui alios adducunt, quia actua contra formam mandati factus nullus est cap. cum dilecta. de Rescriptis. cap. Pisanis de Restitu. spoliato, atque aliis locis à nobis notatis cùm de iurisdictione delegata ageremus, quod intelligendum esse diximus, etiamsi nihil aliud assignetur ab homine, quàm quod in iure expressum 13

expreſſum fuerat, vt Couarru. & alij DD. fatentur.

2. Quando quis excommunicat participantes, ſiue communicantes cum excommunicato à ſe, debet illos priùs canonicè monere, vt ab ea participatione & communicatione cum tali excommunicato deſiſtant, alioquin eiuſmodi excommunicatio defectu præuiæ monitionis non iniuſta modò ſed nulla & inualida erit; quia ita definitur cap. ſtatuimus, de ſentent. excomm. in 6. Itáque ſentiunt gloſſa ibid. ℣. monitionem, & cap. conſtitutionem eod. tit. & lib. Panorm. in cap. Reprehenſibilis de appellation. n. 13. Nau. cap. 27. n. 4. Henriq. lib. 13. cap. 17. n. 3. Vgolin. tab. 1. cap. 18. n. 4. Alteri. lib. 1. diſp. 12. cap. 6. Hurtad. diſp. 9. de excommunicatione diffic. 3. Couarru. in cap. Alma mater 1. p. §. 3. n. 6. Auila 2. p. cap. 6. diſp. 10. dub. 5. & alij omnes, de quocunque autem Iudice non modò ordinario, ſed etiam delegato, intelligenda eſt iſta lex, vt videbis apud Auila, quidquid alij dicant apud Alteri. §. tertio quæritur, ita vt quilibet poſſit excommunicare participantes cum excommunicato à ſe & ad eius ſententiæ validitatem opus ſit præuia monitione, qua lege non tenetur Pontifex, qui omiſſa canonica monitione validè illos excommunicantes excommunicabit; neque obnoxius erit pœnæ, quam minatur cap. ſtatuimus, cit. quam gloſſa ibid. ℣. pœnam, ait eſſe illam quæ habetur cap. ſacro, de ſentent. excomm. & quæ ſuperiùs explicata fuit. Hoc porrò cùm ſit peculiare, extendi non debet ad alios caſus, & diligenter aduertendum eſt, Pontificem ibi agere de Iudice excommunicante participantes cum excommunicato à ſe. Itáque ſi quis excommunicaret participantes cum excommunicato ab alio quopiam Iudice, illa excommunicatio non requiret ad ſui valorem præuiam monitionem canonicam, ſed abſque illa valida erit, iniuſta tamen, quod optimè obſeruauit Ioann. Andr. in cap. ſtatuimus citat. & Panorm. in cap. ſacro, de ſententia excomm. n. 9. id quoque extendit Sayr lib. 1. Theſau. cap. 13. n. 30. ad alias cenſuras, ita vt non poſſit Iudex ſuſpendere aut interdicere aliquem propter participationem cum excommunicato à ſe, niſi illum priùs canonicè moneat vt deſiſtat ab ea participatione, quod etiam docent Sylu. ℣. excommunicatio 2. n. 1. caſu 9. Nau. cap. 27. n. 165. Auila 2. p. cap. 6. diſp. 10. dub. 5. conc. 3. eo quod eodem modo diſputandum ſit de omnibus cenſuris, vbi vel ius, vel diuerſa ipſarum natura diſcrimen nullum ponit, & hoc loco ratio quæ mouit Pontificem, vt ad valorem excommunicationis, de qua agimus, vellet adhiberi monitionem canonicam, valet in cæteris cenſuris, cùm enim Iudex exiſtimet ſuam authoritatem deſpicatui haberi in conſuetudine ſiue participatione cum eo, quem ipſe excommunicauit, periculum eſt, ne facile tuendæ ſuæ authoritatis cauſa in excommunicationem aliaſue cenſuras re non ſatis aliquando perpenſa prorumpat, quod vbi agitur de ſeruanda alterius cuiuſpiam Iudicis ſententia non ita contingет.

Hinc fit, vt ſi à Synodo aliqui fuerint excommunicati, v. gr. non communicantes in Paſchate, poſſit deinde Epiſcopus illos excommunicatos denuntiare, & ſimul ferre ſententiam excommunicationis maioris contra communicantes cum eiuſmodi excommunicatis, quamuis non moneat ipſos nominatim, quia non ſunt excommunicati ab ipſo Epiſcopo ſed à Synodo, hæc porrò monitio debet fieri nominatim, neque enim ſufficit, vt generaliter feratur excommunicatio contra communicantes cum excommunicato, ſed nominandus eſt tum ille excommunicatus, tum deſignandi illi, qui iubentur deſiſtere ab ea communicatione intentata excommunicatione maiori, quam alioquin incurrent, neque ſufficit monitio tantùm generalis, vt tradit gloſſa in cap. conſtitutionem de ſentent. excomm. in 6. ℣. nominatim, & communiter DD. quos dabit Alteri. cap. 6. cit. in 3. limitatione, ſequiturque Auila, & alij, quamuis Couarru. dicat vſum huic iuri in pleriſque locis derogaſſe.

Quærunt tamen DD. an licet excommunicatio lata à Iudice contra communicantes cum excommunicato à ſe nulla ſit, quoties fertur omiſſa monitione, & aliis quæ traduntur cap. conſtitutionem; præceptum nihilominùs Iudicis vetantis eam communicationem obliget ſub mortali, ita vt qui deinde communicabit cum illis excommunicatis, peccet mortaliter ratione violati præcepti Superioris eam communicationem prohibentis, quamuis ſecluſo eo præcepto eſſet tantùm venialiter peccaturus ob leuitatem materiæ, communicationem v. gr. in humanis, id enim affirmant Nau. cap. 27. n. 31. & 47. Cordub. q. 179. & Hurtad. diffic. 3. cit. quia materia huius præcepti & prohibitionis capax eſt obligationis mortalis, alioquin neque præmiſſa monitione poſſet pro eius violatione infligi maior excommunicatio, velle autem hanc grauem obligationem imponere Superiorem patet ex pœna, quam imponit, & quamuis illa pœna eo quod contra modum à iure præſcriptum lata ſit, nullius efficacitatis exiſtat, non propterea tamen præceptum & prohibitio, cui annexa erat pœna excommunicationis, nullius momenti aut roboris eſt: placet nihilominus iura, quæ hanc ſententiam excommunicationis annexam præcepto irritant, ipſum quoque præceptum nullum reddere; quarè niſi Superior ſeruet conditiones, quas tanquàm ſubſtantiales leges præſcribunt huic excommunicationi, inualidè eam ſententiam pronuntiabit, & rem, pro qua illam ferebat, præcipiet, quod Sylu. ℣. excommunicatio 5. n. 6. Armilla eod. ℣. n. 49. Angel. eod. ℣. 4. n. 4. atque viri docti apud Auilam, dub. 5. cit. illis adhærentes ſentiunt.

CONSECTARIVM I.

An Pontifex poſſit excommunicare abſque præuia monitione.

14. Conciliari facilè diuerſas ſententias ex iis, quæ in vtráque noſtra propoſitione ſtabilita ſunt, nam ſi agamus de quacunque monitione, certum eſt, Pontificem etiam de plenitudine poteſtatis non poſſe illa omiſſa validè cenſuram ferre, cùm vti oſtendimus, aliqua monitio ſit eſſentialis cenſuræ, vt cenſura eſt, & non pœna duntaxat, neque poſſit Eccleſia pro culpis omninò præteritis, & abſque contumacia cenſuram vllam infligere, quæ omnia ſatis ſuperque ſtabilita ſunt à nobis. Si verò ſermo ſit de monitione canonica, cùm Pontifex poſſit derogare iuri communi, cuius ipſe conditor eſt, poterit quoque abſque ſimili monitione excommunicare, ſi tamen abſque cauſa id faciat licet non incurrat pœnas latas in eos, qui canonicam monitionem

monitionem omittunt, peccabit tamen quia ex quadam decentia & ratione scandali renetur leges, quas ipse tulit, seruare, ne caput à membris dissideat, vti alibi ex communi sententia atque ipsa ratione demonstrauimus. Reliqui verò prælati Pontifice inferiores peccabunt & pœnas incurrent sanctitas à Iure in hac parte, nisi modum monitionum ab eo præscriptum seruent, quia eximere se lege vniuersali & Pontificia sua authoritate non possunt, quod eodem loco probatum fuit.

CONSECTARIUM II.

An aliquis cedere possit Iuri monitionis prauia.

15 Ago de monitione & citatione Canonica, cui cedere nemo priuatus potest, & permittere vt excommunicetur ea non præmissa: cùm enim Ius cōmune quod illam induxit, non tam attenderit fauorem singulorum, quam bonum publicum, vt crebræ iniustitiæ, quæ inferendis censuris contingere possent, vitarentur, vt cap. contingit. a. de sentent. Excomm. dicitur, & in 2. nostra propositione ostendimus, sequitur non esse in potestate priuati cuiuspiam illi Iuri renuntiare, cum publico Iuri priuatorum pactis nuoquàm derogetur, c. si diligenti. de foro competenti. l. Ius publicum. ff. de pactis & nos alibi fusiùs exponemus: Itaque sententiam nostri consectarij docet Panormit. in cap. P. & G. de officio delegat. numero 7. vbi Hostiensallegat. Alteri. lib. 3. disp. 3. cap. 5. sub fin. Sayr. cap. 13. cit. n. 31.

CONSECTARIUM III.

An sententia quæ dicit se omittere monitionem tanquàm non necessariam, sit valida.

16 Ratio dubitandi petitur ex parte a. propositionis, in qua diximus censuras sine præuia monitione Canonica esse validas, licet sint iniustæ, quidni igitur, quæ non tantùm sine monitione profertur, sed etiam illam repudiat tanquam non necessariam ad valorem; erit quoque & ipsa valida.

℞. Tamen cum Alteri. cap. 5. cit. & Sayr. cap. 13. n. 17. atque aliis inualidam fore, quia reuerà monitio Canonica necessaria est ex Iure, vti ostendimus, & quamuis non sit necessaria ad valorem, est tamen necessaria ad Iustitiam, at verò sententia, quę negat esse necessariam, vt tumque negat, cùm negatio sit malignantis naturæ, & totum neget, quarè continebit eiusmodi sententia intolerabilem errorem contra Ius manifestùm à nobis tota 2. propositione explicatum, ac proinde nulla erit ex illo item alio principio, quod sententia manifestum & intolerabilem errorem continens nulla sit, de quo dicemus in scientia canonica.

CONSECTARIUM IV.

An in censura pro peccatis futuris sit adhibenda clausula trina admonitione præmissa.

17 Negat necessariam esse hanc clausulam Hurtad. de censu. in communi. numero 76. etiamsi superflua non sit. Distinguendum tamen est ex disputatis, nam si fertur excommunicatio latæ sententiæ pro peccato, futuro, superflua erit ea clausula, cùm absque alia monitione, quàm ea, quæ ipso præcepto continetur, incurratur censura ab iis qui tale præceptum comminatorium Excommunicationis aut suspensionis latæ sententiæ violant. Si autem illi præcepto annectatur tantùm censura ferendæ sententiæ benè adhibetur illa clausula, trina admonitione præmissa, quia reuerà Iudex illam omninò præmittere debebit antequàm Reum excommunicet; quod verum existimo etiamsi ipsa censura ferenda statuta esset à Iure, & annexa alicui peccato, non enim poterit Iudex contra Reum de crimine conuictum Excommunicatione & aliis censuris agere absque vlla admonitione, non quidem ex ipsa natura censuræ aut institutione monitionis Canonicæ, sed ex peculiari Iuris dispositione, quia reuerà per legem aut præceptum comminatorium censuræ facta est sufficiens admonitio, & qui legem illam violauit, sufficienter contumax est: Itaque non est, cur ex natura rei requiratur noua aliqua monitio, & maximè canonica, quæ instituta non est nisi vbi ipsa monitio legis & præcepti non sufficit. Ex peculiari tamen iure in cap. Reprehensibilis. de Appellationib. omninò præmittenda erit ista monitio antequàm iudex excommunicet illum, qui incidit in crimen, quod vel lege vel peculiari præcepto vetitum fuerat cum comminatione cēsuræ per Iudicem ferendæ. Alexand. enim III. vna cum Concil. Lateran. sic edicit in illo cap. cit. nec Prælati, nisi canonica commonitione præmissa suspensionis vel excommunicationis sententiam proferat in subiectos, nisi forte talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis vel excommunicationis pœnam inducat. Cùm igitur exceptio firmet Regulam, & censuræ, quæ propter infractam legem Ecclesiasticam incurruntur ipso suo genere, id est, ipso facto, vti exponit glossa, non indigeant monitione Canonica, cæteræ omnes, quæ infligendæ sunt à Iudice, eam monitionem præsupponent. Quod sapienter omninò sancitum est, ne sæpiùs Iudex in crimen merè præteritum, aut iam emendatum censuram ferat, maximè cùm Reus citatus, si emendationem spondeat, & Ecclesiæ satisfaciat, excommunicari non possit, immò potiùs si iam esset censura innodatus, absolui debeat. Quarè ne quis imprudenter & inualidè ob peccatum merè præteritum censura afficiatur à Iudice, præmittere iubetur admonitionem etiam dum violata fuit lex quæ illam comminabatur præterquàm quod peccata, quæ prohibentur cum comminatione censuræ ferendæ habent semper tractum aliquem successiuum, aut aliquam obligationem satisfaciendi relinquunt; alioquin non possent ea ratione prohiberi, vt de blasphemia & aliis eiusmodi, quæ momento consummantur, certum est: debebit igitur præmitti monitio, vt videatur an Reus desistere velit à peccato, aut satisfacere, vti obligatur: Quanquàm, vt iam monebam, cum fuerit monitus per ipsam legem, vrgeri possit excommunicatione aliàue censura ad satisfaciendum, aut abstinendum à peccato atque hac distinctione dissidia DD. conciliantur. Nam Auila cap. 5. 2. p. disputat. 1. dub. 5. Sanch. lib. 2. de matrim. disputat. 24. numero 28. Bonac. disputat. 1. de censu. qu. 1. p. 9. numero 4. & alij Innoc. in cap. ex parte. 1. de verbo. significa. & Panorm. in cap. Cùm sit Romana de Appellation. numero 28. sequuti dum negant præmittendam esse monitionem à Iudice ferente censuram, quam lex comminatur, attendunt, quid ex natura ipsa censuræ necessarium sit. At verò qui eiusmodi monitionem etiam hoc casu requirunt cum Caietan. ℣. præceptum.

Suar. disp. 3. f. 10. num. 10. Layman lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 5. numer. 6. Hurtad. de censu, in comm. diffic. 18. num. 79. & aliis, considerant dispositionem capitis reprehensibilis de appellationib.

CONSECTARIVM V.

Notorietas criminis non tollit necessitatem monitionis canonicæ ante censuram ferendam.

18 Ratio huius consectarij perspicua fit ex dictis, quia monitio non requiritur ante censuram, vt habeatur notitia criminis, sed vt exploretur voluntas Rei, an velit parere præcepto Ecclesiæ, an verò in sua contumacia obstinatè perstare velit, vt 1. & 2. propositione demonstrauimus; quarè Felin. in ca. si sacro. de sentent. excommunic. & alij quos afferunt Couatru. 1. p. Relection. in cap. Alma mater. §. 9. n. 6. Sayt lib. 1. Thesauri. cap. 12. n. 17. & Vgolin. tab. 1. cap. 18. num. 1. falsò in notoriis monitionem necessariam esse negant, non enim satis viderunt quid inter Censuras & alias pœnas intersit, cùm enim pœnæ punitionem duntaxat & vindictam criminis solùm spectent, vbi constat euidenter de crimine, nullamque Reo defensionem superesse, poterit princeps omni citatione prætermissa pœnam imponere, citatio siquidem requiritur, vt constet de crimine, & detur locus Reo quidpiam excipiendi, atque suum factum tuendi si iustè id possit; idcircò fatentur communi consensu DD. in notoriis Reum non citatum damnari Iure posse, Ex Clement. pastoralis §. cæterùm de sentent. & re Iudicata quod maximè verum est, quando qualitates facti notoriæ sunt, quia constat nullam Reo superesse defensionem, vti exponit glossa in cap. Quanto. de translati. Prælato. & cap. illud de excessibus Prælatorum, atque hanc omissionem citationis maximè vsurpari posse, quando Princeps vtitur plenitudine potestatis, affirmant Hostiens. & Ioann. Andr. in cap. in nostra de procuratorib. At verò cùm censura, vti iam sæpè fuit inculcatum, non feratur nisi in contumaciam, illaque haberi non possit, nisi Reus moneatur parere præcepto, & à scelere cessare, licet manifestum sit crimen non poterit absque monitione ferri, quia notorietas criminis non inuehit necessariò contumaciam.

Hinc etiam reiicitur, quod aliqui ita explicant hanc notorietatem vt velint eam esse non tantùm criminis, sed etiam ipsius contumaciæ, tunc enim nihil opus fuerit præuia monitione, quæ tantùm requiritur ad eiusmodi contumaciam explorandam. Ita Couatru. §. 9. cit. n. 6. ex cap. illud de Clerico, excommuni. ministra. & cap. 1. de Iudic. adducens Panorm. in vtrumque illud cap. vbi dicit in notoriis monitionem non esse necessariam Atque ea ratione D. Paulum excommunicasse incestuosum Corinthium irrequisitum & absentem, vt dicitur cap. cùm sit Romana. §. vlti. de Appellation. cùm enim esset incorrigibilis, nihil opus fuit illum monere aut vocare per Edictum publicum, cùm igitur in manifestum contumacem nihil planè impediat ferri Censuram, vbi notoria erit contumacia, inutilis aut saltem necessaria non erit monitio Canonica: Itaque censent Vgolin. tab. 1. cap. 18. num. 1. & Sayr. cap. 12. cit. numer. 23. qui dabunt alios.

Sed hæc tota Expositio secum ipsa pugnat, nam fieri nequit, vt detur notoria contumacia contra Ecclesiam, nisi Reus fuerit ab Ecclesia monitus, cùm ille solus dicatur contumax, qui obstinatè non vult agere, quod ipsi præcipitur, vel itaque præceptum est Reo, vt obediret Ecclesiæ impetanti interminata censura, vel non est præceptum: si primùm iam fuit adhibita monitio, & poterit ferri Censura, quæ inferatur ipso facto perseuerante contumacia, atque ita non fuerit opus pluribus monitionibus, vti constat ex his, quæ dicta sunt de legibus ac præceptis, quæ imponunt Censuras ipso facto contrahendas, in quibus nulla alia monitione, quàm ipsius legis ac præcepti commonitione opus esse diximus, quod idem hoc loco fiet. si verò nondum imperatum est vt obediret Ecclesiæ & satisfaceret, nondum teuerà contumax est, & quamuis dicat palam se non pariturum, ea tamen contumacia nondum est actualis, sed futura posito præcepto., & poterit mutare mentem, atque satisfacere Ecclesiæ, quando ab ea monebitur. Neque dicas inutilem fore eam monitionem, quandoquidem certum est ipsum non pariturum, nam vtilis erit, vt iam possit ferri censura in contumacem.

Ex quibus vides 1. quomodò sit intelligendum cap. venerabilibus. §. porrò de sentent. excomm. in 6. Vbi videtur imponi censura propter præsumptam contumaciam; non enim hic agitur de præsumpta contumacia futura, cùm neque ab ipso Deo puniantur peccata futura antequàm existant, & contumacia quæ futura præsumitur, nondum sit, quamuis existat fortassis affectus ad illam, & voluntas non parendi, neque satisfaciendi, etiamsi iubeatur, sed eam voluntatem non punit Ecclesia. Contumacia igitur præsumpta hoc loco est ea, quæ circa delictum commissum versatur, & in quo præsumitur perseuerare, aut saltem commissum fuisse ex contumacia, & non ex impotentia, aut alia quapiam legitima causa, quanquam eo capite non agitur de contrahenda excommunicatione, sed de contracta, cuius absolutio quæritur à superiore, ad quem fuit appellatum, & præsumitur lata fuisse excommunicatio propter contumaciam, quandoquidem contrarium non probatur.

2. Hinc vides, etiamsi delictum commissum sit in præsentia Iudicis, ita vt etiam dixerit Reus se non compariturum, si citetur, opus esse monitione, & Iudicem non posse illam omittere, etiamsi nouerit eam voluntatem Rei non parendi sibi ipsi significatam, contra Sayr. num. 23. cit. à Couarru.

3. Malè allegari cap. illud de Clerico excommunicato minist. quia ibi ita fertur excommunicatio in Hildesemensem Episcopum, qui sua relicta Ecclesia Herbipolensem nulla postulata, vel obtenta licentia, quod omnibus notorium erat occuparat. Quare iubet pontifex vt nisi intra viginti dies Herbipolensem Ecclesiam reliquerit, excommunicatus denuntietur à Magdeburgensi, in qua conditione vides apertè contineri monitionem.

4. Vides male Gratian. 2. q. 1. initio dixisse, omitti posse secundam & tertiam admonitionem, quando peccator ad primam apparet incorrigibilis, quod aliis quoque placuit, nam sola incorrigibilitas non est causa omittendi canonicam monitionem, sed necessitas, vt dicam statim, præterquàm quod iste Reus habet Ius, vt ter moneatur, neque

ante

ante trinam monitionem tenetur se corrigere, aut ... habetur contumax, sufficienter ex legis præscripto, ... nulla alia vrgente causa priuabatur illo suo iure à Iudice.

CONSECTARIVM VI.

Nulla necessitas excusat à præmittenda monitione Canonica, sed tantùm à trina distincta.

Aliquam monitionem essentialem esse censuræ ac proinde non posse omnem vnquàm omitti satis constat ex prima propositione: canonicam autem monitionem, cùm inducta sit tantùm iure Ecclesiastico, impunè omitti posse vrgente graui necessitate, & quando periculum est in mora, statuunt Nau. in cap. cùm contingat. de Rescriptis. in 5. causa nullitat. n. 3. Felin. in cap. cùm sit Romana. de appellationibus. n. 21. & in cap. sacro de sent. excomm. n. 4. Alteri. lib. 3. disp. 3. cap. 4. in 2. casu. & Canonistæ communiter, vt apud illos DD. videbis. Ratio esse potest, quia præceptum istud Canonicum monitionis non videtur eo casu obligare, & in tanto periculo, quod non patitur diutiùs differri censuram, tunc enim satis videtur, si ponantur ea quæ sunt essentialia censuræ, & præmittatur ea monitio, quam ex natura sua postulat, & quæ in præcepto comminante censuram illud violantibus includitur.

Vix tamen reperire est vllum casum, in quo necessitas & periculū quod est in mora, aliud postulet, quàm vt trinam monitionem cogamus in vnam, quæ tamen cæteras omnes conditiones in tertia parte 2. propositionis explicatas contineat, quod subtiliter aduertit Sayr. lib. 1. Thes. cap. 12. n. 18. & Vgolin. tab. 1. cap. 18. n. 2. Nam vulgaris ille casus, quem adducit glossa in cap. constitutionem de sentent. excomm. in 6. ý. Necessitas, de iis, qui ad pugnam parati sunt, neque arma deponere volunt, neque audituri sunt monentem Episcopum, qui proinde poterit illos excommunicare; & quod Felin. allegato Hostiensi ait, iam iam commissurum delictum excommunicari posse absque monitione si timeat Iudex illam inutilem futuram, non autem, si non timeat, probat duntaxat omitti aliquando trinam monitionem, neque aliud vòluit Pontifex in cap. Constitutionem, aut glossa ibid. Moderandam enim dicit Pontifex monitionem, non verò tollendam, estque ratio euidentissima; nam vel excommunicandus est in procinctu ad committendum delictum, à quo non est vlla ratione destitutus; vel iam actu delinquit; vel denique deliquit; si primum nondum potest excommunicari, quia nondum delinquit, neque adhuc contumax est, cùm nullum ipsi ab Ecclesia sit impositum præceptum sub pœna censuræ, quod tamen ad hanc contumaciam necessarium prorsus esse ostendimus prima & secunda propositione; poterit tamen tunc superior, atque etiam fortassis debebit monere illum, ne crimen, ad quod se accingit, committat, interminata excommunicatione ipso facto contrahenda, & illa excommunicatio erit pro futuris culpis; quæ non exigit trinam monitionem, aut aliam quampiam distinctam à comminatione inclusa in ipso præcepto crimen quodpiam prohibente. Si verò iam actu ipso delinquit, debet monere, vt desistat à scelere, præfixo aliquo termino intra quem incurret censuram, si in suo crimine perseueret. Si denique iam deliquit, neque præiuerit vlla monitio, aut comminatio censuræ, non poterit propter culpam præteritam censurâ affici, sed tantùm si crimen admissum tractum aliquem successiuum habet, aut obligationem satisfaciendi reliquerit, poterit sub pœna censuræ id solum imperari. Quæ omnia superius dicta sunt, ex quibus efficitur nullam necessitatem vnquàm ita vrgere, vt excuset à præmittenda omni monitione canonica, sed tantùm à trina, quod asserebat nostrum hoc consectarium.

CONSECTARIVM. VII.

Iteratio Excommunicationis, alteriusue censuræ non excusat à præuia monitione canonica.

Exemplum habemus in eo, qui cùm iam fuerit excommunicatus à iure v. gr. propter clerici percussionem iterum ab homine propter illud ipsum crimen excommunicaretur, id enim fieri posse contendebamus disq. superiori. hoc igitur casu posse hunc clerici percussorem denuò & noua omninò excommunicatione, quæ non sit tantùm declaratia illius, quæ ipso iure prius contracta fuit, excommunicari absque præuia monitione volunt Panorm. in cap. Reprehensibilis. de Appellationib. num. 6. & 7. Lapus allegat. 73. Felin. in cap. 1. de sponsalibus. Couarru. in cap. Alma mater. 1. p. §. 9. n. 5. Vgolin. tab. 1. cap. 18. neque abnuit Sayr. cap. 12. cit. n. 24. attento rigore iuris, quamuis suadeat, vt semper præmittatur vna saltem monitio. 21

Probatur tamen nostrum Corollarium in quod inclinant Suar. disp. 3. s. 10. n. 14. & Alteri. lib. 3. disp. 3. cap. 4. in quinto casu: quia cùm sit noua censura, & nouum vinculum, quod imponitur ab homine, vti obseruauit glossa in cap. Ita quorundam. de Iudæis. requirit nouam aliquam contumaciam, cùm non possit multiplicari numero pœna, nisi multiplicatu delicto & cùm vetus contumacia condignè punita fuerit, si noua pœna adiiciatur iniusta erit, nisi sit noua aliqua causa, quæ hoc loco non potest esse nisi noua contumacia, non aduersus legem, quæ violata fuit, ergo aduersus hominem: nequit verò intelligi noua ista contumacia aduersus hominem, quam nouâ censura Iudex castigat absq; noua aliqua monitione distincta ab ea, quæ includebatur in ipsa lege, illa enim constituit contumaciam aduersus legem, & iam censura ab eadem lege lata punita fuit.

Obiicies cap. Reprehensibilis, in quo requirit Pontifex canonicam monitionem in omnibus sententiis excommunicationis & suspensionis præterquàm quando culpæ tales sunt, quæ ipso suo genere suspensionis vel excommunicationis pœnam inducant.

℞. loqui Pontificem de sententia declaratoria censuræ iam ipso facto contractæ, quæ non requirit canonicam monitionem, hoc est, trinam interprete glossa in cap. sacro. de sentent. excomm. qua de re dicam aliquid q. proxima. Non agit verò Pontifex de sententia nouam excommunicationem aut suspensionem infligente. An verò in hac iterata excommunicatione sit seruanda trina monitio, existimo non esse petendum ab iteratione sententiæ, sed à necessitate: nam ex ea solùm moderandam esse trinam hanc monitionem dixit Pontifex in cap. constitutionem de sentent. excomm. in 6. & cùm

iste iretum excommunicandus ab homine æquè habeat ius, vt canonicè moneatur, atque si prius non fuisset excómunicatus, cur absque causa priuabitur illo suo Iure? quamuis enim iam fuerit contumax in legem, atque proinde ab ea punitus, fortassis tamen vbi monebitur ab homine, & sentiet se nouo fulmine censuræ feriendum, mentem & mores mutabit, & obsequentem se præbebit.

Ad hanc iterationem censuræ reuoco eam, quæ fit post impertitam prioris absolutionem, & nego eiusmodi iterationem monitione canonica carere posse, nam vel fuit Reus ille simpliciter absolutus, vel conditionatè tantùm, ita vt non impleta conditione reincideret in excommunicationem, vt dicitur cap. Eos. de sentent. Excomm. in 6. In priori casu cùm infligatur noua prorsus censura, vetus enim omninò per absolutionem sublata fuerat, requiret æquè canonicam monitionem, atque si nulla excommunicatio propter idem delictum præcessisset: quanquàm Felin. in cap. cùm sit Romana de appellation. numero 15. & Couarru. §. 9. numero 4. allegans nouas Rotæ decisiones, negent tunc requiri monitionem personalem, satisque fore si fiat ad domum excommunicandi, quod nos quoque monuimus 2. proposit. 3. parte, Ex horum aliorumque DD. mente, potiùs, quam vllo peculiari Iure aut ratione adducti.

Iam verò quando Absolutio fuit conditionata, & ea non adimpleta Reus reincidit in Excommunicationem, fertur quidem noua censura, vt dicam disq. 10. sed non ab homine, sed à Iure, in cap. Eos. cit. ad eiusmodi autem censuras sufficere comminationem & monitionem in ipsa lege contentam iam frequentiùs monuimus.

CONSECTARIVM VIII.

Omnis Prælatus ferens censuram tenetur præmittere monitionem Canonicam.

22 Loquor de Prælatis Pontifice inferioribus, quandò enim Pontifex hac lege adstringatur, diximus consectario primo Ratio verò vniuersalis huiusce Corollarij est, quia cùm ostenderimus 2. proposit. hanc conditionem requiri ex iure vniuersali Ecclesiæ, omnes illo tenentur, nisi prærogatiua aliqua excipiantur, qualis nulla omninò affertur, vt singulas, quæ à quibusdam authoribus excogitatæ sunt, expendenti facilè constabit.

Prima est, quando Index procedit potiùs tanquàm persona priuata in defensionem sui iuris, quàm vt Iudex; quando v. gr. excommunicat subtrahentes res Ecclesiæ, aut Episcopus excommunicat Abbatem, aut Parochum, qui illum in suą visitatione non vult agnoscere: in his similibusque aliis casibus monitionem canonicam necessariam esse negant, Felin. in c. sacro. de sentent. excomm. n.6. allegans Innocent. & Anton. quibus consentiont & alij à Couarru. §. 9. cit. n.6. adducti: probant quia cap. sacro. loquitur tantùm de iudice, & c. dilecto de sentent. excomm. in 6. fauere quoque dicunt huic opinioni, sed malè omninò, ibi enim dicit tantùm Pontifex Decanum Aurelianensem iure in balnui res Ecclesiæ impetentem gladio excommunicationis vsum fuisse etiam in propria causa; non habet verò quidquam, vnde colligatur ipsum omisisse trinam monitionem canonicam cap. autem sacro euidenter ostendit nostrum Corollarium, iubet enim omnem, qui profert excommunicationis sententiam præmittere competentem monitionem: atqui Prælatus, qui excommunicat alium in proprij iuris defensionem profert sententiam Excommunicationis [illegible] capitis. Sacro. canonicam & competentem monitionem præmittere debet; pugnatque omninò secum Aduersariorum sententia, cùm dicunt ferri censuram à iudice tanquàm à priuata persona; cùm enim illa censura sit actus iurisdictionis contumacem ferientis pœna condigna, implicat proficisci à persona priuata, & non à iudice siue pollente iurisdictione; hunc enim appellamus iudicem cò quod iurisdictio ferendæ censuræ sit coërciua & vindex. Quod totum manifestum fit in casibus ab aduersariis allatis, cùm enim Episcopus excommunicat detinentem res suæ Ecclesiæ, aut Abbatem vel Parochum, qui obtentu priuilegij noluit illum admittere, vel sua excommunicatione intendit punire & emendare delictum commissum, vel impedire, ne Rei in eo delicto perseuerent, & parti læsæ satisfaciant; priori verò modo superior agit tāquàm iudex, cuius est punire delicta commissa, & tenetur ordinem à iure præscriptum seruare: si verò intendat tantùm impedire futurum peccatum, debet illud prohibere sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, nisi intra præfixum terminum Rei pareant, & hoc præceptum continet monitionem, neque alia requiritur à iure in censura lata pro culpis futuris. Itaque nostram sententiam docent Couarru. n.6. cit. Sayr. n.20. Alteri. lib.3. disp.3. cap.1.

2. Tabiena. ỳ. Excommunicatio. 2. n.1. Vgolin. tab. 1. cap. 18. oum. 2. & alij quidam excipiunt illum, qui excommunicat tanquàm simplex exequutor non vt iudex, ille enim nullam habet iurisdictionem, neque suas vices alteri cōmittere potest, quia ipsi non committitur iurisdictio, sed solum ministerium. cap. vlt. §. vlt. de officio delegati. Hinc tamen non colligitur excommunicationem latam absque monitione canonica ab eo exequutore legitimam & iustam esse, neque enim ille debet exequi contra ius ministerium sibi commissum; quarè cùm teneatur operari ex præscripto iuris, debebit omninò vel præmittere monitionem canonicam, vel si sibi imperatum fuerit, vt nulla præmissa monitione excommunicet, supponere iam eam fuisse præmissam, aut si certò sciat, id nequaquàm factum fuisse, detrectare debebit illam mandati partem tanquàm iniustam.

3. Excipiunt ab obligatione præuiæ monitionis Canonicæ Prælatos Regulares, Felin. in c. Sacro. de sentent. Excomm. n.7. Lapus. allegat. 73. cò quod non teneantur iuris ordinem seruare; sed nulla est ea exceptio, quam etiam negant alij communiter à Sayr. c.12. cit. n.21. & Bonac. disp. 3. de suspension. in particulari. q.5. p.1. §. 1. n.8. & à nobis ipsis q.1. huius disquisitionis proposit. 2. in 2. parte sub fin. relati; nisi enim isti Regulares gaudeant hac in parte aliquo priuilegio, nequeunt excipi ab vniuersali iuris dispositione: Hoc autem priuilegium nullibi extat, quamuis enim ex concessione Leonis X. facta Minoritis possint sine scriptis censuram ferre, contra quàm iubeat ius commune, nullibi tamen legitur esse concessum vt sine præuia monitione canoonica id faciant. Vide Rodeuq. tom. 2. qq. Regula. q. 59. a. 3.

QVÆ

QVÆSTIO TERTIA.

De denuntiatione cenſuræ.

Quid ſit denuntiatio n. 1.
An teneantur ſemper ad illam Iudices num. 2. & 3.
Supponit ſententiam declaratoriam criminis Rei n. 4.
Requirit etiam citationem. n. 5.
Neque Reum ſatisfacere paratum licet denuntiare. ibid.
Poterit appellari ab ea declaratione. n. 6.
A quo fieri debeat denuntiatio. n. 7.
Modus denuntiationis. n. 8.

1 DEnuntiatio hoc loco eſt ſolemnis quædam & publica Excommunicationis alteriuſue cenſuræ ab aliquo incurſæ promulgatio, tum vt, qui ita denuntiantur, palam omnibus innoteſcant & maiori pudore ſuffundantur, tum vt omnibus cauſa excuſationis præcidatur, ne cum excommunicato communicent, aut à ſuſpenſo ſacramenta poſtulent. Quia tamen neque ſuſpenſi, neque interdicti vitandi ſunt à cæteris fidelibus, non eſt tanta neceſſitas denuntiandi publicè has cenſuras, ſicuti excommunicationem, qua priuat communicatione fidelium etiam politica; ſed ex decreto Cõſtantienſi, non niſi poſt publicam denuntiationem, vnde denuntiatio dicitur ipſius pœnæ & cenſuræ executio, tunc enim nanciſcitur ſuum vltimum effectum. In iure tamen reperimus denuntiationem omnium cenſurarum, nã de excommunicatione id præcipit cap. Curæ. 11. q. 4. quod idem habetur cap. peruenit. 1. & cap. paſtoralis §. verum de appellat. De interdicto clem. vlt. de cenſib. & de ſuſpenſione. Clem. 2. de pœnis.

2 Quibus tamen locis non ita præcipitur hæc denuntiatio, vt illam Index omninò teneatur adhibere, & peccet ſi omittat; nam allatis locis potius permittitur, quàm iubetur Iudicibus vt has denuntiationes faciant; quod maximè verum eſt poſt Concil. Conſtantinienſe: cùm enim non ſint amplius vitandi excommunicati, niſi ſint denuntiati, præcipua ratio quæ quondam vrgebat ad eam denuntiationem nimirum, ne communicarent fideles cum excommunicatis, iam ceſſat, quandoquidem ea communicatio prohibita non eſt amplius niſi poſt denuntiationem. Videndum igitur erit an aliqua ratio, aut grauitas delicti, aut ipſius Rei bonum, aut reliquorum exemplum aliaque ſimilia id poſtulant.

3 Et quidem quando excommunicatio fertur à Iudice poſt trinam monitionem canonicam aduerſus aliquam determinatam perſonam pro peccato commiſſo, facienda eſt denũtiatio, vt executioni mandetur excommunicatio, & reliqui illam ſeruent, ac ipſe etiam Reus ad id compellatur; atque de eiuſmodi excommunicationibus agit cap. Curæ. 11. q. 3. Quando verò excommunicatio incurritur ipſo facto per violationem legis, non tenetur Epiſcopus denuntiare illum excommunicatum, quia cùm cenſura tunc non fuerit lata à iudice per ſententiam, nihil cogit illam publicare, & deducere ad aliorum notitiam, immò ingerdum ea poteſt eſſe ratio non denuntiandi, ne peccet Iudex ſi denuntiet, ſic enim magis infamatur proximus, & grauius damnum patitur, quia etiamſi denuntiatio non magis liget excommunicatum, reddit tamen difficiliorem abſolutionem, cap. Tua. de ſentent. Excomm. ſi tamen pars inſtaret, peteretque denuntiari excommunicatum ad plenam illius pœnæ executionem, non poſſet Iudex id recuſare, ſed omninò denuntiare deberet; ad quod etiam tenetur in certis quibuſdam caſibus à iure præſcriptis, vt in Clem. 1. de pœnis, de eo qui capit Epiſcopum, Clem. 2. de iis qui capiunt viros Eccleſiaſticos, vt tenũtient ſuis beneficiis. in extrauag. vnica. de furtis. de iis qui ſubripiunt bona Eccleſiæ io cap. parochianos de ſentent. excomm. de iis qui manus violentas iniecerunt in monachos.

Hæc denuntiatio ſemper ſupponit ſententiam declaratoriam criminis, ratione cuius contraxit excommunicationem, aut aliam cenſuram, quia hæc denuntiatio eſt quædam executio pœnæ à lege impoſitæ; at vero executio pœnæ ſemper ſupponit declarationem delicti, vt ex communi DD. tradit Couarru. in cap. Alma mater. 1. p. §. 2. numer. 9. Hoc autem intelligendum eſt, etiamſi crimen illud notorium ſit. ex cap. peruenit. 1. & cap. conſuluit. de Appellation. 4

Hinc fit vt iſta denuntiatio prærequirat citationem Rei, alioquin nulla eſſet declaratio talis criminis, cùm ex generali principio Iuris nihil poſſit contra inauditam partem in Iudicio definiri, vt ex DD. & variis gloſſis ac Iuribus oſtendit Couarr. in idem cap. Alma mater. 1. p. §. 9. n. 5. Addit autem Suar. diſp. 3. ſ. 10. n. 17. vbi reus citatus comparuit, & oſtendit ſe paratum ad ſatisfaciendum non poſſe denuntiari, ſed potiùs abſoluendum eſſe ex cap. qua fronte. de Appellation. nam licet iam fuerit contracta cenſura, & denuntiatio non liget ampliùs vt habetur cap. Paſtoralis. §. verum. de appellation. tamen poſt Concil. Conſtantinenſe extendit quodammodo illud vinculum, quandoquidem obligat cæteros ad vitandum eiuſmodi excommunicatum, & præterea nouam affert infamiam; cùm igitur Eccleſia, quæ in his cenſuris ſolam emendationem Rei intendit obtenta condigna ſatisfactione nolit illum grauiori pœna mulctare, non videtur poſſe Iudex iuſtè denuntiare ita reſipiſcentem, quamuis enim contraxerit ipſo facto cenſuram, & ad illam non fuerit opus noua monitione, quod ſuperiori q. docuimus, non erit tamen denuntiandus abſque declaratione illius criminis, neque ea declaratio fieri poterit abſque citatione Rei, qui ſi compareat & ſatisfaciat, non debebit denuntiari. Vbi tamen notorium eſt crimen, poterit declarari abſque vlla citatione, & ſimul cum ea declaratione criminis poterit Reus denuntiari excommunicatus, Ita Panormit. in cap. Parochia. de ſentent. Excom. numero 2. & in cap. peruenit. de appellation. num. 5. Sylu. ✝. Excommunicatio. 5. numero 12. 13. & alij. 5

Poterit quoque appellari ab hac declaratione, quia etiamſi non poſſit appellari à pœna Iuris cap. Quia. de Appellation. & l. ſi qua pœna. ff. de verbo. ſignific. poteſt tamen appellari à ſententia Iudicis declarantis Reum incidiſſe in pœnam Iuris, quia hæc declaratio eſt ſententia hominis, non Iuris ex gloſſa ſingulari in cap. cupientes §. quod ſi per viginti de Elect. in 6. ✝. priuatos. Verùm de appellationibus fuſius agemus alibi & circa hanc ipſam materiam dicemus aliquid n. 9. 6

Denun

7 Denuntiatio fieri potest imprimis ab illo iudice, à quo lata fuit excommunicatio, cum ius habeat exequendi suam sententiam. cap.pastoralis. §. vetum.de appellation. 2. fiet ab eo cui iudex excommunicans id commiserit, tunc enim habet iurisdictionem delegatam ad eam actionem etiamsi de causa excommunicationis nihil cognoscat. 3.quãdo incurritur excommunicatio ex violatione statuti Episcopalis denuntiabitur vel à suo Episcopo, vel ab eo cui id commiserit Episcopus. 4.si legem communem violârit, & ob illud sit ipso facto excommunicatus, denuntiabitur vel à suo ordinario, vel ab ordinario loci in quo commissum fuit delictum ex Clem.1.de pœnis.c.de illis.6.q.3. & c.1. de Rapto.

8 Modus huius solemnis denuntiationis varius olim fuit, de solemni quidem anathemate, quo anno 1076. Gregorius VII. Henricum IV. perculit, vide Sigonium lib. 9. de Regno Italiæ. De iis etiam, quæ adhuc in illo seruantur consule A Castro. lib.2. de iusta hæretic.punit.cap.2.circa med. Synesi.Ep.58. Andronicum Ptolemaidis præfectũ excommunicat, eaque de re litteras dat ad omnes Ecclesias, vt illum è cœtu fideliũ expellant. Duodecim sacerdotes cum cereis circumstant Episcopum, quoties solemniter excommunicat, qui deinde cereos conculcant pedibus.cap. debent 11.q.3. ex Epistola Zachariæ ad S. Bonifacium; quãdo verò ipse Pontifex excommunicat solemniter habet adstantes 12.Episcopos, vti obseruat Sayr. lib. 1. Thesau. cap.15. numero 4.Hinc glossa in cap.cum ab Ecclesiarum. de officio ordinarij. Sylu. ✠. excommunicatio. 1. num.5.Nau. in comm.de datis & acceptis. notab.4.num.10. Sayr.lib.1. Thesau. cap. 15. n.5. colligunt anathema à Solo Episcopo infligi posse; immò Concil. Meldense can. 56.consensum Archiepiscopi atque aliorum comprouincialium Antistitum requirit. Mittebantur deinde ad vicinas Ecclesias Epistolæ, quibus significaretur excommunicatio incursa, quod à Synesio factum vidimus, & in cap. debent. citato. iubet Zacharias, & habetur in cap. parochianos de sentent. excomm. & cap. ad certitudinem eod. tit. in extrauag. communi. Idcircò iussit aliàs concilium Aruernense, prout refert Iuo Carnotens. Ep.76.vt ab vno Episcopo excommunicatus à vicinis quoque Episcopis excommunicaretur. Aliquando sententia anathematis Christi sanguine exarabatur, quod contra Pyrrum Monothelitam in Concil.Romano. an.648.sub Theodoro factum scribit Theophanes in miscella. an.20. Heraclij. & Nicetas in vita S. Ignatij Constantina. octauam synodum contra Photium eodem ritu vsam fuisse prodidit. Adduntur denique imprecationes ex psal.108.Circa hos verò aliosque ritus duo tantùm monere habeo, primum est seruandos esse cuiusque Ecclesiæ mores in hac parte, nisi fortè aliqua superstitio ignaris sine dubio Prælatis irrepsisset. Alterum est nihil esse quod obliget ad certos quosdam ritus in iure modo denuntiatio contineat nomen Excommunicati, & causam excommunicationis, atque hæc omnia in Ecclesia celebri concione proponantur, aut ad Ecclesiæ valuas vel alibi omnibus legenda publicè prostent: tunc enim quæ necessaria sunt ad finem denuntiationis istius habentur; illud enim dicitur publicari, quod ita palam & publicè fit vt transeat illicò, vel successiuè in notitiam viciniæ vel maioris partis, vt de notorio dicitur in cap. cum dilectis de purgati.Canon.& notant.DD. in c. vestra. de cohabit.Clerico.& muli. & Cosmas in pragmat. Sanct.tit. de Concubin. §. publicè. & disputans de hac ipsa censurarum denuntiatione in Extrau. ad Euitanda. glossa. ✠. publicata. & glossa. ✠. denuntiata. Quarè ad has denuntiationes non sufficeret publicari in consistorio iudicis paucis præsentibus, quod aduertit glossa in clem.1. de sepulturis. ✠. publicè.

DISQVISITIO VII.

De effectibus Censuræ.

EXplicatis causis omnibus censurarum ad perfectam earum notitiam superest, vt earum effectus aperiamus, estque latissima hæc disputatio, atque etiam intricata, quam tamen solemni nobis methodo ad pauca quædam principia reuocabimus.

Supponendum verò imprimis est, quidnam sit, & quotuplex effectus censuræ, quod ex eius natura hactenùs explicata non fuerit difficile colligere.

Effectum igitur duplicem faciunt aliqui; primũ appellant formalem, alterum autem remotum; & primus quidem ille effectus iterum triplex est, primus quidem reddere hominem, quem cẽsura afficit

dignum

dignum priuatione bonorum spiritualium; secundus est ipsorum bonorum spiritualium realis priuatio; tertius est obligatio abstinendi ab aliquibus actionibus, & vsu rerum spiritualium. Effectus remotus est ille, quem intendit author censuræ, qui iterum duplex est, spiritualis nempè Rei emendatio, & temporalis scilicet satisfactio partis læsæ.

Verùm hic posterior effectus, finis potiùs dici debuit, quamuis semper in vnum coincidant finis operantis, & effectus operis ab ipso positi, deturque mutua causalitas inter causam efficientem & finalem. De hoc fine siue effecto remoto disputauimus tota disq. 2.

Effectus verò formalis non benè constituitur in dignitate priuationis bonorum spiritualium, hæc enim dignitas supponitur à censura, non affertur; quis enim dicat pœnam exilij & deportationis facere formaliter eum, qui tali pœna damnatus est, dignum qui exulet & deportetur; facit igitur censura priuatum bonis spiritualibus, estque effectus maximè proprius censuræ illa priuatio, quæ tamen non est à censura tanquàm à forma, sed potiùs tanquam ab efficiente, sicut priuatio frigoris in aqua est à calore informante aquam, nemo tamen dicat priuationem frigoris esse effectum formalem caloris aquam informantis. Censura igitur est ipsamet forma, quæ moraliter afficit hominem illumque censuratum, excommunicatum, suspensum & interdictum formaliter constituit; vnde sequitur in eodem homine priuatio bonorum spiritualium, quamdiu manet affectus forma censuræ, excommunicationis, suspensionis & Interdicti, ac demum inde oritur obligatio abstinendi quibusdam actionibus, & vsu bonorum spiritualium; quamdiu enim perstat forma censuræ in tali subiecto, perseuerat quoque impedimentum morale ad exercitium quarundam actionum, siue quia potestas moralis ad illas actiones incompossibilis est cum forma censuræ; siue quia illa potestas ligatur. Sicut in aqua calida, quandiu retinet calorem est impedimentum frigoris, & necessitas quædam siue debitum physicum carendi frigore, ad quod tamen habet naturalem inclinationem. Quia tamen censura quidpiam morale est, poterit aliquando manente censura suspendi obligatio carendi certis illis actionibus, quia ea obligatio seu impedimentum est incompossibilitas cum quibusdam actionibus, non est effectus formalis censuræ; sed effectious: De hoc tamen effectu effectiuo, siue de priuatione bonorum spiritualium, atque obligatione abstinendi vsu quarundem actionum, quam affert censura, instituitur tota ista disputatio. Quia verò censuræ non differunt nisi materialiter secundum istas priuationes vt constat ex disq. 1. cùm plures iisdem bonis priuent, & quædam omnibus, totumque discrimen formale petendum sit ex ratione sub qua singulæ priuant iisdem aliquando bonis, quod enim pluribus priuent, est admodùm materiale, vt monui; Idcircò omnium facilè censurarum effectus explicari possent, cùm hæ priuationes eædem omnino sint, à quacunque forma morali, & sub quacunque ratione inducantur. Quod videmus quoque in priuationibus physicis, quæ ex diuersis causis, à quibus tollitur forma contraria, non accipiunt diuersitatem; tenebræ enim sunt eædem, quoties eadem lux remouetur, à quocunque, & sub quacunque ratione aut respectu remoueatur: Vt igitur in hac disputatione distinctius procedamus, singulas priuationes, quæ per censuras causantur, exponemus aperiemusque à quibus non censuris oriatur, & quas obligationes, aliosue effectus morales efficiant.

QVÆSTIO I.

Quinam Excommunicati, suspensi, & Interdicti sint tolerati aut non tolerati, vitandi aut non vitandi.

Necessitas huius quæstionis. n. 1.

Ratio dubitandi, & status controuersiæ. numero 2.

Propositio. n. 3.

1. *Pars. Neutra Constitutio habet vim synodalis Constitutionis. n. 4. 5. 6.*

2. *Pars. Concordata seruanda sunt à Gallis. num. 7.*

3. *Pars. Consuetudo tamen obtinuit contrarium. n. 8.*

Littera Extrauagantis n. 9.

Expositio Constitutionis illius. n. 10.

Notationes in eam rem. ibid.

1. *Pars Extrauagantis de excommunicatis non vitandis & toleratis. n. 11.*

An peccent, qui citra necessitatem communicant in diuinis cum excommunicatis toleratis. n. 12. & 13.

De qua communicatione occulta, an publica sit intelligenda Constitutio. n. 14.

An ista valeant in suspensis & interdictis. numero 15.

Permissio communicandi cum Excommunicatis non affert obligationem n. 16.

2. *Pars Constitutionis de excommunicatis vitandis n. 17.*

Non sufficit esse nominatim excommunicatos nisi sint etiam denuntiati n. 18.

Neque sufficit denuntiari crimen cui est annexa excommunicatio, nisi ipsa Excommunicatio denuntietur n. 19.

Vitandi sunt notorij Clerici percussores. numero 20.

An forma denuntiationis sufficiat ad obligationem vitandi excommunicatum. n. 21.

Cuiusnam testimonium sufficiat. n. 22.

An denuntiatus in vna prouincia vitandus sit in alia, vbi ea denuntiatio ignoratur. n. 23.

Vltima particula Constitutionis, ad euitanda. num. 24.

Consectaria ex necessitate denuntiationis explicata. n. 25.

Consectarium 1. Non tenemur vitare Excommunicatum, etiamsi eius excommunicatio probari possit, nisi sit denuntiatus. n. 26.

Consect.

7 Denunciatio fieri potest imprimis ab illo iudice, à quo lata fuit excommunicatio, cum ius habeat exequendi suam sententiam. cap.pastoralis. §. verum.de appellation.2. fiet ab eo cui iudex excommunicans id commiserit; tunc enim habet iurisdictionem delegatam ad eam actionem etiamsi de causa excommunicationis nihil cognoscat. 3.quãdo incurritur excommunicatio ex violatione statuti Episcopalis denuntiabitur vel à suo Episcopo, vel ab eo cui id commiserit Episcopus. 4.si legem communem violârit, & ob illud sit ipso facto excommunicatus, denuntiabitur vel à suo ordinario, vel ab ordinario loci in quo commissum fuit delictum ex Clem.2.de pœnis.c.de illis.6.q.3.& c.1. de Rapto.

8 Modus huius solemnis denuntiationis varius olim fuit, de solemni quidem anathemate, quo anno 1076. Gregorius VII. Henricum IV. percuſſit,vide Sigonium lib. 9. de Regno Italiæ. De iis etiam, quæ adhuc in illo seruantur consule A Castro. lib.2. de iusta hæretic.punit.cap.2.circa med. Synesi.Ep.58. Andronicum Ptolemaidis præfectũ excommunicat, eaque de re litteras dat ad omnes Ecclesias,vt illum è cœtu fideliũ expellant. Duodecim sacerdotes cum cereis circumstant Episcopum,quoties solemniter excommunicat, qui deinde cereos conculcant pedibus.cap. debent 11.q.3. ex Epistola Zachariæ ad S. Bonifacium;quãdo verò ipse Pontifex excommunicat solemniter habet adstantes 12.Episcopos, vti obseruat Sayr. lib. 1. Thesau. cap.15. numero 4.Hinc glossa in cap.cum ab Ecclesiarum. de officio ordinarij. Sylu. ꝟ. excommunicatio. 1. num.5.Nau. in comm.de datis & acceptis. notab.4.num.10. Sayr.lib.1. Thesau. cap. 15. n.5. colligunt anathema à Solo Episcopo infligi posse; immò Concil. Meldense can. 56.consensum Archiepiscopi atque aliorum comprouincialium Antistitum requirit. Mittebantur deinde ad vicinas Ecclesias Epistolæ,quibus significaretur excommunicatio incursa,quod à Synesio factum vidimus, & in cap. debent. citato. iubet Zacharias, & habetur in cap. parochianos de sentent. excomm. & cap. ad certitudinem eod. tit. in extrauag. communi. Idcircò iussit alias concilium Aruernense, prout refert Iuo Carnotens. Ep.76.vt ab vno Episcopo excommunicatus à vicinis quoque Episcopis excommunicaretur. Aliquando sententia anathematis Christi sanguine exarabatur, quod contra Pyrrum Monotelitam in Concil.Romano. an.648.sub Theodoro factum scribit Theophanes in miscella. an.20. Heraclij. & Nicetas in vita S. Ignatij Constantina. octauam synodum contra Photium eodem ritu vsam fuisse prodidit. Adduntur denique imprecationes ex psal.108.Circa hos verò aliosque ritus duo tantùm monere habeo,primum est seruandos esse cuiusque Ecclesiæ mores in hac parte, nisi fortè aliqua superstitio ignaris sine dubio Prælatis irrepsisset. Alterum est nihil esse quod obliget ad certos quosdam ritus in iure modo denuntiatio contineat nomen Excommunicati, & causam excommunicationis, atque hæc omnia in Ecclesia celebri concione proponantur, aut ad Ecclesiæ valuas vel alibi omnibus legenda publicè prostent: tunc enim quæ necessaria sunt ad finem denuntiationis istius habentur;illud enim dicitur publicari, quod ita palam & publicè fit vt transeat illicò, vel successiuè in notitiam viciniæ vel maioris partis, vt de notorio dicitur in cap. cum dilectis de purgat. Canon.& notant.DD. in c. vestra. de cohabit.Clerico.& muli. & Cosmas in pragmat. Sanct.tit. de Concubin. §. publicè. & disputans de hac ipsa censurarum denuntiatione in Extrau. ad Euitanda. glossa. ꝟ. publicata. & glossa. ꝟ. denuntiata. Quarè ad has denuntiationes non sufficeret publicari in consistorio iudicis paucis præsentibus, quod aduertit glossa in clem.1. de sepulturis. ꝟ. publicè.



DISQVISITIO VII.

De effectibus Censuræ.

QVÆSTIO I. *Quinam excommunicati, suspensi & interdicti sint tolerati, aut non tolerati, vitandi aut non vitandi.*

Quæst.2. An & quomodo Excommunicatio priuet communibus Ecclesiæ suffragiis, fructu sacrificij, Indulgentiis & sacra sepultura.

Quæst. 3. Quomodo excommunicatio priuet receptione sacramentorum.

Quæst. 4. Quomodo Excommunicatio priuet administratione sacramentorum.

Quæst. 5. De priuatione rerum sacrarum & diuinarum quam affert Excommunicatio.

Quæst.6. De priuatione Iurisdictionis Ecclesiasticæ, quam affert excommunicatio.

Quæst.7. De inhabilitate ad beneficia eorumque fructus per Excommunicationem inducta.

Quæst. 8. Quomodo Excommunicatio priuet communicatione forensi.

Quæst. 9. Quomodo excommunicatio priuet communicatione politica.

Quæst.10. De quibusdam aliis effectibus Excommunicationis.

Quæst. 11. De effectibus minoris Excommunicationis.

Quæst. 12. De effectibus suspensionis.

Quæst. 13. De effectibus depositionis & degradationis.

Quæst.14. De effectibus Interdicti.

Quæst. 15. De effectibus Cessationis à diuinis.

Explicatis causis omnibus censurarum ad perfectam earum notitiam superest, vt earum effectus aperiamus, estque latissima hæc disputatio, atque etiam intricata, quam tamen solemni nobis methodo ad pauca quædam principia reuocabimus.

Supponendum verò imprimis est, quidnam sit, & quotuplex effectus censuræ, quod ex eius natura hactenùs explicata non fuerit difficile colligere.

Effectum igitur duplicem faciunt aliqui; primũ appellant formalem, alterum autem remotum; & primus quidem ille effectus iterum triplex est,primus quidem reddere hominem,quem cẽsura afficit dignum

dignum priuatione bonorum spiritualium; secundus est ipsorum bonorum spiritualium realis priuatio; tertius est obligatio abstinendi ab aliquibus actionibus, & vsu rerum spiritualium. Effectus remotus est ille, quem intendit author censuræ, qui iterum duplex est, spiritualis nempè Rei emendatio, & temporalis scilicet satisfactio partis læsæ.

Verùm hic posterior effectus, finis potiùs dici debuit, quamuis semper in vnum coincidant finis operantis, & effectus operis ab ipso positi, derurque mutua causalitas inter causam efficientem & finalem. De hoc fine siue effectu remoto disputauimus tota disq. 2.

Effectus verò formalis non benè constituitur in dignitate priuationis bonorum spiritualium, hæc enim dignitas supponitur à censura, non affertur; quis enim dicat pœnam exilij & deportationis facere formaliter eum, qui tali pœna damnatus est, dignum qui exulet & deportetur; facit igitur censura priuatum bonis spiritualibus, estque effectus maximè proprius censuræ illa priuatio, quæ tamen non est à censura tanquàm à forma, sed potiùs tanquam ab efficiente, sicut priuatio frigoris in aqua est à calore informante aquam, nemo tamen dicat priuationem frigoris esse effectum formalem caloris aquam informantis. Censura igitur est ipsamet forma, quæ moraliter afficit hominem illumque censuratum, excommunicatum, suspensum & interdictum formaliter constituit; vnde sequitur in eodem homine priuatio bonorum spiritualium, quamdiu manet affectus forma censuræ, excommunicationis, suspensionis & Interdicti, ac demum inde oritur obligatio abstinendi quibusdam actionibus, & vsu bonorum spiritualium; quamdiu enim perstat forma censuræ in tali subiecto, perseuerat quoque impedimentum morale ad exercitium quarundam actionum, siue quia potestas moralis ad illas actiones incompossibilis est cum forma censuræ; siue quia illa potestas ligatur. Sicut in aqua calida, quandiu retinet calorem est impedimentum frigoris, & necessitas quædam siue debitum physicum carendi frigore, ad quod tamen habet naturalem inclinationem. Quia tamen censura quidpiam morale est, poterit aliquando manente censura suspendi obligatio carendi certis illis actionibus, quia ea obligatio seu impedimentum est incompossibilitas cum quibusdam actionibus, non est effectus formalis censuræ; sed effectiuus: De hoc tamen effectu effectiuo, siue de priuatione bonorum spiritualium, atque obligatione abstinendi vsu quarundem actionum, quam affert censura, instituitur tota ista disputatio. Quia verò censuræ non differunt nisi materialiter secundum istas priuationes vt constat ex disq. 1. cùm plures iisdem bonis priuent, & quædam omnibus, totumque discrimen formale petendum sit ex ratione sub qua singulæ priuant iisdem aliquando bonis, quod enim pluribus priuent, est admodùm materiale, vt monui; Idcircò omnium facilè censuratum effectus explicari possent, cùm hæ priuationes eædem omninò sint, à quacunque forma morali, & sub quacunque ratione inducantur. Quod videmus quoque in priuationibus physicis, quæ ex diuersis causis, à quibus tollitur forma contraria, non accipiunt diuersitatem; tenebræ enim sunt eædem, quoties eadem lux remouetur, à quocunque, & sub quacunque ratione aut respectu remoueatur: Vt igitur in hac disputatione distinctius procedamus, singulas priuationes, quæ per censuras causantur, exponemus aperiemusque à quibusnam censuris oriantur, & quas obligationes, aliosue effectus morales efficiant.

QVÆSTIO I.

Quinam Excommunicati, suspensi, & Interdicti sint tolerati aut non tolerati, vitandi aut non vitandi.

Necessitas huius quæstionis. n. 1.

Ratio dubitandi, & status controuersiæ. numero 2.

Propositio. n. 3.

1. Pars. Neutra Constitutio habet vim synodalis Constitutionis. n. 4. 5. 6.

2. Pars. Concordata seruanda sunt à Gallis. num. 7.

3. Pars. Consuetudo tamen obtinuit contrarium. n. 8.

Littera Extrauagantis n. 9.

Expositio Constitutionis illius. n. 10.

Notationes in eam rem. ibid.

1. Pars Extrauagantis de excommunicatis non vitandis & toleratis. n. 11.

An peccent, qui citra necessitatem communicant in diuinis cum excommunicatis toleratis. n. 12. & 13.

De qua communicatione occulta, an publica sit intelligenda Constitutio. n. 14.

An ista valeant in suspensis & interdictis. numero 15.

Permissio communicandi cum Excommunicatis non affert obligationem n. 16.

2. Pars Constitutionis de excommunicatis vitandis n. 17.

Non sufficit esse nominatim excommunicatos nisi sint etiam denuntiati n. 18.

Neque sufficit denuntiari crimen cui est annexa excommunicatio, nisi ipsa Excommunicatio denuntietur n. 19.

Vitandi sunt notorij Clerici percussores. numero 20.

An forma denuntiationis sufficiat ad obligationem vitandi excommunicatum. n. 21.

Cuiusnam testimonium sufficiat. n. 22.

An denuntiatus in vna prouincia vitandus sit in alia, vbi ea denuntiatio ignoratur. n. 23.

Vltima particula Constitutionis, ad euitanda. num. 24.

Consectaria ex necessitate denuntiationis explicata. n. 25.

Consectarium 1. Non tenemur vitare Excommunicatum, etiamsi eius excommunicatio probari possit, nisi sit denuntiatus. n. 26.

Consect.

Consect. 2. Non tenemur vitare Excommunicatum, quando eius denuntiatio dubia est. num. 27.

Consect. 3. Ille de cuius denuntiatione constat, etiamsi dubia sit Excommunicatio, vitandus est. n. 28.

Consect. 4. Confessarius non potest vitare quem in Confessione nouit excommunicatum. n. 9.

Consect. 5. Parochus non potest vitare quem iussus est denuntiare, si nondum denuntiauit n. 30.

Consect. 6. Titius denuntiatus cum suis fautoribus vitandus est, non eius tamen fautores. n. 31.

Consect. 7. sententia Excommunicationis de futuro non obligat ad vitandum sic excommunicatum. n. 32.

Consect. 8. Qui semel est denuntiatus semper est vitandus. n 33.

Consectaria de communicatione ciuili cum hæreticis, & fide illis seruanda. n. 34.

Consect. 9. Hæretici non denuntiati vitandi non sunt. ibid.

Consect. 10. Quale in Gallia consortium cum hæreticis sit licitum. n. 35.

Consect. 11. Hæreticis seruanda fides est. numero 36.

Consect. 12. Contrahens matrimonium cum hæretico debet illi fidem seruare. n. 37.

Consect. 13. Princeps pactam fidem de permittenda libertate Religionis tenetur seruare. n. 38.

Consect. 14. fides hosti hæretico data seruanda est. n. 39.

Consect. 15. Licet communicare etiam in sacris cum hæreticis non denuntiatis. numero 40.

Consect. 16. Licet cum hæreticis orare, & illorum interesse funeri. n. 41.

Consect. 17. An liceat hæreticum in loco sacro sepelire. n. 42.

Consect. 18. An fas sit adire templa Hæreticorum. n. 43.

Consect. 19. An liceat hæretico sacerdoti ministrare. n. 44.

Consect. 20. An liceat filios hæreticorum admittere in scholis. n. 45.

Consect. 21. An liceat esse patrinum filij hæretici. n 46.

Consect. 22. An liceat suscipere sacramenta ab hæreticis. n. 47.

Consect. 23. An ordinatus ab Excommunicato aut hæretico sit Irregularis. n 48.

Consect. 24. An Matrimonium cum hæretico sit licitum. n. 49.

Consect. 25. An liceat audire missam Concubinarij n. 50.

Consect. 26. An liceat audire sacrum excommunicati. n. 51.

Consect. 27. An fas sit inuitare excommunicatum ad faciendum sacrum. n. 52.

Consect. 28. An liceat ab excommunicato accipere absolutionem. n. 53.

Consect. 29. Non denuntiatus non fit irregularis ministrando sacramenta. n. 54.

Consect. 30. Quid faciendum quando denuntiatus sed paucis notus subit templum. numero 55.

Consect. 31. An denuntiato mihi noto sit neganda Eucharistia petenti. n 56.

Consect. 32. An tenear vitare eum, qui me præsente percussit clericum 57.

Consect. 33. An licitum sit matrimonium cum excommunicato. n. 58.

HÆc quæstio facem præferet toti disputationi, quam de censurarum effectibus instituimus, cùm enim plerique illorum ita afficiant Censura innodatum, vt ad alios quoque per quaodam consequutioné pertineant eo quod censura perculsus cogator quibusdam actionibus, & sacri oiuneris exercitiis abstinere, vnde necessariò fit vt cæteri quoque fideles eas actiones ab excommuoicatis, suspensis, aut Ioterdictis, oeq; expectare, aut postulare, neqoe illas communi cum ipsis operâ efficere iure possiot, vti aote censuram soliti erant. Quare videndum est, vtrum intercedat discrimen aliquod inter ipsos èxcommunicatos, suspensos & interdictos, quoad actiones, quas cum aliis fidelibus aut circa illos exercere debeot, cuiusmodi est communicatio siue sacra, siue prophana cum aliis; sintque aliqui vitandi, alij tolerati & non vitandi, quia etiamsi sint excommunicati reipsa, aut alia ceosura perculsi, ita tamen inter cæteros versantur, atque cum illis communicant, atque si reipsa excommunicati non forent, neque suspensi, cùm reliqui ab ipsis se non abstioeant, & easdem, quas prius actiones tum sacras, tum prophanas exerceant. Quarè huios expositio quæstionis ad omnes deinde effectus censurarum aptanda erit. 1

Ratio dubitandi & status controuersiæ aperitur.

Antiquo Iure tenebatur excommunicatus à fidelium omni commercio tum sacro, tum prophano abstinere, vnde alibi monuimus hanc censuram appellari à Tertullia. cap. 39. Apologet. relegationem factam per seniores Præsides à communicatione orationis & cooueutus, & omnis saocti commercij. Itaque si publica erat excommunicatio palam vitabatur excommunicatus; si occulta tantùm erat occultè tantùm vitabatur à scientibus. cap. cùm ab homine. de sentent. Excommun. vbi glossa & Panorm. numero 3. & 7. idem explicant, & cap. cùm desideres. eod. tit. & sanè cùm Excommunicatio secum trahat exequutionem, & illi nihil superaddat denuntiatio ex cap. Pastoralis. §. verum. de appellation. rectè quondam statutum fuerat vt excommuoicatus etiam occultus vitaretur à scientibus illum esse excommunicatum. 2

Eum tamen rigorem temperauit Gregor. VII. vt refertur c. Quoniam. 11. q. 3. & misericordia motus aliquos

aliquos ab ea lege vitandi excommunicatos præsertim in communi consuetudine sapienter exemit, quod probauit eius deinde successor Vrban. teste Bartholdo in Chronico ad ann. Christi 1089. tandem Concilium Constantiense an. 1414. edidit sanctionem, qua eos tantùm qui nominatim denuntiati fuerint, aut ita notorij percussores Clerici, vt nulla tergiuersatione suum factum celare possint, vitandos esse voluit. Hæc tamen constitutio nusquam in actis illius concilij apparet, neque in Bulla, qua Martin. V. eiusdem acta synodi confirmauit, solet tamen tribui illi Pontifici, eiusque nomine allegari; quasi ab illo in Synodo Constantiensi edita fuerit. eam integram refert Antonin. 3. p. tit. 25. cap. 3. ex quo deinde cæteri nouiores exscripere, anno deinde 1435. Synodus Basiliensis eandem sanctionem edidit sess. 20. nulla concilij Constantiensis mentione facta, cùm tamen reperiatur vtraque illa constitutio iisdem omninò verbis & sententiis constare, nisi quod Constantiensis solum notorium Clerici percussorem vitari velit, etiamsi non fuerit denuntiatus; Basiliensis verò id statuit de omnibus notoriis excommunicatis, atque adeò non restringat ad Clerici percussores. Hanc Basiliensem probauit concil. Bituricense, & pragmaticæ sanctioni inseruit Carolus VII. ac demùm Leo X. in concilio Lateranensi in concordatis Galliæ. Circa has igitur constitutiones triplex excitatur controuersia, 1. est an eæ sint alicuius roboris, & reuerà iuri antiquo derogarint, quod omninò DD. concedunt, & ipse vsus iam obtinuit. 2. est, quænam ex his constitutionibus probanda sit an Basiliensis, quæ omnes notorios excommunicatos vitandos esse definit, etiamsi denuntiati non sint: An verò Constantiensis, quæ negat illos esse vitandos, si violenta iniectione manuum in clericos minimè teneantur. Qua in quæstione dissentiunt DD. Antonin. n. l. c. & tract. de censu. cap. 83. Caietanus in summ. V. excommunicatio minor, & V. absolutio 2. Angelus, V. excommunicatio n. 8. Adrian. in 4. q. 9. de confessione, & in materia de claub. q. 3. atque alij magno numero, quos refert & sequitur Gutierr. lib. 1. qq. canoni. cap. 1. n. 7. Constantiensem tuentur. Alij verò adhærent Basiliensi cum Couarru. in cap. Alma mater, §. 2. n. 7. Vgolin. tab. 1. cap. 13. §. 7. n. 8. & aliis quos illi referunt magno numero.

3. Quæritur quisnam sit verus & legitimus harum extrauagantium sensus, quas duas postremas controuersias paucis diffiniemus.

PROPOSITIO.

3 Neque Constantiensis, neque Basiliensis constitutio vim & authoritatem obtinent Synodalis & vniuersalis legis, quæ iuri communi & antiquo derogare possit, atque omnes fideles obligare: Gallis verò suum peculiare ius concordatorum retinendum est; consuetudo tamen legitima & rationabilis aduersus antiqua iura inualuit, & constitutionem Constantiensem induxit etiam, vt videtur in Gallia; quarè illam omnes tutò & absque vlla religione sequi possunt.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Sensus huius propositionis perspicuus est ex proposita ratione dubitandi, singulæ igitur eius partes probandæ sunt. 4

Dixi imprimis neutram ex istis constitutionibus habere vim legis Synodalis & vniuersalis, atque ea ex parte non posse derogare iuri communi, quod asserunt quoque Suar. disp. 9. de censu. s. 2. num. 2. neque videtur abnuere Gutierres cap. 1. cit. n. 14. ... tacitè fatentur omnes recentiores, qui Constantiensem idcircò tantùm sequuntur, quia frequenti vsu probata fuit, & sanè quod attinet ad Constantiensem illa nusquam, neque in actis Synodi, neque in Bullis Martini V. reperitur, sed solùm apud Antonin. qui illam ex aliorum fide retulit, neque deinde in Editione Gregoriana inter extrauagantes, aut decretales edita fuit: deinde narrat ipse Antonin. sparsum quidem fuisse rumorem illud decretum fuisse tantùm in quinquennium, & ab Italis non fuisse acceptatum: sed id falsò iactatum probat Antoninus testimonio duorum clarissimorum testium, qui Synodo interfuerant, qui & perpetuam & ab omnibus acceptatam eam definitionem asseruerunt; atque ex iis vnum Andream Posnoniensem, cùm à Martino in Concilio Senensi peteret, vt sibi liceret ea Concilij indulgentia vti, etiamsi iam quinquennium elapsum foret, audiuisse à Pontifice se velle eam perpetuam existere; in qua ratione secum pugnat Antonin. si enim condita fuerat à Concilio perpetua illa sanctio & omnibus consentientibus stabilita, vt quid Andreas Posnoniensis Episcopus petiit à Martino, vt sibi liceret vti fauore eius legis, vt quid obiecit non nisi in quinquennium latam fuisse. Affert postremo loco Antonin. Cardinalem Iulianum, qui eidem Synodo præfuit, in testem; verùm Nicolaus de Osino, qui supplementum attexuit Pisanellæ, V. Clericus 3. sub fin. refert hanc constitutionem cum clausula generali, omnem notorium excommunicatum, & non solùm clerici percussorem continente, quam tamen ait se exscripsisse ex libro Iuliani Cardinalis, qui illi Concilio præfuit, & qui eam constitutionem illi ostendit in sua camera Florentiæ an. 1440. die 11. Decemb. Quarè iure miratus Felin. in cap. Rodolphus de rescriptis, n. 39. Antoninum & Nicolaum, qui diuerso modo illam constitutionis clausulam referunt eiusdem Iuliani Cardinalis Concilij Præsidis authoritate vti, & vtrumque dicere se ab illo eam Constitutionem accepisse. Videas quàm parùm firma sit tota ista narratio, & quàm multa desiderentur, vt huic sanctioni Concilij œcumenici sanctitatem & authoritatem concilient, cùm vnius Antonini fide, eaque, vt vides dubia nitatur; quo enim cæteri deinceps illi consenserint, cum ab illo vno exscripserint, nullam maiorem fidem faciunt.

Iam verò Basiliensis constitutio à Synodo quidem edita fuit, sed cùm tota ea Synodus tanquàm schismatica reiecta fuerit, neque eius decreta vim vllam legis obtinuerint, nisi quatenus à Romanis Pontificibus reddita Ecclesiæ pace, & extincto schismate confirmata sunt, & hæc constitutio de vitandis excommunicatis nunquam reperiatur à Romano Pontifice authoritatem accepisse, non magis vniuersalem Eccle- 5

ſiam, quàm cætera eiuſdem Synodi decreta obligare poterit. Neque dicas illam ſanctionem acceptatam fuiſſe à Gallis in concilio Bituricenſi, & in pragmatica ſanctione: quidquid enim ſit, de illius pragmaticæ, de qua tandiu inter Romanam & Gallicanam Eccleſiam diſceptatum fuit, authoritate, inde duntaxat habetur, illam vim aliquam habuiſſe in Gallia, non idcircò inter Synodi vniuerſalis Sacroſancta decreta numerandam eſſe: qua ſimili ratione reiicitur, quod opponi ſolet ex Concilio Lateranenſi, vbi Leo X. in concordatis inter ſedem Apoſtolicam & Regnum Galliæ eandem ſanctionem Baſilienſem admiſit, nam neque Leo condit eo loco legem vniuerſalem Eccleſiæ, ſed ſolis Gallis id indulget, neque etiam admittit tanquàm decretum à concilio œcumenico prius conditum, ſed nulla eius facta mentione, aut ſaltem approbatione, id caput pragmaticæ ſanctionis, de qua penitùs abolenda, quod hactenùs parùm fœliciter tentarunt Romani Pontifices, tunc agebatur, retineri voluit. Quod verò Couarru. §. 2. cit. n. 7. exiſtimat Nicolaum V. rata habuiſſe ſuo diplomate, Quæ PP. Baſilienſes circa beneficia & cenſuras definierant ex non ſatis perſpectis Nicolai litteris dictum eſt; Nicolaus enim nihil aliud voluit, quàm omnia beneficia, quæ vel à Pontifice Fœlice V. antequàm ſe abdicaret ſumma dignitate, vel à Synodo durante ſchiſmate collata fuiſſent, probare, omnes cenſuras, quæ id temporis inflictæ fuiſſent, tollere, & abſolutiones præſtitas ab iiſdem firmas quoque eſſe. Ait quidem Antonin. decretum Baſilienſe priùs conditum fuiſſe, quàm Synodus à Pontifice Eugenio diſſideret, ſed id negat Sylu. in conflato in Epiſt. ad lectorem, quæ toti operi ſubiicitur, atque ſe id legiſſe apud Cardin. Turrecrema. in ſumma de Eccleſia lib. 2. cap. 100. ac proinde eam conſtitutionem tanquàm nullius momenti reiiciendam eſſe, adhærendumque Conſtantienſi, quamuis in ſumm. V. excommunicatio 5. n. 9. contrarium docuiſſet. Verùm etiamſi daremus, quod contendit Antoninus, editam hanc conſtitutionem ante ſchiſma non tamen ſequeretur eam habere authoritatem legis vniuerſalis & Synodalis, cùm nullæ ſanctiones etiam à legitimis conciliis editæ ſimilem authoritatem obtineant, niſi vbi à Romano Pontifice confirmatæ fuerint, quod ex ſcientia canonica perſpicuum & certum manet.

Oſtendo denique neutram ex iſtis conſtitutionibus probatam fuiſſe aut agnitam ab Eccleſia tanquàm Synodale decretum, & legem vniuerſalem, firmo, niſi fallor, argumento ex iis quæ in concilio Lateranenſi in componendis Romanæ & Gallicanæ Eccleſiæ diſſidiis geſta ſunt, vt quid enim Galli laborabant in retinendo hoc capite pragmaticæ ſanctionis, aut cur illud inſertum fuit concordatis, atque inter ea, quæ præcipuo quodam fauore ſedes Apoſtolica annuente œcumenico concilio indulgebat Galliæ, ſi iam illud ipſum vniuerſali Eccleſiæ per conſtitutionem vniuerſalis concilij conceſſum fuerat: immò ſi vigebat conſtitutio Conſtantienſis, & Martini V. non modò per concordatum nihil indultum fuit Gallis, ſed etiam aliquid detractum, cùm amplior ſit fauor Conſtantienſis concilij toti Eccleſiæ impenſus, quam concordatorum hac in parte; nam ſolum notorium Clerici percuſſorem inter excommunicatos vitandos numerat Conſtantienſis Synodus; concordatum verò omnes notorios excommunicatos vitari imperat. Neque vllus, opinor, exiſtimabit adeò imprudentes fuiſſe Gallos, vt tam pertinaciter pugnarent ne ſibi deinceps liceret vti eodem commodo & priuilegio, quod œcumenica Synodus toti orbi feciſſet, cùm tam multis annis de retinendis præcipuis quibuſdam iuribus, atque exemptione à communibus legibus, quæ ipſis gratiores videbantur, diſceptatum fuiſſet. Neque igitur Galli, neque Romani probatam fuiſſe ſanctionem conſtantienſem exiſtimarunt, alioquin neque illi petiiſſent indulgeri ſibi quidpiam in hac cauſa communicandi cum excommunicatis; neque iſti difficiles ſe præbuiſſent in iis concedendis, quæ ab vniuerſali Synodo, & à Romano Pontifice orbi vniuerſo conceſſa fuiſſent. Quæ eadem ratio valet in conſtitutione Baſilienſi, quæ in pragmaticam ſanctionem quondam tranſlata, deinde in concordatis nullo mutato apice retenta fuit: ſi enim iam moribus Eccleſiæ tanquàm Synodi œcumenicæ ſanctio recepta fuit, poterant ea Galli, ſicut & cæteri impunè vti, neque indigebant peculiari iure, aut fauore concilij, & Pontificis. Quarè ſi quid eiuſmodi ſancitum fuerit à concilio Conſtantienſi, vereor vt non fuerit ſtatim inductum in mores, aut ad tempus tantum Germanis conceſſum ſit, neque voluerint PP. id priuilegium in acta Synodalia referri, vti reuerà relatum non fuit, eius tamen ſanctionis aliqua exemplaria apud eos, qui Synodo interfuerant, remanſerint: & quia fortaſſis ſæpius temporaneum illud decretum factum & refectum fuit, inde nata eſt inter aliqua exemplaria nonnulla diuerſitas, vti monebamus ſuperiùs; quia verò Martinus V. ſaltem viuæ vocis oraculo, vt ex Andrea Poſnonienſi Epiſcopo refert Antoninus, eiuſmodi decretum probauerat ad conciliandam interea Eccleſiæ pacem, & propter crebras excommunicationes, quas perdurante graui illo ſchiſmate diuerſarum factionum Pontifices in ſibi aduerſarios iaciebant, ita vt plerique perpetuis ſcrupulis angerentur, vtrum enim verè excommunicato communicaſſent, & ipſi in excommunicationem ob illam communicationem incidiſſent, factum eſt vt illud deinde decretum nomine Martini V. vulgaretur à DD. atque ſenſim induceretur in mores, quamuis neque inter acta concilij, neque inter reſcripta eius Pontificis, neque in ius commune, neque inter alia Pontificia acta, quæ fidem Pontificiæ legis faciunt, relatum vnquàm fuerit.

SECVNDA PARS.

Gallis concordata ſeruanda ſunt.

2. Parte propoſitionis dixi Galliæ ſeruandum eſſe ius peculiare concordatorum, in quo habetur integra conſtitutio Baſilienſis, quarè ea nunc vim legis obtinet in Gallia, non tanquàm ſynodalis conſtitutio, ſed tanquàm peculiare priuilegium celebri illo contractu inter ſedem Apoſtolicam & Regnum Chriſtianiſſimum inito conceſſum. De vi autem & obligatione horum Concordatorum diximus alibi. 7

TERTIA PARS.

Conſuetudo tamen contrarium obtinuit.

3. Parte dixi conſuetudinem antiquo iuri 8

iuri de vitandis excommunicatis derogasse & in mores induxisse constitutionem Constantiensem. Ita DD. omnes magno consensu fatentur, & vsu cottidiano probatur, nam in Gallia & Germania aliisque partibus infectis hæresi Catholici consuescunt cum notoriis hæreticis, & consequenter cum notoriis excommunicatis absque vlla animi Religione; consuetudinem verò illam legitimam esse inde constat, quod idipsum induxerit, de quo poterat fieri prudens constitutio, vt patet ex ea, quæ de eadem te lata est in Synodo Basiliensi & in concordatis Galliæ; quibus locis redditur optima ratio eiusmodi sanctionis: ad vitanda nimirum scandala & pericula atque sedandas conscientias timoratas, cùm enim ob crebras excommunicationes periculum sit, ne cum excommunicatis quis communicet, & sæpius etiam dubitari possit, an sit causa sufficiens, quæ eam communicationem permittat, vel non, & an valida fuerit, aut inualida excommunicatio, aliaque similia dubia pulsare soleant animum, sapienter omninò aliquid certi statutum fuit, atque etiam timoratis conscientiis mollito antiquo rigore consultum, quod pridem optauerant Iuo Carnotens. Ep. 186. & Gerson.lect.4.de vita spirituali, corolla.14. proposit. 2. Itaque nonnisi rationabilis & prudens censenda est ista consuetudo, quæ antiquo iuri derogauit, & eius austeritatem temperauit; & his incommodis occurrit, quod facilius multò præstitit acceptando sanctionem Constantiensem, quàm Basiliensem, vti ostendit Gutierr. cap. t. cit. n. 11. cùm in vitandis omnibus notoriis excommunicatis multò plura dubia & scrupuli suboriri possint, quàm in vitando solo notorio Clerici percussore.

Aduerto porrò hanc consuetudinem non videri certam & constantem fuisse in tota Ecclesia ante concilium Lateranense & Leonem X. alioqnin vt superiùs argumentabar, nihil indultum fuisset Gallis circa euitationem excommunicatorum, vti tamen factum est in concordatis, quæ in illo concilio inter sedem Apostolicam & Regem Christianissimum inita sunt.

Moneo denique etiam in Gallia consuetudinem iam derogasse concordato in eo quod omnes excommunicatos notorios velit vitandos esse, cùm reuerà iam non soleat vitari nisi notorius Clerici percussor, vt patet, præterquàm quòd cùm constitutio Constantiensis iam ipso vsu vim legis obtinuerit in vniuersa Ecclesia, ea quoque vti poterit Gallia, Concordatorum enim ius conditum fuit in peculiarem fauorem, non in onus & grauamen.

Extrauagans ad euitanda.

Subiicio porrò ipsam extrauagantem, vt quid illa tandem ferat, inspicere liceat.

9 Ad euitanda scandala & multa pericula, quæ cōscientiis timoratis contingere possunt Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum administratione, vel receptione, vel aliis quibuscunque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscunq; sententiæ aut censuræ à iure vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliqnem vitare, aut interdictum Ecclesiast. obseruare, nisi sententia aut censura eiusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, vniuersitatem, Ecclesiam, vel locum certum, aut certam à Iudice publicata, vel denuntiata specialiter vel expressè: constitutionibus Apostolicis & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque: saluo, si quem pro sacrilega manuum iniectione in Clericum sententiam latam à Canone adeò notoriè constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio excusari, nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri, iuxta Canonicas sanctiones. In Basiliensi verò & concordatis sic legitur illa clausula. Aut si aliquem ita notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo iuris suffragio excusari, nam à communione abstineri vult iuxta Canonicas sanctiones. Pergit porrò vtraque constitutio. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos seu prohibitos non intendimus in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari.

Expositio constitutionis.

Ad perspicuam intelligentiam huiusce extrauagantis in tres partes diuidenda est; quarum prima continet veniam communicandi cum omnibus excommunicatis, præterquàm cum illis qui in sequenti parte excipiuntur. In secunda parte recensentur duo genera excommunicatorum, quibuscum non licet communicare. In tertia demùm parte dicitur nullum ex hac venia fauorem aut commodum deriuandum esse in ipsum excommunicatum, cùm cæteris duntaxat fidelibus non excommunicatis fauere voluerit Synodus. 10

Repetendum præterea est ex superioribus aliquem tripliciter percelli excommunicatione aliaue censura 1. quando siue à iure, siue ab homine sententia fertur generaliter in eos, qui aliquod crimen admiserint, in omnes v.gr. fures, incendiarios, adulteros, si enim Titius id crimen committat, verè excommunicatus est, immò glossa in cap. à nobis 2. de sentent. excomm. ait illum nominatim excommunicatum esse, quando constabit illum tale crimen admisisse, quod ex communi DD. reiiciunt Couarru.in cap. Alma mater 1. p. §. 2. n. 8. & Gutierr. lib. 1. qq. Canoni. cap. 1. n. 26. negatque Couar. loca, quæ adducit illa glossa quidquam probare.

2. Excommunicatur aliquis aut alia censura innodatur expresso nomine proprio aut appositis aliquot signis, quæ certò illum, qui excommunicatur, significent & demonstrent, & tunc dicitur nominatim excommunicatus argumento ducto ex lege nominatim, ff. de condit. & demonstra. & l. 1. & 2. ff. de liberis & posthum. & §. nominatim, instit. de exhæredat. liberor. quæ loca adducit glossa in cap. cùm & plantare, §. excommunicatos de priuil. & in cap. constitutionem, de sentent. excomm. in 6. & in Clem. 1. de vita & honestate Clerico. ✠. nominatim; quas glossas probant communiter DD. teste Couar. l. c. & Cosma. in pragmat. sanct. tit. de excommunicatis non vitandis, ✠. expressè. Ratio est quia cùm non requiratur ferri nominatim excommunicationem & aliam censuram nisi vt certò constet de illo, qui tali censura notatur, cùm hoc æquè certò constiterit per varia signa apposita, atque per ipsius nominis expressionem, æquè dicetur nominatim excommunicatus, atq; si proprio nomine fuisset in illa sententia appellatus. Immò etiā si ad formam & substātiam alicuius actus exigatur aliquid nominatim fieri, satis fuerit omisso nomine proprio ea adscribi signa, quæ certam & indubitatam reddant personam in quam dirigitur actus, vt videbis apud Tiraq. in l. si vnquam, C. de reuocand.

reuocand.donat. ✝.reuetetatur num. 234.

Tertio aliquis ita nominatim excommunicatur per Iudicis sententiam, vt simul illum denuntiet, mandetque denuntiandum tanquam publicum excommunicatum, quæ publicatio & denunciatio, fit modo à nobis sup.disq. qu. vlt. explicato, & tunc talis dicitur nominatim excommunicatus & denuntiatus; itaque omnis nominatim excommunicatus non statim denuntiatus est, quamuis omnis publicus & deountiatus excommunicatus, sit quoque necessariò nominatim excommunicatus quomodo, enim denunciaretur aut publicaretur nisi expresso proprio nomine, aut appositis signis æquiualentibus designaretur. His ita obseruatis facilè capietur mens huius extrauagantis.

PRIMA PARS EXTRAVAGANTIS.

De Excommunicatis non vitandis & toleratis.

Prima igitur pars quæ veniam facit communicandi cum omnibus excommunicatis exceptis illis, qui in secunda parte designantur, intelligenda in primis est de omni communicatione tum Ciuili, tum Sacra In Sacramentorum administratione; aliisque diuinis eodem prorsùs modo, atque si excommunicati, suspensi, aut interdicti non essent, ita vt nunquam ob illam communicationem cum excommunicatis toleratis peccent cæteri fideles contra legem aut censuram Ecclesiasticam, neque proinde minorem excommunicationem vnquam idcircò incurrant; quia ex extrauagante, quam exponimus, non tenemur vitare excommunicatos toleratos, cum illis in omnibus diuinis & extra, id est, in iis quoque quæ diuina non sunt possint communicare. Ita Auila. 2.p. cap. 6. disp.8. dub. 2.con. 4.Suar. disp.11. s.4. n.3. Koninc.disp.14. dub.3. con.6.

Peccare nihilominùs contra legem naturalem & charitatis communicantes cum eiusmodi excommunicatis toleratis in diuinis quoties circa necessitatem aut ingentem vtilitatem, aut non paratos, aut non vtendo iure suo, siue postulando actionem ad quam ex munere suo teoentur, quia nimirùm Prælati sunt, aut Parochi, illos inducunt ad functionem aliquam sacram sacrificij v.gr. celebrationem, sacramentorum administrationem diuini officij recitationem, similesque actiones, quarum exercitium ipsis per censuram illicitum redditur existimaot laudati DD. sequuti Caietanum. ✝. absolutionis impedimenta. & Sylu. ✝. Excommunic. 5. quæst. 19. dicto.4. Nauar.cap. 9. n.16. quibus adhæret Gutierr. lib. 5. qq. Canon. cap.1. n. 48. Ponci. lib.5. de matrim. cap. 18. §. 9. Sayr. lib.2. cap.2.n.9. Henriq.lib. 13.cap.6. n.3. Valent.tom. 4. disp.7. q.55. p. 3. quia sollicitant excommun. ad actionem, quam nequit præstare sine peccato, cui proinde cooperantur, quod est intrinsecè malum; peccare enim excommunicatum & suspensum ministrando sacramenta certum est ex communi sententia; neque Constantiensis extrauagans quidpiam facit hoc loco, cùm ipsa nihil fauoris, aut veniæ faciat excommunicatis, aliàue censura notatis, vt dicemus in expositione tertiæ partis. Qui itaque extra casus assignatos inducet excommunicatos ad exercendas sacras actiones, maximè ad sacrificium, & sacramenta ministranda, peccabit omninò non contra legem Ecclesiasticam prohibentem communicationem cum excommunicatis, sed contra legem naturalem, quæ prohibet alieno peccato cooperari, aut proximum ad ruinam spiritalem & peccatum impellere, vt latè diximus 1. 2. disputantes de scandalo, & Ponc. cap. illo id fusè prosequitur.

Verius tamen existimo fideles ab omnibus istis excommunicatis licitè petere sacramenta, & neque in legem Ecclesiasticam, neque in legem naturalem de non cooperando proximi peccato vlla ratione peccare, ita Soto in 4. disp. 22. quæst. 1. art. 4.con. 5. Victoria in sum. de excommunicat. num. 339. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 9. num. 8. Sayr. lib. 2. Thesaur. cap. 12. num. 10. Bonacina quæst. 2. de excommunic. part. 2. §. 3. Hurt. disp. 2. de excommunicat. diffic. 4. sibi vt videtur contrarius. Filluc. tract. 13. cap. 3. & 4. Neque tandem existimat improbabile Auila. part. 2. disp. 8. dub. 1. & 2. in cap. 6. Alteri lib. 1. disp. 27. cap. 1. & Laym. lib. 1. tract. 5. part 2. cap. 4. num. 5. Et ratio mihi videtur esse euidens, non enim peccat excommunicatus, suspensus aut interdictus ministrando sacramenta nisi quia contra prohibitionem Ecclesiasticam illa ministrat, si nullum aliud impedimentum habeat, vti nullum habere supponimus; atqui quoties administrat sacramenta aliàque diuina petentibus fidelibus, ipsumque vt loquuntur præuenientibus nihil peccat contra prohibitionem Ecclesiasticam. Ergo in illa administratione nihil omninò peccat, & quod inde necessariò consequitur, qui à tali excommunicato sacrificium celebrari, aut sacramentum sibi mioistrari postulant, non sollicitant illum ad actionem malam & sacrilegam, neque impellunt ad peccatum: ergò licitè vtuntur fauore sibi ab Ecclesia indulto, & cum eiusmodi excommunicatis liberè communicant in diuinis. Maior huius ratiocinationis constat ex eo quod tum excommunicatio, tum aliæ censuræ, earumque effectus inducta sint iure Ecclesiastico, vti diximus disq. 3. quæst. 1. ac proinde possint ab Ecclesia vel tolli, vel restringi, vel suspendi, vti visum fuerit, & sanè non potuisset etiam vllo casu facere veniam Ecclesia petendi sacramenta ab excommunicato, si ipse non posset illa conferre nisi peccando; iam verò Ecclesiam indulsisse, vt petentibus fidelibus excommunicati possint licitè & validè ministrare sacramenta, constat ex verbis huius extrauagantis, quam explicamus, quæ permittit communicationem in diuinis, & in receptione sacramentorum, alioquin frustra daret eam facultatem, nisi excommunicati ministrantes immunes essent omnis peccati: quia quamuis non incurreretur censura à fidelibus petentibus, peccaretur tamen contra legem naturalem prohibentem cooperari alieno peccato, vt ampliùs dicam inferiùs in expositione vltimæ partis huius extrauagantis. Deinde idem euidenter colligitur ex ipsis verbis extrauagantis; Nam 1. si non liceat communicare cum his excommunicatis in diuinis extra necessitatem & alios casus ab aduersariis allatos, nulla fit venia fidelibus, neque vllum discrimen ponitur inter hos excommunicatos & alios non toleratos & vitandos; ab illis enim in casu grauis necessitatis, aut paratis licebit accipere & petere sacramenta, vt dicam quæst. 4. Secundo constituit synodus, vt nemo posthac teneatur abstinere; atqui id falsum foret, si incurreretur censura aut peccatum. 3. hæc constitutio intendit vitare scandala &

feru

ſcrupulos timoratorum, quod profectò non aſſequeretur, ſi non liceret ab his excommunicatis, niſi in caſibus allatis, petere ſacramenta, timerent enim pij, an ſit ſufficiens cauſa & neceſſitas communicandi in his diuinis cum tali excommunicato, an ille paratus ſit miniſtrare, vel non, an vtar meo iure, an poſſim expectare alium miniſtrum, cæteraque eiuſmodi pulſarent animam, & perpetuò timerent boni, ne peccarent in ea communicatione, & minorem excommunicationem incurrerent 4. denique non tollit Eccleſia ſua iſta Conſtitutione Cenſuram, quæ ex eiuſmodi communicatione incurrenda eſſet, niſi quia ſua illa conceſſione tollitur omnis culpa, & conſequenter Cenſura. Quarè, cum, vt argumentatur Hurtado, Eccleſia potuerit reddere licitam & omnis culpæ immunem hanc communicationem in diuinis cum excommunicato, cùm illicita non ſit niſi ex eius probatione, & habeamus tot coniecturas, quæ ſuadeant illam reuerà omnem prohibitionem ſuſtuliſſe, atque ita vndequaque licitam feciſſe eiuſmodi communicationem, nihil eſt, cur nos contrarium doceamus, & ad ſolam Cenſuræ exſolutionem vniuerſalem Conſtitutionem reſtringamus, maximè cùm lex, quæ in fauorem animarum ad vitanda peccata condita fuit, ſemper ſit amplianda quamuis aliunde pœnalis & odioſa foret, vt diximus in ſcientia canonica cum Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 1. n. 9.

14 2. Intelligenda eſt hæc conſtitutio de omni tum occulta, tum publica communicatione, ita vt eiuſmodi excommunicatus neque occultè neque publicè vitandus ſit, quod obſeruat Gutierres cap. 1. cit. num. 24. contra Canoniſtas nonnullos, qui ex veteri iure ſine dubio loquuntur.

15 3. Omnia quæ dicuntur de excommunicatis vitandis aut non vitandis in hac conſtitutione, valent quoque in ſuſpenſis & interdictis, qui circa actiones illas prohibitas vi Cenſuræ eodem modo vitandi aut non vitandi ſunt, quod ex ipſis verbis primis & poſtremis Conſtitutionis manifeſtò conſtat. Eſt tamen difficultas aliqua circa conſtitutionem Baſilienſem & Concordata, cùm enim excommunicatos notorios dicant in vniuerſum eſſe vitandos, non videntur idem de notoriis ſuſpenſis & interdictis ſtatuere, cùm enim initio dixiſſet non teneri quemquam abſtinere ab alio prætextu cuiuſuis Cenſuræ ſententiæ ſuſpenſionis & interdicti Eccleſiaſtici, niſi fuerit eiuſmodi cenſura prohibitio, ſuſpenſio & ſententia à iudice publicata & denuntiata, aut, inquit, ſi aliquem notoriè in excommunicationis ſententiam ita conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſſit tergiuerſatione celari. In qua exceptione meminit vt vides, ſolius excommunicati notorij non verò notorij ſuſpenſi aut interdicti, itaque etiam ex iure Concordatorum licebit cum notoriè ſuſpenſis & interdictis, ſed non denuntiatis communicare in iis, quæ alioquin vi cenſuræ illis prohibentur; quamuis nefas ſit ex eodem iure communicare cum notoriis excommunicatis nondum tamen denuntiatis; atque ita exiſtimat Alteri lib. 1. cap. 2. diſput. 6. ſub fin. & fuſius diſput. 9. cap. 3. neque abnuit Suar. diſp. 9. ſ. 2. num. 14. contra Coſin. in pragmat. ſanctio, tit. de excommunicatis vitandis. §. ſtatuit. ℣. Excommunicationis. Nau. in cap. 1. §. laboret. de pœnit. diſt. 6. num. 19. & Gutierr. cap. 1. cit. numer. 43. qui omnes argumentantur ex paritate rationis, quæ tamen non valet perpetuò in iis, quæ ſunt ſolius iuris poſitiui, & habemus aliundè ſatis perſpicuam textus litteram, à qua non eſt recedendum. l. non aliter. ff. de legat. 3. & cap. ex litteris. 1. de ſponſalib. Deinde exceptio firmat Regulam in caſibus non exceptis. cap. dominus. 32. quæſt. 7. atqui excipiuntur tantùm notoriè excommunicati ab vniuerſali lege, qua conceditur communicatio cum omnibus quacunque cenſura & ſententia innodatis. His adde caſum omiſſum relinqui diſpoſitioni Iuris communis. l. ſi cum dotem. ff. ſoluto matrimonio. & cap. ſuſceptum. de Reſcriptis in 6. Ius autem commune per hanc Extrauagantem inductum vult, non eſſe neceſſario vitandos ſuſpenſos & Interdictos. Neque deeſt idonea ratio, propter quam voluerit Eccleſia potiùs vitare notoriè excommunicatos, quàm notoriè ſuſpenſos ob grauitatem pœnæ excommunicationis; quarè non eſt omnimoda paritas. Et denique cùm mitius ſint exponendæ pœnales Conſtitutiones, non eſt cur hanc extendamus vltra quàm eius verba poſtulent, nulla vrgente ratione. Quarè Nau. cap. 27. num. 35. videtur ſententiam mutaſſe, cùm ſolos excommunicatos notorios vitandos monuit; & denique fatentur aduerſarij in Conſtitutione Conſtantienſi non eſſe locum huic difficultati, atque in ea ſolum notoriū clerici percuſſorem vitandum eſſe ob eam excommunicationem, non autem notorios ſuſpenſos, aut Interdictos, atqui Baſilienſis ſynodus, pragmatica ſanctio, & Concordata extendunt duntaxat decretum Conſtantienſe ad omnes notorios excommunicatos, quod ad notorios Clerici percuſſores reſtrictum fuerat. Ratio verò propter quam noluit Eccleſia neceſſariò vitandos eſſe excommunicatos, antequàm ſint publicè denuntiati, non incongruè redditur à Gutierre cap. 1. cit. num. 23. quia iudicis eſt ſeparare eum in particulari, qui vitandus eſt, cum æquum eſſe non videatur vitare publicè, qui nondum ſeparatus eſt in particulari, qui igitur ante iudicis ſententiam aliquem vitaret, vitaret nondum in particulari ſeparatum, neque enim vitando ipſe ſeparat, ſed ſeparatum ſupponit, quia porrò ſententia nondum publicata & denuntiata non cenſetur adhuc omnia habere requiſita, vt vndequaque firma ſit, & omnes ſuos effectus ſortiatur, idcircò mirum videri non debet, ſi Eccleſia noluerit ſententiam excommunicationis alteriuſue Cenſuræ obligare ad hunc effectū ſeparationis, antequàm eſſet denuntiata.

4. Circa hanc denique conceſſionem communicandi cum excommunicatis, ſapienter aduertit Layman cap. 4. cit. num. 4. poſt. Auilem 2. p. cap. 6. illam eſſe tantùm veniam quandam non obligationem, ita vt licet fas ſit fidelibus cæteris cum excommunicatis toleratis communicare modo explicato, ad id tamen minimè teneantur, poſſintque abſque iniuria ab eorum conſortio abſtinere tum priuatim, tum etiam publicè ſi probari poſſit, aut publicè nota ſit eiuſmodi Cenſura; quare iure excipient in Iudicio contra Actorem, teſtem, Aduocatum, & Iudicem excommunicatum, & Clerici detrectabunt imperium Epiſcopi excommunicati aut ſuſpenſi, quod idem præſtare poterunt Regulares aduerſus Prælatum innodatum Cenſura, neque ſubditi cogi poſſunt accipere ſacramenta à Parocho excommunicato, aut illius miſſæ intereſſe; neque tenetur vllus parere ſententiæ à Iudice excommunicato ſiue in temporalibus, ſiue in ſpiritualibus latæ, quia vt videbimus ſtatim Eccleſia concedendo hanc communicationem vult fauere fidelibus, quibus illam 16

concedit, si autem vti illa concessione cogerentur, id plerumque in eorum damnum verteretur, vt patet in adductis exemplis, in quibus sæpiùs rigor antiquus præstabilior foret; quod autem in gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum, inquit Regula 61. de Regulis iuris in 6. & nemo inuitus cogitur vti beneficio, quod ampliùs dicemus alibi. Consuetudo tamen aliquando, aut Edicta Principum aliud postulant; quarè neque in germania Lutherani, neque in Gallia Caluinistæ à publicis iudiciis & dignitatibus repelli possunt propter excommunicationem ex crimine hæresis incursam: postulat etiam lex naturalis charitatis, pietatis aut obseruantiæ, vt filij parentibus, subditi Prælatis, alijque aliis licet excommunicatis communicent, & subueniant, si iure id possunt, vti reuerà possunt beneficio huius extrauagantis.

Secunda pars constitutionis ad euitanda de excommunicatis vitandis.

17 Altera pars huius extrauagantis continet exceptionem ab vniuersali concessione communicandi cum excommunicatis, & aliis censuris innodatis, & assignat duo genera eorum, qui vitandi sunt, quorum primi sunt, qui sunt nominatim excommunicati, suspensi, vel interdicti, & vt tales publicè denuntiati eo modo quo faciendam esse istam denuntiationem docuimus proxima disquisitione q. vltima.

18 Exigo verò vtrumque nempè vt isti sint nominatim excommunicati & simul denuntiati, nam si hoc postremum desit, non erunt necessariò vitandi, quamuis fuerint per specialem sententiam in ipsos latam nominatim censura innodati. Ita docent Couarru. in cap. Alma mater 1. p. §. 2. num. 7. Cosm. in pragmat. sanctio. tit. de excommunic. non vitandis, ỽ. generaliter, Nau. in cap. 1. §. laboret, de pœnit. dist. 6. num. 23. Gutierr. lib. 1. qq. Canoni. cap. 1. n. 29. Auila 2. p. cap. 6. disp. 2. dub. 3. Caietan. in sum. ỽ. absolutionis impedimenta. Sylu. ỽ. excommunicatio 5. num. 24. Alteri. lib. 1. disp. 6. cap. 2. Henriq. lib. 13. cap. 5. §. 1. Sayr lib. 2. Thesau. cap. 12. n. 16. Suar. disp. 9. de censur. s. 2. n. 8. & alij recentiores contra Adrian. in 4. tract. de Eucharistia, q. vlt. §. viso de impedimentis, ỽ. quantum ad tertium, & de Confessione, dub. 9. §. secunda propositio, & q. 3. de clauibus Medin. cap. de confessione, q. 21. de confessione facta excommunicato. Felin. in cap. Rodolphus de rescriptis, n. 75. Vgolin. tab. 1. cap. 13. §. 7. n. 8. qui asserunt nominatim & speciatim excommunicatum vitandum esse etiam ante denuntiationem, eo quod Constantiensis constitutio correxerit tantùm ius antiquum quoad generaliter excommunicatos, non autem quoad speciatim & nominatim ligatos, qui proinde eodem modo vitandi erunt post hanc extrauagantem, atque erant prius, quod apparet ex ipsis verbis extrauagantis. *Nemo deinceps ex prætextu cuiuscunque sententiæ ab homine vel à iure generaliter promulgata teneatur abstinere, vel aliquem vitare:* vbi nihil dicitur de nominatim & specialiter ligatis, atqui non est recedendum a lege antiqua nisi quatenùs exprimitur in noua, l. præcipimus, C. de appellation. & cap. cùm expediat de elect. in 6. Neque iura corrigenda sunt per subauditos intellectus, vt sapienter monet glossa singularis in cap. cupientes, §. quod si per viginti de electio. in 6. ỽ. negligenter, quam refert Felin. in cap. ad audientiam de rescriptis: deinde verba, quibus exprimitur hæc prima exceptio à generali concessione communicandi cum excommunicatis, videntur apertè continere hanc sententiam Adriani, nisi, inquit Pontifex, sententia fuerit à Iudice promulgata, vel denuntiata specialiter & expresse. Vbi est propositio distinctiua, ad cuius veritatem sufficit, si altera eius pars ponatur: cum itaque requiratur, vel vt sententia promulgetur, vel vt specialiter denuntietur, satis fuerit aliquem vel nominatim excommunicari vel talem denuntiari, vt vitari debeat.

Nostra nihilominùs sententia communi orbis consensu recepta est, vt Nau. & alij testantur, estque omninò consentanea fini huius extrauagantis ad euitanda scandala, & conscientiis timoratis subueniendum: cùm faciliùs constet aliquem implicari generali censura, quàm speciali, vt explicat Nauarr. neque discedimus à proprietate verborum, nam prima illa particula, in qua videtur agi tantùm de sententia generali explicatur per subsequentem, in qua dum agit de sententia speciali requirit non modò vt lata sit, sed etiam publicata vel denuntiata. Eæ enim voces non ponuntur disiunctiuè, sed tanquàm æquipollentes, vel vna explicat ampliùs aliam: quia sententia denuntiari dicitur, quando publicè in Ecclesia profertur, publicari verò tum quando ita denuntiatur, tum maximè quando in foro, aut Ecclesiæ valuis aliòue publico loco affigitur, aut denique ita promulgatur, vt in communem notitiam venire possit, quæ publicatio ita est necessaria, vt absque ea sententia non obliget ad vitandum excommunicatum; potest autem illa denuntiatio, quæ fit publicè in Ecclesia, coram tota Parrochia sufficiens esse aliquando publicatio, idcircò dixit Pontifex sententiam debere expressè & specialiter denuntiari, vel publicari. Adde excommunicatum à iure quamuis publicum & notorium non esse vitandum, nisi sit Clerici percussor; neque etiam per sententiam generalem excommunicatum ab homine; ergo neque etiam specialiter excommunicatus vitandus erit nisi post denuntiationem & publicationem, cùm nulla sit ratio, quæ potiùs exigat denuntiationem in vno casu, quàm in alio, cùm in omnibus his casibus æquè possit publicè nota fieri excommunicatio absque solemni illa denuntiatione, vti Nau. argumentabatur.

Non sufficit autem ad obligationem vitandi excommunicatum, vt aliquis denuntietur commisisse crimen, cui est annexa excommunicatio, v. gr. hæresim, nisi expressè denuntietur ipsam excommunicationem vel aliam censuram propter tale crimen incurrisse. Ita Nauarr. Miscellan. 47. de orat. num. 1. Graffis 1. p. lib. 4. capite 11. num. 5. Reginald. lib. 1. num. 118. Sanch. lib. 2. in decalog. cap. 9. n. 4. qui addit id quoque verum esse, etiamsi in sententia declaretur Reum incurrisse omnes illius criminis pœnas; immò etiamsi diceretur omnes illius censuras, contra Sor. lib. 9. de iustitia, quæst. 1. art. 8. ad 1. & in 4. d. 22. quæst. 1. art. 4. Petrum Soto. lect. 4. de excommunic. §. iam verò Gutierr. lib. 1. qq. Can. ca.

1. numero 41. Henriq. lib. 13. cap.5. numero 4. Auila. 2.p.cap.6. disp.2. dub.3. con.3. Man. Rodri. in sum. 1. tom. cap.82. numero 6.Suar. disp. 9. de censu. s. 2. numero 10. & disp.21. de fide. s.3. numero 7. Bonac. q.2. de Excomm. p.1. §.1. numero 2. qui tamen fatetur nostram sententiam probabilissimam esse. Alteri. lib.1. disp.9. cap.2. Couarru. in cap. Alma mater.1. p. §. 2. Sanctarellum. cap.7. de hæresi. dub.1. con.3. & alios.

Ratio est, quia Constitutio, Ad euitanda perspicuè docet neminem teneri vitare aliquem obstrictum censura, nisi ea fuerit à iudice denuntiata specialiter & expresè contra certam personam; quando autem declaratur aliquem commisisse crimen cui est imposita censura, non denuntiatur illa censura specialiter & expresse, sed tantùm virtualiter & implicite, & per quandam consequentiam duntaxat, cùm non sit formaliter idem denuntiatum esse hæreticum, & denuntiatum esse excommunicatum, neque enim illæ propositiones sunt synonimæ. Ergo non licet inferre aliquem esse specialiter & expresè denuntiatum esse excommunicatum, quia denuntiatus est hæreticus, quia non rectè fit illatio à separatis & disiunctis.l.Papinianus. ff. de minoribus, quod maximè verum est in pœnis. cap. pœnæ. de pœnit. d. 1 & quando non est in vtroque eadem omninò ratio, quod obseruat glossa singularis in cap.1. de temporibus ordin.in 6. neque satis prouisum esset conscientiæ periculis, quod vnum tamen intendit ista constitutio, si sufficeret declaratio criminis, cùm plurimi ignorent, an illi sit annexa censura aliqua & quænam, & denique decretum istud in fauorem animarum latum potius extendendum, quam restringendum esse monuisse me memini. Ferdinand. tamen A Castro. tract.4.p.1. n.6. rectè existimat sufficienter denuntiatam esse censuram, quando non tantùm declaratur aliquem commisisse crimen, sed etiam incurrisse censuram illi crimini annexam, quod negabat Sanch.

Denique obseruandum est appellationem à denuntiatione censuræ impedire ne qui appellauit, vitandus sit, cùm appellatio suspendat denuntiationem, vt dicemus disq.9.& fusius in scientia canonica, & iam monui disq. superiori. q. vlt.

20 2. Vitandi sunt notorij percussores Clerici, vti habet disertè constitutio. Sed hæc notorietas debet esse tum facti, tum iuris; ita vt neque factum ipsum aliqua tergiuersatione celari possit, neque prætextu aliquo tanquam iure commissum excusari; siue, vt loquitur constitutio, aliquo iuris suffragio iuuari; quarè hoc notorium factum debet esse publicum, quod in notitiam communitatis iam venerit, aut mox venturum sit. Neque enim placet ampliùs immorari in exponendis iis, quæ ad notorietatem facti requiruntur, de iis alibi dicturus sum; interim adi Auil. 2. p. cap. 6. disp.2. dub.4. & alios hoc loco. Quando igitur morali certitudine mihi constabit, siue per proprium visum, seu per propriam Rei confessionem, siue per plurium testimonium, siue per publicam & constantem famam, aliquem ita esse notorium Clerici percussorem, vt nulla tergiuersatione celari possit, & nulla probabili ratione à peccato mortali, atque annexa ipsi censura excusari, aut cùm eadem certitudine nouero aliquem esse publicè denuntiatum excommunicatum, suspensum, aut interdictum, illum omninò vitare tenebor tum in sacris, tum in prophanis, vti sequentibus disputationibus exponetur.

Quod autem dixi de constanti fama publica no- 21
toriæ percussionis Clerici, aut denuntiationis censuræ, statuitur à Nau. cap. 27. numero 35. Couarru. in cap. Alma mater. 4. p.§.2. num. 4.Vgolin. tab.2. de censu. cap.23.§. 10. numero 2.Auila. 2. p.cap.6. disp.11.dub.11. con.3. Layman. lib.1. tract.5. 2. p.cap.4. numero 2. Sayr.lib.2. Thesau. cap.12.numero 22. Bonac. disp. 2. de Excomm. q.2.p.1.§.1.numero 9. & aliis quos allegat Alteri. lib.1. disputat. 11. cap.1. quia iure antiquo sufficiebat publica fama ad vitandum Excommunicatum. cap. Illud. de Cleric. excomm. minist.vt ibidem asserit Panorm. igitur iure nouo fama publica & constans denũtiationis aut notoriæ percussionis sufficit; cùm enim eiusmodi fama quando constans est pariat moralem certitudinem, nihil ampliùs videtur exigi ad scientiam denuntiationis & percussionis notoriæ, quam postremam vocem addo perpetuò, quia non sufficit fama publica de percussione nisi fama illa testetur eiusmodi percussionem fuisse notoriam notorietate iuris & facti, vt optimè aduertit Auila.

Rectè tamen monent Couarru.§. cit. numero 5. Alteri. & Sayr.loco adducto, cùm agitur in foro externo de repellendis à iudicio, aut de puniendis iis, qui cum excommunicato communicauerint, aut ipso excommunicato, qui diuinis se immiscuit plectendo non sufficere probationem excommunicationis per publicam famam, quod probari volut in cap. illud. de Clerico. excomm. minist. & cap. cùm desideres de sentent. Excomm. quia tunc agitur de maximo præiudicio inferendo: quare ad illud non sufficit fama publica; vnde idem Couarru. ait interdictum Ecclesiasticum, cùm graue admodùm sit fidelibus non fore obseruandum propter solam famam, nisi aliis adminiculis iunetur, idque probari cap. 1. de postulat. prælat. Poterit nihilominùs Iudex probata fama Excommunicationis reiicere diffamatum à iudicio & à beneficio, aliisque similibus, & assignare terminum ad se purgandum; quanquàm non teneatur hunc modum seruare instante licet parte. Ita Panorm. in cap. prudentiam. §. Sexta de officio delega. numero 11. quia indicere purgationem pertinet ád officium iudicis, neque competit actio parti ad petendam purgationem, quod constat ex tit. de purgation. Canon. Immò pars conqueri non potest, si iudex non imperet purgationem. cap. pastoralis. de exception. sed de his plura alibi.

Si tamen aliquis mihi dicat se esse excommuni- 22
catum denuntiatum tenebor illum vitare, quia cuiusque testimonium contra seipsum facit moralem certitudinem, vt ait Syln. ✠. Excommunicatio.5. numero 28. vbi idem asserit, quando Episcopus aut parochus Petri idem mihi testatur ostendendo mihi litteras denuntiatorias, faciunt enim illa omnia maiorem certitudinem, quam fama publica. Ita Alteri. lib.1. disputat. 11. cap.3. si tamen non mihi ostenderent illas litteras, non tenerer illis credere, Titium v.gr. esse denuntiatum excommunicatum, ac proinde neque obligater illum vitare, quia vni testi licet fide digno non teneor credere in præiudicium alterius, ex Nau.cap.22.n.82. atque ita docuit hoc loco Auila 2. p. cap.6. disp. 11. dub.11.con.5. contra Henriq.lib.13. Vtrum autem vnus testis cum iuramento partis probet excommunicationem. disputat Felin. in cap. prudentiam. de officio delega.n.17.

Maior verò difficultas est, an quem scis vno in loco fuisse denuntiatum excommunicatum aut no-

torium Clerici percussorem, teneatis in alia Prouincia, vbi id nesciunt, vitare; Ita enim affirmant Henriq. lib. 13. cap. 14. num. 1. Vasq. de excommunic. dub. 8. n. 2. Filliuc. tract. 13. cap. 3. q. 7. n. 49. Bonac. disp. 2. de Excommm. q. 2. p. 6. §. 2. n. 48. Alteri. lib. 1. disputat. 11. cap. 2. quod negant Auila 2. p. cap. 6. disp. 11. dub. 12. Sanch. lib. 2. 10 decalog. cap. 11. numero 20. quia excommunicatus publicus in vno loco, non censetur esse publicus in alio, vti tradunt Durand. in 4. dist. 18. q. 5. sub fin. & Paludan. ibidem. eadem dist. q. 6. a. 1. num. 5. Denunciatio quidem afficit personam, sed respectu illorum duntaxat, quibus est cognita; in eo autem loco non est cognita, nisi mihi, quod est per accidens, & ex mea notitia non fit, vt ibi sit publica; vt igitur illius denuntiationis, quæ notoria non est in eo loco, non teneor publicè vitare eiusmodi denuntiatum.

Mihi distinguendum videtur, nam licebit eiusmodi denuntiatum vitare in eo loco, neque fit illi iniuria, quia crimen quod per iudicis sententiam alicubi vulgatum est, alibi quoque vulgari potest, vti suppono ex 1. 2. Non tenebimur tamen illum euitare quandiu in eo loco ignoratur denuntiatio censuræ alibi facta, cùm nihil ad hoc vrgeat, & possimus in hac parte illius famæ parcere, atque benignius Canones Ecclesiasticos interpretari, cùm reuera denuntiatio illa non sit ibi cognita neque publica. Vnde etiam existimârim contra Auilam, ne quidem occultè vitandum necessariò esse, quia post Concil. Constantiense, ratio vitandi excommunicatum non est præcisè notitia excommunicationis, sed denútiatio illius, eaque publica, quæ reuerà talis non est respectu huius loci. Quando verò alicubi notoria percussio clerici nondum publica est, non teneor etiam illum vitare, quod fatetur ipse quoque Auila, quia ille reuerà non est ibi notorius clerici percussor, quod tamen ad obligationem vitandi ipsum requiritur. An verò possim illum vitare, pendet ex alia quæstione, an crimen alicubi publicum aliter quàm per sententiam iudicis possit alibi absque iniuria & famæ detractione publicari, si non eoim id fieri possit, potero quoque hunc vitare etiamsi inde sequatur illius infamatio, & criminis admissi cognitio.

Vltima particula Constitutionis, Ad Euitanda.

14 In vltima parte huius constitutionis dicitur hac concessione communicandi cum excommunicatis, & quacunque alia censura notatis, nisi sint expressè & publicè denuntiati, aut notorij clerici percussores, aut ex Synodo Basiliensi, Pragmatica sanctione & Concordatis, nisi sint notorij excommunicati, notorietate iuris & facti, non fieri vllum fauorem ipsis suspensis, excommunicatis, interdictis, irregularibus aut aliqua sententia vel censura percussis. Quarè ipsi peccant si extra casus concessos tum hactenus explicatos, tum inferius explicandos se ingerant, & cum fidelibus cæteris communicent siue in sacris, siue in politicis, vti probant Felin. cap. Rodolphus. de Rescriptis. n. 38. & Couarru. §. 2. numero 11. & alij passim, quod verum quoque esse in occultè excommunicato dicit Gutierr. cap. 1. cit. numero 39. Ratio est, quia iure veteri tenetur excommunicatus etiam ante denuntiationem abstinere communione fidelium; atqui ius nouum nullum priuilegium facit excommunicato, ergo etiam hodie tenetur eodem modo quo prius abstinere, quomodo verò teneretur prius, dicemus inferiùs.

Fit tamen indirectè & per quandam necessariam consequutionem aliqua venia & fauor ipsis excommunicatis, suspensis aliisue eiusmodi, quoties nimirum priuilegium concessum cæteris fidelibus inutile vel noxium foret, nisi & illud commune esset ex parte excommunicato & suspenso.

Quarè cùm liceat fidelibus communicare in administratione sacramentorum cum excommunicatis istis & suspensis non denuntiatis, non est simpliciter prohibita administratio sacramentorū eiusmodi excommunicatis, sed tantum quando ad eam non inuitantur à non excommunicato; quia sicut ex communi Theoria iuristarum, vt loquitur Panorm. in cap. quia clerici de iure Patronatus num. 7. prohibito vno correlatiuo prohibetur & aliud simili existente ratione; ita quando vnum correlatiuum licitum est, & aliud quoque, sine quo exerceri non potest, licitum erit; repugnat enim aliquid esse licitum quod sine alterius peccaro fieri non potest: cum itaque permissa sit communicatio in sacramentis cum ministro excommunicato non vitando, debet quoque & illi excommunicato esse permissa eadem communicatio, quæ in sacramenti administratione consistit; & si possunt fideles suscipere sacramenta ab eiusmodi excommunicatis & ab illis petere possunt, & ipsi licitè ac sine peccato ministrare; alioquin qui ab illis peterent, eos ad peccatum inducerent, ac proinde illicitè peterent; immò aliquando obligâtur hi excommunicati ministrare sacramenta aliosque actus sibi alioquin prohibitos exercere, quando ex officio tenentur, neque copia est absolutionis, & rogantur ab eo qui vtitur suo iure. Quarè totus iste fauor fit non Excommunicans sed fidelibus, necessariò tamen refunditur in ipsos excommunicatos: Atque ita hanc sententiam quam docuerat Sotus in 4. d. 22. q. 1. a. 4. acriter tuetur Nauarr. Miscellan. 47. de orat. numero 3. contra virum eruditum, qui illam cauendam dixerat tanquàm nouam, respondetque nouitatem nihil obesse, quia ex glossa celebri in l. gallus ff. de liberis & posthum. ℣. si filius, quanto iuniores, tanto perspicaciores.

CONSECTARIA

Ex necessitate denuntiationis explicata.

Ex hac constitutione & venia, quam facit fidelibus plurima deduci possunt, quæ toto hoc capite in percensendis singularum censurarum effectibus explicantur, semper enim habenda erit illa distinctio excommunicati & suspensi vitandi & non vitandi, tolerati & non tolerati: Nonnulla tamen magis vniuersalia hoc loco colligere placet. 25

CONSECTARIVM I.

Non tenemur vitare excommunicatum, etiamsi illius Excommunicationem probare possimus, nisi sit denuntiatus.

Imprimis igitur habemus non teneri nos vlla ratione vitare neque palam, neque occultè excommunicatum, cuius excommunicationem probare possumus duobus testibus, aut publica fama, nisi sit denuntiatus, contra quàm statueretur 10 cap. Cum desideres. de sentent. Excomm. & in cap. illud de Clerico excomm. minist. vbi Panorm. & alij docent 26

docent contrarium, sed malè post priuilegium huius Extranagantis. Ita Couarru. in cap. Alma mater. §. 2. numero 7. Vgolin. tab. 1. cap. 13. §. 7. numero 2. Cùm iure nouo requiratur denuntiatio, etiamsi mihi constet de excommunicatione, eaque publica sit.

CONSECTARIVM II.

Non est vitandus Excommunicatus, de cuius denuntiatione dubitatur.

27 2. Sequitur non esse vitandum illum de quo dubitatur, vtrum fuerit denuntiatus, aut quem viri non omni fide digni dicunt esse vitandum, quia in dubiis melior est conditio possidentis suam libertatem, & cùm noua Constitutio dubia tollere velit, non intendit obligare nisi in re certa. Ita Bonac. disp. 2. q. 2. p. 1. §. 1. n. 9.

CONSECTARIVM III.

Ille de cuius denuntiatione constat etiamsi dubia sit excommunicatio, vitandus est.

28 3. Ille quem constat esse denuntiatum excommunicatum, etiamsi non constet de ipsa excommunicatione, vitandus nihilominus erit quoad communes actiones sacras atque prophanas, non tamen à iudicio repelli poterit ant iure suo peremptorio, sed tantùm opponi poterit ea denuntiatio, per modum Exceptionis dilatoriæ.

1. Pars huius Corollarij communis est, & traditur à Decio. in cap. dilecti. de Appellat. numero 4. Felin in cap. prudentiam. §. sexta. de officio delega. numero 16. Bonac. loco citato. Alteri lib. 1. disp. 11. cap. 2. & probatur, quia Constitutio, quam exposuimus ait eum, qui denuntiatus est, omninò esse vitandum; quare non requirit aliud, quàm vt constet certò de denuntiatione Excommunicationis, nam etiamsi certa sit Excommunicatio, nisi adsit eius denuntiatio, non obligat ad vitandum excommunicatum, & sanè probatio Excommunicationis est denuntiatio, vt ait glossa. in cap. licet. de sentent. excomm. in 6. & Ratio est euidens, quia probatio per præsumptionem iuris est probatio liquidissima ex gloss. in l. si tutor. C. de pericul. Tutor. & in l. 1. C. de testam. militari: at verò denuntiatio inducit præsumptionem iuris, igitur ad excommunicatum euitandum sufficit.

2. Pars. Denuntiationē excōmunicationis opponi posse per modum exceptionis dilatoriæ, non verò peremptoriæ, quando debitè proponitur & specificatur, quia continet speciem excommunicationis & excommunicatoris docetur à Couarru. in c. Alma mater. 1. p. §. 3. numero 1. Cosm. in pragmat. sanctio. tit. de excomm. non vitandis. ℣. denunciata. Mascard. de probation. 6. 98. numero 21. Alteri. l. cit. qui omnes adducunt varias totæ decisiones. Quia cùm toto orbe receptissimum sit neminem denuntiari, nisi priùs excommunicatus fuerit, firma satis est præsumptio ex denuntiatoriis litteris reuerà excommunicationem præcessisse, quando aliunde contrarium non constat: atque ita in Exceptione dilatoria, in qua de modico præiudicio agitur, adduci poterit, & in aduersarium transferre onus probandi nullitatem excommunicationis & sanè probato accessorio intelligitur quoque probatum principale. l. 2. C. de dote promiss. denuntiatione itaque probata, censebitur quoque probata excommunicatio: at verò, quia in exceptione peremptoria ita repellitur aduersarius, vt omni suo iure priuetur, quod est graue præiudicium, non censebitur sufficiens denuntiatio, quando aliunde non probatur excommunicatio. Quia vt aduertit Couarru. l. c. A consequenti verò non colligitur antecedens; nisi quando consequens. est necessarium, & semper eueniens, quod non reperitur hoc loco: cùm possit fieri iniusta denuntiatio nulla præcedente excommunicatione. Querè ex denuntiatione Excommunicationem non inferri necessariò dixit glossa in cap. licet. de sentent. Excomm. in 6. ℣. nunciari, & cap. 1. de Exception. in 6. habetur excommunicationem probandam esse apertissimis documentis, & cap. prudentiam. §. sexta. de officio delega. legitimè probandam esse, quo etiam pertinet textus cum glossa. cap. at si Clerici. de iudic. ℣. legitimà probatione, quod saltem intelligendum esse, vbi agitur de maximo præiudicio monet Panormit. in illud c. Prudentiam. §. sexta. de officio delega. n. 11. quod accidit in exceptione peremptoria.

CONSECTARIVM IV.

Confessarius non potest vitare, quem in Confessione nouit excommunicatum denuntiatum.

Sequitur 4. Confessarium, qui in confessione Sacramentali nouit aliquem esse denunciatum excommunicatum, non teneri illum vitare, quia nescit humano modo eam denuntiationem, & quia se exponit periculo violandi sigillum sacramenti. Ita omnes. 29

CONSECTARIVM V.

Parochus non tenetur illum vitare, quem iussus est denuntiare, si nondum illum denuntiauit.

Sequitur 5. Parochum qui iam habet litteras denuntiatorias, per quas nominatim excommunicatus iubetur denuntiari, non obligari tamen ad illum vitandum, donec ipsum denuntiauerit. Ita Sylu. ℣. excommunicatio. 5. numero 24. Armilla cod. ℣. 1. numero 6. Gutierr. lib. 1. canon. qq. cap. 1. numero 41. & alij passim, quia mandatum de facienda denuntiatione differt ab ipsa denuntiatione; Ius autem nouum requirit ipsammet denuntiationem ad inducendam istam obligationem. 30

CONSECTARIVM. VI.

Titius denutiatus cum suis fautoribus vitandus est, non tamen eius fautores.

6. Si Pontifex excommunicet & denuntiet Titium cum fautoribus suis, Titius quidem vitandus erit, non autem eius fautores, quia isti non sunt nominatim excommunicati, neque expressè & specialiter denuntiati. Ita Sylo. ℣. Excommunicatio. 5. num. 8. ex summa Astensi. lib. 8. consentiunt Suar. disp. 9. s. 2. n. 10. Raynald. lib. 1. num. 118. & alij passim. 31

CON

CONSECTARIVM VII.

Sententia publica Excommunicationis de futuro non obligat ad vitandum sic Excommunicatum.

32 7. Licet feratur iuridicè & publicè sententia Excommunicationis sub conditione de futuro, posita illa conditione nondum obligat ad vitandum illum excõmunicatum, v. gr. excommunicatur publicè Filius nisi intra quindecim dies sistat se Iudici, ille reuerà incurrit excommunicationem, si non se sistat, non est tamen vitandus: quia non est reuerà publicè denuntiatus. Ita Suar. l. cit.

CONSECTARIVM VIII.

Qui semel est denuntiatus, semper est vitandus.

33 8. Quem semel constat esse excommunicatum denuntiatum semper vitandus est. Quia nisi constet de absolutione perpetuò præsumitur excommunicatus, & aliunde certum est illum fuisse denuntiatum, nullus igitur lapsus temporis fuit, vt vitandus non sit. Quia cum excommunicatio sola temporis intercapedine non mutetur, præsumitur de præterito ad præsens, sicut qui olim fuit dominus præsumitur etiam hodie esse, nisi probetur contrarium, l. sicut possidetis. C. de probationib. & multa similia exempla congerit Felin. in cap. scribam. de præsumpt. numero 3. atque in nostro casu præsumi durare excommunicationem vbi non constat de non obtenta absolutione, definitum habes cap. sicut nobis. de sentent. Excomm. vbi vide Panorm. numero 2. & cap. proposuit. de Clerico. excomm. min. vbi idem affirmat glossa. ℣. perpetuò, atque Innoc. & Panorm. numero 4. Nauarr. cap. 27. numero 3. Couarru. in cap. Alma mater. 1. p. §. 2. numero 6. & alij omnes, nisi tamen communiter & vulgò haberetur pro absoluto, aut attenta personæ dignitate & lapsu temporis, atque aliis circumstantiis probabilissimè coniiceretur ipsum rediisse in gratiam cum Ecclesia, quod obseruant Panorm. & alij plures

CONSECTARIA.

De communicatione ciuili cum hæreticis & fide illis seruanda.

CONSECTARIVM IX.

Hæretici non denuntiati vitandi non sunt.

34 Colliges 9. Hæreticos quamuis ipso iure sint excommunicati, cùm tamen non sint denuntiati minimè vitandos esse à Catholicis, neque satis est, quod, Lutherani, aliique variarum sectarum professores excommunicentur cap. 1. Bullæ Cœnæ ad hanc obligationem vitandi inducendam, etiam vbi illa Bulla viget, donec singuli nominatim denuntientur. Quia denuntiatio, quæ fit per talem Bullam, generalis, tantùm est, cùm expressam & specialem ius nouum Extrauagantis Ad euitanda requirat, vt hactenùs fuit expositum. Itaque de hæreticis censent Tolet. in 1. Excomm. Bullæ cœnæ. numero 12. Vgolin. de censu. Papæ reseruat. cap. 14. referens Toletum, quanquàm ibidem videatur sibi contradicere. Idem Vgolin. cùm ait, quoties notorium est crimen notorietate facti & iuris, atque etiam notorium est illi delicto anoexam esse ipso iure Excommunicationem, talem vitandum esse etiam ante denuntiationem, Vnde sequeretur notorium hæreticum non denuntiatum vitari debere, quod tamen disertè negat Toler. quem pro se adducebat Vgolin. Idem quoque docet Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 11. q. 7. Suar. disp. 18. s. 1. tom. 3. in 3. part. & d. 21. de fide. s. 3. n. 3. Sayr. lib. 3. Thesau. cap. 4. numero 32. Sanch. lib. 2 in decalog. cap. 9. numero 3. Bonac. disp. 1. in Bullam cœnæ q. 2. p. 2. numero 9. Filliuc. tract. 16. cap. 2. numero 30. Ferdinand. A Castro. tract. 4. disp. 4. p. 1. numero 2. Sanctarell. cap. 7. de hæresi dub. 1. con. 2. Contra Sotum in 4. d. 25. q. 1. a. 1. post 3. Conc. & a. 3. ℣. in ordinatione, & d. 20. q. 1. a. 5. con. 2. quia, vt iam monui, Bulla cœnæ non derogauit Extrau. quam exponimus, quæ expressam denuntiationem ad hunc effectum vniuersaliter & absolutè requirit, neque excipit hæresim, sed solam notoriam clerici percussionem; immò nuper diximus non satis esse aliquem esse denuntiatum hæreticum, nisi etiam denuntietur expressè & specialiter excommunicatus possunt igitur absque vlla religione Catholici in Gallia & Germania consuetudine hæreticorum vti. Quia non sunt denuntiati, quamuis notorij sint, quod malè negat Henriq. lib. 9. cap. 13. numero 4. & litt. A de sectæ authoribus, nam neque illos antequàm denuntientur, vitandos esse vetè dixit Sanch. cap. 9. cit. numero 16.

CONSECTARIVM X.

Quale in Gallia consortium cum hæreticis sit licitum.

10. Licebit itaque in Gallia Catholicis conuersari cum hæreticis, quibus permixti sunt, cum illis contrahere, aliaque similia negotia politica gerere, pacis & belli societatem inire, si nihil aliud quàm Religio vitandi excommunicatum prohibeat, & vt alibi disquiram fusiùs non faueatur formaliter hæresi, neque ex ea præcisè communicatione alia peccata necessariò & per se consequantur. 35

CONSECTARIVM XI.

Seruanda fides hæreticis.

11. Hinc sequitur seruandam esse fidem hæreticis in pactis & contractibus alioquin iustis & validis. Qua de re fusè Molan. tractatu integro. & Becan. tract. de fide. cap. 16. & apertissimè probatur ex doctrina hactenus tradita. Quia obligatio fidelitatis & iustitiæ, quæ ex promissionibus & contractibus validis & iustis nascitur, semper & omnes obligat, quandoquidem actus ipsi oppositi nimirùm mentiri, perfidum esse, alienum ius vt sic violare & similes sunt intrinsecè mali. Ergo non possunt prætextu hæresis aut excommunicationis benè fieri. Quod totum ampliùs ostendo, vel enim ipsa hæresis per sese sumpta eximeret nos obligatione seruandi fidem hæretico datam, vel propter adiunctam excommunicationem; Non primum, alioquin æquè liceret hæreticum occidere, atque bona 36

bonis spoliare. Deinde non apparet, cur potiùs hæresis ex natura sua exoluat obligatione fidei, quàm Ethnicismus aut iudaismus; constat tamen infidelibus & idololatris promissa seruãda esse, vt patet in Gabaonitis cum Israelitis paciscentibus, quamuis subdolè & per fraudem, Iosue. 15. Iosue enim vi pacti intulit illis suppetias, & obtinuit mirabilem illam victoriam, quam Sol & Luna statione & longiori præsentia cohonestarunt, & triennali fame perculsis est Israël propter occisos à Saule eosdem Gabaonitas contra promissam à maioribus fidem. 2. Regum. cap. 21. & ne excipias hos fubinde Gabaonitas ad Iudaismum conuersos fuisse, vide illustrem pœnam Sedechiæ propter violatam fidem datã Nabuchodonosori, vita & regno spoliati. Si igitur ipsis Turcis & Idololatris seruãda est fides, cur non hæreticis quoque seruari debebit, vt argumentatur Becan. q. 1. cap. 16. cit. quod enim omnes isti & maximè hæretici fidem Deo non seruent, nihil facit ad validitatem humanorum contractuum, neque ad ipsorum etiam iustitiam, si quidpiam aliud non obstet. Neque dicas bona hæreticorũ ipso iure addicta esse Fisco, ac proinde inualide cum illis contrahi. Jam enim quidquid tandem sentiendum sit de hac pœna in hæreticos lata legem pœnalem non obligare ad exequutionem pœnæ ante sententiam iudicis, qua etiam posita non tenetur ipse Reus illam exequi. Quandiu igitur bona sua retinent, perfidus es, si pacta cum ipsis inita non serues.

Iam verò excommunicationem inte Ecclesiastico annexam crimini hæresis non dispensare à fide illis seruanda, quod vnum maximè attendimus hoc loco, inde ostenditur. 1. quia non sunt nominatum excommunicati & denuntiati, ac proinde licet cum illis in omnibus politicis communicare, vt ex Extrauaganti, quam explicamus constat. Deinde quia etiam iudicialis denuntiatio & declaratio excommunicationis, quæ obligat vitare excommunicatum, non rescindit obligationem naturalem prius contractam, vt dicam inferius, nulla enim id lege aut canone continetur; neque etiam excommunicatio denuntiata inualidat contractus ipsam consequentes sed iniustos tantùm facit, eò quod prohibeat communicationem cum excommunicato denuntiato: reuera enim donatio facta ab excommunicato valida est, cap. intercedictos, de donationib. quod suo loco disquiremus, quam quàm non leuis sit difficultas an expectandum sit donec excommunicatus denuntiatus absoluatur, antequam res ipsi promissa præstetur, quandoquidem perseuerante excommunicatione non licet cum eo communicare; inde tamen non sequitur fidem non manere obligatam excommunicato etiam denuntiato, quamuis fortassis suspendatur quoad exequutionem: vnde multò magis manebit obligatio contracta cum excommunicato non denuntiato; quales sunt hæretici in Gallia, quibus fidem semel datam validoalioquin contractu aut promissione seruandam esse contendebamus in nostro Croollario.

CONSECTARIVM XII.

Nubens hæretico fidem illi seruare debet.

37 12. Contrahens matrimonium cum hæretico debet illi seruare fidem in iis, quæ ad honestum matrimonij vsum pertinent, vt illi debitum reddat, simul cum illo habitet, & familiam regat, mulier subdita sit viro etiam hæretico, neque nisi coniuge mortuo aliud connubiũ cogitet. Quia cùm ille contractus validus sit, vt suppono ex statim dicendis, & nihil aliud obstet, quàm excommunicatio, si illa non impedit communicationem politicam & domesticam, quandiu denuntiata non est, neque profectò impediet coniugalem; immò etiamsi esset denuntiata excommunicatio non redderet inualidum matrimonium aut præcedens aut sui sequens, an verò redderet illicitam communicationem inter virum & vxorem, dicemus inferiùs, modò agimus tantùm de hæreticis in Gallia cum Catholicis permixtis & non denuntiatis.

CONSECTARIVM XIII.

Princeps tenetur seruare fidem promissam de permittenda libertate Religionis.

13. Princeps qui cum hæreticis pasciscitur de toleranda libertate Religionis, quam sine maiori damno impedire non potest, tenetur seruare fidem datam. Becan. q. 4. cap. 16. cit. Layman. lib. 2. tract. 1. cap. 17. numero 4. & tract. 3. cap. 12. num. 15. quia illud pactum in illis circumstantiis validum, honestum & licitum est, & excommunicatio hæreticorum cum quibus pasciscitur, non exoluit illum ab ea obligatione seruandi pacta; immò neque si denuntiata non sit expressè & specialiter impedit communicationem cum hæretico. 38

CONSECTARIVM XIV.

Fides hosti hæretico data seruanda est.

14. Idem quoque dicendum est de fide hosti hæretico & pactis cum illo in bello celebratis, si alioquin valida & iusta sunt, vti æquè esse posse atque cum idololatris & Ethnicis, suppono, quatè seruanda erunt hæc fœdera, quæ nequidem à Pontifice per supremam ipsius potestatem relaxari posse contendit Layman. cap. 12. cit. numero 15. cùm ex ea relaxatione maius immineat Ecclesiæ detrimentum, quàm ex ipsis fœderibus. Sed de his alibi, vbi etiam de saluo conductu hæreticis dato. 39

COMSECTARIA

De Communicatione sacra cum hæreticis.

CONSECTARIVM XV.

Cum hæreticis non denuntiatis licet communicare etiam in Sacris.

Colliges 15. Non modò in rebus politicis, sed etiam in sacris posse Catholicos communicare cum hæreticis in Gallia, cùm ibi non sint excommunicati denuntiati, & seruetur ius commune inductum per Extrauagantem Ad euitanda, neque illa peculiari lege prohibeatur ea communicatio. Loquimur autem de licita communicatione attenta duntaxat prohibitione Ecclesiastica ratione excommunicationis: si enim aliunde iure naturali vitaetur ea communicatio propter periculum subuersionis, aut scandalum, aut fauorem præstitum hæresi, & non tantùm hæretico in illa communicatione, iam illa illicita esset cum in sacris, tam in ciuilibus: sed supponimus hæc omnia pericula abesse, & 40

quæ

quærimus an tunc liceat communicare cum hæreticis in rebus sacris & quamuis omninò sit eadem ratio cum hæreticis atque cum cæteris excommunicatis non denuntiatis & toleratis, de quibus agã in sequentibus consectariis; quia tamẽ aliqui sentiunt maiorem hac in parte esse difficultatem, & peculiares solent excitare controuersias, quæ etiam cottidianæ sunt in Gallia, idcircò de illis seorsim agere placuit. Dico igitur in vniuersum sacram communicationem cum istis hæreticis non denuntiatis excommunicatis licitam esse iure nouo Extrauag. Ad euitanda, quia cùm solo iure Ecclesiastico hæreticus sit excommunicatus, & in diuersis rebus vitandus, vti sæpiùs dictum fuit, potuit Ecclesia tollere illam obligationem vitandi hæreticum, quam imposuerat illum excommunicando, id porrò præstitit cùm illa sua constitutione noluit quemquam excommunicatum aliaue censura innodatum vitari à cæteris fidelibus, etiam in perceptione sacramentorum, & aliis diuinis, nisi esset excommunicatus. Ita Axor. tom.1.lib.8.cap.11.q.1. Hinc fie

CONSECTARIVM XVI.

An liceat funeri horum hæreticorum interesse & cum illis orare.

41 16. Hinc fit vt possint Catholici in Gallia simul cum hæreticis orare, rei diuinæ interesse, atque illorum funus comitari, quia neque viuos, neque mortuos illos vitare tenentur, cùm non sint denuntiati. Ita Nau.lib.5. Concil. tit. de hæreticis. cõs.15.&16. vbi maximè agit de funere hęreticorũ, cui intersunt Catholici, quod licitum esse dicit; consentit Azor.cap. 11.cit.q. 2. & Sanch.lib.2.in decalog.cap.9. numero 7. Layman.li.1.tract.5.p.2. cap. 4. sub fin. Inde etiam de Graffis. lib.4. decision. cap.11. numero.3. excusat Principes, qui legatos hæreticos permittunt secum ingredi Ecclesias & illis præsentibus orant.

CONSECTARIVM XVII.

An liceat hæreticum in loco sacro sepelire.

42 17. Qui hæreticum non denunciatum excommunicatum sepeliunt etiam in loco sacro; non incurrunt excommunicationem latam Clem.1.de sepult. in eos qui excommunicatum scienter sepeliunt, neque eam, quæ fertur cap. Quicunque de hæreticis in 6. in illos qui hæreticos sepeliunt in loco sacro. Ita Layman. cap.4. cit. numero 9. & alij inferiùs adducendi, quia in solos denuntiatos excommunicatos cadit priuationis sacræ sepulturæ pœna.

CONSECTARIVM XVIII.

An fas sit adire templa hæreticorum.

43 18. Templa hæreticorum adire, atque in illis orare, & conciones atque ipsorum cantus audire possunt Catholici, neque incurrent excommunicationem latam in communicantes cum excommunicatis, quandoquidem denuntiati non sunt; ratione tamen scandali, ne videantur his signis hæresim profiteri, & quia periculum est subuersionis, nisi grauis vrgeat necessitas, aut ratio, quæ totam illam actionem honestet, abstinere omnino ab his oportet. Ita Azor. cap.11. cit. q.4. allegato. Nauarr. & Sanch. lib.2. in decalog. cap.4. n.16. quæ enim in contrarium latè disputat Sanctarell. tract. de hæreticis. cap. 8. dub.1. supponunt vel periculum peruersionis, vel piorum offensionem, vel has actiones, hancque cum hæreticis communicationem imperari à Principibus in odium veræ Religionis, esseque notam communem desertæ veræ fidei, & professionem nostræ atque erroneæ sectæ; in quibus casibus nulla potest esse dubitatio, reiiciendam esse hanc totam communicationem in sacris.

CONSECTARIVM XIX.

An sacerdoti hæretico liceat ministrare.

19. Hæretico non denuntiato missanti in Anglia adesse aut respondere non prohibetur Catholico vi excommunicationis ante denuntiationem, vti concedunt iidem DD. & sequitur ex dictis; aliunde tamen, quia ministrare illis sacris est cooperatio quædam in re illicita, & in ipso crimine hæresis, id fieri non poterit absque peccato mortali, quod idem dico de ministrantibus cænæ Caluinisticæ. Quæ omnia pendent ex alibi dictis de scandalo & cooperatione cum alieno peccato: Rutenis tamen, Armenis, & Græcis sacerdotibus, vbi permixti sunt Catholicis licebit ministrare, tum quia, cũ denũtiati nõ sint nõ prohibetur illis, quã nis schismaticis & excõmunicatis Catholici cõmunicare, tũ quia, cum illorũ titus in sacrificando nõ dãnentur ab Ecclesia, sed permittantur, non cooperabuntur rei malæ aut illicitæ, qui illis ministrabunt, vt optimè vidit Axor. cap.11. cit. q.10. 44

CONSECTARIVM XX.

An liceat filios hæreticorum admittere in scholis.

20. Fas erit hæreticorum filios in scholis Catholicorum admittere. Nau. Consil.1. de constit.q.17. Azor. cap.11. cit. q.8. Sanch. cap.9. numero 11. quia ea communicatio non est prohibita, quæ proinde non impediret etiam, ne filij Catholicorum adirent scholas hæreticorum nisi periculum subuersionis iure timendum esse sapientes omnes monerent. 45

CONSECTARIVM XXI.

An liceat Patrinum esse hæretici filij.

21. Licebit Catholico suscipere de fonte baptismi filium hæretici, quoties ritu Catholico baptismus ministratur; quia neque incurret excommunicationem ob communicationem cum illo hæretico non denuntiato, neque etiam aliunde peccabit, cùm ea susceptio nullo iure aut Ecclesiastico, aut naturali prohibita sit; non quidem Ecclesiastico, quia nullum affertur; non etiam naturali, quia periculum subuersionis, & scandalum atque fauor omnis præstitus hæresi vt sic abesse supponitur, & cùm omnia fiant ritu Catholico saltem quoad essentialia, non est vlla cooperatio rei illicitæ. 46

Quia verò pertinet ad susceptorem instituere, & illius vice fidem profiteri non posset licitè Ca- [illegible] tholi

tholicus aſciſcere in patrinum ſui filij hæreticum quamuis enim non incideret in pœnas ſtatutas aduerſus communicantes cum excommunicatis, vt ſæpius diximus, aliunde tamen peccaret ob periculum prauæ inſtitutionis, quod ſi omninò abeſſet, vti aliquando reuerà abeſſe poteſt, exiſtimarem nihil impedire, quominùs etiam hæreticus eſſet patrinus, modò omnia fierent ritu Catholico, & maximè ſi hic patrinus committeret ſuas vices procuratori Catholico, qui eius nomine leuaret de fonte puerum, atque ita eius nomine fidem Catholicam profiteretur. Ita quoad primam partem huius Corollarij cenſent Azor. cap. 11. lib.8.q.9. Nau. de Conſtitut. conſ.1.q.29. Sanch. c.9.cit.n. vlt.Bonac.diſp.1.in bulla Cœnę q.2.punct.2.n.10.

CONSECTAIRVM XXII.

An liceat recipere ſacramenta ab hæreticis.

47

22. Hinc deciditur grauis illa controuerſia an liceat ab Epiſcopis & Parochis hæreticis recipere ſacramenta. Negat enim Azor.cap.11.cit.quæſt.7. affirmat Nau.conſil.15.de hæreticis Layman.lib.1. tract.3.cap.4. part.2. Sanc. lib.2.in decalog.cap.9. numer. 10. Diſtinguendum eſt, vti innuit Suar. tom.3. in 3. p. diſp.18.ſ.1. ſi enim ſpectemus ſolam excommunicationem, ratione cuius hæretici priuantur actiuo & paſſiuo vſu ſacramentorũ, poſſumus ab illis recipere, vt ab aliis omnibus excommunicatis non denuntiatis, nos poſſe diximus, & iterum oſtendemus inferiùs: ſi verò ſpectemus hæreſim eodem modo ab hæretico miniſtro, quo ab alio quopiam peccatore ſacramenta recipere licebit, aut non licebit; quarè quæ dici ſolent de petendo ſacramento à miniſtro peccatore, quando & quomodo id liceat, ne cooperet peccato, quod admittet in ſacrilega adminiſtratione ſacramenti, dicenda erunt de miniſtro hæretico, qui non prohibetur miniſtrare petenti alia ratione, quàm peccati; neque enim hæreſis aut excommunicatio illum priuat ea poteſtate, quod de excommunicatione oſtendam inferiùs, de hæreticis etiam ſecluſa excommunicatione, fatentur omnes, cùm nullibi ea priuatio infligatur hæreſi, niſi propter annexam excommunicationem.

CONSECTARIVM XXIII.

An ordinatus ab hæretico aut excommunicato fiat Irregularis.

48

23. Hinc fit vlteriùs ordinatum ab Epiſcopo hæretico ſuſpenſo, excommunicato, degradato, ſed non denuntiato, non incurrere excommunicationem, neque Irregularitatem, neque priuari vſu ſui ordinis. Suppono imprimis tum ordines, tum alia ſacramenta, ad quorum valorem non requiritur Iuriſdictio, validè conferri poſſe ab excommunicatis, ſuſpenſis, atque etiam hæreticis, quod latè ſtabilimus 3.p.

Suppono 2. Ordinatum ab hæretico, ſuſpenſo & excommunicato prohiberi ab exercitio ordinis accepti in ordinantis execrationem, atque incurrere Irregularitatem, ſi ſuo ordine vtatur. Ita Henriq. Val. & alij communiter apud Barboſ. alleg. 3. de poteſtate Epiſcopi. num. 3. & Couarru. in cap. Alma mater. 1.p.§.6.num. 6. qui omnium concordem ſententiam eſſe affirmat, & patet ex cap. 2. de ſchiſmat. vbi Innoc. III. ſcribit Biſuntino Epiſcopo vt Priorem ab ſchiſmatico ordinatum repellat ab ordinibus, niſi doceat ab habente poteſtatem ſecum fuiſſe diſpenſatum, & cap.1. de Ordinati ab Epiſcopo, qui renuntiauit Epiſcopatui ſtatuit Alexand. III. ad Toletanum Archiepiſcopum ſcribens, vt eiuſmodi exequutionem Ordinis ſacri non retineant; & Gregor. IX. ibid.cap.2. de ordinatis ab excommunicato, ſi ignoranter peccarunt, indulget vt cum ipſis diſpenſetur & ſanè cùm talis Epiſcopus hæreticus excommunicatus, ſimoniacus, ſuſpenſus non habeat vſum ordinum, illum dare non poterit iuxta Regulam Vrbani II. ad Epiſcopum Piſtorienſem in cap. Dei bertum 1. quæſt. 7. qui nihil habuit, nihil dare potuit. Dixi nihilominùs in noſtro Corollario ordinatos ab Epiſcopo hæretico & excommunicato non denuntiato non fore irregulares, & habere liberum exercitium ordinis à tali Epiſcopo accepti, quod ex communi ſententia docet Sanch. lib.3. de matrim. diſput. 22. num.35. Henriq. lib. 13.cap.39. Barboſ. alleg. 3. de poteſtate Epiſcopi numer. 17. Maſcard.de probat. con.649. num.45.& alij, quia ex fauore Extrauag. Ad Euitanda. neminem non denuntiatum etiam in ſacramentorum receptione vitare tenemur. Neque Couarruuias cap. Alma mater 1.p.§.6.numer.6.& alij Canoniſtæ apud ipſum rectè obiiciunt cap.2.de ordinat. ab eo qui Epiſcopatui renuntiauit. Vbi Pontifex indulget diſpenſari cum ignoranter ordinatis ab Epiſcopo excommunicato, loquitur enim de Epiſcopo publicè excommunicato, qui tamen occultus ſit ordinato, vti contingere poteſt, tunc enim illa ignorantia non excuſat ordinatum, qui idcircò indiget diſpenſatione quæ tamen faciliùs ob illam ignorantiam indulgetur; deinde veteri illi Iuri derogatum fuit per extrauag. Ad euitanda.

CONSECTARIVM XXIV.

An matrimonium cum hæretico ſit licitum.

49

24. Hinc ſequitur matrimonium Catholici cum hæretico non eſſe illicitum, neque ratione excommunicationis, vti oſtendam inferius, neque ex eo quod miniſtretur ſacramentum peccatori, & indignè illud ſuſcipienti, quia vt argumentatur Delugo. diſp. 8. de ſacram. num. 226. æque peccaret Catholicus contrahens cum Catholico, quem ſciret eſſe in peccato mortali, quem tamen non peccare ſatis ex communi omnium ſenſu conſtat; eſt igitur illicitum eiuſmodi matrimonium propter peculiares leges, quibus illud Eccleſia prohibuit, de quibus agemus alibi & propter periculum ſubuerſionis tum ipſius Coniugis Catholici, tum prolis ſuſcipiendæ. In Gallia tamen vbi ſolent paſſim iniri eiuſmodi connubia, atque ipſo iam vſu derogatum eſt legibus Eccleſiaſticis in hac parte, ſi nullum ſit ſcandalum, neque periculum ſubuerſionis, nullum etiam apponatur pactum minus honeſtum circa educationem prolis, vt vel aliqui parentem hæreticum, alij Catholicum ſectentur, libera facultas Coniugi Catholico relinquatur, & denique prudenter caueantur omnia incommoda, quæ eiuſmodi coniugia conſequi ſolent, licita omninò erunt, vt concedunt Azor. lib.8.tom.1.cap.11. quæſt.5. Sanch. lib.7.diſputatio. 72. numer.3. Sa. de matrim. impedim. numer. 8. Serari. tract. de his matrimon. Becan.

cap. 9. de fide dub. 5. Layin. lib. vlt. tract. 10. par. 4. cap. 14. num. 2. vbi rectè addit, quoties dubium est, an satis prouisumq; fuerit incommodis, quæ inde timentur, adeundum esse summum Pontificem, aut etiam in Germania, quod idem de Gallia dixerim, Episcopum, qui rem totam examinet, & veniam contrahendi faciat, quanquàm experientia docuerit vix vnquàm fœliciter cessisse ista connubia.

CONSECTARIVM XXV.

De auditione missæ Sacerdotis concubinarij & publici peccatoris.

50 25. Ex hactenùs disputatis colliges an audiri possint missæ sacerdotum concubinariorum notariorum, & an ab illis liceat sacramenta recipere, id enim prohibetur cap. nullus d. 32. & cap. vestra. de cohabitatione clerico. & mulier. atque sæpius alibi tenetque frequenter gloss. & DD. quos omnes dabunt Cosmas in pragmat. Sanctio. tit. de excommunicatis ℣. suspensionis. Couarru in capit. Alma mater. 1. par. §. 2. num. 10. Gutierr. lib. 1. qq. Canon. cap. 1. num. 44. consentiuntque omnes Theologi ipsos notarios fornicarios sacerdotes suspensos esse ab officio, & si celebrent fieri irregulares etiam ante omnem monitionem, quando crimen notorium est, non tantùm iuris notorietate, sed etiam facti, ita vt celari non possit, vt quia domi fouet concubinam, si enim occultari aut velari posset aliquo prætextu, quia v. gr. concubina fingit se esse ancillam matris clerici, & cum illa habitat, opus foret monitione superioris, antequàm in suspensionem incurreret, vt ibidem ostendit Cosmas & Gutierr. Hanc porrò suspensionem extendunt DD. ad omnem clericum etiam in minoribus constitutum, qui si vel semel exerceat actum sui ordinis, quamdiu perseuerat in sua turpitudine notoria fiet irregularis, indigebitq; dispẽsatione Papæ. Post extrauag. tamen, Ad euitanda licebit eiusmodi sacerdotis antequam sit denuntiatus, suspensus & irregularis audire missam, atque ab illo petere omnia sacramenta. Ita laudati DD. cum Antonin. 2. par. tit. 9. cap. 10. §. vlt. Adrian. in 4. tract. de Euchar. quæst. penult. & tract. de Confess. quæst. 9. Sylu. ℣. missa 2. quæst. 3. Alter. lib. 1. disp. 7. cap. 2. fusè Garcia. 7. parte de benefic. cap. 14. num. 36. & seq. Nauarr. cap. 25. in cap. 1. §. laboret. de pœnitent. dist. 6. n. 10. & 22. quia non tenemur vitare nisi denuntiatos: loquimur autem præcisè ratione suspensionis in quam incidit ipse concubinarius; nam ratione status peccati mortalis in quo est, eodem modo agendum erit cum illo, atque cum quolibet alio ministro indigno & peccatore; vnde videas quàm falsò dixerint aliqui peccare mortaliter: qui missam notarij peccatoris audiunt, quos meritò reiicit Gutierr. cap. cit. n. 46.

CONSECTARIA.

De communicatione sacra cum aliis excommunicatis non denuntiatis.

CONSECTARIVM XXVI.

An liceat audire sacrum excommunicati.

51 26. Colliges posse fideles liberè & licitè audire sacrum sacerdotis excommunicati, atque assistere diuino officio, quod plures excommunicati celebrant, aut si intersint, quando nos celebramus illud, siue vt nobiscum officium in choro canant, aut priuatim illud legant. Ita Konin. disp. 14. n. 15. ex communi sententia, & sequitur ex dictis, cũ liceat in sacris cõmunicare eiusmodi excõmunicatis.

CONSECTARIVM XXVII.

An liceat inuitare excommunicatum ad faciendum sacrum.

27. Licet inducere excommunicatum toleratum 52
ad faciendum sacrum quod concedunt quidem omnes, quando grauis vrget necessitas, quam tamen grauiorem esse vult Kon. disp. 14. n. 17. quàm quæ requiritur, vt ab eiusmodi excommunicato aut suspenso sacramenta petantur, v. gr. si alioquin quispiã decessurus sit sine viatico, vt ait Auila 2. p. c. 6. d. 8. dub. 2. ad 2. aut si integra parochia caritura alioquin sit sacro die dominica, inuitari poterit parochus excommunicatus aut suspensus toleratus ad celebrandum; Verùm cùm in explicatione primæ partis extrauag. ostenderimus licere fidelibus, quoties libuerit communicare in sacris & receptione sacramentorum cum non denuntiatis, & non esse expectandum casum necessitatis, neque etiam expectandus erit ad petendum sacrum, neque peccabit ille non denuntiatus celebrando, sicut neq; administrando sacramenta ratione solius excommunicationis, quando non se ingeret, sed ad fidelium preces hæc omnia præstabit.

CONSECTARIVM XXVIII.

An liceat absolutionem ab excommunicato accipere.

28. Colliges non modò cætera sacramenta, sed 53
ipsam etiam sacramentalem absolutionẽ à sacerdote excommunicato, suspenso, interdicto & irregulari non modo validè, sed etiam licitè ministrari, & quoad valorem quidem sacramentorum, quæ nõ postulant essentialiter nisi potestatem ordinis, & non iurisdictionem, certum est ea esse valida etiam ab excommunicato denuntiato atque degradato confecta & collocata, vt dicam q. 4. iterum: Quare difficultas est de absolutione sacramentali, quæ requirit in ministro illius sacramenti iurisdictionem, quam suspensi, excommunicati, & interdicti atque irregulares perdere videntur. Verùm certum esse debet hos omnes, quamdiu denuntiati non sunt, non amittere iurisdictionem, vt tradunt Couarru. in cap. Alma mater. 1. p. §. 7. n. 9. Suar. disp. 15. s. 4. n. 9. Auil. 2. p. cap. 6. disp. 3. dub. 2. con. 3. Nau. cap. 9. n. 9. & 10. Sayr. lib. 2. cap. 2. n. 6. 7. 8. & 9. Vgolin. tab. 1. cap. 15. §. 16. n. 12. Alter. lib. 1. disp. 9. cap. 3. & alij passim, & nos in vniuersum docuimus; quod manifestò sequitur ex concessione facta in extrau. Ad euitanda. Cũ enim dicat nullum teneri abstinere in perceptione sacramentorum ab illis, qui quacumque censura aut sententia innodati sunt, nisi illa publicè, expressè & specialiter denuntiata fuerit, necessariò supponit eiusmodi censura innodatos posse illa sacramenta validè conferre ea postulantibus, quod tamen reuera non possent, nisi retinerent iurisdictionem ad valorem sacrament. necessariam, atq; liberum eius vsum in illis casibus, alioquin tota ea concessio facta fidelibus inutilis omninò foret; quo etiã argumẽt. ostẽdim' in explicatione postremę

partis

partis extrauagant. licitam quoque esse ministrationem istis excommunicatis & aliis toleratis ac non denuntiatis, qui proinde, si cætera omnia adferant, non peccabunt, alioquin nunquàm liceret fidelibus ab iis postulare actum, quem non possent benè & absque culpa exercere; qua de re vide Alteri.lib.1.disp.7.cap.2.

CONSECTARIVM XXIX.

Non denuntiatus non fit irregularis ministrando Sacramenta.

54 29. Ex his vlterius infertur suspensum excommunicatum & interdictum toleratum siue non denuntiatum ministrando Sacramenta fidelibus ab illo petentibus, non incurrere irregularitatem. Ita Sylu.℣.Eucharist.2.q.7.Nau.cap.25.n.75.Auil.2.p.cap.6.disp.8.dub.2. quia ea irregularitas, cùm sit pœna, supponit peccatum mortale committi à ministrante ratione censuræ à qua prohibetur ministrare, & quam violat, quod non fit quando petenti fideli licitè ministrat ex noua illa concessione, quarè rectè addit Auila, hunc ministrum non incurrere irregularitatem etiãsi defectu contritionis, aut quapiam alia ex causa peccaret mortaliter: quia non peccat præcisè violando censuram & legem Ecclesiasticam prohibentem censura innodatum à Sacramentorum administratione; id tamen ita temperandum monet idem Auila, Hurtad. disp. 2. de excommuni.diffic.4.& alij omnes, vt si potuerit absolui à censura, antequam ministraret petenti, & noluerit, incidat in irregularitatem, quia reuerà tunc violauit censuram & legem Ecclesiasticam.

CONSECTARIVM XXX.

Quid faciendum quando denunciatus alicubi, alibi paucis notus templum ingreditur.

55 30. Colliges. Quid faciendum sit, quando excommunicatus denuntiatus in alia Prouincia, & paucis ignotus in ista ingreditur templum tempore sacri. Respondent enim Antoni. 3.p. tit. 26. cap. 2. Sylu. ℣.excommunicatio 5. n. 2. Tabiena eod. ℣.8.n.3.& Auila 2.p.cap.6.disp. 11. dub. 11. paucos illos, qui illum norunt debere exire è templo, si id possint absque eius excommunicati illo loco incogniti infamia & detectione. Verùm ex iis, quæ in vniuersum statuimus in 2. parte extrau. de denuntiatis in vna Prouincia, & in alia incognitis liquet imprimis posse eos, qui norunt, illum vitare, neque iniuriam illi facere, etiamsi inde manifestetur illius crimen non sine probro & infamia; quarè poterunt, qui illum excommunicatum resciuerint exire è templo etiam cum eius infamia, quod malè negant laudati DD. tamen non tenebuntur illum vitare, & exire è templo, licet prætextu alterius causæ absque infamia excommunicati videretur id fieri; immò si præceptum Ecclesiasticum audiendi sacrum vrgeat, debebunt omninò illud audire, licet intersint eiusmodi excommunicati alibi denuntiati, & ipsis tantùm cogniti: cùm enim vt dixi non obligentur illos vitare in eo loco, nihil est quod impediat, quominùs licitè intersint sacro, & seruent præceptum Ecclesiasticum, quod tunc vrget, neque impeditur ex concursu alterius præcepti vitandi excommunicatum denuntiatum, quod tunc, vti ostendi, non obligat. Quod idem dico, quando notorius percussor Clerici in alio loco & non in isto templum subiret, etiamsi enim fortassis possim illum vitare absque iniuria famæ, quam iam videtur amisisse, quod nondum definio, tamen non tenebor vitare, vt dixi loco citato, ac proinde obligabor præcepto audiẽdi sacrum, quod tuc vrget.

CONSECTARIVM XXXI.

An denuntiato mihi tantùm cognito danda sit Eucharistia petenti.

56 31. Colliges quid dicendum sit quando excommunicatus denuntiatus alibi vbi nondum cognitus est, petit à me, qui rectè noui, Eucharistiam, huic enim si publicè petat, denegari non posse, sicut neque occulto peccatori publicè petenti existimat Auila l.c. Mihi verò secus omninò videtur, cùm enim absque iniuria & culpa infamationis possim illum excommunicatum alibi denuntiatum vitare etiam hic, & præceptum naturale sanctè tractandi Sacramenta obliget negare indignè sumenti, quoties id possum absque violatione alterius præcepti, infamatione videlicet iniusta petentis, reuerà hoc præcepto tenebor, & negare debebo huic excommunicato etiam publicè petenti, cum enim ex ea negatione non sequatur iniusta illius infamatio, debeo tueri Sacramenti sanctitatem.

CONSECTARIVM XXXII.

An tenear vitare eum, qui me præsente percussit Clericum.

57 32. Sequitur me non teneri vitare eum qui me præsente percussit Clericum, nisi tot adfuerint testes, quot sunt necessarij ad faciendum crimen notorium. Ita Auila 2.p. cap. 6. disp. 2.dub. 4. & Bonac.disp.2.de excomm.q.2.p.1.§.1.n.7.Aragon. a.2.q.10.a.9.contra Suar.Alteri, & alios à Bonac. relatos: quia reuera illa percussio non est simpliciter notoria, vti requiritur ad inducendam obligationem vitandi percussorem, etiamsi sit cognita iis, coram quibus facta fuit, hæc enim duo diuersa sunt maximè in materia odiosa & pœnali, in qua verba propriè vsurpanda sunt, & non amplianda.

CONSECTARIVM XXXIII.

An licitè contrahatur matrimonium cum excommunicato.

58 33. Colliges licitum esse contrahere matrimonium cum excommunicato tolerato & non denuntiato, quod docent Viuald. in candelabro 1. p. de matrim. n. 8n. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 9. num. 8. Diana 3. p. tract. 4. de Sacram. resolut. 168. De Lugo. disp. 8. de Sacram. sect. 14. contra Tolet. lib. 7. cap. 7. num. 1. Basili. Ponti. qui lib.6.de matrim. cap. 10. num. 3, agnoscit in tali contrahente tria peccata, & alios; contra quos probatur nostrum corollarium ex fauore quem facit extrauagans ad euitanda, quam hactenùs explicuimus, petendi & accipiendi Sacramenta ab excommunicato non denuntiato; quarè indirectè & per necessariam consequutionem permittit ipsi excommunicato administrare Sacramentum illud petenti, quam

consequentiam superius ostendimus: Fas igitur fuerit excommunicato tolerato administrare sacramentum matrimonij alteri Coniugi illud petenti, suppono enim in hoc sacramento ipsos Coniuges esse ministros, quod malè contra communem omnium sensum negauit Sylui. in 3.p.q.42.supplem. a.1. Estius in 4. d.26.§. 10.& qui ea de causa notatus est nigro theta in Indice expurgatorio Hispano, Didacus Nugnus Cabeçudus. Posita autem communi sententia, cùm in sacramento matrimonij idem, qui ministrat sacramentum, illud etiam necessario accipiat, & qui illud petit atque accipit, illud quoque pari necessitate ministret, si ex fauore Extrauag. Explicatæ, licet fideli non excommunicato accipere & petere sacramentum matrimonij ab excommunicato non denuntiato, licebit quoque illi idem sacramentum administrare, cum non possit accipere ab illo, quin vicissim illi conferat & ministret; quando enim vnum correlatiuum est licitum, alterum quoque, sine quo prius illud consistere nequit, licitum esse oportet, vti superius monuimus. Qui igitur ministrat matrimonium excommunicato tolerato non peccat, quia etiamsi talis excommunicatus priuetur participatione sacramentorum,& illa petere non possit; alter tamen non excommunicatus habet ius ab illo excommunicato petendi & accipiendi, & non potest matrimonium accipere, quin simul eadem indiuisibili actione illud ministret;& sanè non peccat hic contrahens cum excommunicato tolerato, eo quod cum ipso participet in sacris, quia ea participatio & communicatio permissa fuit per dictam Extrauag. non peccat etiam eo quod cooperetur peccato alterius coniugis indignè id sacramentum administrantis, quia administratio sacramenti est licita illi excommunicato in fauorem petentis non excommunicati, neque denique peccat eò quod cooperetur indignæ susceptioni excommunicati, quia vel ea susceptio indigna & sacrilega est ratione excommunicationis, quæ ipsum arcet à perceptione sacramentorū, vel ratione peccati, quod causam dedit excommunicationi & quod nondum expiatum fuit: non primum, quia cùm ministratio & susceptio sacramenti hoc loco sint vna & indiuisibilis actio, & ministratio illi excommunicato licita sit, erit quoque licita ipsa susceptio. Status verò peccati, in quo est hic Coniux excommunicatus non obstat, tum quia potuit peccatum iam fuisse expiatum per contritionem, tum quia non est maior difficultas ex eo capite, quàm sit in contrahendo cum quolibet alio peccatore non excommunicato, & possim propter necessitatem vel vtilitatem notabilem petere ab alio id, quod non est intrinsecè malum,& quod absque culpa præstare potest, licet nönnisi cum peccato præstiturus sit, quod eius malitiæ, nön meæ petitioni iure imputabitur. Obseruat porrò Sanch. hæc omnia vera esse, quando excommunicatus præuenitur à non excommunicato, nam si ipse præueniat non excommunicatum, & ab illo petat sacramentum matrimonij peccabit, quia illicitè petet; non enim excommunicatis fauet Extrauagans Ad euitanda, quod equidem fateor, quia tamen non excommunicatus fieri potest ex indirecto inducens,& petere ab excommunicato sacramentum; ad quod tamen ab illo fuerat prius inuitatus, licitè deinde matrimonium contrahent, vt patet.

Cætera quæ quæri possent circa communicationem cum excommunicato non denuntiato facilè ex dictis deducentur, & commodiùs tradentur in sequentibus qq.

QVÆSTIO II.

An & quomodo Excommunicatio priuet communibus Ecclesię suffragiis, fructu sacrificij, Indulgentiis & sacra sepultura?

Notationes ad Intelligentiam quæstionis. numero.1.

Quomodo officia Ecclesiæ habeant vim suffragij. num.2.

Quinam orent nomine Ecclesiæ.num.3.

Quomodo sacerdos sacrificans personam Christi gerat. n.4.

Quomodo sacerdos sacrificet nomine Ecclesiæ. num.5.

Sacerdos etiam proprio nomine offert.n.6.

Quomodo cum tribus illis offerentibus comparetur actio sacrificandi.ibidem.

Comparantur effectus sacrificij cum triplici offerente.n.7.

Sacrificium est tantùm meritorium respectu proximi.n.8.

Sacrificium est impetratorium respectu triplicis offerentis.n.9.

Sacrificium est expiatorium, & quomodo, & respectu cuius offerentis. numero 10. & 11.

An hi effectus sint ex opere operato, an ex opere operantis.n.12.

Duplex opus operatum.n.13.

Hi omnes effectus pendent ab intentione sacerdotis applicantis.n.14.

Quarè si sacerdos excludat aliquem à fructu sacrificij contra Ecclesiæ voluntatem, illi non proderit. n.15.

Alia subsidia quibus Ecclesia iuuat fideles.numero 16.

1. Propositio circa priuationem suffragiorum & sacrificij. n.17.

1. Pars, omnem excommunicatum priuari communibus Ecclesiæ suffragiis. numero 18.

Contritio aut resipiscentia non excusat ab hac priuatione.n.19.

Neque Iniustitia excommunicationis si alioqui valida sit.n.20.

2. Pars, Excommunicatus toleratus potest fieri particeps suffragiorum communium à ministro offerente.n.21.

Consect. 1. an liceat orare pro excommunicato num.22.

Consectarium. 2. an sacrificium & suffragia publica

publica pro excommunicatis oblata illis prosint.n 23.

Consect 3. An Sacerdos excommunicatus possit offerre Sacrificium pro se ipso,n.24.

Consect. 4. an liceat publicè orare pro hæreticis, schismat cis, Iudæis & infidelibus n.25.

Consect. 5. An liceat accipere stipendium ad sacrificandum pro excommunicato. numero 26.

2. Propositio. Circa priuationem Indulgentiarum.n.27.

Consect. 1. An Excommunicatus possit vti re sacra ad lucrandum Indulgentiam n.28.

Consect. 2. An concessio Indulgentiæ excommunicato facta sit absolutio.n.29.

3. Propositio, circa priuationem sepulturæ Ecclesiasticæ n.30.

Expositio propositionis n.31.

1 Pars, excommunicatus priuatur sepultura Ecclesiastica.n.32.

2. Pars, hæc pœna non afficit quemlibet excommunicatum. n.33.

Eximitur enim 1. qui fuit absolutus ibid.

2 Excommunicatus toleratus n.34.

Pœna sepelientium excommunicatum denunciatum ex Clem.1. de sep alta… n.35.

EXcommunicatio, vti vox ipsa sonat, est priuatio comunionis siue communicationis: quo nomine intelligo rerum sacrarum & humanarum societatem ac cõmercium; quaré vt iam alio loco monuisse me memini, duplex est cõmunicatio fidelium inter sese quatenus sunt eiusdem ciuitatis, ciues, & vnius corporis membra; vna est politica, altera spiritualis siue sacra, quæ in communium sacramentorum vsu, diuinis officiis atque participatione fructus, suffragiorum Ecclesiæ, aliorumque bonorum communium & spiritualium consistit; his verò omnibus communicationibus priuat excommunicatum excommunicatio, quod quomodo fiat inquiremus hoc capite, ordiorque à communicatione precum & suffragiorum communiũ; vt verò quæstionis status clarius aperiatur,

Notationes ad intelligentiam quæstionis.

1 Obseruandum est suffragia siue subsidia quibus Ecclesia iuuat spiritualiter fideles quædã esse communia, quia ab Ecclesia ad vtilitatem omnium membrorum diriguntur, & nomine ac vice totius Ecclesiæ fiunt: alia esse priuata, quibus quilibet fidelis suo priuatim nomine & opera alium quempiam priuatim iuuat, illi suas orationes, atque bonorum operum vim impetratoriam & satisfactoriam applicando, nullum enim alteri quidquam de condigno mereri posse concedunt omnes Theologi, & nos solidè probauimus 2.2. suffragia igitur communia, quæ etiam publica nominamus, sunt orationes publicæ & ab Ecclesia institutæ; deinde sacrificium Missæ, tertiò indulgentiæ, ac demum sacra sepultura, his enim omnibus Ecclesia iuuat fideles tum viuos tum defunctos, vti alibi disputauimus.

NOTATIO PRIMA.

Quomodo orationes Ecclesiæ habeant vim suffragij, & quænam eius nomine offerantur.

Et quidem quod attinet ad orationes, diuina officia & alia eiusmodi, quæ à ministris nomine totius Ecclesiæ offeruntur, illa non habent vim satisfactoriam sed impetratoriam duntaxat, quia opus non est satisfactorium, nisi quatenus est pœnale, vt sic autem est proprium personæ, quæ per illud patitur, quod de opere ab Ecclesiæ ministris præstito dici non potest respectu ipsius Ecclesiæ, cui reuerà pœnale non est, atque ita vt ab Ecclesia fit per suos ministros nõ est satisfactoriũ; quarè nulla fiunt opera pœnalia per ministros ab Ecclesia ad satisfaciendum Deo nomine totius corporis nisi simul in illis Ecclesia applicet peculiariter satisfactionem Christi, & potestate dispensandi thesaurum vtatur, quod extra Indulgentiarum concessionem minimè fieri solet. Habent igitur hæc opera & orationes publicæ nomine totius Ecclesiæ ab illius ministris exhibitæ vim duntaxat impetratoriam. Non placet autem, quod Naua.c.29. de oration. con.3. numero 59. & cap. 20. numero 39. hunc impetrandi effectum orationibus Ecclesiæ tribuit ex opere operato allegans Gab. lib.57. in Canon. & Gerson. nam hunc agendi modum non agnoscimus nisi in sacramentis & sacrificio, neque constat concessam fuisse aliquam Ecclesiæ potestatem tribuendi talem efficacitatem vlli operi. Impetrant itaque hæc suffragia ex opere operantis, quod est Ecclesia, cuius sanctitas facit, vt hæ orationes sint semper Deo acceptæ, quamuis fortassis proximi ministri sint illi infensi; qua de causa iniquitatem ministri nullum efficacitati horum suffragiorum ponere impedimentum dixit S. Thom. in 4. d. 46. q.2. a. 1.q.3. & ipsum sequutus Soto ead. dist.q.2. a. 1. Vnde vides discrimen esse inter orationem priuatam à peccatore factam & orationem publicam à Ministro item peccatore exhibitam: quia prior illa non ita facile & certò impetrat, cùm etiam, vt sapienter monet Gregor. 1. parte pastoralis cap.11. is, qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animum ad deteriora prouocat: At verò quia orationis publicæ efficacia non sumitur ex proximo ministro, sed ex dignitate principalis petentis, qui est Ecclesia, vim suam obtinebit quodammodò infallibiliter, quod apparet in legato, qui nomine Regis petit, petitio enim illa efficax est, quia Regia est, etsi legatus vilis aliqua persona fuerit.

Nomine porrò Ecclesiæ orare omnes Clericos prima tonsura initiatos, omnes Religiosos professos, atque nouitios donatos, item & donatas Ecclesiarum sæcularium & Regularium, eo quod sint hi omnes Ecclesiæ ministri existimat Nauarr. cap. 20. de oration. numero 40. Vbi etiam addit omnes fideles dum recitant orationes ab Ecclesia institutas, ipsius nomine orare, quod si non sint institutæ ab Ecclesia, non funduntur eius vice etiam à Clericis & Religiosis. Quæ significatio publicæ orationis minus legitima est, vt optime explicat Antõ. Peres ad c.27. Regulæ S.Ben. n.6. vbi orationem publicam & priuatam cum persona item publica & priuata cõparat, publica enim persona dicitur, quæ publicum ministerium Republ. in persona Reipubl. exercet modo & legibus

à Republica definitis ſiue clam ſiue palam illud miniſterium exerceat. Priuata verò perſona eſt quæ vel publico illo miniſterio caret, aut ſi illo donata ſit, non agit tamen ex vi illius miniſterij à Republ. ſibi crediti, neque eius vice, ſed qua priuatus ſiue ſingularis aliquis ciuis eſt; vnde fit vt vna & eadem perſona & publica & priuata eſſe poſſit, atque vtroque modo agere. Simili ratione oratio publica non eſt, quæ coram pluribus funditur, quo ſenſu orationem patibularij ad furcam ſuſpendendi publicam diceremus, ſed quæ fit à miniſtris Eccleſiæ ad id deputatis, & ipſius vices fungentibus modo ac ritu ab ipſa mandato. Priuata è contrariò oratio eſt, quæ fit non in angulo domus, aut ab vno tantum, ſed ab iis, qui ad id minimè ſunt ab Eccleſia deſignati, aut etiamſi deſignati ad id munus forent, ſuo tamen priuato nomine & intentione eodem modo, quo ceteri fideles & non miniſtri Eccleſiæ deſtinati illam fundunt; neque quidquam intereſſe, ſiue orationes, quas aliquis ita priuato nomine fundit, ſint ab Eccleſia inſtitutæ, ſiue non ſint, quando enim priuata anthoritate recitantur, priuatæ quoque cenſentur, vti explicat Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 48. ſ. 8. num. 9. & tom. 5. diſp. 34. S. 3. num. 7.

NOTATIO SECVNDA

Quomodo ſacrificium Chriſtianum CHRISTI*, Eccleſiæ & Sacerdotis ipſius nomine offeratur.*

4 Quod attinet ad ſacrificium quod vnicum eſt in Eccleſia Chriſtiana ſacerdos, qui illud offert, triplicem perſonam ſuſtinet, nimirum CHRISTI, Eccleſiæ, & propriam.

CHRISTI quidem, qui illum delegit vt ſuo nomine ſacrificaret, ipſe tamen eſt principalis offerens, vt ex Conc. Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. & PP. alibi ſtatuimus, interim adi Vaſq. in 3. p. diſp. 225. cap. 1. Suar. ibid. tom. 3. diſp. 77. S. 1. Scoti. lib. 2. de miſſa cap. 3. neque tantùm remotè Chriſtus Sacerdos eſt hoc loco, quia ſacrificium hoc inſtituit, & ſuo nomine offerri voluit, atque in ſui memoriam, & ad eius efficaciam ſua merita applicuit, vt contendit Vaſq. Simonem Theſſalonicenſem Græcum ſchiſmaticum, & pluribus erroribus corruptum parùm prudenter in eam rem allegans, ſed quia reuerà hæc oblatio etiam nunc eſt à Chriſto vt ſacerdote & ſacrificante per proximum Sacerdotem non quod vel ipſe phyſicè cōcurrat ad actionem oblationis, vel neceſſarium ſit habere aliquam, actualem voluntatem phyſicè exiſtentem, qua nunc offerat, quia ſi per impoſſibile dormiret quando offertur, nihilominus ipſe diceretur offerre, ſicut Rex dicitur paſciſci, aut quidpiam aliud agere, quando eius legatus agit, quamuis nihil ea de re tunc cogitet Rex; ſed quia reuerà Sacerdos ex Chriſti inſtitutione ita eius nomine offert vt Chriſtus ipſe per miniſtrum, quem ſibi ſubſtituit, dicatur illum cultum, qui in actione ſacrificij conſiſtit, DEO exhibere, ſitque ea actio moraliter loquendo actio Chriſti ſacrificantis & colentis DEVM per ſuum miniſterium ita vt non tantùm Chriſtus munere Sacerdotali functus fuerit, vbi primùm inſtituit hoc ſacrificium, illudque obtulit, atque Apoſtolos deſtinauit, vt ſuo nomine illud offerrent, ſed etiam nunc eodem ſacerdotis officio & ſacrificantis munere fungatur, qua in re diſſentimus à Vaſq. qui non ſatis explicat, quomodo Chriſtus ſit æternus ſacerdos, ſi non ampliùs ſacrificat, ratione enim ſolius inſtitutionis non offert præcisè vt ſacerdos, quia inſtitutio ſacrificij pertinet ad legiſlatorem non ad ſacerdotem vt ſic. Itaque requiritur vt etiam nunc actu ſacrificet, & non tantùm quia cùm delegauit ſibi miniſtros, atque inſtituit ſacrificium, fuerit ſacerdos, ſed quia nunc ſacrificat actu, delegauit enim ſibi miniſtros, per quorum manus ſacerdotij ſui munus exequeretur. Itaque voluntas, quam habuit quando ſacrificium inſtituit, & ſibi miniſtros delegauit, moraliter adhuc perſeuerat, & vi illius ipſe offert per ſacerdotes: ſi enim voluntatem illam priorem, qua voluit ſuo nomine offerri hoc ſacrificium, retractaſſet, non offerret reuerà nunc, neque ſacrificaret, etiamſi miniſtri ſemel ab illo delegati ſacrificarent.

Offert quoque ſacerdos nomine Eccleſiæ, quæ per ſacerdotem ſacrificare dicitur, ſiue quia totum Eccleſiæ corpus ſacerdotem offerentem includit, tanquam membrum ſuum & inſtrumentum ad tale miniſterium deputatum, per quod & ipſum corpus dicitur operari; ſiue quia, cùm ſacerdos intercedat inter DEVM & Eccleſiam, eſt miniſter publicus ad præſentanda totius Eccleſiæ munera, atque hæc denominatio extrinſeca offerentis ſacrificium ad ſingula quoque membra extenditur, quatenus ſunt membra corporis, cuius authoritate & veluti communi conſenſu ſacerdos deſtinatus eſt, vt vice totius corporis offerat. Quia licet in corpore naturali actio vnius membri aut partis non tribuatur alteri membro aut parti, ſed ſolùm ipſi toti, etſi enim homo dicatur videre per oculum, pes tamen non dicitur per eundem oculum videre. In corpore nihilominus myſtico aliter contingit, & actiones vnius membri ſi toti conueniant, ſingulis quoque partibus tribui poſſunt denominatione quadam extrinſeca, atque etiam habituali. Ratio diſcriminis eſt, quia in corpore naturali ſingula membra non ſunt ſuppoſita diſtincta, & capacia actionum alterius membri, cùm tamen in corpore myſtico ſingula membra ſint & ſuppoſita diuerſa, & capacia actionum omnium, & præterea cenſentur habitualiter aut virtualiter & interpretatiuè conſentire in illam actionem, quæ à toto corpore fit miniſterio alicuius membri, ſicut igitur illa actio tribuitur corpori, quod dicitur agere per quandam denominationem extrinſecam, ita & tribuetur cæteris membris in eodem corpore comprehenſis.

Neque dicas ſacerdotem non poſſe offerre nomine Eccleſiæ præſentis, quæ hunc non deſignauit vt nomine ſuo ſacrificaret, cùm ab aliis fidelibus iam defunctis deſtinatus ſit, neque etiam nomine Eccleſiæ præteritæ, quæ cùm ſit extra viam, non eſt in ſtatu offerendi ſacrificium.

☞ enim ſacerdotem ſacrificare nomine Eccleſiæ præſentis, & fideles qui nunc ſunt habere ſufficientem voluntatem orandi & ſacrificandi per hunc ſacerdotem: ad hoc enim neceſsè non eſt vt hunc ſacerdotem viderint, aut actu expreſsè deſignarint, ſuoque loco ſubſtituerint, nam etiam illum ipſum ſacerdotem, qui hodie initiatur, reliqui omnes fideles nō norunt, neque aliter delegant ad ſacra peragenda, quàm quia

quia cùm sint Ecclesiæ membra, subdanturque Prælatis, censentur ratum habere, quidquid Prælati nomine communitatis decreuerint, atque ita probare, quos illi eiusdem communitatis nomine ad Deum legatos, & ad offerenda Sacrificia Sacerdotes delegerint, qui est consensus duntaxat virtualis & interpretatiuus, vti monui, qui consensus deinde in consequentibus & posteris perseuerat, eadem enim ratione censentur probare quidquid aliàs ad fidelium vtilitatem factum fuit à Prælatis, & per illos ipsos ministros, quos nomine totius Ecclesiæ sacrificare voluerunt, & ipsi quoque sacrificare; Quarè & Deus Sacrificium à Sacerdotibus oblatum acceptat tanquàm à tota Ecclesia & singulis fidelibus sibi oblatum.

NOTATIO TERTIA.

Quomodo triplex Sacrificij effectus cum tribus offerentibus comparetur.

6 3. Denique Sacerdos offert proprio nomine, ipse enim verus & proximus sacrificans est per suam actionem physicam & moralem, vt constat: cum his autem tribus offerentibus, quorum personam gerit Sacerdos, comparare debemus actionem sacrificandi, eiusque effectus atque valorem: Actio enim ista sacrificandi comparata cum Christo offerente, & cum Ecclesia semper bona est, licet sit à malo ministro, quæ tamen bonitas non est formalis, sed denominatiua deriuata à voluntate, quam Christus habuit in institutione huius Sacrificij, & quæ hactenùs moraliter perseuerat, propter quam hæc actio censetur actio Christi, eo quod minister illam ex eius delegatione, ac proinde eius authoritate exercet: respectu quoque Ecclesiæ, quæ Sacerdotes designauit cuique suas commisit vices, hæc actio sancta est, atque eo sensu dixit Trident. sess. 22. cap. 1. hanc esse oblationem mundam, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari possit, quia licet aliquando à prauo ministro offeratur, respectu tamen Christi offerentis, atque etiam Ecclesiæ semper Deo accepta est & munda.

7 Iam verò effectus huius sacrificij multiplex est, meritum nimirum, impetratio, & satisfactio; si enim quælibet bona opera triplicem hunc effectum sortiantur, quidni eosdem habebit eximium Religionis opus, & cùm in veteribus sacrificijs illi effectus reperirentur, non possunt ab isto abesse, quod vt loquitur Tridentinum cap. 1. cit. bona omnia per illa significata velut omnium illorum consummatio & perfectio complectitur.

8 Hi tamen effectus cum diuersis offerentibus comparati varij sunt: nam 1. non est meritorium respectu Christi offerentis, qui ampliùs non est in statu merendi, quarè licet per hoc Sacrificium, sicut & per omnia Sacramenta applicet sua merita, non tamen reuerà meretur: voluntas quidem illa, qua Sacrificium instituit, & Sacerdotes qui suo nomine offerrent, designauit, meritoria fuit, & licèt modò moraliter perseueret, atque ratione ipsius dicatur Christus modò offerre, non tamen ipsa meritoria nunc est, sicut neque aliæ Christi volitiones, quas modo elicit, meritoriæ sunt.

Respectu quoque Ecclesiæ Sacrificium istud meritorium non est, quia cùm ipsa non offerat, nisi quatenùs suo loco substituit Sacerdotes, qui offerrent modo superiùs explicato: cùm tamen illa destinatio non requirat voluntatem actu & physicè perseuerantem, sed tantùm habitualiter, non potest modò per eam habitualem voluntatem mereri, vt diximus 1. 2. & sanè vel fuit meritorium respectu Ecclesiæ hoc Sacrificium, quando ipsa deputauit Sacerdotem, vel quando Sacerdos offert illud ipsius nomine; non primum, quia licet ea destinatio & deputatio honesta fuerit & meritoria, ipsa tamen non fuit oblatio, aut sacrificatio; cùm verò deinde subsequuta est oblatio per Sacerdotem facta vice ipsius Ecclesiæ, non fuit in Ecclesia nisi voluntas habitualis, ac proinde incapax meriti: prætérquàm quod vel istud meritum tribueretur communitati vel singulis eius membris, cùm illis omnibus tribuatur hæc actio sacrificandi modo exposito superiùs; non potest autem meritum tribui communitati, quæ est tantùm persona ficta, atque ita incapax effectus meriti, nempè gratiæ sanctificantis, & visionis beatificæ quæ communitati vt sic non conferuntur, sed singulis membris ex quibus ea coalescit; atqui singula ista membra non sacrificant nisi quatenùs consensu interpretatiuo approbant Sacrdotem designatum, vt ipsorum omnium nomine apud Deum mediatorem agat, & illi sanctissimam hanc victimam immolet.

Meritorium igitur est tantum sacrificium istud ratione Sacerdotis proximè & physicè illud offerentis, modò adsint eæ omnes conditiones, quas in opere meritorio requirebamus 1. 2. Nomine autem Sacerdoris intelligo hoc loco cæteros omnes proximè offerentes, siue suo modo concurrentes ad hoc sacrificium.

9 Alter effectus huius sacrificij est impetratio, quã si comparemus eum proximè offerentibus nemo negabit. Æquè enim poterunt per nobile istud opus; atque per cætera bona opera impetrare, sicut de merito disserebamus: Neque maior difficultas esse potest de Ecclesia, quin illa orare & impetrare per legatum à se deputatum possit, cùm in humanis modus ille orandi & impetrandi frequens sit.

Itaque totum dubium de impetratione comparata cum Christo offerente excitari poterit, verùm cùm sacrificium esse impetratorium nihil aliud significet, quàm offerri ad impetrandum, non potuit institui istud Sacrificium vt impetratorium nisi offerens per illud possit impetrare; atqui Sacerdos non offert ad impetrandum nisi nomine Christi, ergo Christus ipse per illud impetrat tanquàm principalis offerens, & in cuius nomine offertur etiam quatenùs impetratorium est: neque dicas Christum non esse ampliùs in statu orandi, atque adeò neque impetrandi: quidquid enim sit de ea vulgari quæstione, an Christus nunc in cœlis oret, certum est, quamuis Christus non oret, quatenùs oratio significat defectum quendam potestatis in eo, qui quidpiam ab alio postulat, patri tamen indicare suam volũtatẽ qua velit dona quædã hominibus concedi; quæ significatio voluntatis, cũ habeat vim obtinendi quodcunque obiectum, oratio quędam est, licet fortassis minùs propria, & quod vi illius Christi voluntatis Deo significatæ dabitur, impetrari dicetur à Christo. Cùm itaque Christus offerendo per Sacerdotem tanquàm per suum legatum, Deo significet suam voluntatem de concedendis, quæ per oblationem huius sacrificij postulantur, dicetur per illum eundem suum ministrũ impetrare, quod vi talis Sacrificij donatũ fuerit.

10 Denique satisfactorium esse hoc Sacrificium dubitare non patitur Trident. sess. 22. cap. 2. & Can. 3. vbi verè propitiatorium esse definit, & latius ostendunt DD. Catholici

S 4 contra

contra Nonatores. Hæc porrò propositio intelligenda est primò ratione pœnæ, quam remittit, vnde Trident. cap. 2. cit. dixit offerri pro pœnis & satisfactionibus viuorum, atque etiam pro defunctis, quos hoc potissimùm sacrificio iuuari testatur sess. 25. in illis autem nulla culpa expianda restat, sed sola pœna ad abstergenda est. Secundo hæc propositio præterea accipienda est de peccatorum expiatione & iustificatione, vt ex Trident. & PP. docent communiter Theologi, non quod ex opere operato gratiam sanctificantem immediatè conferat peccatori attrito, pro quo offertur, vt tradunt iidem Theologi; neque etiam tantùm quatenùs impetrat auxilia ad pœnitentiam & contritionem, vt Vasq. & alique recentiores exponunt; hoc enim præstat sacrificium præcisè quatenus est impetratorium, non verò quatenus est propitiatorium, quæ duo valdè diuersa sunt, vt sonant ipsa verba expiandi & impetrandi, impetratio enim tendit ad mouendam diuinam liberalitatem vt quidpiam concedat; expiatio siue propitiatio ad placandam diuinam iram ne indignetur & puniat, siue mouet diuin. in clementiam, vt offensam condonet & crimen remittat. Est igitur propitiatorium hoc sacrificium respectu remissionis culpæ mortalis. quatenus ita placat DEVM, vt posita iracundia, donet auxilia, quæ petuntur, & quæ ob inflictam sibi iniuriam per peccatum iustissimè negabat. Itaque quatenus hoc sacrificium impetratorium est, impetrat auxilia ad contritionem & ad delenda peccata, quatenùs verò propitiatorium est, tollit obicem illius impetrationis, eompe odium & diuinam auersionem, quia DEVM iratum placat.

11 Quod si libeat hunc quoque effectum cum varijs offerentibus comparare, statim apparet, respectu Christi minimè ita dicendum esse satisfactorium hoc sacrificium vt modò Christus per illud actu satisfaciat nouo quodam opere satisfactorio, cùm non sit ampliùs in statu sic satisfaciendi, sicut neque merendi, quarè sicut negauimus Christum mereri per hoc sacrificium, ita negandum quoque illum actu nunc satisfacere, licet ex eisdem Christi meritis virtutem & efficaciam ad satisfaciendum accipiat istud sacrificium, quia Christus satisfactionem, quam in cruce exhibuit, applicat per hoc sacrificium tanquam per medium quoddam secundum partem quam illi alligauit pro sua libera voluntate; qua de causa dicitur quoque satisfactorium etiam prout est à Christo offerente, quia etiam prout ab illo est, habet virtutem satisfaciendi & soluendi pœnas debitas, alioquin vtilius nobis esset sacrificium ab homine tantùm iusto oblatum, quod nobis applicatum solueret & abstergeret infallibiliter partem aliquam pœnæ temporalis debitæ, sicut cætera omnia opera satisfactoria Quarè fatendum est omnino sacrificium etiam à Christo oblatum & nobis applicatum, satisfactorium esse, siue vim habere placandi, DEVM, & partem aliquam pœnæ temporalis pro culpis iam expiatis debitæ remittendi ac soluendi, & non tantùm eius remissionem impetrandi, sic enim impetratorium tantum esset & non satisf. ctorium, quæ duo plurimùm differunt; cùm impetratio constituat DEVM debitorem, & satisfactio hominem: quia tamen vt dixi, non est modò in statu satisfaciendi, explicanda est tota ista satisfactio ex eo quod in illius institutione alligauerit satisfactionem in cruce offerendam saltem quoad partem aliquam præsenti huic sacrificio, ratione cuius connexionis aut applicationis satisfactionis olim exhibitæ, tam verè dicitur Christus offerre sacrificium propitiatorium & satisfactorium, quàm dum immediatè illud in cœna obtulit, & per eam obligationem verè satisfecit quarè aliud longè est satisfacere per sacrificium & offerre sacrificium satisfactorium: nam primum sonat actionè aliquam pœnalem illam exercenti, requiritque plures alias conditiones; secundum autem significat tantùm offerri victimam aut oblationem, quæ ex se vim habeant satisfaciendi remittendo pœnam debitam per modum solutionis, quam exhibet applicando satisfactiones, quas continet.

Hinc etiam vides, Ecclesiam quam diximus quoque offerre hoc sacrificium per sacerdotem tanquam per ministrum publicum à se distinctum non satisfacere per hanc sacrificationem, sicut neque per eam meretur quod idem ostendimus in aliis orationibus, quæ ipsius nomine funduntur; offert tamen ipsa sacrificium verè satisfactorium, non quatenus ab ipsa est, sed quatenùs continet Christi satisfactiones illasque applicat. Quarè restat vt respectu solius offerentis proximè, immediatè & physicè ipsius nimirum sacerdotis sacrificatio siue oblatio ista sit ita satisfactoria, vt verè ipse sacerdos satisfaciat & non tantùm offerat sacrificium ex se & institutione sua satisfactorium.

NOTATIO QVARTA

An effectus omnes sacrificij sint ex opere operato.

Circa hos effectus vlteriùs inquirendum est, an sint ex opere operato an verò ex opere operantis, vnde etiam constabit, an sint certi & infallibiles, an verò fallibiles siue minimè perpetui: quæ difficultas de sola impetratione & satisfactione excitari potest, cùm enim meritorium non sit hoc sacrificium nisi respectu sacerdotis proximè sacrificantis, certum est illud meritum æque pendere à merente eiusque dignitate vel sanctitate, sicut in omnibus alijs actionibus meritoriis. Cùm verò hoc sacrificium etiam quatenus à Christo offertur, sit impetratorium & satisfactorium modo superius exposito videtur infallibiliter habiturum suum effectum, atque etiam ex opere operato, quæ difficultas vt facilius explicetur, & plurimæ ambages circa voces præscindantur. 12

Obserua duplex esse opus operatum, vnum propriè, alterum impropriè dictum. Primum est, quando posito externo opere infallibiliter ex vi promissionis à Christo factæ, nulla habita ratione proximè & physicè operantis, atque externum illud opus ponentis, eiusque sanctitatis, sequitur effectus modò non reperiatur obex in illo, qui eiusmodi effectum recipere debet. Alterum opus operatum impropriè & latè dictum est, quando aliquod opus exclusa quidem dignitate operantis quidpiam causat, non tamen, infallibiliter, neque vi promissionis illi annexæ, sed per modum cuiusdam impetrationis ex vi suæ institutionis; nam vel ex natura, sua, vel vi institutionis est medium aptum ad quidpiam impetrandum vel permouendum DEVM, vt quidpiam donet, cùm nullum gratius obsequium aut sacrificium illi offerre possimus, quo eius voluntatem permoueamus, quamuis, qui offert, alioquin indignus sit, qui audiatur. Sic legatus, qui nomine Principis quidpiam petit, illud obtinet, quia etsi ea petitio prodeat ab indigno; quatenus, tamen 13

tamen eſt petitio ipſius Principis, cuius legatus perſonam ſuſtinet, digna eſt quæ obtineat quod petitur. Qua ratione dicebamus ſuperiùs preces nomine Eccleſiæ recitatas ſortiri ſuum valorem ſecluſo merito & dignitate proximi operantis. Atque hunc cauſandi modum non eſſe ex opere operato preſsè ſumpto, ſapienter contra Vaſq. 3.p.diſputat. 229.c.2.contendit Suat.in eandem 3.p.3. diſp.79. ſ.2.ex varijs differentiis, quæ inter duos iſtos modos reperiuntur:nam in priore illo modo includitur ſpecialis promiſſio ex mero Chriſti beneplacito, vi cuius ſequitur infallibiliter effectus. in 2. modo operandi impetratio quidem & effectus fundatur in ipſa natura, ſanctitate & maieſtate operis, non operantis, quia opus illud eſt ſupremum Dei obſequium, & proinde aptum ad mouendam diuinam voluntatem, quia tamen nulla interceſſit promiſſio, qua Deus ſe obligârit ad aliquem effectum præſtandum, dum ponitur illud opus, eo etiam poſito non ſequitur infallibiliter effectus. Ex quibus etiam fit, vt ad opus operatum propriè dictum non neceſse ſit opus peculiari ratione exerceri, aut offerri ad obtinendum effectum promiſſum, qui etiam intendi neceſſariò non debet, ſed ſatis fuerit, ſi humano modo ponatur opus, cui facta fuerit promiſſio, vi enim illius, effectus promiſſus ſtatim & infallibiliter conferetur, vt videmus in ſacramentis, quę operantur continuò atque ſunt applicata, modo nullus obex ipſorum efficacitati obſiſtat, ſiue effectus intendatur à ſuſcipiente, vel miniſtro, ſiue non intendatur, modò intendatur poſitio talis operis. Longè enim differt intentio ponendi alicuius operis, & intẽtio obtinendi quidpiã per poſitionem talis operis; quod autem per modum puræ impetrationis & non niſi ex opere operato impropriè dicto operatur, debet peculiari intentione obtinendi certi effectus applicari & offerri, etiamſi nulla habita ratione dignitatis aut indignitatis operantis & applicantis, aut offerentis operetur, & ea de cauſa dicatur aliquo modo operari ex opere operato. Ratio eſt, quia etiamſi illud opus aptum ſit ad inuitandam diuinam voluntatem, & ad aliquid ab ea obtinendum, indifferens tamen eſt, vt ad hoc vel illud Deum impellat; quarè determinari debet ad aliquid certum per actualem petitionem, quæ illi adiungitur, alioquin nihil reuerà obtinebit, & denique modus operandi per impetrationem eſt multò vniuerſalior, quàm ex opere operato preſsè ſumpto, tum quia ad plures perſonas extenditur, tum quia opus operatum determinatur ad certum quendam effectum; & impetratio ad quoſlibet effectus porrigitur.

Ex his facilè fuerit oſtendere an impetratio & ſatisfactio huius ſacrificij ſint effectus operis operati & infallibilis, an non.

Et 1. quidem quod attinet ad proximum ſacerdotem offerentem nemo negat meritum, ſatisfactionem & impetrationem, prout hoc ſacrificium ab illo eſt, eſſe opus operãtis, ac proinde attendendam eſſe ſanctitatem miniſtri; ex ea enim creſcet aut decreſcet valor huius operis, ipſiuſque effectuũ, immò ſi ſacerdos peccator ſit, neque mereri de condigno, neque ſatisfacere, ſed tantùm vtcunque impetrare poterit, quod etiam vix vnquam continget, cùm enim ipſe peccet ſacrificando cum conſcientia peccati mortalis, ſacrificatio peccaminoſa minimè apta erit ad impetrandum, neque etiam ipſum ſacrificium, quatenus proprio illius nomine offertur.

2. Eccleſia per hoc ſacrificium actu impetrat dum illud offert per ſuum miniſtrum publicum, licet per illud idem non mereatur aut ſatisfaciat, vt diximus. Quæ impetratio non eſt ex opere operato propriè & ſtrictè ſumpto, cùm hoc pugnet cum ratione impetrationis, vti iam expoſui, niſi cõparetur ſacerdote proximè offerente non innititur efficacitas huius impetrationis illius meritis; quare etſi ille ſacrilegus ſit, bona tamen erit oblatio & impetratoria facta nomine Eccleſiæ. Si igitur Eccleſiam offerentem per ſuum miniſtrum attendamus, iſta impetratio ita fundatur in opere, quod Deo exhibetur, vt etiam pendeat à ſanctitate Eccleſiæ poſtulantis per illud opus & oblationem, vnde etiam augetur valor impetrationis ex maiori ſanctitate & numero fidelium, quos Eccleſia ſuo ſinu excipit, eorum enim nomine offert & poſtulat ſacerdos tãquàm ab illis omnibus legatus ad Deum miſſus, quare etiamſi non attendatur dignitas ſacerdotis & legati; attenditur tamen ſanctitas Eccleſiæ ipſo vtẽtis; vnde hic effectus dici nequit ſimpliciter ex opere operato; ſicut neque Eleemoſyna, quam erogat bonus dominus per famulum malum, licet domino proſit, & quidpiam à Deo impetret, nequicquam malitia famuli proximè illam erogantis officiente, non dicetur impetrare ex opere operato.

Demùm ſi eum Chriſto ipſo comparetur impetratio non eſt propriè ex opere operato, eo quod non habeat annexam Chriſti promiſſionem de certo aliquo effectu obtinendo vi illius, quarè etiam non ſemper impetratur, quod ſacerdos nomine Chriſti hoc ſacrificium offerens poſtulat: neque propterea inde Chriſti dignitas minuitur, quaſi Chriſto quidpiam vel per ſe, vel per ſuum legatum petenti Deum deneget; ſi enim ſacerdos nomine Chriſti offerens aliquid iuxta ipſius Chriſti intentionem, adhibitis omnibus circumſtantiis ac conditionibus, quas ipſemet Chriſtus adhiberi voluit, poſtularet, illud infallibiliter impetraret; quia tamen in aliquo deficit, non impetrat. Sic etiamſi Chriſtus dixerit nobis ſe certò daturum, quidquid in eiuſdem Chriſti nomine peteremus, non tamen omnia, quæ poſcimus, nobis donantur, quia omnes conditiones nequaquã adhibemus, & ſæpè minimè è cõmodo noſtro foret exaudiri, atq; ipſe Chriſtus, qui per ſacerdotem offert, non vult ſemper abſolutè impetrationem effectûs qui abſolutè poſtulatur. Quarè licet Chriſtus dederit facultatem ſacerdoti offerendi ſuo nomine, atque illud applicandi ad quidpiam impetrandum, non tamen ſe obligauit ad volendum id omne ad quod obtinendum applicaretur etiam ſuo nomine; neque ſanè ſapienter feciſſet Chriſtus, ſi ampliſſimam illam poteſtatem nulla ſubintellecta conditione reſtrictam feciſſet hominibus, ſæpiſſimè enim vel ignorantia occæcati, vel inordinato affectu in tranſuerſum acti applicaſſent Chriſti nomine hoc ſacrificium ad ea impetranda, quæ diuina ſapientia nequaquam concedenda eſſe iudicaret. Quia tamen quoties aliquid impetratur per hoc ſacrificium Chriſti nomine oblatum id totum habetur independẽter à ſanctitate proximi miniſtri, dici poterit haberi ex opere operato, ſed latè ac impropriè dicto; atque ita inutiles rixæ de vocibus conciliantur.

Reſtat effectus ſatisfactionis, quem cauſat, quia in eo explicantur Chriſti ſatisfactiones, quas ſecũdum aliquam determinatam partem Chriſtus voluit vi huius ſacrificij nobis applicari, & quidem ſi agamus de remiſſione pœnæ temporalis, conſen-

tiunt

tinnt omnes prorsus Theologi illam causari ex opere operato, atque adeò infallibiliter, nisi sit obex in eo, qui illum effectum suscipere debet: an verò hic effectus sit infinitus, an verò finitus, aliàs disquirendum erit.

Idem prorsùs dicendum est de effectu placandi DEVM & eius auersionem, quæ impediebat ne bona petita daret peccatoribus, sedandi, quem effectum præter impetrationem auxiliorum ad conuersionem agnoscebamus in hoc sacrificio cum De Lugo. disp. 19. de sacram. sect. 9. numero 141. Nam hæc quoque placatiò & proportio secundum illam mensuram ac modum, quo à Christo, alligata est huic sacrificio in eius institutione æquè infallibilis est, & ex opere operato, atque remissio pœnæ temporalis; de his enim duobus effectibus, expiatione & remissione peccati, quam PP. & Concilia hic sacrificio tribuunt, tanquam maximè proprium effectum, eodem planè modo statuendum videtur, vt amplius explicabimus.

NOTATIO QVINTA

Hi omnes effectus sacrificij pendent ab intentione Sacerdotis illos certa persona applicantis.

Hi porrò omnes effectus pendent ab intentione Sacerdotis applicantis determinatè sacrificiū, quod fatentur æquè omnes Theologi, ita vt non exigua controuersia sit, quid fiat de illo si Sacerdos illū nemini applicat; eā controuersiam cōmodiùs alio loco definiemus; satis nobis in præsentiarum est, impetrationem & satisfactionem, quam causat sacrificium determinari ad certum subiectum per intētionem & applicationem sacerdotis, quod ita verum existimo, vt ne quidem Religiosus Prælatus, aut alius quilibet possit fructum sacrificij sui subditi contra voluntatem ipsius applicare. Quarè licet subditus peccet non parendo superiori iubenti sacrificium pro certo quodam offerri, si tamen reuerà non offerat, nihil illi proderit, cui Prælatus applicatum voluerat, vt cum Vasq. 3. p. disp. 231. numero 31. Suar disp. 79. s. 9. tom. 3. in 3. p. & aliis recentioribus diximus alibi. Quiquid enim sit de subiectione voluntatis subditi Religiosi, & an possit eius voluntas irritari, atque inanis reddi, vti reuerà potest in quamplurimis, vbi tamen supremus superior illi quidpiam faciendum committit, quod suo nomine faciat, non pendet in vsu illius facultatis à voluntate Prælati inferioris & immediati, qui proinde non poterit irritare gesta in hac parte ab inferiore & subdito. Quarè cùm Christus sibi ministros sacramentorum & sacrificij delegerit, vt suo nomine tales actiones exercerent, non pendent in valore illarum actionum à Prælatis, & quamuis daremus Prælatum reddere posse subditum inhabilem ne pro alio, quàm pro illo, quem ipse designaret, sacrificium offerret, atque si faceret totam eius applicationem irritam & inanem prorsus ac cassam redderet, inde tamen non sequeretur sacrificiū illi prodesse, cui applicatū voluisset Prælatus, nisi subditus pro illo positiuè offerat. Sicut licet Ecclesia possit reddere aliquē inhabilē ad vnā Religionē si in ea profiteretur, ea professio foret quidem inualida, non tamē erit professio in illa alia Religione in qua poterat profiteri, aut in qua ipsum voluisset profiteri Ecclesia, neque vt talis acceptabitur à DEO. Aliud quippe est posse irritare voluntatem alicuius, ne habeat effectum, aliud verò ita dirigere efficaciter voluntatem subditi vt habeat effectū, quem ipse non vult, quod manifestum est fieri non posse, atque ita quoties non vult minister conferre sacramentum Titio, illi reuerà non conferet, etiamsi Prælatus velit ipsi illud conferri: neque contrahet subditus cum Caio, si reuerà non consentiat, quantumuis prælatus velit illum in eiusmodi contractum consentire. Quare potuit quidem superior impedire ne subditus valide contrahat & consentiat cum alio, licet velit contrahere, & reipsa consentiat, non poterit tamen efficere vt reipsa contrahat & consentiat, si non consentit; neque igitur efficiet vt offerat sacrificium pro Petro, si non pro illo reuerà, sed pro alio quopiam offerre voluerit.

Non obligatur autem sacerdos offerre pro omnibus fidelibus vllo diuino iure, aut ex Christi institutione, alioquin non posset Ecclesia prohibere ne pro quibusdam offerret, vti reuerà facere aliquando constabit inferiùs; neque pertinet ad legatum aut ministrum publicum semper pro omnibus agere, sed prout res & necessitas postulat; vult tamen Ecclesia, quæ & ipsa sacerdotem tanquam legatum suum ad DEVM, & ministrum ad sacrificandum designauit, illum pro omnibus suis membris sacrificium offerre, non tamen intendit illum communicare omnibus & singulis fidelibus fructum satisfactionis ex opere operato prouenientem vt docet Suar. tō. 3. in 3. p. disp. 79. s. 9. §. secundo inquiri cùm enim ille effectus finitus sit magnum ex eius diuisione in omnia Ecclesiæ membra detrimentum pateretur is, cui specialiter applicatur sacrificium, quia non nisi exigua quædam pars illi superesset, præter quàm quod pertineret ad sacerdotem definire, quam portionem singulis contingere vellet, & quam illi, pro quo offert, neque enim sacrificium determinatum est, vt hoc aut illo modo secundum hanc aut aliam personam diuidatur in eos, qui eius effectus participant; vult tamen Ecclesia omnibus applicari fructum impetrationis, qui infinitus est, atque inter alia bona, quæ omnibus fidelibus impetrat sacerdos numero condonationem pœnæ debitæ, illa enim postulari potest æquè vi huius sacrificij, atque alia beneficia.

Neque rectè obiicit Vasq. 3. p. disp. 231. cap. 6. num. 35. non posse sacerdotem determinare sacrificium ad vnum effectum, & non ad alium, semel enim applicatum operabitur omnes suos effectus in subiecto capaci, vti videmus in omnibus sacramentis; quarè non poterit applicare vim impetratoriam huius sacrificij omnibus fidelibus, nisi simul applicet vim satisfactoriam. R. enim sicut non necessariò applicatur totus vnus alicui effectus sacrificij; sed inter plures distribuitur, vt in satisfactione diuisa inter duos contingit, cùm enim ea finita sit, non potest vterque illam habere; ita & ex duobus effectibus vnus poterit applicari, & non alter, impetratio nimirum, & non satisfactio. Neque eadem est ratio de sacramentis, illorum enim effectus non possunt diuidi, ita vt vni pars vna applicetur, altera alteri; vnde quoque colligimus, neque diuisionem effectuum, quando plures habet, fieri posse. Non fuerit porrò difficile causam huius discriminis inter sacrificium & sacramenta assignare; cùm enim ad efficaciam sacramenti non sit opus intendere illius effectū, sed tantùm velle ponere sacramētū, sicut in sui efficacitate non pendet ab intē-

tione

tione ministri, ita neque in quantitate sui effectus ab illo pendebit, sed statim atque collatum fuerit, causabit suos effectus in subiecto non ponente obicem independenter à voluntate ministri. Eucharistia enim operabitur in suscipiente illam sine Sacerdos, qui illam ministrat, velit operari, siue non velit, siue hunc effectum, siue alium, siue omnes, siue aliquos tantùm intendat: quia est causa determinata ad certos & determinatos effectus quoad quantitatem, & cætera omnia secundum sui recti dispositionem. At verò Sacrificium vt sic determinari debet ab offerente ad producendum hunc vel alterum effectum eo quod ad plures sit indifferens ad cuiuslibet mensuram & quantitatem: quarè præter intentionem offerendi Sacrificium requiritur intentio illud applicandi alicui, cui possit: est enim indifferens vt operetur in hoc aut illo, quæ indifferentia non tollitur per solam oblationem Sacerdotis, sed per eius applicationem; vnde quoque colligebamus esse indeterminatum ad impetrandum hunc vel alium effectum ex iis, quos potest producere, & ad hanc vel illam mensuram effectus; quarè ab offerente omninò determinari debet.

15 Hinc fit Sacerdotes, qui contra voluntatem Ecclesiæ, quam diximus velle communicari omnibus eius membris fructum impetrationis huius Sacrificij, aliquem excludunt, valide illum excludere, non tantùm quoad fructum prouenientem ex opere operato, & ex priuata intentione ministri, sed etiam quoad eum, qui ex Ecclesiæ impetrantis & orantis per suum ministrum, voluntate deletur, quod non bene negant Suar.tom. 3.in 3. p.disp.78. s.2.& Kon. in q.83.a.1.dub.9.n.170. quia Ecclesia non offert immediatè hoc Sacrificium, sed mediatè per Sacerdotem: causa verò mediata non agit mediatè, nisi causa immediata agat immediatè, atqui Sacerdos non offert immediatè pro persona, quam excludit, igitur neque Ecclesia offeret mediatè pro illa, quantùuis offerri velit, & sanè intentio explicata Sacerdotis non offerendi pro aliquo multò robustior & efficacior videtur intentione implicita offerendi iuxta Ecclesiæ intentionem; quarè quamuis ab Ecclesia sit deputatus, si tamen negotia sibi commissa noluerit agere, reuerà nihil aget. Quamuis autem necessaria sit hæc intentio saltem implicita Sacerdotis, vt Sacrificium prosit omnibus, quibus Ecclesia prodesse vult, non potest tamen quamdiu agit vices Ecclesiæ, hunc fructum Sacrificij ex eo capite prouenientem illi applicare, quem Ecclesia exclusum esse vult, quia legatus & minister non agit nomine sui Principis contra eius intentionem. Atque hactenus de fructu Sacrificij, ex his enim facilè fuerit intelligere quomodò communis sit, aut particularis fiat, & qua ratione aliqui ab eo excludi possint tum à Sacerdote, tum ab Ecclesia, neque inutile fuerit paulò diligentius ista obseruasse.

NOTATIO SEXTA.

Alia subsidia quibus Ecclesia iuuat fideles.

16 3. Subsidium quo Ecclesia iuuat fideles sunt Indulgentiæ, quas ex thesauro satisfactionum Christi & Sanctorum depromit, vti fuit explicatum in 3.p.S.Thomæ.

4. Denique subsidium est sacra sepultura, neque enim leue solatium esse humari in cæmiteriis aliisque locis sacris, eo quod Sacrificiis aliisque precibus eodem in loco fusis iuuentur, vt dicemus alibi, interim adi Stephanum Durantum, lib.1.de ritibus, cap.23.

PRIMA PROPOSITIO.

Circa priuationem suffragiorum & Sacrificij.

Excommunicatio maior priuat omnem excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis & fructu Sacrificij Missæ, quatenus ab Ecclesia dependet; Ita tamen vt hæc omnia neque validè, neque licitè excommunicato non tolerato applicentur; tolerato autem omninò prosint, si illi ab Ecclesiæ ministro applicentur, vti licitè possunt. 17

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Sensus huiusce propositionis perspicuus manet ex iis, quæ hactenus obseruauimus; Dico enim 1. omnem excommunicatum siue toleratum, siue non toleratum, quandiu manet excommunicatus, quia nondum est absolutus, etiamsi contritus sit, & iam resipuerit, priuari communibus Ecclesiæ suffragiis, hoc est orationibus, quæ fiunt ab Ecclesiæ ministris nomine ipsius Ecclesiæ, cuius legati sunt apud Deum, atque etiam illo Sacrificij fructu, qui correspondet Ecclesiæ per suum ministrum publicum offerenti & sacrificanti, vti fuit expositum.

PRIMA PARS.

Omnem excommunicatum priuari communibus Ecclesiæ suffragiis.

Quæ 1. pars propositionis facilè probatur cap. à nobis, & cap. sacris de sentent. excomm. & 1.q.3. per plura capita, consentiuntque omnes Theologi & canonistæ excepto Hostiens. in cap. cum volunt de sentent. excomm. & summæ confess. lib. 3. tit. 33. q. 159. Ratio euidens est, cùm enim Ecclesia habeat liberam horum bonorum dispensationem, & possit ea pro arbitrio distribuere, aut negare, sapienter omninò eos, quos à suo corpore tanquam putrida membra præscidit, his bonis carere vult. Quæ ratio non modo id euincit de orationibus Ecclesiæ nomine factis, sed de fructu quoque Sacrificij, quatenus ab Ecclesia offerente per suum ministrum dependet, vti explicuimus, quandoquidem ex intentione Ecclesiæ tota distributio illius effectus pendet; quarè si minister illum fructum conferre velit excommunicato contra intentionem Ecclesiæ, non modò peccabit, & sanè grauiter, vt statim dicam, sed etiam inutiliter operabitur, sicuti nulla foret partitio pecuniæ facta à seruo in personas, quibus dominus nihil datum voluerat. 18

Comprehendo verò omnem excommunicatum, nullum enim in sua illa bonorum communium largitione includit, quamuis aliquos ita excludat, vt omninò suis ministris prohibeat illos ad hæc communia bona vocare; alios verò in eam distributionem venire, si sui ministri velint, patiatur, vti 2. parte propositionis exponam.

Neque

Neque contritio aut ressipiscentia facit vt excommunicatus, quandiu manet excommunicatus, communibus istis subsidiis & bonis gaudeat, quod rectè statuunt Soto. in 4. d.27.q.1.a.1. §. attamen dubium. Alan.lib.1. de sacram. Eucha. c. 31.Suar. disp.9.s.3. Bonac.q.1.de Excomm. p.1. n.6. Kon. disp.14. dub.7. Hurtad. disp.2. de excomm.diffic. 5. Layman. lib.1. tract.5. pa.1.cap.2. n.4. Alteri. lib.1. disp.4.cap.5. Malè repugnantibus Richard. in 4. d.18. a.7. q.3. Antonin.3.p. tit.24. cap.76. Maio. in 4.d. 28.q. 2. ad 2. Nauarr. de oratio.cap. 19. n.68. & in sum.cap.27. n.36. Astens.2. p.lib. 7. tit.9. q.2. Couarru. in cap. Alma mater.4. p. §. 6. n.4. Henriq.lib.9. cap.15. n.3. & lib. 13. cap. 11. n.2. & cap.12. n.3. Tolet. lib.1. cap.4. n.4. Sayr. lib.2. Thesau. cap.4. n.5. Auila 2. p. cap.6. disp.4. dub.2. Villalob. 1. p. tractat.17. diff.4. & aliis, qui negant Ecclesiam velle priuare suis subsidiis eos qui iam eius membra eaque viuentia per charitatem reliquo corpori inserta sunt, & qui resipuerunt, cùm emendationis pœnam ad curandam duntaxat emendationem inflixerit.

Verùm nostra sententia manifestè colligitur ex c. sacris. de sentent. Excomm. vbi negat Pontifex oblationes recipiendas esse pro eo, qui ante mortem signa pœnitentiæ exhibuit, & absolutionem, quoad potuit, procurauit, & cap. A nobis.2. eodem titu, eiusmodi excommunicatum post exhibita signa pœnitentiæ esse nihilominus post mortem absoluendum definit. Ratio verò euidens est, quandiu enim manet excommunicatio, producit suos effectus, vt in reliquis omnibus formis maximè moralibus, & in debito subeundi cæteras pœnas videmus, debitum enim illud non tollitur ante relaxationem factam à superiore. Et sanè quis neget homicidam, etsi doleat de crimine admisso, Reum esse pœnarum, quæ illi crimini infliguntur, atque etiam manere Irregularem, si irregularitatem incurrerat.

Cùm itaque contritio non tollat excommunicationem, non tollet quoque eius effectus, non negamus quidem Ecclesiam potuisse statuere, vt excommunicatio eo casu non impediret hanc communionem suffragiorum, id tamen eā voluisse nullo firmo argumento constat, immo contrarium omninò ex Iure colligitur, vti ostendimus, cui malè obiicitur ab aduersariis pietatis & Clementiæ prætextus, vigor enim Ecclesiæ cum pietate parentis optimæ non difficulter cohæret: alioquin si contritio hanc priuationem communium suffragiorum impediret, quidni etiā priuationem vsus tum actiuī tum passiui sacramentorum excluderet, atque ita excommunicatus contritus & benè dispositus sacramenta percipere, & ministrare saltem secluso scandalo posset. Faciet quidem contritio, per quam excommunicatus in gratiam cum Deo redit, vt communionem internam cum reliquis membris corporis mystici Christi habeat, vti exposuimus disq.1.q.1. n.3. at verò ea communio longè diuersa est à participatione suffragiorum Ecclesiæ, quæ consistit in eo, vt Ecclesia directè oret pro aliquo & illi fructum sacrificij & cætera bona communia, quorum dispensatrix est, applicet.

20 Hæc eadem ratio ostendit iniustè sed validè tamen excommunicatum eodem modo priuari communibus istis suffragiis, quod malè negant Caietan. tom.1. opusc. tract.31. resp.14. q.5. Couarr. in cap. Alma mater. 1.p.§.7. n.5. Reginald.lib.31. n.9. & plures alij, quos adducit & sequitur Scortia. lib.2. de missa. cap.2. num.4. Cùm enim excommunicatio ista sit valida quamuis illegitimè & iniustè lata suos omnes effectus, & hunc maximè, qui veluti primarius est, obtinebit, quamdiu perseuerabit, siue excommunicatus sit in mora, siue non sit; vnde reiicias Nau.de Indulgent.notab.18. n.14. & notab. 22. & Henriq. lib.7. cap.18. n.2. litt. tt. qui excommunicatum, vbi amplius in mora non est, suffragiorum communium participem faciunt.

SECVNDA PARS.

Excommunicatus toleratus potest fieri particeps communium suffragiorum à ministro offerente.

22 Dixi 2. Excommunicatum toleratum non comprehendi quidem inter illos, quibus Ecclesia directè applicat sua communia bona, & maximè suffragia ac fructum sacrificij, quod ipsa per sacerdotem tanquam suum ministrum publicum offert, non prohibere tamen quominus sacerdos etiam hunc excommunicatum vocet in communionem horum suffragiorum, & fructu sacrificij quatenùs ab Ecclesia pendet. Atque ita concilio dissidentes DD. sententias, quorum aliqui negant posse eiusmodi excommunicatum communicare communibus istis suffragiis, alij affirmant. Et quidem si priores DD. velint duntaxat cum Hurtad. disput.3. de Excomm. n.12. illos excommunicatos ex generali intentione, qua Ecclesia pro suis omnibus mēbris sacrificat aut orat, non participare hæc bona, lubens ipsis assentior; cùm enim eos Ecclesia præciderit à suo corpore, à bonis quoque toti corpori & reliquis membris communibus illos exclusit saltem negatiuè, non includendo in sua generali intentione: neque aliud postulat ratio excommunicationis, quam obiiciunt aduersarij, quod non impedit, quin sacerdos etiam Ecclesiæ nomine sacrificans, & fructum sacrificij ac orationum, qui inde prouenit applicans quibusdam personis determinatè, possit eum fructum applicare alicui cui ipsa Ecclesia ex generali sua intentione non applicat, modò non prohibeat illi applicari, & ipse sit capax eius effectus: quarè quamuis Ecclesia non intendat generali sua intentione applicari fructum sacrificij & suffragiorum vlli excōmunicato, quandoquidem illum à reliquis membris præscidit, si tamen non prohibeat positiuè à suo ministro illius vices agente, hunc fructum communicari alicui excommunicato, sed potiùs eam applicationem permittat, vti reuerà permittere posse certum est, poterit talis excommunicatus partem horum bonorum cum cæteris obtinere ex applicatione sacerdotis illum in eam communionem vocantis. Fieri porrò hanc veniam excommunicatis toleratis in Extrauag. Ad euitanda, vt pro ipsis sacrificia & suffragia publicè nomine etiam Ecclesiæ offerri possint, tradunt Henriq. lib.13. cap.11. n.2. Vgolin. tab.2. de censu. §. 2.n.3. Sayr.lib.2.Thesau. cap.4. n.6. Kon.disp.14. dub.6. n.40. Hurtad. disp.3. de excomm. diffic.4. n.10. Nau. cap.27. n.36. Sà. v. Excommunicatio numero 36. De Graffis lib.4. decisio. cap.12. numero 20. De Lugo. disputat. 19. de sacram. s.10. numero 187. fauet Layman. lib.1. tract.5. pa.2. cap.5. numero 8. & alij contra Sotum in 4. d.22. q.1. a.4. con.2. Alan. lib.de sacrificio. cap.33. Couarru. in cap. Alma mater. 1. p.§.6. numero 4. Suar. disp.9. de censu. s.2.n.16.

Vasq.

Vasq. dub. 2. de Excommunicat. Bellarm. lib. 2. de Missa. cap. 6. Scortia. lib. 2. de Missa. cap. 3. num. 4. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 9. n. 13. Auila. 2. p. cap. 6. disp. 9. dub. 3. Præposit. dub. 6. de excommunicat. num. 35. Rayna. 2. p. de monitoriis. cap. 2. num. 35. Bonac. lib. 1. disp. 5. cap. 5. Filliuc. tract. 11. cap. 2. numero quadragesimo.

Probatur nostra sententia ex extrauagante, ad euitanda, que permittit fidelibus communicare in rebus sacris cum excommunicatis toleratis, id est, non denuntiatis, & non notariis Clerici percussoribus, neque hanc communicationem ad certam aliquam speciem restringit; quare intelligenda erit de omni communicatione Ecclesiasticæ, quo nomine oratio & oblatio sacrificij pro aliquo nominatur ab Innoc. III. cap. A nobis 2. de sentent. excommunicat. vbi statuit excommunicatum, qui signis contritionis ac pœnitentiæ exhibitis obiit, absoluendum esse, & deinde pro eo suffragia & sacrificia offerri posse. Tum soluit obiectionem, quæ aduersus illam diffinitionem fieri poterit; nec obstat, inquit, quod legitur non communicetur mortuo, cui non est communicatum & viuo, cùm, etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, vbi vides oblationem pro mortuo & orationem publicam pro ipso nominari communicationem eum ipso; quo eodem sensu ipsemet Innoc. III. cap. sacris de sentent. excommunicat. nominat sepulturam Ecclesiasticam communicationem, ait enim negandam illam esse excommunicato non absoluto, vt quibus non communicauimus viuis, non communicemus mortuis.

Quare displicet Auila, qui l. cit. dub. 4. negat eum, qui publica oratione orat pro excommunicato non tolerato, incurrere excommunicationem minorem, eo quod ea oratio non sit communicatio, vides enim ex Innocentio esse veram & propriam communicationem sacram siue diuinam; cùm igitur permittat Ecclesia iure nouo extrauag. sæpiùs citata, communicationem in diuinis & extra, cum excommunicatis toleratis, permittet quoque orationes & sacrificia pro ipsis offerri, quæ communicatio quædam est. Neque satisfaciunt aduersarij, qui dicunt Ecclesiam permittere tantùm communicationem externam cum eiusmodi excommunicatis, communicationem verò suffragiorum & sacrificij internam tantùm esse, quandoquidem fit per internam duntaxat intentionem & applicationem: nam nihil est in illa extrauag. vnde colligatur permissio solius communicationis externæ, illa enim verba, *in diuinis & extra*, vniuersalia sunt, & omnem communicationem tum in diuinis, tum extra diuina comprehendunt. Deinde communicatio in suffragiis externa esse potest, dum excommunicati nomina recitantur in oratione publica, & eam in rem accipitur stipendium ab excommunicato; præterquàm quod priuatio suffragiorum non infligitur excommunicato nisi secundaria quadam intentione, quatenùs videlicet ea necessaria est ad societatem eorum perfectè vitandam; quare vbi communicatio & societas cum aliquo excommunicato permittitur, vt pro eo quoque fiant publica suffragia, indulgetur, Dices. Martinum V. in citata constitutione declarare se sua indulgentia nolle fauere excommunicatis, sed cæteris tantùm fidelibus, cùm tamen in hac communicatione suffragiorum totus fauor sit penes ex-communicatos, non autem fideles alios, quia bus videtur aliquid potiùs perire: nam eo minor bonorum communium portio singulis obtingit, quo plures sunt, in quos ea bona diuiduntur.

ꝶ. Ecclesiam in hac venia primariò & directè fauere fidelibus, non excommunicatis, cùm non teneantur eos neque in sacris, neque in profanis vitare, & liberantur pluribus scrupulis, dubiis ac periculis, in quæ sæpiùs inciderent; quæ ratio mouet Ecclesiam ad permittendam communicationem cum excommunicatis toleratis, vt habetur ipso statim initio extrauag. si enim contingat Regem aut Episcopum incidisse in notoriam excommunicationem, quàm graue foret eorum nomina è publicis orationibus, antequam denuntientur, delere; deinde non liceret ab eiusmodi excommunicato Eleemosynam aut stipendium ad faciendum sacrum accipere, quod esset incommodũ temporale: dubitaretur etiam an sufficienter notoria esset excommunicatio, an causa aliqua excusans, an alia quædam similia, quæ aut excommunicationem protent, aut illam inualidam reddant, occurrerint; & proinde an pro illo orare liceat publicè, an non; quibus omnibus vt occurreret Ecclesia, permisit hanc excommunicationem, ex qua non negamus aliquod commodum & beneficium ipsis excommunicatis obuenire, sed secundariò.

Denique negare non possunt aduersarij communicationem sacrificiorum de qua agimus reipsa vsurpari, nam concedunt, vti constabit inferiùs, eiusmodi excommunicato tolerato Ecclesiasticam sepulturam, quæ absque orationibus minimè fit; negant deinde talem excommunicatum repellendum si intersit sacro, atqui tunc pro illo, sicut & pro cæteris circumstantibus oratur. Licebit cum eo etiam horas Canonicas & officium Ecclesiasticum recitare, quod absque participatione suffragiorum vix intelligi poterit. Vides itaque nostram sententiam tum perspicuo iure, tum ipso vsu firmari, quam etiam docuit Villalob. tom. 1. tract. 17. diffic. 4. n. 8.

CONSECTARIVM I.

An liceat orare pro Excommunicato

ꝶ. Distinguendum esse, nam oratione priuata licet cuique pro quocunque excommunicato etiam denontiato orare & sacrificare proprio nomine & non Ecclesiæ quod affirmant Sylu. v. excommunicatio. 1. nom. 1. Nauar. cap. 19. de oratione. numer. 67. Couarru. in capit. Alma. mater. prima parte §. 6. num. 4. Henriquez lib. 9. cap. 15. Litter. R. & alij communiter omnes. Ratio est manifesta, quia cùm hæc suffragia eorumque fructus non sint sub dominio. Ecclesiæ, sed priuati cuiusque, ab Ecclesia prohiberi non possunt, nisi inuiliter, quæ ratio probat quoque pro illo sacerdotem offerre posse sacrificium proprio nomine, & non quærenns vices Ecclesiæ gerit, quia fructus sacrificij, qui inde manabit, est ab Ecclesia independens. 13

Oratione porrò publica, quæ fit nomine Ecclesiæ & à sacerdote tanquàm ministro publico, non licet orare aut sacrificare pro excommunicato non tolerato, licebit tamen pro tolerato, vti fuit superiùs ostensum.

Ex quibus vlteriùs solues, an liceat sacerdoti in altari, & maximè. in ipso memento nominare excommunicatum & pro illo orare: nam aliqui volunt orari posse publicè, atque etiam offerri sacrificium pro excommunicato, modò non nominetur expresse in illa oratione publica, aut sacrificio. Ita Sylu. ℣. excommunicatio. 1. n. 2. Ledesma verò negat licere apud Sayr. lib. 2. Thesau. cap. 4. n. 9. quia tempore sacrificij non debet sacerdos orare nisi pro iis, pro quibus Ecclesia intendit orare, dubitat verò, neque quicquam audet definire Sot. in 4. d. 22. art. 1. q. 1. Verùm ex hactenus disputatis manet explicata quæstio, nam oratione publica non licet pro excommunicatis non toleratis orare, siue nominentur, siue non nominentur; si enim Ecclesia tantùm prohibuisset in orationibus publicis eos nominare, & fructum suarum orationum illis applicari permisisset, non magis excommunicati excluderentur communibus suffragiis, quàm alij fideles, pro quibus non oratur nisi in communi, & in genere, vt optimè argumentatur Sayr. lib. 2. c. 4. n. 9. Auila. 2. p. cap. 6. disp. 9. dub. 3. & Vasq. de excommuni. dub. 2. pro excommunicatis autem toleratis iam ostendimus posse offerri orationes publicas & sacrificium, quare & eos nominare liceret, si scandalum abesset, ex fauore extrauag. Ad euitanda, vti dictum fuit: priuata vero ratione etiam in memento missæ, & in aliis sacrificij partibus per interruptas quasdam morulas posse sacerdotem pro quibuscunque excommunicatis otare sequitur ex dictis, & tenent Sylu. l. c. & ℣. missa. q. 1. Nau. cap. 19. de oration. con. 6. n. 71. Tabiena. ℣. excommunicatio. 1. n. 5. Couuar. in cap. Alma mater. 1. p. §. 6. n. 4. & omnes passim recentiores, quia etiam tunc orat sacerdos vt persona particularis, quam non exuit, etiamsi gerat personam publicam: quod ita ego intelligo, vt non tantùm offerat pro excommunicato totum illud pium opus sacrificandi & orandi quatenus est satisfactorium & impetratorium ex opere operantis, vti exponit Nau. sed etiam applicet totum fructum, quem ex opere operato sacrificium oblatum à sacerdote etiam proprio nomine producit, quod in notationibus satis expositum fuit. Cùm enim neque hic fructus, neque eius explicatio pendeat ab Ecclesia in hoc casu, non potest illum prohibere per censuram, præterquàm quod non tam reperitur hic communicatio, quàm opus pietatis & spiritualis Eleemosynæ ex bonis propriis & priuatis erogatæ. Quare omnia, quæ ex variis iuribus & glossis congerit Alteri. lib. 1. disp. 5. cap. 9. de oratione priuata licita pro excommunicatis, huc transferri debent.

CONSECTARIVM II.

An sacrificium & suffragia publica oblata pro excommunicatis illis prosint.

23 Hæc etiam quæstio, quam multi fusiùs disputant, soluta manet ex nostra propositione adhibita duplici distinctione hactenùs explicata. Nam si sacerdos offerat sacrificium pro excommunicato non tolerato, nomine Christi, & vt minister ab ipso deputatus, peccat quidem grauiter, validè tamen operatur, & excommunicatus illius sacrificij fructum percipit, nisi quidpiam aliud, quàm censura impediat. Ita Alteri. libr. 1. disput. 1. cap. 8. Bonacin. quæst. 2. de Excommunicatione part. 1. §. 3. num. 3. Auila. 2. p. cap. 6. disp. 4. dubit. 1. con. 2. Suar. disp. 9. de censu. sect. 4. num. 3. Reginald. libr. 32. num. 13. Fillinc. tract. 12. cap. 2. num. 48. Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 2. num. 7.

Ratio perspicua est, quia sicut Ecclesia prohibere potest sacerdoti, ne ministret sacramenta alicui, etiamsi in illa administratione gerat personam Christi, ita etiam poterit vetare, ne aut sacrificium offerat, aut ne illud pro quopiam offerat, cùm enim Christus neque sacramenta, neque sacrificium instituerit, neque ministros sibi delegerit nisi in vtilitatem fidelium, totum vsum potestatis, quam fecit fidelibus, atque dispensationem sacrificij & sacramentorum reliquit Ecclesiæ, quæ vbi libuerit, & iustæ causæ ita postulabunt, prohibere poterit, ne sacerdos ministret, aut sacrificet, aut alicui applicet, sicuti quæst. 3. & 4. ostendimus: quare si contra prohibitionem Ecclesiæ excommunicato non tolerato sacrificium applicet, sacerdos etiam nomine Christi sacrificans omninò peccabit, & quidem grauiter cùm in re graui legem Ecclesiæ violet.

Nihilominùs sicuti non potest Ecclesia intentionem ministri conferentis sacramentum irritare, neque inualidam eam administrationem reddere, vt diximus aliàs, & iterum in sequentibus quæstionibus exponemus, ita non potest impedire, quominus sacerdos validè alicui applicet sacrificium, quoties nomine Christi, & vt eius minister offeret, quia quoad illam actionem minimè subiicitur Ecclesiæ, sed independenter ab illa validè sacrificat pro aliquo, sicut & validè sacramentum conficit.

2. Sacerdos nomine Ecclesiæ sacrificans fructum sacrificij & suffragiorum dependentem ab Ecclesia inutiliter & illicite applicat excommunicatis non toleratis, qui contra voluntatem & intentionem Ecclesiæ bona, quorum ipsa domina aut saltem dispensatrix est, distribuit, & sanè si sacerdos diceret se nomine Ecclesiæ offerre Deo sacrificium pro Petro excommunicato non tolerato, & se orare vt illi quidpiam impetret, mentiretur, nam reuerà neque orat, neque sacrificat nomine Ecclesiæ, & tanquam legatus ab illa destinatus ad Deum, vt aliquid Petro excommunicato impetret, quandoquidem ipsa exclusit Petrum à communione suorum omnium bonorum, atque à fructu sacrificij, quod ipsa per sacerdotem offert; quare cùm neque ex merito & intercessione sacerdotis, vt talis persona est, efficaciam habeat sacrificium ratione huius excommunicati, quia non consideratur modò sacerdos, nisi vt minister publicus Ecclesiæ, neque etiam prosit sacrificium nomine Ecclesiæ quæ non vult pro tali excommunicato offerre, illi prorsus erit inutile.

At verò quia ostendimus sacerdotem posse etiam nomine Christi & Ecclesiæ pro excommunicatis toleratis orare & sacrificare, si id faciat, illis sicut & cæteris fidelibus proderunt ista suffragia, nisi ponant aliquem alium obicem, quam censuræ & excommunicationis vinculum.

Tertiò Denique poterit sacerdos tanquam priuata persona & orare & sacrificare licitè atque vtiliter pro quolibet excommunicato, quod probatum fuit superiori consectario, & docent communiter omnes apud Vgolin. tab. 2. cap. 9. §. 2. qui tamen sapienter monent non esse nominandum excommunicatum saltem non toleratum inter orationes publicas & sacrificium, non modò ad euitandum scandalum; sed ne ea ratione significet se tanquam publicum ministrum & nomine Ecclesiæ

pro

pro talibus excommunicatis orare vel sacrificare.

CONSECTARIVM III.

An Sacerdos excommunicatus possit offerre sacrificium pro seipso.

24 Suppono dari casum aliquem siue ratione vitandi scandali aut infamiæ, siue ratione vrgentis alicuius necessitatis, in quo Sacerdos excommunicatus possit absque peccato sacrificare, sicut & alia sacramenta ministrare, quod aliquando contingere posse dicemus q.4. Quæstio igitur est, an tunc possit vtiliter pro seipso sacrificare, si enim peccaret sacrificando, statim apparet illum ponere obicem efficacitati sacrificij.

Respondet Suar. disp.9. de Censu.s.5.n.6. posse illum sacerdotem non modo priuato nomine, quod certum est, sed etiam vt ministrum publicum & in persona Christi pro seipso excommunicato validè offerre, si omnino excusetur à prohibitione offerendi nomine Christi, & tanquam ministrum publicum pro se excommunicato, quia excommunicatio æquè impedit, ne pro se offerat tanquam legatus publicus, atque pro quolibet alio excommunicato; quarè si id faciat, peccabit & impedimentum ponet efficacitati sacrificij, nisi iusta aliqua causa ipsum excuset, qualis non est ea, quæ sufficit vt licitè nondum obtenta Censura & excommunicationis absolutione sacrificet, quia tunc potest sacrificare pro aliis. Itaque nihil aliud videtur ipsum excusare à prohibitione sacrificandi pro se excommunicato, quam inuincibilis ignorantia, quæ faciat, vt existimet, quoties sibi licebit non obstante excommunicatione sacrificare, licere quoque pro se ipso sacrificare etiam in persona Christi, cuius gerit vices, atque ita cùm nullum ponat obicem, & neque peccet, eo quod excommunicatus non pro excommunicato sacrificet vt minister publicus in persona Christi, fructum sacrificij ex opere operato percipiet. Quod sequitur ex priori consectario, atque ex nostra propositione, diximus enim sacrificium nomine Christi validè & vtiliter offerri pro quocunque excõmunicato, sed non licitè propter prohibitionem Ecclesiæ saltem circa excommunicatum non toleratum; in nostro autem casu licitè etiam offere sacerdos pro seipso excommunicato excusante ignorantia inuincibili; ergo nihil planè impedit, quominus sacrificium in ipso operetur.

Tota itaque difficultas est an tanquam minister publicus Ecclesiæ eiusque nomine possit pro se offerre, & negat Suar. illum receptum peculiarem illum fructum, qui est ex intercessione Ecclesiæ, sicut neque percipiunt alij excommunicati, quamuis existimet non peccare contra Ecclesiæ eiusdem sanctionem prohibentis offerre pro excommunicato, cùm ea prohibitio non fiat nisi, quia prohibetur communicatio cum excommunicato, cùm autem nemo sit prohibitus communicare cum seipso, non alia ratione excommunicatus est prohibitus offerre pro seipso specialiter, quàm quia est simpliciter prohibitus offerre in eo statu excommunicationis; quare qui legitime excusabitur à prohibitione offerendi, excusabitur quoque à culpa offerẽdi pro se.

Verùm ex hac ipsa ratione duo in cõtrarium colligo. 1. hunc excommunicatum quoties propter vrgentem necessitatem & alias grauissimas causas, de quibus inferius dicturi sumus non peccabit offerendo sacrum ante obtentam absolutionem excommunicationis, toties percepturum fructum, qui ex opere operato respondet offerenti, tum vt est persona priuata, tum vt offert nomine Christi, quia cùm non ponat obicem, vt supponimus, nisi quia vel sacrificat excõmunicatus, vel quia pro excommunicato sacrificat, quod vtrumque prohibet Ecclesia, & vt quoque supponimus, non peccet eo quod excõmunicatus sacrificet, non peccabit etiam eo quod pro se excommunicato offerat, quia vt dixit Suar. idcircò prohibet Ecclesia offerre pro excommunicato ministrum publicum, quia prohibet eum illo communicare, atqui non prohibet excommunicatum cum seipso communicare: ergò neque pro se ipso offerre. Cum igitur poterit absque culpa offerre, poterit quoque pro seipso offerre, quia non prohibetur pro se ipso offerre. Licitè itaque omni ex parte sacrificabit, atque adeò pro seipso, & quod inde sequitur, vtiliter, cùm iam constet ex dictis Ecclesiam non posse impedire, quin sacrificium offeratur in persona Christi validè & vtiliter pro excommunicatis, nisi illi obicem ponant.

2. Hinc sequitur hunc excommunicatum licitè & absque culpa pro seipso sacrificantem posse nomine Ecclesiæ sacrificare & percipere fructum, qui ex intercessione Ecclesiæ prouenit; quod Suar. & alij passim negant. Ratio est, quia illi solùm priuantur hoc speciali fructu, quos Ecclesia excludit, & pro quibus vetat offerri, quia non vult cum illis tanquam cum membris præcisis cæteros fideles cõmunicare, idcircò dicebamus & licitè & vtiliter offerri pro excommunicatis toleratis, quia cum illis non est prohibita communicatio in diuinis. Atqui rectè vidit Suar. neminem prohiberi communicare cum se ipso neque in diuinis, neque in aliis, siue ipse sit excõmunicatus denuntiatus ac non toleratus, siue toleratus ergò vt colligebat ipsemet Suar. non prohibetur offerre pro seipso etiam vt minister publicus & quod inde necessariò sequitur tam percipient fructum ex Ecclesiæ oblatione prouenientem, quàm quilibet alius excõmunicatus toleratus. Quã consequutionem non negaret opinor Suar. si existimasset excommunicatũ toleratum iuuari communibus Ecclesiæ suffragiis atque fructu sacrificij eiusdem Ecclesiæ nomine oblati; quod quia nos 2. parte propositionis stabiliuimus, cogimur omninò fateri sacerdotem excommunicatum, quoties non peccabit sacrificãdo posse offetre pro seipso, & recepturũ omnẽ sacrificij fructũ tum ex persona Christi, tum ex persona Ecclesiæ prouenientẽ, si nihil aliud quàm Excommunicationis obex officiat. Neque dicas Ecclesiam, dum concedit cõmunicationem in diuinis cum toleratis, nolle vlla in re fauere excommunicatis, nisi admodum indirectè, quatenùs cæterorum fidelium fauor aliquando cedit necessaria quadam consequutione in commodum ipsius excommunicati, in hoc autem casu totus fauor esset ipsius excommunicati.

Respondeo enim id esse omninò per accidẽs quod excommunicatus, pro quo sacrificatur, coincidat in eandem personã cum illo qui sacrificat; deinde hic fauor non tam oritur ex ipsa concessione Ecclesiæ, quàm ex ipsa natura rerum. Cùm enim oblatio sacrificij pro excõmunicato non prohibeatur nisi secũdariò, quatenùs ea necessaria est ad vitandã omninò societatẽ & communicationem excõmunicati, vnde fit vt sublata obligatione vitandi excõmunicatum, tollatur etiam prohibitio sacrificãdi pro illo, & non possit prohiberi communicatio excõmunicati cum seipso, sequitur necessariò, vt Ecclesia non prohibeat oblationẽ sacrificij pro seipso; quare siue, vt dixi, Sacerdos sit excõmunicatus toleratus, siue nõ toleratus,

non intendit Ecclesia impedire, ne pro se ipso oret & sacrificet etiam tanquam minister publicus, si aliunde non prohibeatur. Et confirmatur, quia Ecclesia tam prohibet, immò multò magis excommunicatum agere ministrum publicum & eius legatum, quàm iuuari ministeriis & officiis publicis, quæ eius nomine à suis ministris exercentur, & tamen cum sacerdos excommunicatus excusante legitima causa ministrat sacramenta, aut sacrificat, agit reuerà ministrum publicum Christi & Ecclesiæ, idque ipsa patitur, neque prohibet excommunicatum agere suum ministrum, nisi quia prohibet illi sacrificare, ita quoque patitur illum percipere fructum ex eo ministerio prouenientem: quare si non peccet exercendo illud ministerium Ecclesiæ eo quod prohibitio cesset, nulla erit ratio propter quam negemus illum percipere fructum inde progerminantem, aut dicamus Ecclesiam illum priuare eo ministerij fructu, quem non priuat ipso ministerio.

CONSECTARIVM IV.

An liceat sacrificare, & publicè orare pro hæreticis, schismaticis, Iudæis & infidelibus.

26 Quod attinet ad non baptizatos in quibus numero Iudæos, Saracenos, Turcas & omnes demùm infideles consentiunt omnes pro illis indirectè posse orari & sacrificari, quatenùs postulatur à Deo Ecclesiæ dilatatio, atque ita omnes preces in Ecclesia fundi solitas, & in quibusdam religionibus pro conuersione infidelium & hæreticorum interpretamur; nam primariò & per se in illis poscitur à Deo Ecclesiæ & fidei augmentum; quo etiam sensu fatetur Auila 2. p. cap. 6. disp. 9. dub. 3. post con. 2. licitam esse institutionem cappellaniarum, in quibus dicantur Missæ pro conuersione infidelium & hæreticorum.

Certum est etiam 2. satisfactionem sacrificij ipsis applicari non posse, quod de infidelibus negari non potest, cùm ipsi quamdiu infideles sunt, illius effectus, qui supponit culpas expiatas, capaces non sint; quare quæstio excitari posset de fidelibus non baptizatis, v. gr. Catechumenis, qui iam in statu gratiæ sunt, quamuis nondum Ecclesiæ membra, an pro illis hoc sacrificium, aliæque orationes publicæ & Ecclesiæ nomine offerri valeant, & fructum quidem ex opere operato siue satisfactionis non prodesse catechumenis, cùm nondum Ecclesiæ membra sint, communis sententia docet, sed

Tertio circa fructum impetrationis an infidelibus, & non baptizatis etiam fidelibus, applicari possit, atque ita pro illis directè sacrificare, & oratione publica orare liceat, grauissima contentio est inter Vasq. disp. 227. in 3. partem negantem, & Suar. ibid. tom. 3. disp. 78. s. 2. & disp. 79. s. 10. affirmantem; quæ posterior sententia mihi probabilior videtur, atque ex ipso antiquo vsu stabiliri posse; sed hanc controuersiam in commodiorem locum reiicio, fateor quidem ex intentione generali Ecclesiæ, quæ pro suis membris duntaxat sacrificare iubet, hos non baptizatos siue fideles, siue infideles, minimè hunc fructum impetrationis participare, non prohiberi tamen, quominus sacerdos in persona Christi atq; etiam Ecclesiæ offerat ad obtinendam directè conuersionem non baptizatorum, aut eorum in fide iam susceptа constantiam, & vt baptismum suscipere, atque omnia Christiani officia præstare commodè possint, saltem quatenùs hæc omnia, quæ postulantur, sunt quoddam beneficium Ecclesiæ postulanti impensum: nam impetratio, sicut & oratio non tam respicit personam, cui postulatur res aliqua, quàm personam quæ illam postulat, & cui impendi ac donari censetur beneficium, vt in petitione pluuiæ, pacis, sanitatis amici aliorumque eiusmodi manifestum fit. Neque aliud existimo voluisse eos qui contendebant indirectè tantùm offerri sacrificium pro conuersione infidelium, directè verò intendi Ecclesiæ incrementa, nam si consideremus materialiter rem, quæ postulatur directè omninò & per se poscitur conuersio infidelium; si autem spectemus beneficium, quod in impetratione siue concessione rei postulatæ impenditur, illud respicit primò & directè Ecclesiam, cuius nomine petitur, & cui donantur gentes, quarum conuersio postulabatur, atque directè & primario poscitur beneficium Ecclesiæ, indirectè autem & secundariò bonum infidelium, aut non baptizatorum: quarè cùm nulla sit prohibitio sacrificandi aut orandi pro non baptizatis, imò fuerit illa quondam consuetudo, & alicubi etiam nunc vigeat, non est cur negemus posse institui einsmodi publicas orationes & sacrificia offerri pro conuersione gentium ad Christum & Ecclesiam directè & primariò eam postulando.

Restat itaque difficultas de hæreticis & schismaticis, eo quod in cap. si Episcopus. 3. 11 q. 3. prohibeat Ecclesia missas offerre pro hæreticis & schismaticis, quia sunt excommunicati ipso iure, pro excommunicatis autem ista præstare non licet, sequitur tamen ex propositione nobis asserta, quamdiù hæretici & schismatici non erunt expressè & specialiter denuntiati excommunicati, posse nos pro illis sicut & pro cæteris excommunicatis orare atque sacrificare, atque ita licebit etiam directè postulare per eiusmodi orationes & sacrificia ipsorum conuersionem, ipsis fructum impetrationis missæ cuius solius sunt capaces; quamdiù in peccato hæresis perseuerant, applicare, instituere capellanias, in quibus Missæ ea intentione celebrentur, & similia pietatis opera publicè præstare. Neq; qui sentiunt ex priuilegio extrauag. Ad euitanda, communia suffragia Ecclesiæ applicari posse excommunicatis toleratis, aliud de hæreticis sentire possunt.

Ex quibus vlteriùs Colliges, qua ratione in die Parasceues Ecclesia oret publicè pro hæreticis, schismaticis, excommunicatis, atque etiam pro Iudæis & Paganis, in qua dissoluenda quæstione parum fœliciter desudant antiqui Canonistæ, vt videbis apud Sayr. lib. 2. Thesau. cap. 4. num. 7. & Alteri. lib. 1. disp. 5. cap. 3. cùm tamen quod attinet ad hæreticos & schismaticos, atque omnes excommunicatos perspicua ratio petatur ex eo quod sicut Ecclesia potuit quosdam iustis de causis à communium suffragiorum participatione excludere, ita eosdem dum libuerit, & commodum iudicabitur, possit in eandem societatem rursus vocare, atque etiam pro illis ipsis, qui in sua familia nòdum numerantur, cuiusmodi sunt Iudæi, & alij non Christiani, precibus & sacrificiis Deum sollicitare. Cur vero hæc omnia præster feria sexta Parasceues non desunt plures æquissimæ causæ, quas dabunt laudati DD. Sanè cùm virtus sacrificij crucis ad omnes homines pertinuerit, nullum eo die debuit Ecclesia à suis

fuis precibus arcere, vt sponsi & capitis pietatem imitaretur, quanquam ne illo quidem die pro excommunicatis in actu signato oret, vnde huius Censuræ grauitatem colligunt plerique. Verùm id mirum nemini videri debet, cum enim Excommunicationis vox significet separationem ab Ecclesiæ communicatione, & Ecclesia communicet cum iis, pro quibus orat, si pro excommunicatis in actu signato publicas funderet preces, simul diceret illos à sua communicatione præcisos, & id ipsum negaret, quia reipsa illis communicaret.

CONSECTARIVM IV.

An liceat accipere stipendium ad sacrificandum pro excommunicato.

26 Colliges denique, quid sentiendum sit circa stipendium acceptum à sacerdote, vt pro excommunicato sacrificet. Et quidem accipi posse licitè ab excommunicato tolerato censent apud Bonacin. quæst. a. de excomm. p. 1. §. 3. n. 5. ij omnes, qui existimant pro illo excommunicato offerri posse sacrificium, nam cùm actio illis sit vtilis, quidni poterit pro illa stipendium alioquin iostum capi? negant autem ab excommunicato non tolerato illud idem stipendium accipiendum esse quæ mihi parum placent, vt enim ab hoc postremo ordiar, cùm sacrificium oblatum pro excommunicato non tolerato, illi prosit, quatenùs offertur nomine Christi & ex priuata etiam intentione Sacerdotis, quem diximos non exuere priuatam personam, licet gerat publicam, poterit eodem modo accipere stipendium in sustentationem ad ponendum actionem illi excommunicato vtilem, atque potuit accipere ab excommunicato tolerato, quamuis enim peccet dum sacrificat pro vno, & non dum sacrificat pro alio, pro vtroque tamen vtiliter sacrificat. Prætereà ad recipiendum istud stipendium non est attendenda vtilitas sacrificij, circa illum autem, à quo accipitur, alioquin vix vnquam ab excommunicato tolerato accipi possee, quia ille excommunicatus non potest petere sacrificium pro se offerri, etiamsi Sacerdos pro illo sacrificium offerre queat, vt constat ex q. 1. in vlti. parte Extrauag. Ad euitanda, & amplius dicetur inferius, quarè cùm ille excommunicatus peccato suo ponat obicem præcipuo effectui sacrificij, illudque sibi inutile reddat, non posset sacerdos ab illo stipendium capere ex posita Regula, quæ iustitiam huius stipendij admetitur vtilitati prouenienti danti stipendium, quod idem dicendum quoque foret, quoties peccator, cui scio inutile futurum sacrificium quoad præcipuum fructum ex opere operato sacrificari pro se postulat, tunc enim nefas esset ab illo accipere stipendium.

Quarè existimo distinguendum esse inter peccatum quod committitur in præstanda aliqua praua actione, & illud quod reperiri potest in accipiendo præmio pro præstanda eiusmodi praua actione, nam iniquitas actionis non facit illicitum, & multò minus iniustum esse accipere præmium pro præstanda illa actione, quamuis peccatum sit in voluntate faciendæ eiusmodi actionis, atque in ipsa positione actionis prauæ, atque ita prostibulum & lupa etiamsi peccet, dum corporis sui copiam facit, non tamen quod in turpis illios commercij præmium pecuniam accipiat, neque ad eius restitutionem tenetur, siue qui pecuniam promisit obligetur illam postea dare, siue non obligetur, id enim modò non disputo, vt enim quis iustè stipendium ab alio accipiat, satis est si ad eius imperium laboret, siue ea actio bona sit siue mala, siue sit ipsi vtilis, siue inutilis, quod verius multo est, quando quod datur, non datur nisi in sustentationem laborantis, & non in pretium actionis. Itaque qui sacrificat pro excommunicato non tolerato, peccat quidem, non autem qui pro tolerato idem facit, & priori prodest sacrificium nomine Christi, non autem nomine Ecclesiæ oblatum, tolerato verò excommunicato vtroque modo prodest, si alium quempiam obicem non ponat; ab vtroque tamen Excommunicato sacerdos stipendium capere poterit, cùm ad vtriusque imperium sacrificet & ponat actionem, quam vterque ipsum ponere vult, neque teneatur sustentare se suis impensis, dum aliis laborat siue vtiliter, siue inutiliter laboret, satis enim est quod ad eorum imperium laboret, & illud idem, quod ipsi iubent, exequatur.

SECVNDA PROPOSITIO.

Circa priuationem Indulgentiarum.

Nullus Excommunicatus potest lucrari Indulgentias; excommunicatus tamen toleratus capax erit earum, quæ ipsi ab alio per modum suffragij applicabuntur. 27

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Distinguo duplicem Indulgentiam, vnam quæ datur per modum absolutionis, & quam quisque sibi lucratur; altera est per modum solutionis & suffragij per quam vnus fidelis alterum iuuare potest, qualis est indulgentia, quam ex concessione Ecclesiæ defunctis applicamus, & eiusmodi quoque indulgentias per modom suffragij posse quoque viuentibus distribui, hoc est, vt vnus pro alio Indulgentiam lucretur, siue ibi etiam interueniat absolutio vera, siue solutio tantum & merum suffragium, certum nobis est, quæ omnia explicata sunt alibi. Dico igitur nullum excommunicatum siue toleratum siue non toleratum posse sibi lucrari Indulgentiam, etiamsi opera in eam rem iniuncta præstet. Ita Vgolin. tab. 2. de censu. cap. 9. Rosella. ꝟ. Indulgentia. §. 4. Adrian. in 4. q. 2. de Clauib. ad 1. ex inductis in principio principalis argumenti. Suar. tom. 4. in 3. part. disp. 5 a. s. 2. num. 3. & tom. 5. de Censu. disp. 1 a. s. 3. n. 7. Alteri lib. 1. d. 5. cap. 6. dub. 3. allegans Ioannem Ananiam in suo tractatu de Iubilæo. Bonac. q. 1. de Indulg. p. 5. n. 3. & q. 2. de excomm. p. 1. §. 3. num. 9. contra Henriq. lib. 7. cap. 18. n. 3. Nau. comm. de iubilæo. notab. 18. n. 14. & alios viros doctos apud Eman. Sà. ꝟ. Indulgentia. num. 2. qui eos non improbat, sicut neque Alteri. l. c.

Ratio aperta est ex superiori propositione; cùm enim Ecclesia in generali sua intentione nunquàm includat excommunicatum, in distributione suorum Bonorum communium & subsidiorum, quibus fideles iuuat, quamuis non semper ita positiuè excludat omnem excommunicatum, vt prohibeat illum à quoquam in partem aliquam eiusmodi bonorum communium asseri; sanè in hac dispensatione communis thesauri satisfactionum Christi & sanctorum, quas per indulgentias applicat, & exponit in relaxationem pœnæ pro peccatis expiatis à fidelibus debitæ, non complecti-

tur eos, quos à suo corpore tanquàm tabida membra præscidit: & deinde cùm excommunicatus nullam habeat facultatem vtendi bonis communibus Ecclesiæ, & illa sibi vsurpandi, neque sibi ipse fumere poterit partem thesauri communis in cæteros fideles distributi.

Dixi tamen 2. excommunicatum toleratum posse percipere fructum indulgentiæ sibi ab alio per modum suffragij applicatæ, quia cùm talis excommunicatus sit capax suffragiorum communium, si ab aliquo ipsi applicentur, atque etiam fructus Sacrificij, quod 2. parte propositionis primæ fusè docuimus, erit quoque capax suffragiorum, quæ fiunt per indulgentias, quas alius pro ipso lucrari poterit sicuti lucrari posset pro non excommunicato: vnde fit vt possimus pro defunctis excommunicatis, qui contriti decesserint vti, nisi contrarium constet, supponendum omninò est, & sacrum offerre, & indulgentias lucrari, sicut & sepultura Ecclesiastica donare si tolerati sint vti statim ostendam.

CONSECTARIVM I.

An excommunicatus possit vti re sacra ad lucrandam indulgentiam.

28 Hinc colliges 1. an excommunicatus possit vti re sacra, quæ, nullum alium vsum, quàm ad lucrandam indulgentiam, aut Ecclesiæ deprecationem sibi applicandam, habet.

℞. Non posse vti re sacra in illum finem principalem, in quem primariò instituta est ab Ecclesia, applicandi indulgentiam, aut communem Ecclesiæ deprecationem, quia non potest se immiscere ipsi communioni Ecclesiasticæ, neque sibi communia suffragia applicare, quamuis si sit excommunicatus toleratus, liceat aliis cum ipso communicare: quia tamen in qualibet re sacra fingi potest aliquis alius pius vsus veluti personalis, quia ex intentione priuata & personali vtentis pendet, etiamsi supponat primarium vsum ab Ecclesia ad participationem suorum bonorum communium institutum, idcircò nulla eiusmodi res sacra est, quam excommunicatus quilibet sibi seruare non possit, atque illa vti, v.gr. Iconculæ, grana benedicta, & aliæ res, quibus assignatæ sunt indulgentiæ, vsui esse possunt, vt meminerit quo bono se priuarit, dum per excommunicationem reddidit se incapacem communionis Ecclesiasticæ. Aqua etiam lustralis, quæ nullum alium vsum habere videtur, quàm ad applicandam deprecationem Ecclesiæ, atque vi eius obtinendi quidpiam à Deo, poterit monimentum esse, quo ad actum pœnitentiæ excitetur; qui & alij similes vsus priuati ac personales in qualibet re sacra facilè reperiri poterunt. Ita Suar. disp. 12. de censu. s. 2. n. 8. vnde vides, quo sensu vsum sacramentalium, imaginum sacrarum, & eiusmodi rerum aliqui concedant excommunicatis cum eod. Suar. ead. disp. 12. sect. 3. num. 3. Sayr lib. 2. Thesau. cap. 5. num. 9. Henriq. lib. 13. cap. 7. n. 2. Filliuc. tract. 12. cap. 4. n. 103. alij verò negent cum Vgolino, tab. 1. de censu. cap. 13. §. 14. n. 6. & Bonac. disp. 2. de censu. q. 2. p. 3. §. 2. num. 8. non enim potest iis vti rebus, quatenus continent orationes & suffragia Ecclesiæ, sed quatenus vsui esse possunt ad priuatum quendam honorem Deo exhibendum.

CONSECTARIVM II.

An cui concedit Pontifex indulgentiam, ea ipso absoluatur.

Colliges 2. Pontificem non absoluere excommunicatum eo ipso quod illi concedit Indulgentiam, quia ea concessio est conditionata, nimirùm si per ipsum non steterit, & indulgentia supponit capacitatem in eo cui conceditur, non autem donat, nisi exprimatur, aut ex verbis & modo eam donandi clare id colligatur. Ita contra Abbatem con. 55. docet Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 52. sect. 2. num. 3. & ex illo pro solemni sibi more Alteri loco nuper citato. 29

TERTIA PROPOSITIO.

Circa priuationem sepulturæ Ecclesiasticæ.

Excommunicatio maior priuat sacra & Ecclesiastica sepultura excommunicatum non toleratum, & non absolutum, toleratum verò etiam publicum & notorium minimè priuat. 30

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Ago de sacra sepultura, hoc est, de ea quæ fit in loco sacro, aut ritu sacro adhibitis ceremoniis in Ecclesia solemnibus, cùm iure loci sacri, siue benedicti, in quem cadauer transferri poterit, etiamsi modò in illo condi nequeat, vt grassante lue, aliisque publicis calamitatibus ferè contingit, nam solam inhumationem cadaueris non prohiberi ob excommunicationem incursam, siue ea iustè negari possit ob atrocia quædam crimina, siue non, quod fusiùs disputat Couarruu. lib. 4. varia cap. 1. n. 11. certum est. Non quæro etiam quid sit locus sacer, in quo degetur sepultura, est enim omnis ille, qui vel ad sacras functiones, vel ad fidelium sepulturas destinatus est, vti amplius explicabitur, alibi in alio omni quamuis vicino & contiguo poterit sepeliri excommunicatus, vt asserit gloss. in Clem. 1. de sepultutis, ¥. cæmiteriis, Suar. disp. 13. s. 4. n. 7. & alij contra Panormit. in cap. sacris de sepulturis, num. 3. Non tamen Ecclesiastica sepultura, quæ dicitur illa, quæ fit adhibitis ceremoniis Ecclesiæ etiam in loco prophano, vt iam monui; quarè qui ita sepeliret excommunicatum peccaret contra legem vetantem Ecclesiasticam sepulturam, vt affirmat Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 5. sub fin. Archidiac. in cap. Quicunque de hæret. in 6. n. 7. Sylu. ¥. excommunicatio 9. n. 58. Angel. ¥. eod. caso 28. & ¥. hæreticus, n. 19. Nam ipse actus & officium quod celebrant Clerici in sepeliendo ritu Christiano, dicitur Ecclesiastica sepultura, vt notat gloss varias huius vocis, sepulturæ significationes enumerans in §. item quæritur 13. quæstione 2. & apertè colligitur ex capite. Quæsta. ead. causa & q. atque ex cap. placuit 13. q. 5. & sanè cùm prohibitio Ecclesiasticæ sepulturæ fiat ad concitandam infamiam defuncto, & in signum perpetuæ [illegible] infamationis 31

CONSE

damnationis ex cap. cùm ad monafterium de ftatu Monacho. qui apparatu Ecclefiaftico in loco profano tumularetur, eodem afficeretur honore, atque fi in Ecclefia conderetur. Quare reiicio Bonacip. difp.2.q. 2. de cenfu. in particulari.p. 30.& Suar. difp.13. de cenfu.f. 4.n.13. qui negant fepulturam extra locum facrum cum folemnitatibus & ceremoniis Ecclefiafticis factam, effe Ecclefiafticam, faltem eam, quæ prohibetur impendi excommunicato & heretico in cap. Quicunque de hæreticis in 6. eò quod pœnæ fint reftringendæ; verùm non funt propterea verba legis impropriandа. Hæc autem fepultura dicitur propriè Ecclefiaftica, vt iam docui, quod autem additur cap. cit. locum, in quo conditus fuerit hæreticus, priuandum effe perpetuò fepultura, quod non nifi de loco facro & fidelium fepulturis deftinato intelligi poteft, non vrget, quia ibi agnofcenda eft diftributio accommoda, vt fi fuerit Ecclefiaftica fepultura in loco facro impenfa hæretico, locus ille careat perpetua fepultura; Nomine igitur fepulturæ non intelligo duntaxat tumulationem, fed apparatum quoque funebrem, atque alia omnia, quæ vel ex Ecclefiæ præfcripto, vel ex gentis cuiufque moribus circa cadauera adhiberi folita funt, quia in his omnibus futura eft cum mortuo vel facra, vel ciuilis communicatio, quæ vtraque tamen cum excommunicato non tolerato fanctè prohibita eft. Itaque vel infepulta proiicienda funt cadauera voranda canibus & feris, vel afinina fepultura tumulanda, vti dicitur Hierem. 22. aut canina, vt loquitur gloffa in cap. placuit. 23.q.5. Et licet non omnis, qui priuatur pompa funeris, priuetur etiam Ecclefiaftica fepultura, vt apparet ex cap. fuper eo. de raptoribus, vbi prohibentur clerici intereffe funeri eius, qui rapuerit bona Ecclefiæ, neque pœnituerit; nunquam tamen priuatur aliquis Ecclefiaftica fepultura, quin eo quoque honore priuetur: non enim deceret deferri cadauer à clericis cum pompa funebri ad locum, in quo cum feris & canibus condendum foret.

Obferuandum porrò eft facram fepulturam negari excommunicato vel præcisè ratione excommunicationis, vel ratione peccati mortalis quod punitum fuit excommunicatione, & in quo abfque pœnitentia deceffit, nam non modo excommunicatis, fed aliis quibufcunque peccatoribus, quos impœnitentes decedere vehementes coniecturæ fuadent, negandam effe Ecclefiafticam fepulturam tradit gloffa in cap. Quia in omnibus de vfuris. ℣. accipiant fepulturam, cùm etiam pro illis orare non liceat, cap. placuit, 23. quæft. 5. & eadem caufa. quæft. 8. cap. quicunque clericus. & cap. pro obeuntibus. 13. quæft. 2. atque ibi perfpicuè gloffa, nos autem agimus hoc loco de priuatione fepulturæ præcisè ratione excommunicationis contractæ.

PRIMA PARS.

Excommunicatus priuatur fepultura Ecclefiaftica.

52 Dixi Excommunicationem maiorem priuare excommunicatum fepultura Ecclefiaftica, quod perpetuo in Ecclefia feruatum fuit, nam cap. facris. de fepulturis. Innocent. III. ait iam effe facris Canonibus conftitutum, eadem pœna excommunicatis publicè nominatim interdictis & manifeftis vfurariis infligitur Clemente. I. de fepulturis. Hæreticis quoque aut eorum fautoribus cap. Quicunque de hæreticis.

Ratio vero propter quam fapientiffimè inflicta eft hæc pœna affertur ab Innocent. ne communicemus in diuinis cum defuncto excommunicato, quandoquidem cum eo viuente communicare non licuit; quamuis enim reuerà corpus non fit capax communionis fpiritualis, quia tamen eumdem hominem repræfentat, & fupponitur in viuente ius ad illam communionem & fepulturam, quæ res quædam fpiritualis eft propter diuina officia, quæ in exequiis celebrantur, & orationes, quas fundit Ecclefia; reuera eius priuatio grauiffima pœna eft, & fpiritualis, vnde illam ad priuationem fuffragiorum initio huius quæftionis reuocauimus: inde etiam confirmatur æquitas huius pœnæ, fi enim non liceat publicè orare, & nomine Ecclefiæ pro excommunicato defuncto, neque etiam licebit illi Ecclefiafticam fepulturam, quæ fine eiufmodi orationibus non fit, impertiri. Ex quibus reiicias Hoftienf. in cap. ad hæc de Priuileg. & Archid. in cap. illi qui 6. quæft. 1. negantes excommunicationem durare poft mortem, & afferentes cum mortuo excommunicato haberi poffe communionem. Hinc prætereà intelliges quid voluerit gloffa in cap. 1. de torneam. ℣. careat fepultura, cùm dixit hac fepulturæ prohibitione Ecclefiam potiùs confulere viuentibus, qui huius pœnæ terrore coërcentur à fimilibus criminibus, quàm defunctis, quibus vilis fepultura non nocet: nam id intelligendum eft de loco fepulturæ in fefe fpectato, qui fiue vilis, fiue ornatus fit, nihil defuncto confert, quo eodem fenfu Auguft. cap. 2. de cura pro mortuis, & ex Innocent. III. cap. facris. cit. dixerunt, ficut iuftis non nocet fepultura nulla vel vilis, ita impiis celebrem & fpeciofam non prodeffe: neque enim negant idcircò facram fepulturam, & exequias ritu Chriftiano peractas aliquid conferre defunctis, quod fufius alibi oftendetur; contendit enim tantùm Innocentius, excommunicatum, qui iufferit fe in loco facro fepeliri, nequicquam ea fepultura, quamuis in loco facro, & cum Religiofa pompa atque apparatu iuuari, quod etiam dicitur cap. Quibus peccata. 13. quæft. 2. vnde tamen non fequitur ex Ecclefiaftica fepultura nihil commodi in defunctos deriuari.

Vt verò videas quantum abhorreat Ecclefia communicationem cum excommunicato etiam defuncto non modò illi denegat facram fepulturam, fed etiam cadaueris eiufmodi tumulatione impiari vult locum facrum, cap. facris, & ideò reconciliari mandat. cap. confuluifti. de confecrat. Ecclefiar. & altari. de modo reconciliationis, de quo alibi interim adi Alteri. lib. 1. de excommunicat. difp. 10. cap. 6. Quare vides hallucinatum fuiffe gloffatorem cap. facris ℣. exhumari. dum dubitat an cadauer excommunicati ignorante aut inuito facerdote illatum in aliquem locum illum faciat facrum; cùm reuerà einfmodi cadauer non modò non confecret locum, fed etiam impiet; quamuis fi res occulta fit, non peccent, qui in eo loco diuina peragent, vti explicabimus dum de violatione facrorum locorum agemus quare ne ciuiliter quidem religiofum eiufmodi locum exiftimarim, etiamfi l. in tantum ff. de rerum diuifi. & §. Religiofum. inftitut. eodem tit. per hominis fepulturam locum

sacrari dicatur, neque enim in Republ. Christiana potest haberi sacer & Religiosus ille locus, in quo nulla sacra licet peragere, & quem Ecclesia tanquam impium execratur.

Iobet præterea Ecclesia, vt ossa excommunicati exhumentur à loco sacro, & procul ab Ecclesia proiiciantur, si ab aliis fidelium ossibus discerni possint, alioquin non debebunt ossa fidelium vnà cum excommunicatis extumulari cap. sacris de sepulturis, & cap. ad hæc de priuilegiis; non manebit tamen eo casu ille locus inhabilis ad sacra officia, sed reconciliari poterit, quia defectus, qui ex confusione cadaueris excommunicari cum fidelium reliquorum ossibus orietur, quodammodò occultus erit, neque impediet reconciliationem, aut violationem, quæ in prima illatione & sepultura cadaueris illius commissa est, perpetuò iterabit, quod docent Suar. disp. 12. sect. 4. num. 4. & Alteri. lib. 1. disp. 10. cap. 6.

Porrò si in loco exempto tumulatum esset eiusmodi cadauer, & ipsi exempti illud inde non eiiciant, Episcopus id præstabit non obstante exemptione, cap. ad hæc de priuilegiis. Vbi vide Panormitan. num. 1. & Ioan. Andr. quin imò posse Episcopum punire exemptos, qui sepeliunt excommunicatum, aut illum ad diuina admittunt, existimant aliqui, qua de re disputant Panorm. in cap. ad hæc cit. & in cap. sacris de sepulturis num. 7. & Ioan. Monach. in cap. Episcoporum de priuileg. in 6. atque ibid. Ioan. Andr. num. 3. quod alibi definiemus.

Monco tamen hoc loco, quæ de exhumatione iubentur ea intelligenda esse tantùm de excommunicatis, non autem de aliis, quibus negatur Ecclesiastica sepultura; Itaque si quis tempore interdicti aliquem sepeliret, incurreret pœnas Clem. 1. de sepulturis, non tamen post relaxatum interdictum, extumulandus ille foret, vti aduertit glossa in cap. si ciuitas de sentent. excom. in 6. ✠. sepeliri, quia nullibi traditur ea pœna, neque sequitur ex natura interdicti. Neque austerior cuiquam videri debet hac in parte Ecclesia, cùm leges Politicæ simile quidpiam statuant, nam Seuerus & Antoninus sæpissimè rescripserunt, non licere deportatum in insulam, vel relegatum inde transferre, & alibi sepelire inconsulto Principe, l. si quis, ff. de cadaueribus punitorum.

SECVNDA PARS.

Hac priuatio sepultura Ecclesiastica non afficit quemlibet excommunicatum.

33 2. Parte dixi hanc pœnam non afficere quemlibet excommunicatum. Excepi enim 1. eum qui absolutus fuit vel in articulo mortis, vel etiam post mortem. Ratio fuit 1. propositione reddita, quia excommunicatio & quælibet alia censura tamdiu confert suum effectum, quamdiu manet, quod aliis omnibus formis tum physicis tum moralibus conuenit, tamdiu vero manet excommunicatio quamdiu non tollitur per absolutionem, vti constabit disq. 10. Vnde sequitur ex contraria ratione sublata censura per absolutionem, omnes eius effectus necessariò cessare.

Sufficit porrò absolutionem impartitam fuisse 1. in articulo mortis à quocunque etiam simplici Sacerdote, vt ille excommunicatus tradatur Ecclesiasticæ sepulturæ, quod in cap. fin. de sepulturis traditur, & notant ibid. Ancharan. numero 2. & Panorm. num. 3. atque hic idem in cap. à nobis 28. de sentent. excomm. num. 4. Felio. in idem cap. num. 2. Suar. disp. 13. de censu. sect. 4. num. 3. Idque verum esse, licet ea excommunicatio fuisset reseruata Pontifici, atque ita decidisse sacram Congregationem Cardinalium, quæ præest negotiis Episcoporum, refert Ricciul. lib. 4. de iure personarum extra Ecclesiæ gremium, capite 60. numero 40.

Sufficiet præterea absolutio post mortem impensa, vel antequam conderetur cadauer, vel vbi iam conditum est super ipso sepulchro, neque enim propterea exhumari debet, vel si fuerit iam extumulatum. Hanc verò absolutionem mortuis, qui signa pœnitentiæ viuentes dederint, impendi iam olim solitam constat ex illo cap. à nobis, cit. & cap. sacris de sepulchris; nosque luculenter ostendimus superius disq. 4. 9. 1. corollar. 5. sub finem.

Quo verò ritu conferenda sit eiusmodi absolutio, & quid inter illam & eam, quæ datur in articulo mortis, intersit, commodius explicabitur disq. 10. Sufficient quoque signa contritionis ante exhiberi & quod non steterit per ipsum excommunicatum quin absolueretur, vti videtur sentire glossa in cap. ad hæc de priuilegio, ✠. eiiciant.

Excipiendum 2. ab hac priuatione sepulturæ excommunicatum toleratum, quamuis enim veteri iure omnis excommunicatus incurreret in hanc pœnam cap. sacris de sepulturis. Clem. tamen 1. de sepultur. restrinxit hanc pœnam ad publicè excommunicatos, vt patet ex ipso textu; ac demùm extrauag. ad euitanda, ad denuntiatos, aut notorios Clerici percussores, quos vno nomine excommunicatos vitandos siue non toleratos dicimus, permisit enim fidelibus cum aliis omnibus excommunicatis etiam poblicis & notoriis communicare; quibus autem communicamus viuis, communicamus quoque mortuis, nisi noua aliqua ratio id prohibeat; quod vltimum addo propter glossam, quæ in cap. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remissio. ✠. sepulturam, negat communem illam Regulam, cui communicamus viuo, communicamus & mortuo, eò quod non liceat mandare Ecclesiasticæ sepulturæ, eum, quem certò constat decessisse in peccato mortali, vt eadem glossa obseruat in capite. Quia in omnibus de vsuris, ✠. accipiant sepulturam, cùm tamen cum illis viuentibus communicauerimus: nam hæc communicatio cum illis mortuis non est illicita ex eo, quod illicita fuisset cum viuentibus, sed ratione status in quo decesserunt, & impœnitentiæ, quæ nisi nobis euidens esset, aut nisi noua accederet prohibitio, vti fit, quoties Ecclesia crimen aliquod priuatione sepulturæ punit, etiamsi non ferat idcircò excommunicationem & censuram, tota communicatio licita foret post mortem. Quanquam verius sit non prohiberi cum his defunctis in peccato mortali communicationem, quia non priuatur sepultura tanquam bono aliquo communi, sed ad pœnam & infamiam; quare ea priuatio habet rationem pœnæ solius, & non censuræ, 34

furæ,nam & aliquando imponitur à Magistratu laico vti contendit Couarru. superiùs relatus, ab eo tamen non posse ferri censuram certum est. Communis igitur Regula communicare fas esse mortuo, cui viuenti communicare licuit, quæ deducitur ex contraria,nimirum non esse communicandum mortuo, cui viuenti nefas fuit communicare, tradita à Leone Epist. 90. cap. 2. alias 92. cap. 6. ad Rusticum Narbon. vti refertur cap. de communione, & cap. sanè 24. q. 2. & à Gelasio cap. Quicunque 11. quæst. 3. & ab Innoc. III. cap. sacris de sepulturis, verissima est vt quoties cum aliquo excommunicato viuente licet, aut non licet communicare, cum eodem iam defuncto liceat aut non liceat communicare in iis, in quibus haberi potest cum mortuis communicatio. Cùm igitur Extrauag. ad euitanda permiserit communicare in omnibus sacris & diuinis cum quibusdam excommunicatis,neque vllum huiùs communicationis tempus determinarit, cum illis quoque mortuis communicare licebit, atque pro iis orationes quoque publicas offerre, iusta funebria celebrare, exequias facere, & Ecclesiastica sepultura donare, atque ita sentiunt Victor. in sum. de Eucharistia quæst. 90. Henriq. lib. 13. num. 2. Gutierr. lib. 1. qq. Canon. cap. 1. num. 30. Nauarr. cap. 27. num. 36. Tolet. lib. 1. cap. 13. num. 9. Suar. disp. 12. sect. 4. num. 5. Ricciul. lib. 4. de iure personarum extra Eccles. cap. 60. num. 45. Hurtad. disp. 5. de excomm. diffic. 4. num. 10. Bonac. quæst. 2. de excomm. p. 3. §. 3. num. 2. & disp. 2. de censu. in particula. quæst. 2. p. 30. num. 4. Layman lib. 1. tract. 5. 2. p.cap. 4. num. 8. Ioan. de la Cruz tract. de censu. art. 2. num. 11. Vgolin. tab. 2. cap. 9. §. 5. & 6. Sayr lib. 2. cap. 4. num. 10. Villalob. 1. tom. tract. 8. diffic. 24. num. 7. & tract. 17. diffic. 3. num. 2. & diffic. 24. num. 3. Filluc. tract. 12. cap. 4. num. 106. Regin. lib. 32. n. 16. Kon. disp. 14. dub. 8. n. 63. 64. & 66. Contra glossam in Clem. 1. de sepulturis, ℣. publicè vbi solùm requirit vt sit publicè quis excommunicatus, quamuis non denuntiatus, quod ipsum docent Panorm. in cap. exceptionem de exceptionibus num. 27. Caietan. ℣. excommunicatio cap. 46. Auila 2. p. cap. 6. disp. 4. dub. 8. & disp. 9. dub. 6. neque sibi contrarius est disp. 10. dub. 6. con. 3. vbi ait sepelientes excommunicatum toleratum non incurrere pœnas Clem. 1. de sepulturis,quia id asserit de sepultura simplici, non autem sacra, quam negat vlli excommunicato etiam tolerato posse exhiberi, & nomine sacræ sepulturæ eam intelligit, quæ fit in loco sacro, vt eod. dub. 6. disp. 10. explicat Alteri, disp. 14. cap. 1. lib. 1. de excom. Reynaud 2. parte de monitoriis, cap. 3. num. 7. Sylu. ℣. excommunicatio 9. §. 67. quorum alij, qui, vt Panorm. Caietan. & Sylu. ducuntur solius Clem. authoritate, qui agit de publicè excommunicato & nominatim interdicto, neque meminit denuntiationis, vt argumentatur glossa. Alij verò dicunt in illa extrauag. consuli tantùm commodis fidelium cum excommunicatis communicantium, non autem ipsi excommunicato fauere velle Pontificem, cùm tamen totum commodum& fauor sacræ sepulturæ pertineat ad solos excommunicatos. Verùm iam sæpius docui in hoc maximè fauere Pontificem fidelibus, quod omnes dubitantis conscientiæ remorsus & pericula incidendi in minorem excommunicationem ex commercio cum excommunicatis sua illa indulgentia tollat; atqui in nostro casu eadem pericula occurrent & dubia pulsabunt animum, quandoquidem dubitari poterit, an sit talis publica excommunicatio ad negandam sepulturam Ecclesiasticam, an requiratur notitia facti, ac iuris, an vtraque simul, quod latè disputare cogitur Alteri. cap. 1. cit. neque magis fauetur directè excommunicatis, quàm dum pro illis publicè orare permittitur, quod tamen permitti per extrauag. Ad euitanda, ostendimus prima propositione parte secunda.

Hinc potiori iure reiicias glossam in Clem. 1. de sepult. ℣. excommunicatos. Vbi dicit ex sententia Innocent.in ca.sacris,de sepulturis.℣. excõmunicatorum corpora, etiam excommunicatum excõmunicatione minori priuari Ecclesiast. sepultura, quamuis qui eiusmodi excommunicatos sepelierint non subiiciantur pœnis illius Clementinæ, quod idem videtur sentire Cardin. in eandem Clement. num. 17. Qui vt dico reiiciendi sunt, quia minor excommunicatio non priuat nisi receptione Sacramentorum, & non impedit consuetudinem cum cæteris fidelibus, vt tradunt DD. in cap. excellentissimus 11. quæst. 3. & in cap. nonnam multos eadem causa, & quæst. quarè dicitur vulgò hæc excommunicatio minor non trãsire in 3. personam. Poterit tamen hæc sententia benignius explicari de excommunicatione minori, quæ quondam infligi solita erat etiam à Iudice propter diuersa crimina, & non tantùm propter communicationem cum excommunicato maiori excommunicatione, tunc autem qui impœnitentes decedebant, prohibebantur Ecclesiastica sepultura, non præcisè ratione excommunicationis minoris, qua ligati decedebant, sed ratione impœnitentiæ & peccati mortalis, in quo moriebantur, iam enim monuimus initio huius propositionis negandam esse orationem publicam atque adeo priuatam, & multò magis sepulturam Ecclesiasticam illis quos constiterit in peccato mortali obiisse, quod tamen rarò admodum constare poterit. Itaque si isti excommunicati dederunt signum aliquod pœnitentiæ sepeliri poterunt more Ecclesiastico, etiamsi non fuerint absoluti ab excommunicatione minori, qua ligati fuerunt, immò licet innodati essent excommunicatione maiori sed non denuntiati,neque etiam absoluendi erunt ante aut post mortem ad hunc effectum, neque suo cadauere implabunt sacrum locum, neque ipsorum ossa eruet effodienda, & in locum prophanum proiicienda, quæ omnia concedunt DD. pro nostra sententia laudati, & ex illa necessariò consequuntur.

Pœnæ sepelientium excommunicatum denuntiatum, expositio Clementinæ primæ de sepulturis.

Restant ad huius doctrinæ complementum explicandæ pœnæ, quibus obnoxij sunt qui excommunicatos denũtiatos sepeliũt Ecclesiast. sepultura semper

semper enim ad excommunicatum denunciatum restringenda erit ista doctrina, cùm enim lex prohibeat hos duntaxat excommunicatos ita sepeliri, pœnæ, quæ ea lege feruntur de aliorum excommunicatorum sepultura non nisi insulsè exponerentur. Iure igitur antiquo sepelientes excommunicatum siue publicum siue occultum incurrebant excommunicationem minorem, vt Paoorm. in cap. sacris de sepulturis num. 1. glossa in Clem. 1. eod. tit. ℣. publicè, & Cardinal. ibid. num. 19. obseruarunt propter communicationem cum excommunicato, quæ æquè cum mortuo atque cum viuente prohibetur, vt ait glossa in cap. adhæc. de priuilegiis. Hanc pœnam auxit Clemens V. in Concil. Vienn. & refertur Clem. 1. de sepulturis, eos enim, qui propriæ temeritatis audacia, nec sine contemptu Clauium interdicti tempore extra casus iure concessos, aut excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel vsurarios manifestos scienter sepelire præsumunt, vult ipso facto excommunicationis sententiæ subiacere, & ab ipsa absolui non posse, nisi prius ad arbitrium Episcopi satisfecerint iis, quibus per eam tumulationem excommunicati fuerit iniuria irrogata; neque ab iis aut exemptionem, aut aliud quoduis priuilegium sub quacunque forma verborum obiici posse definit.

Circa sepelientes autem hæreticos, aliquid amplius habetur. cap. Quicunque de hæreticis in 6. ibi enim Alexander IV. sepelientibus hæreticos & eorum fautores ac receptatores imponit quidem excommunicationem, sed ab ea absolui posse non vult nisi propriis manibus extumulent eiusmodi cadauera, & locus ille careat perpetua sepultura.

Ex his porrò pœnis, quæ grauissimæ sunt, statim apparet eos, qui sepeliunt hos excommunicatos contra prohibitionem Ecclesiasticam grauiter peccare, cùm in re admodum graui legem violent, & tam atroci pœna puniantur.

Quomodò autem sint intelligendæ hæ pœnæ ferè constat ex dictis. Primo enim, qui ita sepeliuntur debent esse denuntiati, quod de excommunicatis in vniuersum docui superius; de hæreticis verò tradunt expressè Layman, Suar. & Bonacin. De vsurariis autem Gutierr. lib. 1. qq. Canoni. cap. 1. num. 31. vbi allegat Petrum Ancharan. consil. 189. n. 2.

Secundò excommunicatio minor, quæ iure antiquo ob istam prohibitam sepulturam incurrebatur, ita mutata fuit in maiorem per posteriora ista iura, vt vtraque non incurratur simul, quod aliqui malè censuerunt, cum nulla sit necessitas multiplicandi istas censuras, & satis indicent posteriora iura se non addere pœnas duntaxat, sed leuiores in grauiores commutare: quod aduertit. Suar. disp. 12. s. 4. n. 13. contra Nau. cap. 27. n. 36. Auila. 2. pat. cap. 6. disp. 4. dub. 8. & Filliuc. tract. 12. cap. 4. q. 10. num. 110.

Tertiò, vt incurratur excommunicatio lata in Clem. & in cap. Quicunque; requiritur scientia in delinquente, quod ex ipsis verbis harum legum satis constare aduertit Caietan. ℣. excommunicatio. 46. dicitur enim in Clement. Eos qui propriæ temeritatis audacia scienter præsumpserint, quæ vltimæ voces apponuntur quoque in capite. Quicunque. præterquam quod ad contrahendam excommunicationem ex communicatione cum excommunicato requiritur scientia in communicante, ex cap. cùm significauit. & cap. cùm desideres de sentent. excom. quod indicat glossa in hanc Clem. ℣. scienter & Cardinal. in eand. n. 1. Qui igitur vel ignoraret prohibitum esse sepelire excommunicatum, vel denuntiatum, neque peccaret, neque excommunicationem contraheret; Imò quia in Clementina requiritur audacia, temeritas, atque contemptus, & præsumptio, & in cap. Quicunque. præsumptio etiam postulatur, temeritas autem sine dolo & contumacia non inuenitur, quæcunque ignorantia, quamuis alioquin crassa & culpabilis excusabit ab hac pœna, cùm ignorantia quælibet excuset à dolo. l. 2. ff. vi bonor. raptor. §. si publicanus. & l. 1. ff. de ambitu, & sanè quod ignoranter fit ex quacunque ignorantia fiat, siue culpabili, siue inculpabili non potest dici fieri scienter & præsumptuosè, quod tamen postulant hoc loco iura, quæ explicamus.

4. Hinc etiam fit, vt qui graui metu coactus sepeliret excommunicatum denuntiatum non subiaceat pœnis huius Clementinæ; quia illa postulat propriæ temeritatis audaciam, quæ non contingit, quoties rationabilis aliqua causa videtur ad actum aliquem prohibitum impellere. Atque hæc omnia manifestè sequuntur ex vniuersali Regula tradita disq. 5. de certo voluntario requisito ad incurrendam censuram, quando enim ille modus voluntarij deest, censetur actus imperfectus & insufficiens, vt det causam censuræ.

5. Pœnæ huius Clem. non debent extendi vltra casus quatuor in illa expressos ad alios, in quibus negatur sepultura, quos enumerat glossa in capit. 2. ex parte 2. de sepulturis. ℣. excommunicabatur, & cap. Monachi. de statu Monach. ℣. sepulturam, & in cap. ad Monasterium. eod. tit. ℣. in sterquilinio; quia leges pœnales restringi potiùs debent, quàm ampliari, itaque censet glos. in Clem. hanc ℣. subiacere.

6. Difficultas est, an omnes, qui aliqua ratione concurrunt ad sepulturam prohibitam, & funeri intersunt, an verò ij duntaxat, qui propriis manibus sepeliunt, incurrant pœnas huius Clementinæ. Ratio dubitandi ponitur à glossa, quia Clemens punit sepelientes, non alios, quorum non meminit, neque postulat æquitas, vt ex vnius funere multitudo ligetur, & demùm quia comitantes, fabricantes arcam & portantes non excommunicarentur, nisi sequeretur sepelitio; è contrario verò, quis dicat ipsum tantum vespillonem vilem plerumque animum peruerti hac pœna. In hac ancipiti controuersia eum solum, qui propriis manibus sepelit, ligari excommunicatione volunt Caieta. ℣. excommunicatio. cap. 46. Nauar. cap. 27. num. 137. Henriq. lib. 13. cap. 43. num. 3. Auila. 2. p. cap. 6. disp. 10. dub. 6. con. 2. Bonac. disp. 2. de Censu. in particular. quæst. 2. p. 30. num. 5. & punct. 31. n. 9. & q. 2. de excom. p. 2. §. 3. Hurtad. disp. 5. de excomm. diffic. 4. Ad mandantes autem extendit Cardinal. in Clement. cit. num. 28. quem sequitur Suar. disp. 12. s. 4. d. 10. Kon. disp. 14. n. 68. Filliuc. cap. 4. tract. 12. n. 111. & Panorm. apud Sylu. ℣. excommunicatio. 9. num. 70. Ancharan. verò innodari vult hac censura non modò mandantes, sed etiam deferentes, comitantes funus, clericos cantantes, vexillum crucis portantes, & prælatos siue Laicos siue Ecclesiasticos, qui hoc fieri patiantur, cùm impedire possint; quod etiam existimauit Angelus, quia hi omnes participant in crimine damnato sepeliendi, & ideò eadem sententia constringuntur ex cap. nuper & cap. si concubinæ. de sentent. excomm.

Vides dissidentes sententias, inter quas nihil voluit definire Sylu. neque glossa, quæ dixit hoc dubium poscere Principis declarationem potiùs, quam glossantis opinionem; ex iis tamen, quæ diximus disq. 5. tradentes Regulam vniuersalem circa mandantes & consilentes crimen, cui est annexa excommunicatio, facilis mihi videtur resolutio.

Quarè existimo eos omnes incurrere excommunicationem Clementinæ istius, qui non modò sepeliunt suis manibus, sed vel mandant, vel cooperantur proximè huic sepulturæ, quatenus sacra & Christiana est. Ita Alterius.lib. 1. disp. 14. cap. 3. Neque alia est mens Vgolin. tab. 2. de censu. cap. 9. §. 5. cùm dixit excommunicari eos omnes, sine quibus non fieret sepultura.

Probatur 1. quia vt loquitur glossa, Indibrio erit hæc constitutio si vnus solus ribaldus aut seruiens ligetur eà pœna, estque, nisi fallor, aperta ratio huius inutilitatis, quia cùm viles istæ personæ, quæ propriis manibus tumulant vel ignorantia, vel metu excusentur ab incurrenda ista excommunicatione, quæ scientiam, præsumptionis & temeritatis audaciam requirit, vti diximus, nullus ferè vnquam erit, qui pœnas legis subeat, eaque proinde violabitur impunè. Deinde cùm voluerit summus Pontifex excommunicatos priuare Christiana sepultura, nomine sepelientium sine dubio expressit eos omnes, qui ad Christianam sepulturam concurrunt, cuiusmodi sunt non soli tumulantes in Ecclesia aut loco sacro, sed qui proximè conferunt ea, quæ pertinent ad Christianam sepulturam, vt qui deferunt cadauer & illud tumulant, qui hæc fieri mandant, aut non impediunt cum possint & teneantur, cuiusmodi sunt Prælatus & Clerici illius Ecclesiæ, ac denique qui psalmos, & alia diuina officia recitant inter sepeliendum, siue in ipsis exequiis: quia hi omnes faciunt, vt Christiano more sepeliatur, & tanquàm causæ partiales concurrunt ad Christianam sepulturam prohibitam ea Clementina, neque enim opus est ad hanc censuram, vt aliquis sit causa totalis sepulturæ, alioquin si duo simul condant humo corpus, neuter excommunicaretur, quia neuter est causa totalis, sed singuli sunt causæ partiales. Cæteri verò qui lauant corpus, qui induunt qui comitantur funus, qui funeralia & cruces deferunt, pulsant campanas, & alia eiusmodi faciunt, immunes erunt huius censuræ, quia non concurrunt nisi remote, aut ad aliquid accidentarium Christianæ sepulturæ, de cuius substantia videtur tantùm esse locus sacer & recitatio psalmorum, atque diuini officij, aut saltem alterum ex istis duobus, quod ex eo colligimus, quod nunquàm ista prohibeantur in iure, sicut prohibetur diuinum officium & recitatio psalmorum cap. placuit, 23.q. 5. & cap. super eod. de raptorib. qua prohibitione vetitam fuisse Christianam siue Ecclesiasticam sepulturam passim DD. interpretantur.

Qui tamen has omnes actiones accidentarias, quas enumerauimus, aliasque similes exercent circa cadauera excommunicatorum denuntiatorum, incurrunt excommunicationem minorem ob commercium & consuetudinem cum eo excommunicato prohibitam etiam post eius mortem, vt notanit Panorm. in cap. ad hæc de priuileg. n. 2. sed non subiacent pœnis Clement.

7. Absolutio huius excommunicationis reseruata non est, vt patet ex ipso textu, non potest tamen impendi, donec qui illam contraxit, satisfecerit illi, cui iniuria fuerat irrogata, ita vt si non posita ea conditione conferatur, nulla omninò sit, hanc enim vim habet particula, nullatenus absoluatur & æquiualet decreto irritanti secus factum, vti obseruat Nau. ca. 27. n. 137. cùm enim præcipitur fieri actus sub certo modo, & non aliter, si omittatur modus, nullus omninò erit actus, cum forma mandati diligenter seruanda sit, vti diximus aliàs disputantes de potestate delegata.

Quod si quæras, quibusnam ea satisfactio facienda sit. R. cum glossa ibid. ℣. eis quibus, exhibendam illis in quorum fauorem lata fuerat censura, aut quibus aliquid perit, aut damnum siue iniuria ex ea tumulatione contingit, quod ex variis circunstantiis expendet Episcopus, ad cuius arbitrium exhiberi satisfactionem istam statuit Pontifex.

8. Ad obtinendam tamen absolutionem excommunicationis contractæ propter hæreticum denunciatum sepulturæ traditum, aliud quidpiam requirit Alexand. IV. cap. Quicunque de hæreticis in 6. nimirum, vt qui sepeliuit illum publicè propriis manibus extumulet; glossa meritò restringit ad publicam tumulationem; si enim occulta fuerit, non erit hæc publica pœnitentia imponenda, neque Archidiac. in dubium id reuocare debuit; quod autem ibidem dicitur propriis manibus faciendam esse hanc exhumationem, significat alterius opera perfici non posse, eadem glossa, ℣. propriis manibus interprete. Denique hæc pœna, sicut & superiori satisfaciendi parti læsæ punitur omnis qui ob hanc sepulturam impensam incurrit excommunicationem modo superiùs exposito.

Quod porrò additur, locum, in quo tumulatus fuerit hæreticus, carere debere perpetua sepultura intelligendum monent Suar. Alteri. & Bonac. de loco adæquato cadaueri, non autem de reliqua Ecclesia, quæ expiari poterit, vti diximus, & in ea deinde fideles condere licebit.

QVÆSTIO TERTIA.

Quomodo excommunicatio priuet receptione Sacramentorum.

Propositio. De prohibitione facta excommunicato recipiendi Sacramenta, n. 1.

1. Pars omnis excommunicatus priuatur receptione Sacramentorum. n. 2.

2. Pars sacrilega est excommunicatò susceptio Sacramentorum. n. 3.

An id sit verum in Sacramento pœnitentiæ n. 5. 6.

4. Pars pœna excommunicati sacrilegè suscipientis Sacramenta, n. 7.

2. Propositio, de ministrante Sacramenta excommunicato n. 8.

1. Pars de peccato huius administrationis n. 9.

Quid excuset ab eo peccato n. 10.

2. Pars de pœnis ministrantis Sacramenta excommunicato, n. 11.

Cons

Confectarium 1. de præmittenda absolutione censuræ, absolutioni à peccatis, n. 12.
Confect. 2. Matrimonium cum excommunicato vitando illicitum est. n. 13.

PRIMA PROPOSITIO.

De prohibitione factà excommunicato recipiendi Sacramenta.

1 OMnis excommunicatio ita prohibet quemlibet excommunicatum susceptione Sacramentorum, vt non nisi sacrilegè, & illicitè, quamuis validè illa recipiat, nisi legitima aliqua causa ipsum ab obseruatione censuræ excuset; nullam tamen pœnam incurrit, nisi ex susceptione ordinis, à cuius vsu suspenditur.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Sententia huius propositionis manifesta est, quarè eius dumtaxat singulas partes probare nos oportet, quod facilè & paucis fieri poterit.

PRIMA PARS.

Omnis excommunicatio priuat receptione Sacramentorum.

Dixi igitur 1. omnem excommunicationem id est, tum maiorem, tum minorem priuare omnium Sacramentorum receptione, siue potiùs efficere eam susceptionem illicitam & sacrilegam excommunicato, quod perspicuè traditur cap. Cùm illorum de sentent. excomm. & cap. penult. eod. tit. & cap. vlt. de Clerico excommunic. ministrante, & cap. nobis de exception. quibus locis agitur etiam de excommunicatione minori, cui tribuitur eadem priuatio participationis & vsus passiui Sacramentorum, consentiuntque omnes Canonistæ in illa loca, & apud Couarr. in cap. Alma mater 1. p. §. 8. num. 1. & 2. & Vgol. tab. 3. cap. 6. §. 1. Omnesque summistæ, ✠. excommunicatio. illud ipsum vnanimi consensu tradunt.

Sapienter verò imposita fuit ea pœna excommunicatis, cùm enim præcisi sint & veluti extra cœtum aliorum fidelium eiecti non debuerunt in iis, quibus maximè cætera membra in vnum corpus colligantur, hoc est, Sacramentis communicare; quarè non tantùm Eucharistia, in qua est præcipuum symbolum vnitatis corporis Christi, sed etiam aliis Sacramentis, quibus Christus societatem noui populi colligauit, vt loquitur August. Epist. 118. cap. 1. priuari debuerunt, atque ex hoc maximè capite dicuntur excommunicati, esse extra Ecclesiam pluribus cap. 11. q. 3. & 24. q. 2. & cap. per tuas de sentent. excomm. & magno consensu docent PP. relati à Bellarm. lib. 3. de Ecclesia milit. cap. 6. quem ferè exscripsit suppresso nomine Alterl. lib. 1. de excom. disp. 5. cap. 10. quod gaudeo obseruasse quoque Ricciul. lib. 4. de iure personarum extra Ecclesiam cap. 1. n. 2.

Non excipio autem ab hac pœna vllum excommunicatum etiam toleratum, cùm extrauagans ad euitanda, non faueat excommunicatis, neq; ex indulgentia ibi facta possint immiscere se sacris, & sanè si sola minori excommunicatione perculsi, qui nulla ratione vitandi sunt prohibentur à Sacramentis suscipiendis, quis dicat excommunicatis maiori excommunicatione factam esse liberam susceptionem istam eo, quod vitandi non sint.

SECVNDA PARS.

Susceptio Sacramentorum est sacrilega excommunicato.

Hinc sequitur manifestè 2. pars nostræ propositionis, nimirū hanc susceptionē Sacramētorū esse sacrilegam excommunicato, cùm enim violet in re admodū graui legem Ecclesiasticā, peccat in ea susceptione, & quod indè necessariò efficitur, Sacramentum suscipit in statu peccati mortalis, ac proinde non tantùm inutiliter, cùm ponat obicem efficacitati Sacramenti, sed etiam sacrilegè contra sanctitatem Sacramenti, & leges Religionis, vnde fit vt excommunicatus, minori excommunicatione grauiter peccet, si celebret Missas, cap. si celebrat. de Clerico. excomm. ministrante, & peccatum mortale agnoscunt ibi passim DD. & Couarru. in cap. Alma mater. 1. p. §. 8. n. 2. Syln. ✠. excommunicatio. 4. n. 3. Caietan. ✠. excommunicatio minor, quod idem de contrahente matrimonium cum excommunicatione minori docent Caietan. ✠. matrimon. cap. 1. sub fin. Armilla eod. ✠. n. 67. Nau. cap. 22. n. 81. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 9. num. 6. & Basil. Ponc. lib. 6. de matrim. cap. 10. n. 2. Addidi tamen posse aliquando excusari excommunicatum ab hoc sacrilegio, quoties nimirum causæ legitimæ ipsum eximent obligatione seruandi censuram, quod, quādo contingat, colligendum est ex alibi dictis de obligatione legum, & iterum mouebitur inferius cap. 9. Moneo inpræsentiarum duplicem tantùm esse posse illam causam, ignorantiam, nimirum probabilem, & vrgentem necessitatem vti loco allegato videbitur.

TERTIA PARS.

Validè nihilominus suscipiuntur Sacramenta ab excommunicato.

Dixi 3. validè nihilominus suscipi quodcunque Sacramentum ab excommunicato, quod de omnibus Sacramentis excepta pœnitentia concedunt vnanimi consensu DD. apud Couarru. in cap. citatum 1. p. §. 6. n. 5. & 6. & sanè negari non potest, cùm nullibi legamus Ecclesiam reddere excommunicatum inhabilem & incapacem ad suscipienda Sacramenta; eorum enim valor non pendet à dispositione aut statu suscipientis, sed à partibus essentialibus, quas minister cum intentione debita ponit, tunc enim perficitur Sacramentum, quæcunque tandem sit dispositio suscipientis illud, quamuis inefficax & hebes sit in subiecto indisposito, & in ipso nihil operetur, immò neque potest Ecclesia reddere incapacem quemqoam ad hæc Sacramenta suscipienda, in quorum materias & formas nihil omninò iuris habet; quarè vbi eæ ponentur necessariò exurget Sacramentum.

In matrimonio tamen & pœnitentia nōnulla differentia est, quia enim matrimonij materia est contractus validus & legitimus posset Ecclesia reddere excōmunicatū inhabilē ad validè contrahendū, vti quasdā alias personas reipsa inhabiles reddidit, vnde fit vt inualidè contrahant matrimoniū, vti fusissimè disputamus alibi, reuerā tamē id nō statuit circa excōmonicatū, cuius matrimoniū validū esse probat pluribus Couarru. in 4. decretal. cap. 6. initio. Vgolin. tab. 2. de censu. cap. 7. §. 2. Nauarr. in cap. conside

Consideret. §. cantus. num. 26. de pœnitentia d. 5. & cap. 12. num. 8. Vasq. dub. 4. de excommunic. Basili. Ponti. lib. 6. de matrim. cap. 20. num. 1. Gutier. cap. 83. de matrim. num. 4. & qui plures allegat. Sanch. lib. 7. disp. 9. num. 2. id enim liquidò colligitur ex cap. significasti. de eo qui duxit in matrimonium.

Tota itaque difficultas est circa sacramentum pœnitentiæ, cùm enim eius valor pendeat à Iurisdictione ministri, quam Ecclesia donare vel tollere potest ad arbitrium, potuit respectu excommunicati, quem à sacris remouet, ea spoliasse suum ministrum, atque ita inualidam esse absolutionem sacramentalem impensam excommunicato, antequàm à sua excommunicatione exoluatur, ac proinde totam eam confessionem iterandam esse docent Sylu. ∀. Confessio 1. q. 3. casu 5. & ∀. Confessor. 3. n. 11. vbi Richard. Paludan. summam Confessorum & alios laudat, faceturque esse omnium Theologorum, Canonistarum, & summistarum exceptis paucis quibusdam quibus etiam repugnat consuetudo optima legum interpres, atque vt ait ratio insolubilis petita ex natura excommunicationis eiusque definitione, omnis enim Excommunicatio etiam minor priuat participatione sacramentorum passiua. Subscripserunt huic sententiæ præter Paludan. in 4. d. 17. q. 6. a. 1. relatum à Sylu. Maior. ibid. q. 9. Gabriel. q. 1. a. 3. dub. 2. Soto. d. 22. quæst. 1. a. 1. sub. fin. Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. atque ex recentioribus Vasq. dub. 4. de excommunic. num. 9. & Hurtad. disp. 4. de excommunic. num. 28. distinguit tamen hic author inter excommunicatum denuntiatum siue vitandum & non vitandum, quia enim huic postremo potest minister conferre sacramentum licitè ex Confessione Martini V. poterit etiam valide; cùm autem denuntiato non liceat impendere sacramentum vllum, sicut neque Ethnico & publicano, in quorum numero haberi vult eiusmodi excommunicatum Ecclesia, reuerà prohibet ita susceptionem sacramentorum, vt etiam irrita illa esse velit Ecclesia, si irritare ea possit, vt potest absolutionem tollendo à Iudice & à suo Ministro in eo casu Iurisdictionem: Itaque licet In iure non reperiatur verbum irritans sacramenta collata excommunicato, reperitur tamen aliquid æquiualens irritationi, nempè separatio à sacramentis similis illi quæ ethnico & publicano debetur: quia verò Ethnicus est capax contractus matrimonij non est irritatum matrimonium excommunicati, quamuis irritari potuisset.

Alij verò ita volunt validam esse absolutionem sacramentalem excommunicato collatam, vt quamuis peccet conscius suæ excommunicationis illam poscendo, aut recipiendo, ac proinde reddat inefficax & informe totum sacramentum eò quòd ponat obicem gratiæ conferendæ, nihilominus iteranda non sit ea confessio integrúmque sacramentum ponatur; Immò Angelus ∀. Confessio. 5. n. 16. cum dicat pœnitentem absolui posse à peccatis & mitti ad superiorem, vt exoluatur ab excommunicatione ipsi reseruata videtur non modo validam fateri eam absolutionem, sed etiam gratiæ productiuam. Caietan. verò ∀. absolutionis impedimenta, damnat confessorem, qui ita se gereret, & fatetur enim excommunicatum peccare in ea susceptione absolutionis, quam tamen validam fore pronuntiat, cùm nullo irritetur; idem docet Auila. a. p. cap. 6. disp. 5. dub. 4.

Nos mediam quandam sententiam sequimur, volumus enim confessionem nunquàm esse nullam præcisè ratione excommunicationis pœnitentis, quasi per illam irritetur sacramentum pœnitentiæ potius, quam alia sacramenta, sed ratione sacrilegij, quod committitur ab excommunicato suscipiente eiusmodi sacramentum, tunc enim nullum est sacramentum, sicuti contingit, quoties in eius susceptione quodlibet aliud peccatum mortale committitur; quare nullitas non procedit vi Excommunicationis, sed quia non ponuntur essentialia huic sacramento ab eo, qui in eo suscipiendo mortaliter peccat, quocunque tandem peccato peccet, vti in 3. p. S. Thomæ latè diximus; quia impossibile est contritionem haberi eo momento, quo peccatur, atqui Contritio est pars essentialis sacramenti: at verò si ponamus nullum committi peccatum mortale ab excommunicato in hac susceptione, eò quod ignorantia probabili, aut necessitate excusetur, aut quia minister fingit se habere potestatem absoluendi ab ea excommunicatione, aut quia ab illa non volt absoluere, aut non nisi post absolutionem à peccatis, reuera validum atque etiam gratiæ ferax erit illud sacramentum. Ita Couarru. in cap. alma Mater. 1. p. §. 6. n. 7. Nauarr. cap. 9. n. 3. in cap. fratres. de pœnitent. dist. 5. n. 46. Medina. C. de Confessione facta ab excommunicato. Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 12. & tract. a. p. 2. cap. 2. n. 1. Petrus Soto. lect. 4. de excomm. Henriq. lib. 13. cap. 12. n. 2. Vgolin. tab. 2. de Censu. cap. 7. §. 2. n. 5. & 6. Sayr. lib. 2. Thesau. cap. 2. n. 35. Valent. tom. 4. disputat. 7. quæst. 12. p. 3. & quæst. 17. p. 2. Suar. disputat. 10. de Censu. s. 3. num. 9. Kon. disp. 14. num. 26. Bonac. disp. 2. de Censu. quæst. 2. p. 1. Sà ∀. absolutio. num. 16. Filluc. tract. 12. cap. 3. num. 59. Alteri. lib. 1. disp. 6. cap. 3. Raynaud. cap. 2. 2. partis de Monitoriis num. 18.

Ratio perspicua est, quia omnia substantialiter requisita ad hoc sacramentum ponuntur Confessio videlicet integra, & dolor pœnitentis, atque absoluentis iurisdictio, quod enim Hurtad. & alij dicant excommunicatum subduci omnium iurisdictioni respectu absolutionis, gratis asseritur, cùm nullo iure id habeatur, & pugnet cum manifesta ratione, æquum enim non esset, vt parochus careret Iurisdictione, quam hactenus habuit in peccata suarum ouium, eò quod ipsæ excommunicationem contraxerint alioquin pœna Excommunicationis subditi afficeret eius superiorem. deinde si excommunicatio consistere non posset cum absolutione peccatorum, ne quidem summus Pontifex posset absoluere à peccatis pœnitentem, antequam illum exolueret censura, quod nemo dicat, cùm summa iurisdictio pontificis non minuatur vllo iure aut lege humana, quid igitur efficiet eam absolutionem inualidam, nisi doceant vinculum huius Censuræ essentialiter pugnare cum absolutione peccatorum, quod nunquàm profectò facient, cùm ad pœnam, quam inducit hæc censura, satis omninò sit vt reddat illicitam & sacrilegam susceptionem sacramentorum, non autem inualidam; quare vbi poterunt poni essentialia sacramento, validum & integrum erit, neque praua dispositio suscipientis id impediet, neque status excommunicationis, sic prohibitio illud recipiendi. Vbi vero nullum admittitur sacrilegium in confessione pœ-

nitentis excommunicari, reperiri possunt omnia substantialia sacramento pœnitentiæ, vt constat; ergo & validū erit, sicut cætera sacramenta ab eodem excōmunicato suscepta, estque præterea ferax gratiæ, quia nullus obex ponitur illius efficacitati, est enim hoc discrimen inter pœnitentiam & alia sacramēta, quod illa possint sæpius esse valida & simul informia, siue infœcunda propter indispositionem subiecti & obicem, quem ponit; at verò pœnitentia nunquàm sit valida, nisi simul sit efficax, quia si eius efficacitas impediatur per actuale sacrilegium, deest illi aliquid essentiale, nempe dolor vniuersalis, ac proinde non sit sacramentum, vt contra Auilam, Caietan. & alios modò supponimus. Et sanè cùm totus iste effectus excōmunicationis priuandi sacramentis non sit alius, quàm quem definiuit Ecclesia, & ipsa non definiuerit vllibi irrita esse sacramenta dum suscipiuntur ab excommunicato, non debet asseri absque ratione eiusmodi irritatio vnius istius sacramenti. Neque enim firma est ratiocinatio, quæ ex eo quod excommunicatus habendus sit tanquam Ethnicus colligit Ecclesiam ita ipsum temnuere à sacris, vt irritet, quantum potest omnia sacramenta quæ suscipit; ad hanc enim separationem sufficit, vt sæpius dixi, prohibitio suscipiendi sacramenta in eo statu, & vitatio illa tanquam Ethnici & publicani non tam præcipitur, quàm consulitur: alioquin nequidem posset Ecclesia permittere communicationem vllam sacram cum excommunicato, quod tamen facit cum vitandis. Cùm igitur tota ista separatio, sicut & alij omnes effectus censurarum definiendi sunt per Ecclesiam, nisi doceatur aut illam irritasse hæc sacramenta, quantum potuit, & abstulisse Iurisdictionem suis ministris, quod hactenus non probarunt aduersarij, aut instituta semel excommunicatione ex eius natura sequi eam esse incompossibilem cum absolutione à peccatis, quod falsissimum est, nihil vnquam efficient aduersarij. Quarè frustrà Hurtado distinguit hoc loco inter excommunicatum denuntiatum & non denunciatum, cùm enim vterque priuetur susceptione sacramentorum, neque Extrauagans. Ad Euitanda, distinctione illa excommunicati vitandi & non vitandi voluerit fauere excommunicatis, æqua erit ipsorum sors in hac parte, & quoad validam susceptionem cuiuslibet sacramenti, quanquam penes ministrantem sit aliquod discrimen, vt statim dicam, neque excommunicatus vitandus minus subiicitur suo superiori, quàm non vitandus, ac proinde si nihil aliud obsit, tam validè poterit absolui à peccatis vitandus, quàm non vitandus.

Non etiam satis appositè distinguunt alij inter excommunicationem reseruatam superiori, & non reseruatam, hanc enim volunt non impedire absolutionem à peccatis, quando à pœnitente ea sine sacrilegio acciperetur, quia in casu, de quo disputamus censuram manere vnà cum ea absolutione peccatorum, nihil planè interest siue reseruata, siue non reseruata sit, nisi dicas culpam quoque reseruari ratione Censuræ, ac proinde tunc ab inferiori ministro inualidè absolui eiusmodi excommunicatum, quod totum fateor, indeque oritur alia quæstio, an si inculpabiliter absoluat eiusmodi pœnitentem, valida sit absolutio, quæ directè cadat in peccata non reseruata, & indirectè in reseruata, quod totum concessimus alibi. Argumenta porrò quæ congerebat Sylu. loco superius allegato imbecillia sunt, neque in iis soluendis immorandum videtur, cum ex aliis similibus casibus parùm efficaciter in hac materia Iuris positiui colligi soleat.

QVARTA PARS.

Pœna Excommunicati sacrilegè suscipientis sacramenta.

Dixi 4. Excommunicatum quamuis sacrilegè suscipientem sacramenta nullas tamen pœnas incurrere præter susceptionem ab vsu ordinis, quem cum ea censura suscipit; quia in iure nullibi repetitur pœna, censura, aut irregularitas huic susceptioni annexa, excepta suspensione, quam dixi, in eaque assertione conueniunt omnes DD. apud Vgolin. tab. 1. cap. 14. numero 22. & constabit magis ex iis, quæ dicemus inferius de irregularitate. 7
Aduerte duntaxat id verum esse in eo tantùm, qui cum excommunicatione maiori suscipit Ordines, si enim sola minori excommunicatione inodatus foret, peccaret quidem, vt dixi, non tamen incurreret hanc pœnam, quia vti monet Alteri. lib. 1. disp. 4. cap. 3. post Nauarr. cap. 27. num. 152. Ea pœna non imponitur nisi ob maiorem excommunicationem in cap. Illorum de sentent. excomm. & alibi diximus vocem Excommunicationis absolutè positam in iure de sola maiori capi, quod præsertim in odiosis & pœnalibus verum est.

SECVNDA PARS.

De ministrante Sacramenta Excommunicato.

Ministrans sacramenta excomunicato peccat ordinariè, non tamen incurrit vllam pœnam Ecclesiasticam, nisi denuntiato & vitando ministret. 8

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

PRIMA PARS.

De peccato huius administrationis.

1. Pars certissima est, eò quod ministret sacramentum illud sacrilegè suscipienti; quarè aduersus illum, quem scit esse excommunicatum eodem modo se gerere debet, atque aduersus peccatorem petentem sacramentum; qua de re dicemus alibi. 9

Excusabitur tamen à sacrilega administratione, primò si ea administratio sit inuoluntaria propter ignorantiam probabilem, aut aliam causam excusantem à violatione censuræ. Secundò, quoties ipse excommunicatus licitè suscipiet sacramentum, si enim ipse non peccet recipiendo neque alter ministrando, ex eo etenim tantùm peccare dicebamus, quia cooperabatur sacrilegio suscipientis: monebamus verò excommunicatū excusari vel ignorantia iusta, vel necessitate, & quidē quando excommunicatus fuit denuntiatus vix excusari poterit ignorantia à sacrilega susceptione, cùm enim vulgò notum sit excommunicatum priuari sacramentis ignorantia iuris non censebitur inculpabilis in excommunicato in hac parte, ignorantia verò facti post publicam denuntiationem rarò

taro admodum afficiet excommunicatum, quare vix illum excusabit: verùm quidquid statuatur de hac ignorantia, vtrum dari possit, an non in excommunicato, distinguendum erit de excommunicato vitando & non vitando, nam cùm sit prohibita communicatio in sacris cum vitando, non excusabitur minister à sacrilega communicatione, & à violatione legis Ecclesiasticæ per ignorantiam probabilem licet, & iustam ipsius excommunicati vitandi, sed illum monere debebit de suo statu; at verò quando excommunicatus est toleratus, cùm liceat ipsi communicare, non videtur tam arcta obligatio illum monendi de Censura, quam incurrit, prius tollenda, si ille propter sui grauitatem excusetur; quanquam si facilè possit auferri ea censura, monendus omnioò sit. Quod autem attinet ad necessitatem, quoties illa propter grauitatem excusat excommunicatum petentem sacramentum, excusabit quoque ministrantem, immo obligat illum subuenire proximo tali necessitate laboranti, atque si ipsi ex officio incumbat administratio reddere subdito Ius suum: quæ omnia veriora multò sunt in Excommunicato tolerato.

SECVNDA PARS.

De pœnis ministrantis Sacramenta Excommunicato.

1 Dixi altera parte assertionis, ministrantem excommunicato tolerato non incurrere vllam pœnam Ecclesiasticam, quod ex fauore Concilij Constantiensis certissimum manet, in Extrauag. enim, Ad euitanda, administratio sacramentorum permittitur, quarè siue ministrans sit excommunicatus toleratus, siue ministret tali excommunicato non peccat contra legem Ecclesiasticam prohibentem communicationem cum excommunicatis, neque propterea sequitur aut excommunicatos illos non peccare suscipiendo sacramenta, vt priori propositione ostendi, aut ministros non violare ius diuinum & naturale, quod iubet non dari sacramenta indignè ac sacrilegè petentibus ac suscipientibus. Indulsit igitur Ecclesia illa sua venia, quod potuit, & pœnas ac legem, quam ipsa posuerat, rescixit; sed Ius naturale & diuinum, in quod ipsa nihil potest, integrum omninò reliquit; neque fuit exiguum beneficium ministris impensum hæc legis Ecclesiasticæ & prohibitionis abrogatio, vnde etiam fit, vt facilè possim excommunicatum non vitandum, qui ad sacramentum accedit, præsumere fuisse absolutum, atque illi affirmanti fidem adhibere; cùm de denuntiato, nisi euidenter id mihi constet, vix vnquàm credere liceat. Quarè inane est vulgare argumentum prohibito vno correlatiuo prohiberi & alterum, & ideò si maneat prohibitio suscipiendi sacramentum, prohibebitur quoque administratio si itaque Ecclesia non potuit facere licitam susceptionem sacramenti excommunicato, neque facere potuerit licitam administrationem eiusdem sacramenti illi factam, nam iure naturali prohibetur ministrari sacramentum illi, qui non nisi sacrilegè recipit. deinde prohibitio potest fieri quoad vnum extremum, & non quoad aliud; sicut prohibetur Religioso quidpiam accipere sine licentia Prælati, non tamen prohibetur non Religiosus illi donare; quoties enim personæ sunt diuersæ, potest fieri vni prohibitio, & non alteri, maximè quàdo actiones, quę ab vtraq; illa persona fiunt, nó sunt ita cónexę, quin possint quoad honestatem & turpitudinem separari.

Iam verò pœnæ, quæ imponuntur ministranti sacramentũ excómunicato vitando, sunt, 1. Excommunicati ominor excómunicatione cum talibus excómunicatis. 1. infligitur ipso iure interdictũ ab ingressu Ecclesiæ excommunicatos ad sacramenta & diuina officia admittentibus cap. Episcoporum. de priuilegiis in 6. 3. Clerici ministrantes fautoribus hæreticorum excommunicatis iubentur priuari suo officio, neque restitui sine indulto Apostolico. cap. excómunicamus. 1. §. Credentes. de hæreticis. 4. Clerici communicantes in sacramentis & diuinis officiis cum excommunicatis à Papa, incurrunt excommunicationem ipsi reseruatam. cap. significauit. de sentent. Excomm.

CONSECTARIVM I.

De præmittenda absolutione Censuræ absolutioni de peccatis.

Nomine Censuræ intelligo maximè eam, quæ priuat susceptione sacramenti. 11

Ex disputatis porrò colligitur 1. quoties nullâ causâ legitimâ excusatur pœnitens à suscipiendo sacramento remanente censura, præmittendam esse eius absolutionem, & alioquin peccare ministrum, qui scienter ita se gerit, contra Angel. v. Confessor. 5. n. 10. 2. existimat Medin. Cod. de Confess. q. 18. de Confessione ab excommunicato facta in articulo mortis, si non sit tempus vtrique absolutioni impertiendæ, omittendam esse potius absolutionem à Censuris, quod sanè verum esset, si daretur ille casus, vt enim Suar. obseruauit disp. 10. de Censu. s. 3. n. 7. cùm eo momento quilibet possit ab omni censura & peccato absoluere, poterit simul ab omnibus illis vna formula absoluere, dicendo, absoluo te cum intentione cadente in censuras & peccata, aut vt tollatur omne dubiũ, Ego te absoluo ab omnibus censuris & peccatis, neque enim in ea pronuntiatione est diuturna mora. Si deinde autem conualescat, non erit iteranda confessio, vt optimè monet ibid. Medina, debebit tamen se sistere superiori, cui erat reseruata excommunicatio, non vt denuò absoluatur, sed vt mandatum eius accipiat iuxta cap. Eos qui. de sentent. Excomm. in 6. & Extrauag. inter cunctas. §. incendiarios. de priuilegiis, qua de re dicam inferius disq. 10. 3. etiamsi non fuit præmissa absolutio à censura, validè tamen absoluitur à peccatis excommunicatus, qui in ea confessione non peccauit, siue quia inculpabiliter illa censura se innodari ignorabat, siue quia eius fuit inculpabiliter oblitus, siue quia vrgebatur necessitate, sit e quia Confessarius per obliuionem aut ignorantiam, aut malitiam non absoluit à censura; quia è non erit iteranda absolutio à peccatis, sed tantùm erit impendenda absolutio ab excommunicatione: peccauit tamen Confessarius, qui sciens absoluit à peccatis, & non à censura absque vlla legitima causa indicata in 2. propositione. Ita Canus par. 5. relect. de pœnitentia. 4. Hinc fit, vt qui post collatam absolutionem à peccatis recordatur se omisisse absolutionem ab excommunicatione, qua pœnitens fuerat innodatus, non debeat repetere denuò absolutionem peccatorum, quia valida fuit, sed solam absolutionem à censura conferre.

COROLLARIVM II.

Illicitum esse matrimonium cum Excommunicato denuntiato & vitando.

13 Diximus q. 1. consecta. 32. licitum esse matrimonium cum excommunicato non vitando & tolerato; nunc verò asserimus illud contrahi non posse sine peccato mortali cum excommunicato vitando. Ita Sanch. disp. 9. numero 6. lib. 7. de matrim. Vbi communissimam esse sententiam docet, & Gutierr. cap. 83. libri de matrim. Suar. disp. 11. de censu. s. 1. numero 13. & alij deinceps, sequiturque perspicuè ex dictis; omnis enim communicatio in sacris cum excommunicato vitando prohibita est, illi prætereà non licet ministrare sacramentum, neque ab eo recipere, qui autem contrahit matrimonium cum excommunicato, illi ministrat eiusmodi sacramentum, & ab eo vicissim recipit; vnde Sanch. numero 8. agnoscit in eo matrimonio geminam culpam, alteram contra prohibitionem communicandi in sacris cum illo excommunicato; alteram scandali inducendo ipsum ad opus, quod sine peccato & sacrilegio committere nequit, & vtramque esse explicandam in confessione, quia vna expressa altera non satis intelligitur, potuit enim esse participatio cum excommunicato etiamsi non fuerit inductio ad peccatum: quod Basili. lib. 6. de matrimon. cap. 10. restringit ad casum, in quo non potest haberi absolutio ab excommunicatione, si enim haberi possit, non committitur nisi scandalum passiuum, quandoquidem petitur actus, qui licitè fieri potest, quod autem non fiat, pendet ex sola malitia facientis.

QVÆSTIO IV.

Quomodo excommunicatio priuet administratione sacramentorum.

1. Propositio. De validitate sacramenti, quod excommunicatus ministrat. n. 1.

In quibus casibus pœnitentia ab excommunicato collata valida sit. n. 2.

2. Propositio. De illicita administratione sacramentorum ab excommunicato facta. num. 3.

Expositio & Confirmatio propositionis. n. 4.

Excommunicatio minor non impedit administrationem sacramentorum. n. 5.

Hæc quæstio soluta manet ex tribus superioribus & iis quæ fusiùs disputata sunt alibi de iurisdictione sacra, quare hic tantùm attingendæ sunt propositiones iis locis explicatæ & confirmatæ, vbi etiam consectaria, quæ ex illis deduci poterant, attulimus.

PRIMA PROPOSITIO.

De validitate Sacramentorum quæ excommunicatus ministrat.

Sacramenta à quocunque ministro excommunicato collata valida sunt præter sacramentum pœnitentiæ ab excommunicato vitando administratum, nisi in paucis quibusdam casibus, in quibus annuente Ecclesia Iurisdictionem in fauorem cæterorum fidelium retinet.

Ratio huius propositionis est quia solius pœnitentiæ valor pendet ex Ecclesiæ dispositione, eo quod indigeat Iurisdictione, quam Ecclesia conferre, aut tollere, minuere aut ampliare potest, atque ita impedire, ne huius defectu eiusmodi sacramentum validum sit, cætera autem quæ constant partibus ab Ecclesiæ dispositione independentibus, non possunt inualida reddi sola lege aut prohibitione Ecclesiastica. Vbi enim minister à Christo institutus, quæ ipsis essentialia sunt, posuerit, necessariò ea conficiet, quamuis si contra prohibitionem Ecclesiæ id faciat, peccet, vt pluribus ostendimus aliàs. Excommunicatus autem vitandus caret omni Iurisdictione Ecclesiastica non tantùm contentiosa, sed etiam fori interni & voluntaria, vti appellaui, vt DD. passim consentiunt in cap. ad probandum. de sententia & re Iudicata. & in cap. Romana de officio vicarij in 6. & in cap. si celebret. de Clerico. excomm. minist. quibus locis agitur quidem de iurisdictione contentiosa duntaxat, sed vt dixi, ad quamcunque aliam porrigitur ea prohibitio, vt tradunt Couarruu. in cap. Alma mater. 1. p. §. 6. n. 7. Suar. disp. 11. s. 2. n. 12. Auila 2. p. cap. 6. disp. 3. dub. 1. Layman. lib. 1. tract. 5. 2. p. c. 2. n. 3. & cæteri recentiores; non poterit igitur validè pœnitentiam administrare excommunicatus vitandus defectu Iurisdictionis necessariæ.

Vnde fit 1. Vt excommunicatus non vitandus illud quoque sacramentum validè conferat, si nihil aliud impediat ex parte pœnitentis, quia hic excommunicatus non priuatur Iurisdictione, quamuis illicitè ipsa vtatur nisi ad petitionem aliorum fidelium, quæ omnia q. 1. consecta. 27. probauimus.

Sequitur 2. Excommunicatum etiam vitandum in casibus, in quibus retinet Iurisdictionem, validè sacramentum pœnitentiæ administrare, quandoquidem solus defectus eiusmodi iurisdictionis reddebat illud sacramentum inualidum & inane. Duo verò casus vulgò assignantur, in quibus Ecclesia indulget iurisdictionem his excommunicatis. Primus est, quando excommunicatio & eius denuntiatio occulta est, & palam ac publicè pergit eiusmodi sacerdos Confessiones audire, in illo enim communi errore Ecclesia concedit Iurisdictionem, ne fideles decipiantur. 2. Casus est dum proximus est in extrema necessitate, & in articulo mortis, neque occurrit alius, qui possit aut velit hanc necessitatem subleuare, tunc enim excommunicato licet denuntiato & vitando facit amplissimam potestatem Ecclesia in omnia peccata & censuras, vt ab illis omnibus pœnitentem exoluat, quę alibi pluribus stabiliuimus, vbi etiam, quænam sacramenta ab eo excommunicato tunc possint conferri, quæsiuimus. Idem omninò dicendum existimo quoad Missæ sacrificium nimirum illud à quocunque excommunicato etiam vitando oblati validum esse, quod enim Auila 2. p. cap. 6. disp. 4. dub.

dub. 3. exiſtimat erroneum minimè videri, ſi quis dicat characterē ſacerdotalem non pendere quidem ab Eccleſia, quantum ad validitatem conſecrationis, pendere tamen, quantum ad oblationem ſacrificij, ita vt nec licitè, nec validè offerat. Non placet, tam enim certum eſſe debet Eccleſiam non poſſe impedire valorem, hoc eſt, eſſentiam ſacrificij, quàm non poteſt impedire conſecrationem; poterit quidem facere ne ſacerdos nomine ipſius Eccleſiæ offerat, ac proinde ex eo capite tale ſacrificium ſit inefficax, non tamen ne ferax ſit ſui fructus, quatenus nomine Chriſti atque ab ipſo Chriſto offertur, vti fuit explicatum q.2. neque aliud probat quod affert Auila, vt oſtendat oblationem ſacrificij pendere ab Eccleſia, nempe omnes fideles offerre hoc ſacrificium per manus ſacerdotis, inde enim tantùm efficitur, quod diximus Eccleſiam impedire poſſe, ne eius nomine, & tanquam legatus aut ſacrificulus ab ipſa deſtinatus ſacerdos offerat.

SECVNDA PROPOSITIO

De illicita adminiſtratione Sacramentorum ab excommunicato facta.

3 Quilibet excommunicatus illicitè & ſacrilegè adminiſtrat omnia ſacramenta niſi legitima cauſa excuſetur à violatione cenſuræ, cuiuſmodi eſt in excommunicato vitando, ſola grauis neceſſitas propria vel proximi; In non vitando autem petitio fidelium non excommunicatorum.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO

PROPOSITIONIS.

4 Prior pars huius aſſertionis certa eſt ex cap. ſi celebret, & cap. latores. de clerico. excomm. miniſt. & natura excommunicationis, quæ maximè communicatione ſacramentorum priuat; quarè cùm violetur lex Eccleſiaſtica in materia graui, & in indigna adminiſtratione ſacramenti, grauiter profectò peccare neceſſè eſt.

5 Quæres tamen an excommmunicatus minori tantùm excommunicatione peccet miniſtrando ſacramenta; Ita enim affirmant Innoc. in cap. ſi celebrat. de clerico. excomm. miniſt. num. 6. Adrian. q. 3. de clauibus. §. pro huius ſolutione. Mai. in 4. d. 18. q. 2. §. 1. Sylu. ℣. Excommunicatio. 4. n. 1. Archidiac. in 4. vir cum propriâ. 32. q. 4. quia Gregor. IX. in cap. citato. ſi celebrat, ait, peccat autem conferendo Eccleſiaſtica ſacramenta. Quæ verba inter pretantur alij de collatione, quæ ſimul eſt receptio ſacramenti, vti contingit in miniſtratione Euchariſtiæ, quam aliquis confecit, de qua ibi loquitur Pontifex, qui alioquin ſecum pugnaret, ait enim talem excommunicatum non remoueri à collatione ſacramentorum, ſed à participatione quæ conſiſtit in ſola receptione; quarè ſi hic excommunicatus miniſtret Euchariſtiam ab alio confectam non peccat. Ita Hoſtienſ. & Panorm. in idem cap. ſi celebret. Angel. ℣. Excommunicatio. 1. numero 2. Soto in 4. d. 22. q. 2. a. 3. Nauar. cap. 27. numero 252. Quia tamen videtur impropriè loqui Gregor. cùm dixit peccare hunc excommunicatum conferendo ſacramenta, ſi tantùm peccet, quia collatio iuncta eſt aliquo modo receptioni; neque enim propterea dici poteſt peccare conferendo; ideircò Alteri. lib. 1. diſp. 4. cap. 3. dub. 1. & alij plures quos dabit Layman. tract. 5. p. 2. cap. 3. dicunt, hunc peccare venialiter propter quandam indecentiam, quæ videtur admitti in eo, qui innodatus cenſura, quamuis leui, miniſtrat, ſacramentum, ſed non ſatis probant indecentiam culpabilem admitti in hac miniſtratione cum minori excommunicatione; & idcircò hærendum expoſitioni à Nauarr. Hoſtienſ. & aliis allatæ, vti ſapienter aduertit Suar. diſput. 24. ſ. 2. numero 12. & dicendum nullam hic culpam eſſe.

2. Parte dixi aliquando tamen excuſari excommunicatū ab hac prohibitione, quæ, vt ſæpiùs monuimus, non naſcitur ex natura rei, aut diuina inſtitutione, ſed lege tantùm humana & Eccleſiaſtica.

Et quidem excommunicatum vitandum dixi excuſari ſola neceſſitate vel propria vel proximi à voluntaria adminiſtratione ſacramentorum, nam ſi inculpabiliter ignoraret ſe excommunicatum aut denuntiatum, aut per obliuionem naturalem id faceret, tunc non eſſet illi ea adminiſtratio voluntaria vt excommunicato. Quod attinet àd neceſſitatē proximi iam oſtendimus in 8. p. 2. eam reddere licitam & validam totam hanc adminiſtrationem. De propria neceſſitate, qualis & quanta eſſe debeat, agemus diſq. 9.

Quod attinet ad excommunicatum non vitandum, excuſatur à ſacrilega adminiſtratione, quoties non ſe ingerit, ſed præuentus à fidelibus ipſiſque petentibus miniſtrat, vti qu. 1. diximus.

Supererat agere de pœnis, quas excommunicati ex ſacrilega adminiſtratione ſacramentorum incurrunt, ſed de iis aliqua diximus q. 1. & 3. & accuratè tractabimus diſq. 8.

QVÆSTIO V.

De priuatione rerum ſacrarum & diuinarum quam affert Excommunicatio.

Consect. 2. An Excommunicatus possit priuatim cum socio recitare horas Canonicas, & dicere Dominus vobiscum. *n.* 10.

Consect. 3. An qualibet oratio præsente excommunicato vitando sit prohibita. n. 11.

Consect. 4. De Processionibus, Benedictionibus & Consecrationibus. n. 12.

Consect. 5. An oblationes excommunicati reiiciendæ sint. n 13.

Consect. 6. An excommunicatus possit audire, vel habere Conciones, & Lectionem sacram. num. 14.

Consect. 7. An Excommunicatus ingressu Ecclesiæ prohibeatur. n. 15.

Nomine rerum sacrarum intelligimus sacrificium Missæ, diuina officia, orationes pnblicas, solemnes benedictiones & cærimonias, quæ alicuius Ordinis Clericalis propriæ, sunt, Oblationes, Cóciones, Lectiones Theologicas, & quædam alia, quæ aliquid sacrum continere videntur, de quibus omnibus sigillatim inquiro, quid sentiendum sit in hac parte, retenta semper distinctione excommunicati vitandi.

PRIMA PROPOSITIO VNIVERSALIS.

De rebus diuinis excommunicato prohibitis.

1 Quilibet Excommunicatus priuatur communicatione Ecclesiastica in rebus diuinis, quibus se ingerere non potest; quamuis excómunicatus non vitandus ab aliis rogatus illis interesse, illaque celebrare possit.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

2 Hæc propositio vniuersalis certissima est, & ab omnibus magno consensu traditur, colligitur ex cap. Responso; & cap. noper de sentent. excomm. & cap. Alma mater eod. tit. in 6. & sanè cùm omnis externa & maximè sacra cnmmunicatio prohibeatur vi excommunieationis, necesse omninò est hanc qnoque rerum diuinarum participationem prohiberi. Dixi verò communicationem diuinorum illicitam esse excommunicato, non autem quemlibet rerum sacrarum & diuinarum vsum, alioquin neque munire se signo crucis, neque Imagines colere, neque priuatim orare posset, quod superiùs licere diximus, & constabit iterum inferiùs, & destitueretur excommnnicatus omni remedio externo salutis si nnlla re sacra vti, ac proinde neque iuuari posset; præterquam quod non potest Ecclesia quemquam priuare his rebus per excommunicationem nisi quatenus bona quædam communia sunt & per eorum vsum communicant inter sese fideles; vt verò priuata veluti bona & singulorum propria sunt, eò quod singuli ita illis vtantur, vt non idcircò in aliorum societatem veniant prohiberi nequeunt, vt sic enim non subduntur Ecclesiæ potestati.

Hanc porrò prohibitionem dixi extendi ad omnem excommunicatum, neque enim Extrauag. Ad euitanda fauet excommunicatis non vitandis, sed solùm fidelibus, qui possunt cum eiusmodi excommunicatis etiam in diuinis communicare, ipsi tamen se ingerere non rogati minimè possunt, vti q. 1. fusiùs expositum fuit.

Vnde fit excommunicatum vsurpantem sacra & diuina, in iisque cum cæteris communicantem peccare mortaliter, cùm in materia graui violet legem Ecclesiasticam, quæ primò, directè & per se prohibet hanc communicationem sacram, atque actiones sacras & publicas, fitetque ingens deformitas abstétum à sacris, & ab Ecclesia præcisum ad sacras functiones peragendas admitti, aut illis sua præsentia cooperari, neque est vllus qui dissentiat in huius culpæ grauitate, si in vniuersum loquamur; quanquàm quæstio nonnulla sit circa qnasdam communicationes particulares, an leuis censendæ sint, an grauioris obligationis capaces, & dubitari nequeat, quin crescat hoc crimen ex personis, sanctitate actionum, aliisque circumstantiis. Si enim ministerium magis sacrum sit, & à persona ad illud consecrata, turpius erit ab excommunicato exerceri, quàm aliud opus minus sacrum à persona laica poni, licet in vtroque casu violetur prohibitio Ecclesiastiea; Idcircò alias propositiones, quibus rem admodum implexam deffiniam, subiicio.

SECVNDA PROPOSITIO

Quomodo diuina officia fieri possint ab excommunicato.

Nullus Excommunicatus potest sacrum celebrare, aut dinina officia tanquam Ecclesiæ minister facere, aut quidpiam Ordinis Clericalis proprium solemniter & tanquam ex munere sibi ab Ecclesia demandato, aut vi ordinis sibi competente exercere, nisi petentibus aliis fidelibus, si ipse non sit excommunicatus vitandus. 3

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

PRIMA PARS.

De celebratione sacrificij Missæ.

Hæc Propositio sequitur ex snperiori Vniuersaliore, & sigillatim ostenditur, & 1. quidem de sacrificio Missæ, quod celebrare non licet, cap. si quis Episcopus. 4. 11. q. 3. cap. si celebret, & cap. Illud de Clerico. excomm. minist. qnod enim ibi dicitur de diuinis officiis, multo magis de sacrificio intelligendum esse colligunt DD. vnde fit, vt ne quidem occultè Missam tanquam priuata persona facere possit, cùm tamen vt sic diuina cætera officia liceat recitare, vti ostendemus inferiùs; qnod discrimen annotauit glossa in cap. Illud. citat. ✠. officia. Eius tamen rationem neque glossa ipsa, neqne alij DD. reddere solent. Mihi petenda videtur ex natura sacrificij & orationum ab Ecclesia institutarum, cùm enim hæ orationes possint vel nomine Ecclesiæ, vel nomine priuato recitari, non debuit, neque fortassis potuit Ecclesia eorum vsu magis interdicere excummunicatis, quàm prohibere ne orarent, cùm verò sacrificium offerri nequeat 4

à

à ſacerdote niſi tanquam à miniſtro Chriſti, qui eſt principalis offerens, & ſit in arbitrio Eccleſiæ hos vel illos, qui Chriſti vices agant, deſignare, æquè in ſacrificio atque circa ſacramenta quorum omnium cura, ſicut & totius Religionis ipſi credita fuit à Chriſto, poterit eadem ratione ſacrificij oblationem prohibere, atque ſacramentorum adminiſtrationem, quanquam vbi ſemel conſignauit aliquos charactere ſacerdotali, ſi omnia requiſita ad ſacrificij & ſacramentorum eſſentiam ponantur ab excommunicato, efficere non poſſit Eccleſia, vt non ſit verum ſacrificium, & vera ſacramenta, vti oſtendimus ſuperiori q. ſed nos hoc loco non agimus de poteſtate ſacrificandi, ſed de eius vſu, quem negamus eſſe permiſſum vlli excommunicato ſiue publice ſiue clam fiat; ſicut neque licita eſt ſacramentorum adminiſtratio, niſi excommunicato non vitando reſpectu fidelium petentium, aut ſi ingens proximi neceſſitas, aut alia eiuſmodi excuſent excommunicatum denuntiatum, cui in eiſdem caſibus ſi occurrant, licebit quoque celebrare Miſſam, ſi quidpiam aliud non obſtat; neque ſane decebat ab Eccleſia eiectum auguſtiſſima quęque illius ſacra pertractare.

Quænam verò pœna incurratur ab excommunicato celebrante, aut quemcunque actum ordinis ſacri, quem habet, exercente, diſquiremus diſq.8.

SECVNDA PARS.

De prohibitione diuinorum officiorum.

5 2. Prohibetur excommunicatus diuina officia, quo nomine intelligo maximè horas Canonicas, ex cap.dolentes.de celebrat.Miſſar.Concil. Aquiſgranenſ. 1. cap. 131. tanquam Eccleſiæ miniſter recitare. cap. illud de Clerico.excomm. miniſt.cap. is qui de ſentent. Excomm.in 6. cap. Alma mater. eod tit. ibid.cap. Epiſcoporum.de priuilegiis in 6. neque enim decuit eum, quem Eccleſia eiecit, in miniſtrum aſciſcere; quarè ſi eas orationes recitet, nihil proderunt aliis fidelibus, ex nomine Eccleſiæ, à qua efficaciam habent. Ita S. Thom. 3. p. q.82. a.7. ad 3. Soto. d. 13. in 4. q. 1. a. 8. Auila. 2. p. cap.6. diſp.4. dub.5. Bonac. q.2. de excomm.p.3. §.2. n.7. & alij contra Gabriel. lect.27. in Canon. Sayr.lib.2. cap.3. n.8. Filliuc. tract.12. cap.4. n. 96. quia etiamſi indignitas miniſtri non officiat, quando aliquid fit nomine alterius, quando tamen, qui miniſter erat, prohibetur agere ab illo, qui ſuas vices ipſi commiſerat, reuerà inutiliter agit tanquã miniſter illius, cuius perſonam non ampliùs ſuſtinet. At verò Eccleſia non vult excommunicatum ſuum legatum & miniſtrum ampliùs eſſe; ergò inutiliter nomine Eccleſiæ orabit, quod de excommunicato non tolerato certiſſimũ eſt. De tolerato autem exiſtimat Auila aliud dicendum eſſe, cùm enim Eccleſia illum toleret, non annullat applicationem orationum per illum factam; mihi tamen videtur potius neque hunc excommunicatum vtiliter orare nomine Eccleſiæ, niſi quando ab aliis fidelibus rogatur, alioquin ſi ipſe ſe ingerat, & peccat, & aſſumit ſibi vices non delegatas.

6 Poterit autem quilibet excommunicatus horas Canonicas & per modum orationis priuatæ recitare, quia nulla priuata oratio illi inhibetur. Ita gloſſa in cap. ſi quis presbyter. ℣. præſumpſit. de Clerico. excom. miniſt. & in cap. Illud.eod. tit.℣. officia, & omnes conſentiunt, quos recenſet Sayr.lib. 2. cap. 3. n.3. Immò verò teneri ad hanc horarum Canonicarum recitationem eum, qui ante excommunicationem tenebatur exiſtimant Nau. cap.27. n.102. Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §.3. n.8. Durantus. lib.3. de ritibus. cap.22. n. 11. Sanch. lib.7. Concilio cap. 2. dub.59. Sylu. ℣. degradatio. q.8. Henriq. lib.13. cap.7. Vgolin. tab. 1. de cenſu. cap.13. §.13.& tab.2. cap.8. Auila 2.p.c.6. diſp.4.dub.6. Suar.diſp.12. ſ.2. numero 13. Layman. lib.1. tract.5.2.p.cap.2.numero 7. Alteri.lib. 1. diſp.10. cap.4. Bonac.q.2.de excomm. p.3. §.2. num. 2. Et ratio eſt euidens, cùm enim licitè poſſit excommunicatus has horas priuatim recitare, vti diximus, non eſt cur ea obligatione per excommunicationem, quæ pœna quædam eſt, non fauor, eximatur ne commodum ex ſua iniquitate reportet. Neque rectè obiiciunt aliqui inde ſequi Parochum excommunicatum etiam denuntiatum teneri ad ſacramentorum adminiſtrationem, & alia ſui miniſterij onera, ne commodum potiùs quam damnum capiat ex pœna Excommunicationis. R. enim venerà parochum teneri ad omnia, quæ ſunt vera onera & nihil habent honoris aut commodi annexum; at verò adminiſtratio ſacramenti honor potiùs cenſetur, quàm onus; vnde fit vt grauior exiſtimetur priuatio illius adminiſtrationis, quàm obligatio ad ipſam, neque ſoluitur parochus omni cura per excommunicationem, quia tenetur ſui beneficij expenſis per alium prouidere ſaluti ſuarum ouium, & illas ſacramentis, atque DEI verbo paſcere.

Difficilius videri poſſet, quod obiiciunt aliqui apud Couaru. lib.3. varia cap.13. numero 8. excommunicatum, qui ad diuinum officium titulo beneficij obligabatur, immunem videri, quandoquidem caret omnibus eius fructibus ratione excommunicationis: verùm cùm ille titulum & poſſeſſionem beneficij retineat, & per ipſum ſtet, quominus fructus percipiat, ſibi ipſi imputet eorum priuationem, inde enim non debet leuari onere recitandi horas Canonicas, neque vllus excuſabit ab hac obligatione non reſidentem, licet propter eam non reſidentiam careat diſtributionibus cottidianis.

3. Nequit excommunicatus vllum aliud diuinum officium celebrare ex iuribus ſuperiùs allegatis, cuiuſmodi eſt publica oratio, quæ ex Chriſti aut Eccleſiæ inſtitutione ſolemniter fit, aut quæ alicui ordini & gradui clericali annexa eſt, vt ſolemnis lectio Epiſtolæ vel Euangelij, ſolemnis proceſſio, benedictio Candelarum, oliuarum, & aliarum rerum, confectio Chriſmatis, & olei ſancti, conſecratio templi & calicum, & alia ſimilia, de quibus aliqua diximus aliàs & iterum in corollariis agemus nonnihil: quia hæc omnia continentur nomine rerum diuinarum & ſacrorum officiorum ex communi DD. ſenſu, Paludan. in 4. diſt. 18. q.6. Sylu.℣. excommunicatio.5.n.3. Caietan. ℣.eod.ſub finem.

4. Denique non poteſt excommunicatus ſacramentalia & res ſacras quatenùs ſunt inſtitutæ ab Eccleſia, indeque quandam efficaciam ſortiuntur eo quod eius merita quodammodo repræſentent, in vſum ſuum ſacrum, & quodammodo publicum ſiue cum aliis communem aſſumere, vti fuit expoſitum qu. 2. 2. propoſit. in Conſectariis.

V 4 TER

TERTIA PROPOSITIO.

De assistentia præstita diuinis officiis ab excommunicato.

7 Non modò non potest excommunicatus sacrificia & diuina officia celebrare, sed neque eorum celebrationi interesse.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO

PROPOSITIONIS.

Hæc propositio traditur in iure locis superiùs adductis. cap. Episcoporum. de priuilegiis in 6. c. is cui. cap. alma Mater. de sentent. Excomm. in 6. cap. nuper. de sentent. excomm. cap. excommunicato 11. q. 3. & alibi, & consentiunt passim omnes, quos dabunt Vgolin. tab. 2. cap. 8. §. 3. Henriq. lib. 13. cap. 7. n. 2. Sayr. lib. 2. cap. 3. o. 15. & alij. Ratio euidens est, quia excommunicato prohibetur omnis communicatio in diuinis cum cæteris fidelibus siue ea communicatio actiua, siue passiua sit; est enim omnino extra societatem & communionẽ fidelium eiectus. Neque benè surdum & cæcum excipiebant aliqui, quos reiiciunt Vgolio. tab. 2. cap. 8. §. 3. numero 3. & Sayr. cap. 3. cit. n. 16. quia neque cæcitas, neque surditas impediunt præsentiam, ex qua sequitur communicatio prohibita.

Quarè excommunicati, qui censuram hac in partè violant, peccant grauiter, quod sæpiùs monuimus, non incurrunt tamen aliquam pœnam cùm nulla in iure constituta reperiatur, nisi fortassis quando Episcopus excommunicatus iubet se præsente fieri sacrum, tunc enim incurrere Irregularitatem DD. passim sibi videtur ex iure colligere, an satis efficaciter disquirimus disq. 8. Neque ab hac obligatione eximendus est excommunicatus non vitandus, nam neque ipse ingerere se potest diuinis, & non rogatus cum cæteris communicare in diuinis.

PROPOSITIO QVARTA.

De Excommunicatis eiiciendis à diuinorum celebratione.

8 Non licet fidelibus excommunicato non tolerato præsente missam & cætera diuina officia audire aut celebrare.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO

PROPOSITIONIS.

Colligitur hæc propositio ex iuribus in superiori relatis & ex Clem. 2. de sentent. excomm. cap. plantare. §. excommunicatos. de priuilegiis. cap. In Lateranensi. de præbendis, cap. quod in te. §. in conuentualibus. de pœnitent. & remissio: cap. Episcoporum. de priuilegiis in 6. cap. cum excommunicato & seqq. 11. q. 3. atque illis locis glossa & DD. quos omnes summistæ sequuntur, qui codẽ consensu obseruant hac obligatione teneri omnes tum clericos, tum Regulares, & merito cum omnibus fidelibus sit prohibita communicatio cũ excommunicatis vitandis & non toleratis, an verò celebrans scienter coram eiusmodi excommunicato incurrat aliquam suspensionem vel Irregularitatem dicemus disq. 8. Interea adi Sayr. cap. 3. cit. numero 18.

Vt verò vitetur hæc communicatio, monendus est excommunicatus ille qui adest diuinis officiis vt exeat, quod si nolit, eiiciendus est à laicis, aut si illi desint, à Clericis, neque etiamsi qui vi expellitur, sit Clericus propterea incurrent excommunicationem, qui vim afferent, vt ex cap. veniens. de sentent. excomm. manifestè colligitur. & ibid. ℣. celebrationem, tradit glossa & Panorm. numero 1. & sanè non tam affertur violentia eiusmodi Clerico, quàm iniuria Ecclesiæ illata propulsatur, vt argumentatur Vgolin. tab. 2. de censu. cap. 8. §. 4. numero 5. si tamen inutilis sit ista vis, non debent inchoari diuina officia, aut si iam incepta fuerint, interrumpenda erunt; quanquam quoad interruptionem Missæ aliquod dissidium sit, nam aliqui volunt, si iam canon fuerit inchoatus ingrediente excommunicato, prosequendum esse sacrificium; alij & maiori quidem numero, nisi fuerit inchoata consecratio, abrumpendam missam existimant, si exire nolit excommunicatus, aut expelli non possit; post communionem autem omittendæ erunt reliquæ orationes, vel in sacristia, si commodè liceat, perficiendæ; porrò manere debet solus minister cum celebrante, & alij omnes exire debent. Si tamen inferretur in templum tempore missæ Cadauer excommunicati vitandi, non teneretur sacerdos sacrũ omittere, quia ex sola præsentia illius cadaueris non dicitur communicare cum excommunicato, sicut si viueret excommunicatus & sacrificio interesset, non potest tamen aut illud cadauer benedicere, aut aqua lustrali aspergere, aut sacrificium pro ipso offerre, aliudue præstare ex quo Communicatio cum ipso colligi possit. Vnde quoque sequitur, cæteros fides non obligari exire ab Ecclesia, & sacrum deserere propter illatum eiusmodi cadauer, modò nihil ad eam illationem conferant, aut actionem vllam aliam circa illud exerceant. Ita Henriq. lib. 13. cap. 7. numero 2. litt. O. Maiol. lib. 3. de Irregularit. cap. 24. numero 5. Sayr. cap. 3. lib. 2. numero 21. Bonac. qu. 2. de Excomm. p. 3. §. 1. num. 14.

CONSECTARIVM I.

An excommunicatus teneatur præcepto audiendi missam die festo, annua Confessionis & communionis.

Quæstio est de illo, qui negligens est in curanda absolutione & tollendo impedimento seruandi præceptum. & quidem quod attinet ad audirionem missæ communis sententia Vgolin. tab. 1. c. 13. §. 13. Nau. cap. 21. numero 3. Sayr. lib. 2. Thesau. cap. 3. numero 24. Henriq. lib. 13. cap. 7. numero 2. Auila. 2. p. de censu. cap. 6. disp. 4. dub. 7. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 88. s. 6. Kon. disp. 14. dub. 7. numero 56. Layman. lib. 1. tract. 5. 2. p. cap. 2. numero 2. Alteri lib. 4. disp. 10. cap. 2. Bonac. q. 2. de excomm. p. 3. §. 1. numero 4. Fagund. præ. 1. lib. 2. cap. 8. numero 1. est excommunicatum non peccare, quia præceptum istud obligat non impeditos, non autem ad non ponendum impedimentum, alioquin qui carcere sua culpa detinetur, peccaret contra idem præceptum non audiendi Missam, & qui sua culpa incidit in morbum, qui ab audiendo sacro, & à seruanda quadragesima aliisque præceptis Ecclesiasticis implendis

dis impedit peccaret contra omnia illa præcepta dum ea non impleret, aut saltem peccatum, ex quo eiusmodi impedimenta profecta sunt, sorderet omissione omnium præceptorum, quorum impletionem impossibilem fore præuidebat peccans, quod nullus dixerit; neque solent Confessarij ad hanc circunstantiam fatendam vrgere, vti faciendum omnino esset, quia adderet nouum peccatum numero distinctum. Ratio huius sententiæ petenda est ex iis, quæ diximus alias de obligatione legis, quæ non extenditur ad cauenda omnia impedimenta faciendi actum imperatum.

Quæ ratio mihi videtur æquè efficax esse in præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis & communionis contra quàm asserant omnes omninò laudati superiùs DD. qui non assignant discrimen satis idoneum inter præceptum sacri & annuæ Confessionis, quod suppono esse tantùm Ecclesiasticum, quandoquidem est de tempore sumendi hoc sacramentum, non de ipso sacramento, quod enim confessio sit necessaria ad reconciliationem cum DEO, & non sacrum, & ex iure diuino obliget, non verò auditio sacri, nihil probat, quia loquimur tantùm de obligatione orta ex præcepto Ecclesiastico, & potuit iam peccator rediisse in gratiam per contritionem; itaque seclusa negligentia procurandæ absolutionis, quæ est omnino culpabilis, vnde insordescentia in excommunicatione plectitur, vti dicemus alibi, & secluso etiam scandalo non existimo excommunicatum peccare nouo peccato, omissione paschalis communionis contra præceptum Ecclesiasticum. Ita Henriq. lib. 13. cap. 7. numero 2. quamdiu enim est excommunicatus æquè impeditur ab Eucharistia, atque ab auditione sacri, immò magis, cùm excommunicatio primariò quodammodo priuare videatur cõmunione Eucharistica, & communio Paschalis non obliget nisi ex lege Ecclesiastica, eodem planè modo, quo auditio sacri die festo, & vt supponimus possit hic excommunicatus reddere se capacem vtriusque huius præcepti, si velit, cùm per eum tantùm stet, & per incuriam, qua laborat, quin impedimentum absolutionis tollatur.

Quoad præceptum verò annuæ Confessionis distinguendum censeo, nam aliquando excommunicatio impedit impletionem præcepti huius, aliquando non impedit. Quia etiamsi, vt docuimus, nunquam possit aut debeat excommunicato cognito dari absolutio sacramentalis sine absolutione à censura, eaque præuia, aut saltem simultanea; si necessitas extrema non patiatur dari separatim, & licet ipse excommunicatus nequeat eandem absolutionem peccatorum recipere, nisi curet se exolui vinculis Excommunicationis extra casus alibi assignatos, tamen quando Confessarius potest vtramque absolutionem conferre, non potest rectè dici excommunicationem impedire quominus seruetur præceptum Confessionis, quandoquidem ipsa confessione, aut saltem in ipsa confessione soluitur excommunicatio à soluente peccata. Quarè tunc existimo hunc excommunicatum teneri præcepto Confessionis, quod reuerà potest implere; si verò nequeat confessarius, qui præsto est, absoluere ab excommunicatione, non tenetur excommunicatus præcisè, & ne peccet in præceptum annuæ confessionis, curare absolutionem à censura; quarè in illud præceptum Ecclesiasticum non peccabit omittendo Confessionem annuam, etiamsi in procuranda absolutione socors fuerit; nisi quis diceret ratione huius necessitatis posse sacerdotem absoluere à peccatis, etiamsi non absolueret ab excommunicatione, & pœnitentem excusari à præuia absolutione excommunicationis, eò quod vrgeat præceptum Confessionis annuæ, quod alioquin violaret; & sanè aduersarij concedere debent facultatem cuilibet Confessario eo momento vel absoluendi à peccatis remanente Excommunicatione, quæ deinde à superiore tolletur, vel absoluendi à Censura simul & peccatis cum onere tamen sistendi se superiori quoad absolutionem à Censura, in quam alioquin reincidat; alioquin dabitur casus perplexitatis, & iste pœnitens necessariò peccabit: si enim non confitetur, peccabit contra præceptum annuæ Confessionis, quia vt dicunt aduersarij, laborat impedimento voluntario, in quo excutiendo fuit negligentior, & ideireò non excusatur ab obligatione præcepti tunc vrgentis; si verò confiteatur peccabit, quia admittet sacrilegium, cum per excommunicationem priuetur receptione sacramentorũ. Vel igitur tunc præceptum Ecclesiasticum non obligat, vel excommunicatio non impedit eius impletionem, eò quod in illa confessione tolli queat, atque ita si non pareat præcepto imperanti id temporis confessionem sacramentalem peccabit, quod totum nos vltrò concedemus.

CONSECTARIVM II.

***An Excommunicatus possit recitare horas Canonicas tanquam persona priuata cum socio & dicere* Dominus vobiscum.**

13 Diximus proposit. 2. Excommunicatum non modò posse sed etiam teneri recitare horas Canonicas, si ante censuram ad eam recitationem obligabatur.

Sed quæstio est, an possit socium sibi eam in rem adhibere, quamuis, vt suppono non recitet has horas vt minister Ecclesiæ, id enim prohibitum est, sed vt persona priuata; videtur enim hic esse communicatio in diuinis, quæ tum excommunicato, tum aliis prohibita est, quare nullam orationem communem esse posse excommunicato & non excommunicato cuiusmodi est ea, quæ alternatim funditur, affirmat eruditus Theophilus Raynaud. 2. p. de monito. cap. 2. numero 21. ex can. Tol. Apostolo. & Binius in notis ad eund. canon. idem asserit Couarru. in cap Alma mater 1. p. §. 3. n. 8. qui tamen censet committi solùm culpam venialem in hac communicatione, quod fatentur quoque Suar. disp. 12. Bonac. q. 2. de Excomm. p. 3. §. 2. n. 4. & alios allegans Villalob. 1. tom. tract. 17. diffi. 7. numero 3. quia hæc communicatio leuis est, neque specialiter prohibita, sed generatim vt alia quælibet communicatio in cibo & potu, vt apparet, ex Calixto I. Ep. 2. cap. 2. & Concil. Cartagin. IV. cap. 73. an verò ideircò incurratur Excommunicatio minor, quæ etiam pro culpa veniali infligitur, dicam inferius. Hinc verò Vgolin. tab. 1. c. 13. §. 14. numero 1. cui assentitur Suar. Bonac. Villalob. & alij excusant famulum & alium quempiam, qui ratione sui ministerij potest cum excommunicato communicare, si cum eodem officium recitet, vt Cappellanus cum suo Episcopo excommunicato; aut Episcopus asciscens ad id officium suum Capellanum excommunicatum, quia istud ministerium non est Ecclesiasticum sed priuatum & potiùs corporale quam spirituale. Qui verò nulla causa legitima excusante non modò recitaret horas cum

cum excommunicato tanquam priuata persona, sed etiam tanquam ministro publico, ac proinde grauiter peccaret, satisfaceret tamen obligationi, qua tenetur ad eiusmodi horas, vt obseruauit Maior in 4. d. 12. q. 6. ad 3.

Quod attinet ad illas voces, *Dominus vobiscum*, cum eæ sonent ministrum publicum, non posse dici sine grauiori culpa, plures existimant apud Sayr. cap. 3. cit. numero 5. Immò aliqui volunt incurri Irregularitatem. Suar. tamen s. 2. num. 13. facilè excusari censet posse à culpa mortali, vel ex inaduertentia cum leui negligentia, vel ex verecundia sine contemptu propter leuitatem materiæ; Layman autem omninò asserit cap. 2. cit numero 3. esse solùm venialem ex leuitate materiæ, alioquin quoties Clericus inferior diacono eadem verba vsurparet in priuata oratione mortaliter peccaret, & irregularis fieret, quia exerceret actum alieni ordinis, quod tamen nullus dixerit, idemque censent Bonac. q. 2. de excomm. p. 3. §. 2. numero 6. & alij ab ipso laudati. Mihi veriùs videtur cum Auila 2. p. cap. 6. disp. 4. dub. 6. & Hurtado. disp. 5. de Excomm. diffic. 2. nullum omninò hic committi peccatum, quia non magis per ea verba communicat cum aliis fidelibus absentibus, quam per alia plura, quæ in horis Canonicis proferuntur, v. gr. venite adoremus: Est igitur priuata tantùm oratio, quam fundit pro omnibus fidelibus. De hac voce adi Damian. opusc. 11.

CONSECTARIVM III.

An qualibet Oratio præsente excommunicato vitando sit prohibita.

21 ℞. Non esse, quoties illa oratio non est communis excommunicato, quia tunc reuerà cum illo non communico; vnde si quis in eodem cubiculo cum excommunicato seorsim recitet salutationem Angelicam ad pulsum Campanæ, non propterea cum illo communicat, vt aduertit Caietan. ℣. Excommunicatio. sub fin. si in eadem Ecclesia aliquis audiat vnam missam, & excommunicatus alteram, non inficitur ea communicatione, quia reuera nulla est communicatio, nisi in materiali loco, non in officio diuino. quod concedunt Henriq. lib. 13. c. 7. Sayr. lib. 2. c. 3. n. 12. Filliuc. cap. 4. tract. 12. n. 93. Suar. disp. 12. s. 1. num. 16. Bonac. p. 3. cit. §. 1. sub fin.

Maior difficultas est circa illos, qui eandem Missam audiunt cum excommunicato vitando, an ipsi peccent mortaliter, quod quidem affirmat communis opinio, eo quod communicent in diuinis contra prohibitionem Ecclesiæ; Itaque docent Paluda. in 4. d. 18. qu. 6. Sot ibid. d. 22. qu. 5. a. 4. Caietan. ℣. Excommunicatio maior, cap. vlt. sub fin. Nau. cap. 27. numero 19. Sylu. ℣. Excommunicatio. 5. numero 3. qui omnes sequuti sunt Innoc. in cap. Nuper. de sentent. Excomm. Illis deinde adhæsêre recentiores, qui veriti sunt à communi sensu discedere, quanquàm Durand. in 4. d. 18. q. 5. negat hanc simultaneam assistentiam dici posse communicationem, sicut neque qui simul cum excommunicato ab eodem sacerdote caperet Eucharistiam, non communicaret cum excommunicato, & qui salutat Petrum incedentem cum Ioanne excommunicato, non inficitur communicatione salutationis excommunicati; Deinde quia vt ratiocinatur Suar. disp. 12. s. 1. numero 16. audientes quidem communicant cum sacerdote, cuius manibus offerunt, at verò inter se, cùm neque sibi loquantur, neque ministrent non est vnde illa communicatio colligatur, sed simultanea tantùm assistentia in eodem loco materiali; nisi dicas esse signum mutuæ cuiusdam vnionis ad offerendum simul idem sacrificium & illi participandum; verùm neque illud est signum necessarium, neque eam in rem institutum, & poterit facilè quis nolle cum eo excommunicato offerre: quarè Suar. tandem concludit, & qui illum sublegit Alteri. lib. 1. disp. 12. cap. 5. esse communicationem omnium minimam & non afferre culpam nisi venialem, neque vllam aliam pœnam, quam excommunicationem minorem inuehere.

CONSECTARIVM IV.

De Processionibus. Benedictionibus atque Consecrationibus.

℞. Ex superioribus constare, hæc omnia, quatenùs sunt officia diuina illicita esse Excommunicatis. 22

Et 1. Quidem quod attinet ad processiones, siue vt antiqui appellabant, Litanias publicas non posse illis aut præesse, aut interesse, atque si Excommunicatus denuntiatus sit, cessandum esse, donec recedat, tradunt Henriq. lib. 13. cap. 7. numero 2. Vgolin. tab. 2. cap. 8. §. 3. Nau. cap. 27. num. 176. vbi optimè distinguit inter Litanias, quæ fiunt cum solemnitate crucis prælatæ signo, ordine procedendi, & habitu Clericali, & eas, quæ fiunt priuatim à solis laicis etiam cum aliquo cantu, hæ enim cùm non sint diuina officia, æquè licitæ sunt atque priuatæ orationes; quod ait intelligendum etiam de iis litaniis, psalmis, & orationibus quas cum cantu laici fundunt in suis confraternitatibus intra Ecclesias aut Capellas, nam cùm fiant à laicis solis, non sunt diuina officia. Idem sentit Tabiena. ℣. Interdictum 5. numero 16. nimirum hæc licere tempore interdicti, negat tamen permissa esse excommunicatis; verùm cùm ista idcircò concedantur durante Interdicto, quia non sunt diuina officia, permitti quoque excommunicatis necessarium est, cùm ipsi non remoueantur ab oratione priuata.

Quod attinet ad aquam lustralem iam diximus, illius vsum non tamen tanquam alicuius sacramentalis esse permissum, & ingredienti Ecclesiam tempore interdicti, vt in ea priuatim oret, concedit Nauar. numero 176. cit. Non potest tamen solemniter illam benedicere sacerdos excommunicatus, aut se vel populum illa solemniter aspergere, neque ab alio eadem ratione aspergi, quia id pertinet ad ordinem quendam sacrum & diuina officia; quarè & tempore Interdicti hæc omnia prohibita tradunt Calderin. tract. de interdicto Ecclesiastico, & alij adducti à Sayr. lib. 2. cap. 3. n. 18.

Eadem distinctione vtendum est in cæteris benedictionibus, an videlicet sint aliquod sacramentale, & alicui ordini Ecclesiastico earum impertiendarum munus ex Ecclesiæ institutione fuerit annexum; an verò possint per modum priuatæ cuiusdam orationis, quamuis ab Ecclesia institutæ vsurpari. Benedictiones enim primi generis neque ab excommunicato excommunicatione maiori, de quo loquitur, conferri, neque recipi possunt; quanquam retinenda perpetuò sit distinctio excommunicati vitandi & non vitandi, ab isto enim æque peti possunt hæ benedictiones, & alia quæuis sacra,

cramentalia, sicut & sacramenta.

Hinc fit non posse excommunicatum recipere benedictionem nuptialem, quod Paludan. in 4. d. 26.q.2.a. 2. con.2.numero 9. Vgolin. tab.2.de censu.cap.7. §. 2. numero 4. Sanch.lib.7. de matrim.disp.9. numero 13. Gutierr. cap.83. de matrim. & alij passim dicunt, non tantùm quia excommunicatus sic interest Missæ & diuino officio, & quia hæ benedictiones sunt aliquid sacramentale, sed quia sunt solemnes preces, quibus sacerdos nomine Ecclesiæ benè precatur sponsis; quarè illas cum excommunicationis censura recipere, peccati mortalis damnat Sanch. cum Paludan. nisi forsassis excuset ignorantia, aut eiusmodi alia causa. Patochus quoque excommunicatus vitandus non poterit eas benedictiones conferre, quia pertinent ad actum iurisdictionis, & ad ordinis alicuius exercitium, vtroque verò caret excommunicatus. Ita Suar. disputat. 11. de censu. s. 3. numero 19. an verò inde contrahatur irregularitas, disquiremus alibi.

Simili ratione consecratio Ecclesiæ & vasorum prohibetur Episcopo excommunicato; Immò passim Canonistæ in cap. Consuluisti. de consecratione Eccles. & altari. cum Hostiens. & Panorm. ibid. Paludan. in 4. d.18.q.8. a.4.& Sylu.v.Consecratio. 2. numero 5. asserant eam Ecclesiam denuò esse reconciliandam, eò quod potius polluatur, quàm consecretur ea consecratione excommunicati; quod mihi non probatur neque Alterio.lib. 2.disp.10.cap.6. sub. fin. cùm nullum sui dicti & huius pollutionis causam afferant canonistæ, neque vllo iure nitantur, cùm tamen certum sit nullam pœnam aut censuram ipso iure incurri, nisi in iure lata sit; hæc autem Ecclesiæ violatio & pollutio nullibi expressa reperitur; ineptè verò argumentantur ex eo, quod per sepulturam excommunicati denuntiati polluatur Ecclesia, pollui quoque per consecrationem factam ab Episcopo excommunicato. Quæ enim est ista consequutio? quin potius si ex similibus casibus in re, quæ pendet ex Ecclesiæ arbitrio, argumentari liceret, colligunt ex eo quod Ecclesia & altare non polluantur, etiamsi schismaticus ant excommunicatus inibi celebret cap. A nobis. de sacram. non iterandis, neque etiam per consecrationem factam à simili excommunicato violari, & quamuis daremus inualidam esse eam consecrationem, qua de re diximus alibi, eò quod sit actus iurisdictionis, qua carent omnes excommunicati, non tamen inde sequeretur polluisse Ecclesiam.

Ex contraria porrò ratione vides excommunicatum posse laicorum more benedicere mensæ, signare se cruce, Eucharistiam adorare. Et illam dum ad ægros defertur comitari, Confessionem generalem, quam vocant, recitare, & alia eiusmodi, de quibus Nau. cap.27. n.176. & Sayr. cap.3. cit.n. 13. Vgolin. & alij agunt.

CONSECTARIVM V.

An oblationes excommunicati reiiciendæ sint.

13 De sacris oblationibus prolixior nobis sermo erit alibi in scientia canonica. Quoad præsentem difficultatem R. ex superioribus propositionibus oblationes sacras, quæ afferuntur ab excommunicato vel Deo immediatè, licet deinde cedant in vsum Ecclesiæ Ministrorum, vel quæ immediatè dantur ipsis ministris, vt preces pro excommunicato fundant, non esse recipiendas. Ita enim iam olim sanciuerunt Apostoli apud Clem lib.3. Constitutio. cap.8. & lib.4. cap.5.6.& 7. Concil. Eliberitanum cap.28. vti exponit Suar. tract.2. de Religio. lib.1. cap.6. numero 4. quod enim statuit Synodus: ne Episcopus admittat oblationes eius, qui non communicat, non significat illum, qui in sacro cum reliquis non communicabat, prout vetus ille vsus ferebat, repelli ab orationibus faciendis, sed eum, qui expers erat communionis Christianæ, aut saltem Eucharisticæ propter pœnitentiam, ad quam ob sua crimina damnatus fuerat, quod fusius explanat Albaspinæ.in notis ad eund.Canon. Idem definiuit Nicæ. cap.27. ex Editione Pisani, & deinde posterioribus sæculis. c. sacris. de sentent. excomm. prohibitum est; quia harum oblationum admissio significat communionem eiusdem fidei, & existimant infirmiores eorum, quorum admittuntur dona facta placere, vti argumétatur Yuo Carnotensis. Ep.186. Vbi ait non ideo ea reiici, quod Dei creaturæ immundæ fiant sceleratorum contactu, aut quod actio offerendi Deo mala sit sed vt pudore suffundantur & agnoscant sua crimina non probari ab Ecclesia, quæ nihil amplius cum ipsis velit habere commune. Sicut etiam leges humanæ quorundam testimonia refutant, non quod non aliquando vere testificentur & iusta decernant, sed vt tali repulsa confutati ab errore desistant. Atque hæc ratio ostendit sermonem restringendum esse ad excommunicatos vitandos, cæterorum enim oblatio recipi poterit, sicut & cum illis communicare licebit, quarè hanc oblationum repudiationem ad solum excommunicatum notorium pertinere voluerunt Panorm. & alij DD. in cap. cum voluntate.de sententia excomm. nihil verò interest, siue ipse excommunicatus, siue alius eius nomine offerat, vt aduertit Vgolin. tab.2.cap. 9. §.4. cùm teneri sint oblationes excommunicati, non famuli aut amici eius nomine offerentis; nam si ille amicus suo nomine offerret pro excommunicato tamé vt eius vices suppleret, aut vt fieret pro eo preces ab Ecclesia, quamuis non possent in hunc finem admitti, ratione tamen solius offerentis, qui tunc non esset excommunicatus, nequaquàm repudiari deberent.

Ago etiam tantum de spontaneis oblationibus, si enim aliquo alio titulo debitæ sunt, vt quia testamento relictæ, hæres excommunicatus illas persoluere tenebitur, & Ecclesia illas non modò accipere, sed exigere etiam compellendo poterit, ex c. si verò de sentent. excomm. & cap. qui oblationes, 13. q.2. Itaque docent Richard. in 4. d. 18. a. 6. q.4. Turrecrem. in cap. Qui communicauerit. 11. q.3. Suar. l. c. Alteri. lib.1. disp.12.cap.4. proposit.1. alioquin excommunicati compendium facerent ex sua contumacia.

An verò recipi possint oblationes & munera, quando neque dantur inter sacrum & alia diuina officia, quibus sua oblatione communicare videatur excommunicatus, neque vt pro illo oretur ab Ecclesia, sed simpliciter in honorem Dei aut per modum duntaxat Eleemosynæ quæri iure poterit.

Et quidem quoad primum modum dandi simpliciter in honorem Dei absque onere orandi pro ipso existimat Innoc. in cap. cum voluntate. de sentent. Excomm. æquè recipi posse à moriente & testatore, atque si legatum fuisset factum alicui priuatæ personæ; cùm enim excommunicatus non prohi

prohibeatur testamentum condere, cur prohibebitur legatum Ecclesiæ potiùs, quàm alicui priuato relinquere, maximè quando non apponit conditionem illicitam nimirum orandi pro sua anima. Idem sentit summa Confesso. lib. 3. tit. 33. q. 146. allegans Petrum de Sansona contra Hostiens. addit. Sylu. ỽ. Excommunicatio. 5. num. 15. conditionem, vt oretur pro ipso excommunicato defuncto non vitare hoc legatum, quia orare pro illo licet oratione priuata. Itaque hæc mortuaria, vti appellantur omninò recipi posse concludunt illi DD. quibus assentitur Alteri cap. 4. cit. in 2. proposit. Sanè quidquid sit de peccato excommunicati condentis testamentum, certum est validum esse eiusmodi testamentum, vt dicemus inferiùs ac proinde legatum relictum Ecclesiæ, non tamen ad orandum pro excommunicato, vti docent passim DD. apud Ricciul. lib. 4. cap. 38. numero 15. sed non placet distinctio, quam Alteri. & alij inter legatum ab excommunicato relictum Ecclesiæ absque conditione orandi pro ipso, & munus ab excommunicato viuente factum eidem Ecclesiæ ponunt, & volunt illud recipi licitè posse, non verò istud munus, quod in honorem DEI facit excommunicatus, aut in sustentationem ministrorum Ecclesiæ, cur enim istud secluso scandalo, & aliis, quæ aliam omnem communicationem illicitam reddere possent, reiiciendum erit, ne eo contaminentur ministri accipientes potiùs, quam quælibet alia priuata persona, cùm reuerà hic nulla sit in sacris communicatio.

Quod confirmatur ex eo, quod hic non sit propria oblatio, sed Eleemosyna, quam recipi posse ab excommunicato, vbi adest indigentia & necessitas, aliaue causa excusans à communicatione prophana cum excommunicato denuntiato certum est. Ita summ. Confesso. d. loco. cit. Alteri. Sylu. ỽ. Excommunicatio. 5. n. 14. & 16. & alij, qui frustrà laborant in assignanda ratione, quæ tamen euidentissima est: oblationes enim cum tendant in cultum diuinum, & sacræ sint, faciunt communicationem in diuinis, non verò Eleemosyna, quæ spectat duntaxat indigentis subsidium, estq; actus merè humanus, quarè communicatio, quæ ex illa nascitur, non magis culpabilis erit quàm quælibet alia communicatio in actibus humanis, quidquid contendat in contrarium Vgolin. si igitur causa aliqua occurrat facilè ab omni culpa, quæ venialis tantùm esse potest, eximet. Itàque cap. cum voluntate, §. prædicatores. de sentent. excomm. permittit prædicatoribus & Confessoribus accipere Eleemosynam ab excommunicatis, & alienorum bonorum detentoribus quod autem ibidem addit Pontifex, præsertim si aliàs non valeant in illo loco sustentationem habere; non ita intelligendum est, vt extra casum necessitatis non liceat hanc stipem accipere vt ibi Panorm. & Innoc. explicant, sed vt rectè vidit glossa ỽ. præsertim, & Hostiensis, quod tunc maximè licita sit illa Eleemosyna, sicut & aliis omnibus non prædicatoribus, ea tamen necessitate non vrgente poterunt prædicatores huius priuilegij beneficio eiusmodi Eleemosynas capere, quia alioquin nihil illis indulsisset Pontifex, cùm in necessitate id liceat omnibus, vt monui. cap. Quoniam. 11. qu. 3. Quarè quauis Sylu. ỽ. excommunicatio. 5. numero 14. expositionem Innocentij tutiorem dicat, hanc tamen glossæ non improbat. Vnde quoque fit, vt si excommunicatus rogat amicum dare Eleemosynam, quam ipse Religiosis dare solitus erat, promittens se impensas redditurum, possit ea Eleemosyna admitti, quod quærit. ibid. Sylu. n. 16.

CONSECTARIVM VI.

An excommunicatus possit audire vel habere concionem & lectionem sacram?

Respondent communiter DD. cum Suar. disp. 14
12. s. a. numero. 5. Bonac. q. a. de excomm. p. 3. §. 2. sub fin. excommunicatum toleratum neque concionem neque lectionem sacram scripturæ, Theologiæ, aut iuris Canonici habere posse, etsi enim hæc non pertineant ad res sacras, tamen illi excõmunicato prohibita est omnis cum cæteris fidelibus communicatio, nisi ipsi præueniant eum, quarè illis petentibus posset habere has omnes lectiones censenturque fideles ista petere, quoties illa conueniunt alicui excommunicato ex munere & officio, neque alius adest, qui illa præstet. Quia quilibet censetur ea, quæ sibi necessaria sunt, & ad quæ ius habet postulare, excommunicatus verò vitandus nequit munia ista sponte suscipere quamuis alius desit, & illi ex officio incumbat ea præstare, neque ad ea inuitari poterit à cæteris fidelibus, quia reciproca ea communicatio vetita est, & maxime in iis, quæ ad res sacras accedunt, quarè non poterunt fideles Conciones eiusmodi excommunicati audire.

Quod attinet ad auditionem, potest excommunicatus etiam vitandus Concioni adesse. c. Responso. de sentent. Excomm. quia ea præsentia vtilis erit eius saluti, & Concio non pertinet ad res diuinas. Ita passim Canonistæ & summistæ apud Sayr. lib. a. c. 3. n. 22. Iamque ex antiquo vsu id permissum fuisse tum Catechumenis, tum pœnitentibus & excommunicatis probat ex Concil. Ilerdensi, & Valentino in Hispania Albaspinæ. lib. 2. obseruat. cap. 29. & Morin. lib. 2. Exercitatio. exercitat. 27. Concilium quoque Carthagin. IV. cap. 84. Iudæo, hæretico & gentili permittit audire verbum DEI; vnde sequitur neque Concionatorem, neque auditores alios debere ab incœpto desistere propter præsentiam excommunicati vitandi. Inde tamen non fit excommunicatum denuntiatum posse Concionari, quia vt iam dixi, nequit licitè cum aliis communicare nisi in graui aut extrema necessitate ab iis inuitetur qualis hic fingi nulla vnquam poterit. Non benè tamen dixit Nau. cap. 27. n. 163. excommunicatum solemniter Concionatem fieri irregularem, eò quod sit officium ordini sacerdotali aut diaconatus saltem adiunctum, id enim falsum est, cùm potiùs pertineat ad iurisdictionem quàm ad ordinem hic actus, vti ostendit Suar. disp. 12. s. 2. n. 4. & ex illo non nominato Alteri. lib. 1. disp. 10. cap. 3.

Dices. Initio Concionis recitari salutationem Angelicam, atque ita communicari in oratione cum excõmunicato præsente, quod nõ licet, si ipse vitandus sit. Respondet Auila. 2. p. c. 6. disp. 11. dub. 3. con. 6. has preces priuatas esse, quæ pro salute illius excommunicati & coram illo recitari possunt, sicut Euangelium, aut psalmi in eundem finem, vt habet quoque Nau. c. 27. n. 36. & alij Magistri apud eund. Auil.

Lectioni nihilominùs Theologicæ eò quod non æquè dirigatur ad salutem audientis negant excommunicatum adesse, posse. Immò si sit vitandus tum lectorem, tum auditores ab incœpta lectione desistere debere, Auila a. p. cap. 6. disput. 11.

dub.

dub. 3. & Bonac. q. 2. de excomm. p. 3. §. 2. n. 12. Nihilominùs cùm etiam ex huiusmodi lectione plura in salutem consequantur auditores, præsentiam excommunicati non cogere Magistrum ad illam interrumpendam, aut cæteros auditores ad exeundum ex schola, atque parem esse rationem lectionis huius & concionis docuit Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 4. Hennq. lib. 13. cap. 12. Sayr cap. 3. cit. n. 24. Suar. disp. 12. s. 2. n. 5. Filliuc. tract. 12. cap. 4. q. 2. n. 87. & alij, quia singuli auditores seorsim audiunt, neque communiter conueniunt in vnam actionem, sicut in auditione Missæ in vnam oblationem sacrificij, & tota ea communicatio erit valdè leuis, neque propter vtilitatem, quam ex lectione colligunt auditores, debebunt illam euitare. Quare Soto ait Doctorem posse discipulo excommunicato interroganti circa lectionem respondere; neque placet quod subdubitet Suar. & restringit ad quæstionem pertinentem ad conuersionem animæ.

CONSECARIVM VI.

An excommunicatus prohibeatur ingressu Ecclesiæ.

15 Ratio difficultatis est, quia vir prisci æui Tertullia. lib. de pudicitia cap. 4. & 14. ait excommunicatos à tecto & limine Ecclesiæ submoueri, & cap. 2. de foro competenti dicitur sequestratus ab Ecclesia in Concil. II. Carthagin. cap. 27. ab Ecclesia pulsus, & refertur cap. Qui merito 11. q. 3. & cap. 1. d. 25. munus ostiarij dicitur esse excommunicatos ab Ecclesia repellere; quare glossa in cap. 1. d. 21. & in cap. ostiarius d. 23. Hostiens. tit. de Clerico excomm. Minist. §. qualiter puniantur, & tit. de sentent. excomm. §. sed nunquid. Panorm. in cap. 2. n. 2. de foro compet. & in cap. responso. de sentent. excomm. n. 2. & Felin. in idem cap. & alij negant ingredi posse excommunicatum in Ecclesiam.

Verùm cùm ingressus iste prohibitus tantùm sit, ne diuinis officiis intersit excommunicatus, quamdiù ea non celebrabuntur, liber erit ipsius ingressus excommunicato, qui ibi oret priuatim, non enim dicitur aliter ab Ecclesia eiici, quanquam iis vocibus non significetur ipse locus materialis sed fidelium societas; ostiarius autem eiicere debet excommunicatos, ne ipsorum præsentia diuina turbentur; atque ita docent ipsemet Panorm. sibi contrarins in cap. 1. de vita & honestate Clerico, n. 9. vbi citat glossam notabilem in cap. Qui. 1. q. 1. Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 76. Tabiena. ℣. excommunicatio. 1. n. 5. Nauarr. cap. 27. n. 19. Couarruu. in cap. alma mater 1. p. §. 3. n. 7. Vgolin. tab. 2. cap. 8. §. 6. Sayr. lib. 2. cap. 3. n. 9. & 10. & alij deinceps. Quod confirmatur ex eo, quod neque propius accedere possunt excommunicati ad Ecclesiam, si inde diuina officia audire valeant, vt Nau. cap. 27. num. 179. Vgolin. cap. 8. cit. & alii obseruant; vnde vides totam hanc submotionem ab Ecclesiæ limine spectare tantùm diuina officia, quibus excommunicatus interesse non potest.

Hinc fit vt excommunicatus in templum tanquam in asylum confugere possit vti probat Couarruu. lib. 2. varia. cap. 2. n. 11. Sayr. lib. 2. Thesau. cap. 10. n. 19. & nos fusiùs docebimus alibi.

QVÆSTIO VI.

De priuatione Iurisdictionis Ecclesiasticæ quam affert excommunicatio.

HÆc quæstio fusè fuit agitata dum disputaremus de subiecto iurisdictionis Ecclesiasticæ tum ordinariæ, tum delegatæ, diximusque excommunicatum vitandum omni prorsus ea iurisdictione spoliari, atque adeò ab eo gesta, illicita & irrita prorsus esse. Excommunicatum verò toleratum non priuari quidem iurisdictione, atque adeò eius actus esse validos, eldi tamen posse exceptione excommunicationis, & semper esse illicitos, nisi fiant cæteris fidelibus, quibus solis fauere intendit Extrauagans ad euitanda, petentibus. Ibidem verò dedaximus Corollaria circa collationem beneficiorum, electionem, præsentationem, & eiusmodi alios actus ab excommunicato, an inualidi sint, an illiciti duntaxat. Neque occurrit, quod addamus hoc loco illi disputationi; quare ad alium effectum excommunicationis veniendum erit.

QVÆSTIO VII.

De inhabilitate ad beneficia eorúmque fructus per excommunicationem inducta.

5. *Pars. Collatio beneficij facta excommunicato nulla est aut admodum debilis. num.* 12.

6. *Pars ad validitatem aut firmitatem huius collationis opus est dispensatione. n.* 13.

Quid sit tacita dispensatio. num. 14.

Non est distinguendum hoc loco inter Pontificem & Episcopum.n. 15.

De expressa dispensatione,quæ ponitur in rescriptis ad effectum gratiæ duntaxat impetrandum. n. 16.

An vnà cum illa dispensatione necessaria sit alia absolutio.n. 17.

De dispensatione ad retinendum beneficium durante Excommunicatione inualidè collatum num. 18.

An cum ea dispensatione opus sit noua collatione,n. 19.

Confect. 1. *An Conferens beneficium excommunicato, & excommunicatus illud acceptans peccent, & quas pœnas incurrant. num.*20.

Conferens excommunicato vitando peccat mortaliter.ibid.

*An etiam qui confert excommunicato non vitando.n.*21.

An excommunicatus denuntiatus acceptans validè & inculpabiliter acceptet num. 22.

Excommunicatus non vitandus inculpabiliter acceptat & quomodo.n. 23.

An beneficium collatum ante Excommunicationem possit post illam acceptari. num. 24.

*Pœna circa hanc collationem.n.*25.

Confectarium 2. *An Electio, præsentatio, & alia eiusmodi actiones in gratiam excommunicati facta valida sint.n.*26.

Confectarium 3. *An Excommunicatio superueniens collationi eius exequutionem impediat.n.*27.

An dum quis Coadiutorium impetrauit cum futura successione, si tempore vacationis sit Excommunicatus,valeat impetratio. num. 28.

*An possessio beneficij capta ab excommunicato sit valida.n.*29.

Confect. 4.*an Excommunicatus acceptans beneficium sibi ante Excommunicationem validè collatum, validè illud acceptet. num.* 30.

Varia sententia ibid.

*Componuntur.n.*31.

*Confect.*5. *an Excommunicatus post obtentam absolutionem egeat noua collatione, vt beneficium sibi durante excommunicatione collatum acceptet.n.*32.

Confectarium 6. *An Ecclesia possit commendari excommunicato.n.* 33.

Confectarium 7. *An pensio Clericalis possit conferri Excommunicato.n.*34.

*Diuersa sententia n.*35.

Componuntur adhibita distinctione. num. 36.

Confectarium 8. *an possit conferri beneficium Capitulo, cuius partes sunt excommunicata.num.*37.

Confectarium 9. *an Excommunicatus possit retinere beneficium sibi collatum, & fructus eius capere.num.* 38.

Confectarium 10. *an beneficium legitime obtentum vacet per acquisitionem secundi tempore Excommunicationis. num.* 39.

2. *Propositio. Quid efficiat Excommunicatio circa beneficia ante ipsum collata. n.* 40.

1. *Pars. Excommunicatio non priuat beneficiis prius obtentis.n.*41.

2. *Pars. An insordescentia in Excommunicatione priuet prioribus beneficiis. num.* 42.

Ea Insordescentia præcisè sumpta non priuat. num. 43.

Explicantur iura in contrarium allata. num. 44.

*Si quis excommunicatus fuit propter crimen, cui annexa est priuatio beneficij, illo per vnius anni insordescentiam, per quam de crimine conuincitur, priuatus manet. num.*45.

Quando crimini est annexa priuatio beneficij imponenda à iudice, priuandus ille erit, qui insorduerit in Excommunicatione lata propter eiusmodi crimen num. 46.

Si autem crimen neque annexam habeat beneficij priuationem, neque illam meretur, non poterit Reus priuari suo beneficio propter solam insordescentiam in Excommunicatione.n. 47.

Insordescentia in Excommunicatione reddit suspectum de heresi.n. 48.

*Quid requiratur ad annuam insordescentiam. n.*49.

3. *Propositio. Quid operetur Excommunicatio circa fructus beneficij.n.*50.

Expositio & Confirmatio Propositionis num. 51.

Quid intelligatur nomine fructuum beneficij. ibid.

1. *Pars propositionis. Hæc priuatio fructuum non incurritur ipso iure ab excommunicato n.*52.

Eius probatio. num. 53.

Expli-

Beneficium comparari potest cum excommunicato, vel vt ab illo obtinendum est, vel vt iam ante excommunicationem & censuram obtentum fuit; quæritur enim an excommunicatio priuet beneficio vtroque illo modo, an altero tantùm.

PRIMA PROPOSITIO

De incapacitate excommunicati ad noua beneficia.

1 Dico 1. excommunicationem maiorem reddere excommunicatum incapacem acquirendi noui illius iuris ad beneficia & munera Ecclesiastica, ita vt quæcunque horum omnium collatio non tantùm illicita, sed etiam ipso iure irrita & nulla aut saltem non satis firma sit; nisi accesserit dispensatio tacita vel expressa.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

2 Obseruandum duplex esse ius ad beneficium & officium Ecclesiasticum, vnum est plenum & completum, quod nullo alio indiget, quo perficiatur, estque ius in re; alterum est inchoatum duntaxat, quod vlterius perfici debet, estque tantùm ius ad rem, & qui habet eiusmodi ius ad beneficium, non ita illud obtinet, vt eius morte dicatur vacare; qui enim electus est ad beneficium, aut ad illud præsentatus, non ita eius dominus fit ante institutionem aut confirmationem, vt si tunc obeat, dicatur eiusmodi beneficium vacare per obitum beneficiarij; itaque neque electio, neque præsentatio dant plenum ius electo aut præsentato, nisi accedat confirmatio vel institutio, quæ ius inchoatum perficiant.

Obseruandum prætereà est, ius illud aliquando firmum, aliquando debile admodum esse, eò quod aliqua exceptione elidi possit, & idcirco collatio eiusmodi iuris irrita & nulla dicitur, siue quia nullum omninò ius confert, siue quia ita debile & nutans, vt extingui facilè possit, ac proinde non pluris fieri soleat, quàm si nullum omninò foret, quod in plerisque aliis contingere videmus, plerique enim contractus iure naturali validi, quia tamen exceptione legis contra cuius præscriptum initi fuere, tota eorum obligatio elidi potest, irriti & nulli dicuntur: his annotatis singulas positæ assertionis partes confirmo.

PRIMA PARS. PROPOSITIONIS.

Excommunicatio maior affert incapacitatem acquirendi noui beneficij.

Dixi igitur 1. excommunicationem maiorem reddere excommunicatum incapacem acquirendi noui beneficij. Ita Innoc. III. definit. cap. postulastis de Clerico excomm. ministr. estque concors omnium DD. sententia, vt testantur & referunt Sylu. de beneficiis, q. 43. part. Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 7. num. 1. Sayr. l. 2. c. 5. n. 1. Ricciul. lib. 4. de iure personarum extra Ecclesiam, cap. 6. n. 1. Garcias 7. p. de beneficiis, cap. 13. num. 5. & 9. Flamini. Parisi. lib. 4. de resignat. quæst. 3. Rebuffus repetit. in cap. postulastis cit. Vgolin. tab. 2. de censu. cap. 13. §. 1. & alij; estque huius iuris aperta ratio, quam tradit Innoc. cap. postulastis & ibid. explicat Panorm. ex eo quod excommunicatis non liceat communicare cum aliis, non possint autem exercere munera sui beneficij absque ea communione, neque porrò dantur Ecclesiastica beneficia, nisi ad aliquod officium illis annexum exercendum, cap. cùm secundum de præbend. & cap. vlt. de rescript. in 6. atqui excommunicatus priuatur exercitio cuiuscunque officij & beneficij Ecclesiastici, vt constat ex iis quæ dicta sunt aliàs de subiecto Iurisdictionis Ecclesiasticæ; igitur incapax quoque erit acquirendi beneficij, cuius functiones & munera obire non potest quæ est rationatio Pontificis cap. si celebrat. de Clerico excommunicati ministrante, vt probet electionem excommunicati minori excommunicatione irritandam esse; quia, nimirum eligitur talis excommunicatus ad ea, quorum exercitatio à sanctis Patribus illi prohibetur: Vnde colligunt DD. cum Panormit. solemnem Regulam, eum qui fit inhabilis ad aliquem actum, fieri quoque inhabilem ad recipiendum de nouo principij illius

Expli-

BEneficium comparari potest cum excommunicato, vel vt ab illo obtinendum est, vel vt iam ante excommunicationem & censuram obtentum fuit; quæritur enim an excommunicatio priuet beneficio vtroque illo modo, an altero tantùm.

PRIMA PROPOSITIO

De incapacitate excommunicati ad noua beneficia.

1 Dico 1. excommunicationem maiorem reddere excommunicatum incapacem acquirendi noui illius iuris ad beneficia & munera Ecclesiastica, ita vt quæcunque horum omnium collatio non tantùm illicita, sed etiam ipso iure irrita & nulla aut saltem non satia firma sit; nisi accesserit dispensatio tacita vel expressa.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

2 Obseruandum duplex esse ius ad beneficium & officium Ecclesiasticum, vnum est plenum & completum, quod nullo alio indiget, quo perficiatur, estque ius in re, alterum est inchoatum duntaxat, quod vlterius perfici debet, estque tantùm ius ad rem, & qui habet eiusmodi ius ad beneficium, non ita illud obtinet, vt eius morte dicatur vacare; qui enim electus est ad beneficium, aut ad illud præsentatus, non ita eius dominius sit ante institutionem aut confirmationem, vt si tunc obeat, dicatur eiusmodi beneficium vacare per obitum beneficiarij; itaque neque electio, neque præsentatio dant plenum ius electo aut præsentato, nisi accedat confirmatio vel institutio, quæ ius inchoatum perficiant.

Obseruandum prætereà est, ius illud aliquando firmum, aliquando debile admodum esse, eò quod aliqua exceptione elidi possit, & idcirco collatio eiusmodi iuris irrita & nulla dicitur, siue quia nullum omninò ius confert, siue quia ita debile & nutans, vt extingui facilè possit, ac proinde non pluris fieri soleat, quàm si nullum omninò foret, quod in plerisque aliis contingere videmus, plerique enim contractus iure naturali validi, quia tamen exceptione legis contra cuius præscriptum initi fuere, tota eorum obligatio elidi potest, irriti & nulli dicuntur: his annotatis singulas positæ assertionis partes confirmo.

PRIMA PARS. PROPOSITIONIS.

Excommunicatio maior affert incapacitatem acquirendi noui beneficij.

Dixi igitur 1. excommunicationem maiorem reddere excommunicatum incapacem acquirendi noui beneficij. Ita Innoc. III. definit. cap. postulastis de Clerico excomm. ministr. estque concors omnium DD. sententia, vt testantur & referunt Sylu. de beneficiis, q. 4. 3. part. Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 7. num. 1. Sayr. l. 2. c. 5. n. 1. Ricciul. lib. 4. de iure personarum extra Ecclesiam, cap. 6. n. 1. Garcias 7. p. de beneficiis, cap. 13. num. 5. & 9. Flamini. Parisi. lib. 4. de resignat. quæst. 3. Rebuffus repetit. in cap. postulastis cit. Vgolin. tab. 2, de censu. cap. 13. §. 2, & alij; estque huius iuris aperta ratio, quam tradit Innoc. cap. postulastis & ibid. explicat Panorm. ex eo quod excommunicatis non liceat communicare cum aliis, non possint autem exercere munera sui beneficij absque ea communione, neque porrò dantur Ecclesiastica beneficia, nisi ad aliquod officium illis annexum exercendum, cap. cùm secundum de præbend. & cap. vlt. de rescript. in 6. atqui excommunicatus priuatur exercitio cuiuscunque officij & beneficij Ecclesiastici, vt constat ex iis quæ dicta sunt aliàs de subiecto Iurisdictionis Ecclesiasticæ; igitur incapax quoque erit acquirendi beneficij, cuius functiones & munera obire non potest quæ est ratiocinatio Pontificis cap. si celebrat. de Clerico excommun. ministrante, vt probet electionem excommunicati minori excommunicatione irritandam esse; quia, nimirum eligitur talis excommunicatus ad ea, quorum exercitatio à sanctis Patribus illi prohibetur: Vnde colligunt DD. cum Panormit. solemnem Regulã, eum qui sit inhabilis ad aliquem actum, fieri quoq; inhabilẽ ad recipiendum de nouo principium illius

illius actus, & ideò quia irregularis inhabilis est ad exercendum officium est etiam ad illud ineligibilis, vt dicitur cap. Is qui de sentent. excomm. in 6. quia nempè quando aliquid prohibetur, prohiberi quoque debet omne per quod ad illud prohibitum peruenitur, quod ex variis iuribus confirmat glossa in l. oratio, ff. de sponsalibus, vbi prohibitionem contrahendarum nuptiarum quibusdam Senatoribus factam ab Antonin. & Commodo Imperatoribus sapienter ad ipsa sponsalia extendit Vlpian. Plura alia ad huius Communis Regulæ confirmationem congessit Rebuff. in repetit. in cap. postulastis, notab. 1. vbi quoque n. 13. contrariam Regulam explicat nempè concesso vno videri concessum esse omne, per quod peruenitur ad illud, & omnes vias intelligi permissas. Hinc fit vt quia dominium non potest esse penes duos in solidum, neque possit etiam esse possessio ciuilis, per quam peruenitur ad dominium; prohibitus alienare prohibetur etiam promittere alienare, aut alium quempiam contractum inire, qui tendat in dominij traslationem prohibitam, & prohibitus alienare extra familiam prohibetur hæredem extraneum instituere l. peto, §. fratre ff. de legatis 2. & latè Decius consil. 3. atque vt aliquid magis in rem nostram afferamus pluribus ostendit Alexand. consil. 70. quod incipit in causa in 3. volumine, eum, cui prohibita est collatio beneficiorum, non posse ad illa habilitare & dispensare, immò sicut requiritur expressa mentio collationis, cap. fin. de officio Vicar. in 6. ita & habilitationis necessariam esse contendit ibid. Alexand. propter Regulam allatam. Idcircò in mea propositione non dixi tantùm excommunicatum fieri incapacem acquirendi noui beneficij aut muneris Ecclesiastici, sed noui iuris ad beneficium, cum eiusmodi noui iuris acquisitio sit principium obtinendi beneficij. Complexus autem sum omne ius siue sit inchoatum tantùm & ad rem, siue sit prioris quoddam complementum, quia reuerà tale ius est principium actus prohibiti, & cuius incapax est excommunicatus, quia necessariò ab omni iure de nouo acquirendo submoueri debet ex Regula tradita, vnde plurima dissidia componemus in Corollariis.

SECVNDA PARS.
PROPOSITIONIS.

Intelligenda est hac incapacitas de omni beneficio, munere & dignitate Ecclesiastica.

4 2. parte propositionis præscripsi terminos huius incapacitatis, quam complecti volo imprimis omnia beneficia: quamuis enim ea voce sæpiùs in iure non soleant comprehendi omnia beneficia, & maximè maiora & curam animarum habentia, cùm tamen eadem vox ex vi sua natiua & propria designet omne beneficium, aliquando in ea amplissima significatione sumitur, quod ex subiecta materia & aliis circumstantiis diiudicandum erit, idque certissimum est, quoties apponitur signũ vniuersale, aut aliquid æquipollens, atqui in c. postulastis de Clerico excomm. minist. vbi Innoc. III. negat beneficia Ecclesiastica conferri posse excommunicatis, etsi nõ apponat signum vniuersale, vsurpat tamen indefinitè eam vocem; propositio tamen indefinita æquipollet vniuersali, obseruatq; glossa in c. penult. de verb. significatione, ℣. beneficiorum, illam vocem indefinitè positam de omnibus beneficiis capiendam esse, atque ita priuilegium percipiẽdi fructus beneficiorum de omnibus beneficiis intelligendum esse; qua ratione nomine Clericorum indefinitè posito, intelliguntur tum maiores tum minores Clerici, vti aduertit quoque glossa eod. tit. in cap. cùm tibi ℣. appellatio Clericorum.

Deinde quoties vox aliqua indefinitè vsurpatur in propositione negatiua, æquipollet vniuersali, ex eo quod negatio sit malignantis naturæ & illud omne, cui aduenit, neget ac tollat; quarè cùm in ca. postulastis propositio negatiua sit, *Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica beneficia conferri non possunt*, quidquid propriè nomine beneficij Ecclesiastici significatur, negatur in ea propositione indefinita, quod ipsum subiecta materia satis persuadet, cùm enim hæc incapacitas inducta sit in pœnam excommunicati, quis dicat Ecclesiam voluisse illum reddere tantum incapacem acquirendi minora beneficia, permisisse verò vt Episcopatus & alia maiora ac primæ dignitatis assequeretur, & sicut illud, quod dicitur cap. cum bonæ de ætate & qualit. suspensum non posse retinere beneficia acquisita tempore suspensionis, de quolibet beneficio omnes DD. interpretantur, ita de excommunicato idem dicendum erit, & in amplissima, propria tamen significatione cap. postulastis, accipiendum, vti monent Suar. disp. 13. s. 1. num. 4. & Less. lib. 2. cap. 34. dub. 22. n. 116. vbi excipit solum summum Pontificatum, ad quem excommunicatum aliave censura innodatum euehi posse colligitur ex cap. licet de electione & Clem. ne Romani §. cæterum, eod. tit. ad vitanda nimirum schismata quæ eo prætextu Ecclesiam discindere possent.

Dices in pœnalibus vocem beneficij strictius esse capiendam, quam Regulam sequutus videtur Innocent. III. cap. dilectus de concessio. præbend. vbi constitutionem in Concil. Lateran. ab Alexandro III. editam contra eos, qui conferre vacantia beneficia vltra sex menses, different, negat extendi ad Archiepiscopatus & Episcopatus, sed ad minora tantùm beneficia, & cap. fœlicis de pœnis in 6. nomine beneficiorum non comprehendi Episcopatus, nisi exprimantur, maximè in odiosis adoertit glossa, negatque exceptionem Pontificalis dignitatis, quam ibi adhibet Pontifex fuisse necessariam, subintelligenda enim fuerat.

℟. Ex hac ipsa Regula, quam assignant Aduersarij sequi beneficij vocem in amplissima significatione vsurpari cap. postulastis, eius enim sanctio fauet Ecclesiæ, quæ non patitur sibi præfici eum, quem tanquam membrum à suo corpore præscidit; idcircò autem Innoc. cap. cùm dilectus excipit Episcopatus à constitutione Alexand. III. quia eadẽ fuerat eius Pontificis mens, aut quia, nisi excepisset Innoc. in illa generali lege continebantur, quod cõfirmatur ex omnibus aliis locis, in quibus sunt appositæ exceptiones, inde enim apertè sequitur, etiam maiora & illustria beneficia contineri nomine beneficij indefinitè positi, nisi aut disertè excipiantur, aut subiecta materia ita postulet, aut generales exceptiones alibi positæ etiam eo loco valeant; quorum nullum dici potest in nostro casu. Maneat itaque excommunicatum fieri

incapacem

incapacem omnis & cuiusque beneficij Ecclesiastici acquirendi.

5 2. Non modò summouetur Excommunicatus à beneficiis, sed etiam ab omnibus muneribus & dignitatibus Ecclesiasticis acquirendis, cuiusmodi sunt Vicarij, Rectoris, Delegati, Guardiani, Gubernatoris, & similia siue ad tempus, siue in perpetuum illis donentur quia cùm Excommunicatus prohibeatur exercere horum munerum actus ab ipsis quoque muneribus capiendis arceatur oportet ex generali Regula superiùs tradita. Itaque passim docent Vgolin. tab. 2. de Censu. cap. 13. §. 3. & 4. Henriq. libro 3. cap. 13. num. 1. Sayr. lib. 2. Thesaur. cap. 5. num. 35. Garc. de benefic. 7. p. cap. 13. numer. 22. Auila. 2. p. cap. 6. disput. 6. dub. 7. Suar. disput. 13. de Censu. s. 1. numer. 6. Layman lib. 1. tract. 5. 2. p. cap. 2. num. 8. Alteri. lib. 2. cap. 2. Bonac. quæst. 2. de excomm. p. 4. §. 1. num. 3.

Ex quibus Henriq. Sayr. Vgolin. Garc. Auila, & Bonac. male ad officia sæcularia, & eorum collationem aut electionem hanc incapacitatem extendunt, cùm nullus omninò textus inducat irritationem eiusmodi aut concessionis aut Electionis nam frustrà obiicitur cap. Venerabilem de Electione, ibi enim tantùm electio hæretici aut excommunicati in Imperatorem non recipitur à Romano Pontifice, qui ipsum inungere & consecrare debebat, non tamen nulla fuisse electio definitur, sed aduersus illam Romanus Pontifex excipit Excommunicationem & alia crimina electi.

Neque ex muneribus Ecclesiastiacis ad sæcularia licet argumentari; cùm munera Ecclesiastica eorumque Iurisdictio subsit Ecclesiæ, à qua deriuantur proximè & immediatè, non verò Iurisdictio & dignitates temporales, neque enim dominij temporalis acquisitionem impedit eacommunicatio. Quarè hæc officia & dignitates acquiri posse successione ab excommunicato, vt in capiendo maioratu & aliis contingit, fatentur ex ipsis Aduersariis Garci. cap. 13. cit. num. 26. Vgolin. dicto §. 3. num. 2. Sayr. num. 37. & Bonac. l. cit. Deinde alio longè modo prohibetur excommunicato exercitium Iurisdictionis Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, nam prius illud prohibetur non tantùm propter negatam excommunicato communicationem cum fidelibus, sed etiam primò & per se, quomodo simile exercitium vetatur suspenso, cui tamen non negatur communicatio cum fidelibus, & sanè cùm tota Iurisdictio Ecclesiastica eiusque vsus pendeat immediatè & proximè atque totaliter ab Ecclesia, ab illa impediri & prohiberi, aut penitùs tolli poterit, prout æqua ratio postulabit, & sapienter omninò, quem à se ablegauit Ecclesia, priuat vsu Iurisdictionis, quam illi contulerat: At verò vsus Iurisdictionis Laicæ non prohibetur excommunicato, nisi secundariò & ex quadam consequutione, ex eo nempe, quod illi sit vetita communicacio cum fidelibus, siue quia nequit ea munera exercere cùm enim neque ea Iurisdictio, neque eius vsus subsit directè Ecclesiæ, non potest illam directè & per se aut tollere, aut impedire, sed tantùm secundariò, vt dixi; vnde quæ causæ permittent communicationem cum excommunicato, eædem quoque Iurisdictionis vsum eidem licitum facient, neque gesta ab excommunicato in materia Laica, siue vi Iurisdictionis omnino laicæ ex natura rei nulla sunt, sed quia illicita ob vetitam excommunicationem, elidi possunt exceptione excommunicationis, non tam ex natura ipsius excommunicationis, aut ex lege Ecclesiastica, quàm ex lege Principum, qui non dedignantur, vt in pari causa loquitur Innoc. sacros canones imitari, & nolunt, quem Ecclesia eiecit, & qui cum aliis aliquod commune commercium habere non potest, obtinere vsum liberum potestatis à se acceptæ, & quidquam in Republ. gerere, quod vel non irritum sit, vel non ita nutet, quin statim aliqua exceptione subrui possit, vt dicam q. seq.

Quando itaque obiicitur Regula à nobis superiùs allata, eum qui fit inhabilis ad aliquem actum, fieri quoque inhabilem ad recipiendum principium illius actus, & idcircò cùm excommunicatus actus officij & Iurisdictionis Laicæ exercere nequeat, neque etiam officium aut Iurisdictionem ipsam capere posse, limitanda est ea Regula ad inhabilitatem exercendi actus primò & per se, & non tantùm secundariò & ratione alicuius impedimenti, quando enim ea inhabilitas afficit primò & per se aliquem, reddit quoque illum incapacem principij illius actus, non vero quando ea inhabilitas resultat tantum ex aliquo alio impedimento, poterit enim recipere principium actus sublato impedimento exercendi, inhabilitas autem vtendi Iurisdictione Ecclesiastica, qua damnatur excommunicatus primo & per se, & directè, infligitur ab Ecclesia, & non tantùm propter impedimentum communicationis, quod ipsum contingere videmus in suspenso, ac proinde excommunicatus manet inhabilis ad principium eorum actuum sibi primario & directè prohibitorum. Exercitium verò Iurisdictionis laicæ prohibetur excommunicato indirectè duntaxat, & secundario propter impedimentum vetitæ communicationis & consuetudinis cum fidelibus, sine qua tamen communicatione nequit vti sua Iurisdictione, vnde non fiet inhabilis ad capiendam ipsam Iurisdictionem sublato impedimento exercendam, quanquam collatio illius Iurisdictionis illicita sit, eo quod in illa reperiatur aliqua communicatio cum eiusmodi excommunicato, non tamen idcirco erit inualida, & in pluribus videmus potentias & principia non esse expedita ad agendum statim atque primùm producuntur, quod tum in physicis, tum in moralibus contingit, nam & minores & infantes licet capiant Iurisdictionem, eam tamen nisi aliorum ministerio aliquamdiu exercere non possunt. Quarè hanc tandem munerum & dignitatum laicarum concessionem excommunicatio factam validam esse docent Suar. disput. 16. de Censu. s. 2. Filiuc. tract. 12. cap. 5. quæst. 2. numer. 118. & cap. 6. quæst. 10. num. 165. & cap. 7. quæst. 3. num. 173. Hurtad. disput. 8. de Excomm. diffic. 2. sub fin. Kon. disput. 14. num. 166.

TERTIA PARS

PROPOSITIONIS.

Sola Excommunicatio maior affert hanc incapacitatem.

Tertia parte propositionis hunc effectum inhabilitandi ad beneficia & munera Ecclesiastica tribuebam soli Excommunicationi maiori, quarè 6

reiicio excommunicationem minorem, cui eandem efficacitatem assignant DD. in cap. fin. de Clerico excomm. minist. ✠. scienter, vbi quod Pontifex dicit eiusmodi excommunicati electionem vitandam esse, ita interpretantur, vt sit declaranda irrita, cùm iam reipsa irrita sit; sic eo loco Cardin. & Panorm. n. 3. & alios allegans Lambertin. lib. 2. de iure Patronat. 1. p. q. 9. a. 1. Couarruu. quoque in cap. Alma mater 1. p. §. 8. n. 3. communem esse testatur, quod & asserit Sylu. ✠. excommunicatio 1. n. 3. qui tamen alio loco docet aliud, vt iterum monebo, quarè sequuntur Rebuff. in cap. postulastis de Clerico. excomm. minist. notab. 2. n. 22. & 51. Vgolin. tab. 3. de censu. cap. 6. §. 3. n. 2. Armilla ✠. excommunicatio. n. 5. Garcias 7. p. de Benefic. cap. 13. n. 27. & omninò tenet glossa in cap. fin. citat. ✠. scienter, & verbo priuatus. Cuius opinionis alia ratio non est, quàm communis Canonistarum expositio verborum capitis, si celebret de Clerico excomm. minist. cùm tamen neque ex textu, neque ex subiecta materia, neque ex vllo alio capite confirmari possit: nam hæ voces electio eius est irritanda non significant illam electionem esse irritam, sed potiùs contrarium, quod enim irritandum est, nondum irritum est, quamuis ita debile sit, vt annullari & irritari debeat. Deinde subiecta materia non cogit ad hanc vocis extensionem, quia materia est odiosa ac proinde restringenda, neque licet argumentari ex excommunicatione maiori, cuius maligniores sunt vires, & in cap. postulastis eod. tit. vnde colligimus electionem excommunicati esse irritam, non agitur de minori excommunicatione. Ratio denique nulla affertur, argumentantur enim ex eo, quod dicat illo cap. Pontifex, idcircò electionem huius excommunicati irritandam esse, quia ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à sanctis Patribus est priuatus; Inde enim sequi videtur ex Regula superius tradita inualidam prorsus esse electionem istam, qui enim inhabilis est ad exercendum aliquem actum, est quoque inhabilis ad acquirendum eius principium.

Verùm hinc sequitur potiùs oppositum, quia cùm hic excommunicatus ex eo tantùm priuetur beneficiis aliisque officiis & exercitio iurisdictionis: quia beneficia supponunt susceptionem ordinum & Sacramentorum, à quorum susceptione prohibetur, manifestum est hanc priuationem beneficiorum non esse nisi admodum indirectum, neque eiusmodi excommunicatum fieri inhabilem primò & per se ad exercendam iurisdictionem, quandoquidem & validè & etiam licitè præstat eos omnes actus, quoties in illis non includitur necessario susceptio Sacramentorum, ac proinde ex hac inhabilitate admodum indirecta & penè nulla ad actus, male colligeretur inhabilitas ad principium eiusmodi actuum: quia tamen principium illud, quod est beneficium, supponit aliquam susceptionem ordinum qua priuat hæc excommunicatio, idcircò prohibetur quoque beneficij susceptio per quandam consequentiam, non tamen irritatur & inualidatur ipso iure, sed irritanda decernitur. Itaque hanc sententiam docent Richard. in 4. d. 18. a. 7. q. 4. Felin. in cap. dilectæ de exceptionib. Suar. disp. 24. s. 2. n. 13. Less. cap. 34. lib. 2. n. 116. Auila 2. p. cap. 6. disp. 12. dub. 4. Sayr. lib. 2. Thesau. cap. 22. n. 23. & 24. Toler. lib. 1. c. 17. Soto. lect. 4. de excomm. Angles in florib. in 4. sentent. 2. p. tit. de excomm. art. 3. diffi. 10. Sylu. ✠. excommunicatio 4. num. 4. Alteri. lib. 1. disp. 4. cap. 3. Vasq. dub. 6. de excommunic. Kon. disp. 14. dub. 17. Hurtad. disp. 16. de excomm. diffi. 1. n. 6. Bonac. q. 3. de excomm. p. vn. nu. 7. & alij ex quibus Hurtad. Auila, Tolet. atque etiam Antonin. 3. p. tit. 25. cap. 2. §. 1. dicunt hanc electionem esse tantùm irritandam, quando scienter facta fuit, eo quod in cap. si celebrat, quod exponimus, dicat Pontifex si tamen scienter talis electus fuerit: vnde colligitur non videri irritandam electionem, quando cum ignorantia probabili facta fuit, etsi enim ratio propter quam irritanda dicitur huius excommunicati electio, nimirum quod eligatur ad ea, quorum susceptione priuatus est, æquè valeat ignorata excommunicatione, aut cognita, & idcircò vocem scienter, qua vtitur Pontifex passim exponant Canonistæ, etiamsi scienter facta fuerit electio, cùm tamen non tam attendatur identitas causæ in casibus similibus, quam voluntas Principis, quando potuit probabilis aliqua ratio contrarium persuadere: hærendum existimo verbis legis, quæ requirunt scientiam excommunicationis minoris, vt ex eius exceptione irritetur per sententiam Iudicis electio talis excommunicati, neque variis interpretationibus detorquenda est sententia & mens Pontificis ad ampliandas pœnas, quæ ex generali Regula restringendæ sunt, neque deest optima ratio propter quam Pontifex irritandam dixerit electionem excommunicati minori excommunicatione scienter factam, vt nimirum proteruiam & culpam excommunicati illius, qui sciens se innodatum illa censura, nihilominus ad beneficium, quod ex natura sua ad susceptionem Ordinum & Sacramentorum sibi prohibitam refertur eligi se passus fuerit, conuenienti pœna plecteret, & electionem quam ambiuerat aut admiserat contra Patrum Canones infirmam atque irritandam esse sciret: illud enim scienter nequaquam ad eligentes qui norint excommunicationem & censuram electi, sed ad ipsum electum qui se excommunicatum sciat refero cum Suar. disp. 24. de censu. s. 2. n. 15. eo quod hac irritatione puniatur culpa electi & non electorum; quarè nihil interest ad hanc irritationem, quod electores peccent, aut non peccent, eo quod sciret aut ignorarent excommunicationem.

QVARTA PARS.

An quilibet innodatus maiori excommunicatione sit incapax beneficij acquirendi.

Quarta Parte propositionis affirmo indefinitè excommunicatum maiori excommunicatione incapacem fieri obtinendi beneficij Ecclesiastici, quæ indefinita propositio videtur æquipollere vniuersali, & complecti quemlibet excommunicatum, quia cùm hæc excommunicatio sit prima origo talis incapacitatis, vbicunque reperitur eadem causa eundem pariet effectum: Itaque quamuis excommunicatus sit occultus & ignotus conferenti beneficium, aut ipsemet nesciat se esse innodatum, aut ex vulgi errore habeatur pro absoluto, nihilominus inualidè capere beneficium affirmant communi ferè consensu DD. quos dabimus Ricciul. cap. 6. lib. 4. num. 9. ad 17. Garcias. 7. p. cap. 13. num. 9. 7

Sayr

Sayr. lib. 2. cap. 5. num. 8. sequuntur Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §.7. n. 3. Henriq. lib. 13. cap. 3. num.3. Suar. disp. 13.s.1. num.3. Lessius cap. 34. lib. 2. num. 117. Auila. 2. p. cap. 6. disp. 5. dub.2.num. Kon.disp. 4. dub.9. Layman. lib. 1. tract. 5. x. p. cap. 2. num. 7. Bonac. q.2. de excomm. p. 4. §. 1. num.2. Alteri.lib.2. disp.6. cap.2.qui omnes ducuntur ex eo, quod licet ignorantia obligationis aut præcepti reddat ignorantem immunem à culpa, non tamen ignorantia impedimenti, & inhabilitas tollit impedimentum aut inhabilitatem vt patet, & distinctio excommunicati vitandi & non vitandi, quam facit extrauagans Martini V. ad euitanda, inutilis est hoc loco, quia Martinus testatur illa sua constitutione, nihil prorsus se voluisse indulgere excommunicatis. Quare vbi de ipsorum commodis, vtilitatibus ac fauore agitur, manent illæsa omnia antiqua iura, illa porrò reddebant omnem excommunicatum incapacem obtinendi beneficij.

Verùm hæc communis sententia non caret difficultate; quamuis enim fatear ignorantiam excommunicationis præcisè sumptam non tollere inhabilitatem, vt optimè probat communis sententia manet tamen quæstio dum vtrum ad inducendam inhabilitatem, de qua agimus, sufficiat quælibet excommunicatio maior, an verò requiratur vt fuerit denuntiata, sitque eiusmodi, quæ obliget fideles omnes vitare excommunicatum. Cùm enim excommunicatio neque hanc incapacitatem, neque vllum alium effectum pariat ex natura sua, sed tantùm ex institutione Ecclesiæ, quæ potuit diuersas conditiones apponere, vt excommunicatio certum quendam effectum producat, atque vnum vni excommunicationi, alterum alteri assignare, non necessariò colligitur ex eo quod aliqua excommunicatio habeat aliquem effectum, omnem excommunicationem illum eundem habere, quoties circa reliquos effectus inter eiusmodi excommunicationes solet esse discrimen: nobis verò constat ex hactenùs disputatis in administratione sacramentorum in sacra iurisdictione eiúsque actibus, in sacrificij & suffragiorum fructibus percipiendis aliisque similibus excommunicatum vitandum dissimili ratione se habere, quàm non vitandum; quid igitur circa effectum obtinendi beneficia discrimen etiam aliquod fuerit; maximè cum ratio, quæ circa effectus numeratos diuersitatem ponit inter hos excommunicatos valeat quoque circa beneficiorum capacitatem vel incapacitatem. Quod ostendo imprimis, quia idcirco Innoc. cap. postulastis de clerico excomm. ministr. negat excommunicatis conferri posse beneficia, quia cum illis communicare non licet, atqui licet communicare in omnibus cum excommunicatis non vitandis, ergò licebit illis conferre beneficium, cùm ratio, propter quàm illicita & inualida est ea collatio ex Innocentij decreto, cesset in his excommunicatis. Respondet Suar. s.1. cit. num. 27. Electores non peccare contra prohibitionem Ecclesiasticam communicando cum excommunicato in illa electione & collatione beneficij, ac proinde non subiacere pœnæ, quàm imponit Pontifex in citato cap. Postulastis conferenti beneficium excommunicato, peccare nihilominus eo quod personam inhabilem eligant, & faciant actionem irritam, sicut peccarent eligendo irregularem, aut publicum concubinarium aliúmve incapacem.

Verùm cùm Pontifex eam tantùm rationem suæ constitutionis prohibentis conferri beneficia excommunicato, asserat quòd non liceat communicare cum illo, videtur totam hanc incapacitatem restringere ad excommunicationem, quæ ol ligat fideles ad vitandum excommunicatum ac proinde non peccat ille collator, quod eligat incapacem. Præterquam quod potest fieri collatio ea conditione, vt excommunicatus remoueat impedimentum, quod habet obtenta absolutione, quod enim obiiciunt non posse contrahi matrimonium cum inhabili per impedimentum dirimens & sublato impedimento opus esse nouo consensu, non vrget, quia posset contrahi matrimonium sub conditione dispensationis obtinendæ, quod illa obtenta & purificata, vt loquuntur, conditione validum fieret absque vllo nouo consensu, vti contendunt Sanchez libr. 5. de matrimon. disput.8. Konin. disput. 19. num. 33. Hurtad. disput. 6. de matrimon. diffic. 4. numer. 15. Quidni igitur fieri poterit collatio cum onere & conditione remouendi per absolutionem impedimentum & incapacitatem, si quæ sit: quare neque ex parte agentis collatio erit illicita aut inualida, cùm nihil in ea peccetur contra legem Ecclesiasticam, vt fatentur aduersarij, neque contra legem naturalem, quia incapax non eligitur simpliciter sed conditionatè vti exposui: Deinde quia non satis probant aduersarij ex illo textu hunc excommunicatum non vitandum esse incapacem, non quod faueat ipsi Concilij Constantiensis sanctio, sed quia primò & per se seruitur fidelium commodis, vnde tamen indirectè deriuatur aliquis etiam fauor in excommunicatum ipsum, vti diximus quæstione prima; eam enim collationem esse validam, atque etiam licitam, commodum est conferenti atque aliis fidelibus, qui cum tali beneficiato validè agere poterunt; vnde confirmo vlteriùs nostram sententiam, idcircò enim DD. omnes negant collationem beneficij factam excommunicato esse validam, quia cùm ille sit incapax exercendi actus illius & iurisdictionis ipsi annexæ non potest acquirere principium talis exercitij ex generali Regula superiùs allata incapacem ad aliquem actum non posse acquirere principium illius actus, atqui excommunicatus vitandus retinet totam iurisdictionem, & illam atque omnes officij & beneficij actua exercere validè & licitè potest rogatus à fidelibus, aut ab illis præuentus, ergò erit capax acquirendi principium illius iurisdictionis aliorúmque actuum sibi non prohibitorum simpliciter & absolutè, sed tantùm secundum quid, vt de administratione sacramentorum atque ipsius pœnitentiæ, ac aliorum actuum, qui requirunt iurisdictionem exercitio, dicebamus quæst. 4. & lib. superiori.

Itaque hanc sententiam docet Hurtad. disp. 6. de excomm. diff.3. num.7. & inclinat omninò Suarez disput. 13. sect. 1. num. 20. quamuis modesti animi vir non audeat à communi, quæ nullam distinctionem inter vllos excommunicatos agnoscit, discedere, probabilem quoque dixit Less. cap. 34. cit. num. 117. & omninò tenet Nauarr. in capit. fratres. de pœnitentia disp. 5. num. 45. allegans glossam 2. in cap. Apostolicæ. de clerico. excomm. ministr. ℣. probabilis, idem docet alia glossa in cap. pastoralis. §. verum. de appellationibus. ℣. excommunicatio, & amplectitur Cardinal. cons. 40. Felinus in cap sicut tuis de Simonia, vbi probat glossam citatam in

cap. Apostolica, tanquam singularem; tenet quoque Ricciulus, lib. 4. cap. 6. cit. num. 15. quando excommunicatio non est lata à iure sed ab homine per modum sententiæ, tunc enim requirit denuntiationem vt irritam faciat collationem beneficij.

10 Ego verò vt hoc dissidium aliqua ratione componam, existimo collationem factam excommunicato non vitando esse quidem validam, elidi tamen posse & irritari exceptione excommunicationis contractæ à collatario. 1. Pars probata fuit hactenùs satis efficaciter, ni fallor, contra communem sententiam, secunda verò de irritabilitate huius collationis patet ex eo, quod licet possint fideles ex fauore extrauagantis ad euitanda communicare cum excommunicatis non denuntiatis, neque notoriis Clerici percussoribus, non tamen ad hanc communicationem tenẽantur, possintque ab illis abstinere, vti fusiùs q. 1. in explicatione 1. partis citatæ extrauagantis dictum fuit; quarè in iudicio semper licitum est excipere aduersus excommunicatum, quod quomodo fiat, docet Alteri. lib. 2. disp. 6. cap. 2. & nos dicemus alibi. Deinde si ipsa minor excommunicatio facit irritabilem collationem & electionem, multò magis id efficiet excommunicatio maior occulta, aut non denuntiata, atque in hunc sensum traho, quotquot dixerunt excommunicatum occultum inualidè eligi, si enim non fuerit denuntiatus ex eo tantùm inualidè eligitur; quia electio eius non est vndecunque firma, cùm facilè omninò cassari & anullari queat, quanquam vti aduertit Suar. nulli veterea quæsierint, an denuntiatio, siue vt ita dicam, vitabilitas excommunicati requireretur ad effectum de quo agimus, quarè frustrà omninò de ipsorum mente disceptamus, satisque nobis esse debet aperta ratio, quam dedimus.

11 Ex hac nostra sententia plures nodos vnico gladij ictu præscindes, nam imprimis inutiliter quæritur, an collatio facta illi, qui ignorat inculpabiliter se esse excommunicatum sit nulla, vti reuerà nullam esse affirmant Cassado. decisi. de præbend. num. 5. Couarruu. §. 7. cit. numero tertio, & alij omnes superiùs relati.

Cùm enim vix vnquam accidere possit, vt quis fuerit publicè & expressè denuntiatus excommunicatus, & nihilominùs ignoret inculpabiliter se esse excommunicatum, inutiliter ponitur, vt monui, ista quæstio, si tamen daremus hanc ignotantiam, illa non validaret collationem ipsi factam, atque ita vera erit communis Regula ignorantiam excusare à pœnis incurrendis, sed nihil conferre ad validitatem actus alioquin inualidi.

Eadem ratione reiicio, quod quæritur de excommunicato, qui ex communi errore existimatur absolutus, si enim fuerat denuntiatus inualidè accipit beneficium, & vbi deinde cognitus fuerit error, priuandus erit beneficiis, intereà tamen valida sunt, quæ gerit, atque ita non discedo à communi sententia, nimirum veritatem præualere opinioni circa capacitatem, aut incapacitatem aliquid obtinendi, qua etiam de causa, si quis habeatur pro ex communicato, qui reuerà non sit, validè obtinebit beneficium: quarè quod de iniusta excommunicatione litigatur, perspicuum manet, si enim excommunicatio fuit substantialiter iniusta, & proinde inualida non affert incapacitatem modo explicato, si autem fuit iniusta tantùm accidentario, & nihilominùs reuerà valida reddet excommunicatum beneficij incapacem. Itaque explicandi sunt DD. quos allegat Garc. capite 13. cit. numero 11. 12. & 13.

Rescindenda quoque est illa alia distinctio excommunicationis à iure & ab homine, & non est quod laborent Canonistæ, quos dabit Ricciul. cap. 6. cit. n. 4. cùm enim requiratur denuntiatio excommunicationis vt illa afferat incapacitatem, de qua agimus, semper fuerit opus sententia declaratoria & denuntiatiua excommunicationis incursæ, tunc autem nihil interest, an excommunicatio imposita fuerit à iure aut ab homine, cùm enim lex non distinguat speciem excommunicationis, nos quoque distinguere non debemus, militatque eadem ratio in vtraque ista excommunicatione; quarè eandem iuris dispositionem operari debebit ex l. illud, ff. ad l. Aquiliam.

QVINTA PARS.

Collatio beneficij facta excommunicato, nulla est, aut admodum debilis.

Quinta pars propositionis collationem beneficij factam excommunicato nullam esse, aut admodùm debilem, probata manet ex hactenùs disputatis, si enim excommunicatus erat denuntiatus & vitandus collatio fuit nulla, si autem non erat excommunicatus vitandus aut minori tantùm excommunicatione innodatus, collatio quidem fuit valida, sed irritanda per exceptionem excommunicationis, actus autem qui sunt ita debiles dicuntur sæpiùs in iure nulli & irriti. 12

SEXTA PARS.

Ad validitatem vel firmitatem huius collationis opus est dispensatione.

Vltimò denique dixi ad validitatem & firmitatem huius collationis opus esse dispensatione tacita vel expressa, quod idem pronuntiat Pontifex in cap. postulastis de clerico excomm. minist. hæc autem dispensatio vel præcedit collationem, vel eam subsequitur, & vel tacitè vel expressè datur. 13

Tacita est dispensatio, quando Pontifex sciens aliquem excommunicatum aut irregularem, illi nihilominùs confert beneficium, tunc enim censetur dispensare illum ab irregularitate & absoluere ab excommunicatione quoad illum effectum, atque ita idoneum & capacem obtinendi beneficij reddere ex communi D D. cum Panorm. in cap. cùm in cunctis, §. inferiora, num. 8. de electione. & in cap. innotuit eod. tit. num. 7. Feliu. in cap. prætereà de testibus cogen. num. 9. & in cap. si quando de rescriptis, exceptio. 10. numero 3. & in cap. non liceat 12. quæst. 2. §. 3. qui omnes asserunt Principem quoties inhabilem promouet ad aliquam dignitatem cum eodem in illa inhabilitate, si tantùm humana sit, dispensare, negant autem id verum esse in magistratu inferiore, qui neque sine causæ cognitione, neque sine verbis

expressè

expressè dispensatoris censetur dispensare in lege Principis; quare Episcopus conferens scienter excommunicato beneficium, ne quidem tacitè cum illo dispensat, vt iidem DD. tradunt & pluribus explicant, quos Sayr libr. 2. capit. 5. numer. 6. & alij recentiores sequuntur.

Mihi tamen circa illam distinctionem, quam inter Episcopum & Pontificem statuunt DD. non planè quiescit animus, si enim in aliquo defectu dispensare possit ordinarius Pontifice inferior, non video cur dum ex certa sententia agit nulla habita ratione illius defectus non dispenset saltem in foro interno, æquè atque dispensaret ipse Pontifex, si cum eadem scientia idem faceret, quod fusius alibi discutiemus; Nunc quod attinet ad inhabilitatem per excommunicationem inductam, vel ea tolletur per dispensationem, manente tamen excommunicatione, quæ quoad hunc effectum impeditur, vel per absolutionem, quæ tollit excommunicationem, à qua posita fuerat ista inhabilitas; si postremum istud dicatur, videndum erit an ea tolli possit quoad vnum tantùm effectum ab Episcopo, quod fieri posse, quando excommunicatio non est reseruata; statim ostendam, ac proinde si absoluat excommunicatum conferendo illi beneficium, reuerà facit illum habilem, sed vlteriùs quærendum superest, an absolutio censeatur aliquando tacitè conferri à superiore per aliquem eius actum, qui ad sui validitatem eiusmodi absolutionem supponat, quod expendam disquis. 10. si verò dicatur esse tantùm mera dispensatio, & non absolutio, nisi quodaminodo implicitè quoad hunc effectum, reuerà si Episcopus possit per expressa verba dispensare, æquè etiam poterit tacitè per actum, qui ad sui validitatem eiusmodi dispensationem necessariò requirat, vti contingit in collatione beneficij facta excommunicato, quæ nulla erit, si non interueniat dispensatio vel absolutio, vel vtraque, nemo enim præsumitur inualidè operari, cùm possit validè agere. Quod porrò dicunt Doctores superiùs laudati Episcopum & alium quemuis inferiorem non posse dispensare in iure communi, aut sine causæ cognitione, probat nulla ratione posse dispensare hos inferiores Prælatos, non autem posse tacitè dispensare, quod vnum modò contendimus volumusque Episcopum, qui per expressa verba poterit dispensare excommunicatum ad obtinendum beneficium, posse quoque tacitè cum eodem & absque verbis expressè dispensatoriis dispensare, atque ita conferendo illi beneficium ex certa scientia cum illo reuerà dispensare, quare beneficiarius iste tutus omninò erit in conscientia, æquè atque si idem beneficium accepisset à Pontifice cum scientia excommunicationis & inhabilitatis ab illa prouenientis; quando verò dicatur certa scientia, & vnde colligatur, disserit plenè Felin. in cap. præterea. de testibus. cogend.num. 9.

Quod verò collatio dicatur fieri à Pontifice motu proprio, non magis tollit inhabilitatem, aut infert dispensationem, quam si facta fuisset instante ipso collatario, aut alio quopiam, vti monent Rebuff. in concord. tit. de excommunic. non vitand. ℣. aduertendum. Couarru. §. 7. cit. num. 2. Garc. cap. 13. cit. num. 5. quia motus proprius valet ad tollendam subreptionem, non autem inhabilitatem, aut impedimentum & alium quemcunque personæ defectum; vt commonitet c. seruant DD. quos enumerat Ricciul. l. 4. de iure persona. cap. 6. n. 6. 7. 8. & 9.

Alia est expressa dispensatio, quæ in rescriptis Pontificiis, atque etiam à legato à latere concessa ponitur ad effectum gratiæ duntaxat impetrandum, quæ appellatur clausula *teque absoluentes*, de qua disputabimus fusiùs disq. 10. Interim adi Ricciul. libr. 4. cit. cap. 9. moneo tantùm illam clausulam reddere omnia rescripta & gratias efficaces ac validas non obstante excommunicatione; quare collatio beneficij cum ea clausula valida erit, vti tradunt Nauarr. in cap. It. quorundam. de Iudæis notab. 11. num. 14. & cap. 27. num. 11. & num. 27. Gutier. lib. 2. Canon. qq. cap. 5. num. 94. Henriq. lib. 13. cap. 13. §. 3. Vgolin. tab. 1. de censu. cap. 4. num. 17. Sayr. lib. 1. Thesau. cap. 5. num. 6. 11. & 11. Auila 2. p. cap. 6. disp. 5. dub. 2. Bonac. quæst. 2. de excomm. p. 4. §. 1. num. 6. Garc. cap. 13. 7. part. de benefic. num. 59. An verò excipiantur aliquæ censuræ, quæ non censeantur hac clausula generali tolli, dicam disq. 10. in explicatione generali illius clausulæ, neque enim ex eo capite quidquam singulare est in collatione beneficij facta excommunicato. 16

17 Aliud est, quod aduertit Garc. num. 64. quoties prouisio fit in forma gratiosa, vi illius particulæ *teque absoluentes* validam esse absque alia absolutione, quando verò datur rescriptum in forma dignum, & prouisio est commissoria, quia committitur alicui prouisio aut collatio, siue mandatur vt conferat beneficium opus est noua absolutione vt excommunicato validè conferatur, quia cum ea clausula valeat tantùm ad effectum litterarum Apostolicarum, in quibus adhibetur, & vt illæ subsistant & operentur, nihil efficiet vltra illum effectum, atqui quando prouisio est in forma gratiosa, per illam confertur beneficium, quare vt litteræ illæ subsistant vi illius clausulæ, collatio beneficij, quam operantur, debet esse valida, at verò rescriptum in forma commissoria non continet collationem, sed mandatum de conferendo, quare clausula *teque absoluentes* nihil aliud operabitur, quam vt mandatum subsistat, vt tamen deinde illius mandati executor & commissarius validè excommunicato conferat beneficium, opus erit absolutione, alioquin si hæc clausula prodesset futuræ collationi, posset quoque absoluere à censura post impetratas litteras Apostolicas incursa: Idem docuerat Henriquez libr. 13. cap. 13. num. 3. sub fin. negat verò Ricciul. cap. 9. cit. num. 8. quia illa clausula operatur potius quandam suspensionem impedimenti & censuræ, quam veram & propriam absolutionem, quare vbi litteræ expeditæ sunt, cum ea clausula, ille in cuius gratiam scriptæ sunt habetur tanquàm si non esset excommunicatus; quare omnis alia absolutio tunc ad illum effectum otiosa foret.

Mihi distinguendum videtur cum Rebuffo in concord. tit. forma mandati ℣. absoluentes, inter rescriptum ad beneficia vacantia & vacatura, & inter excommunicationem contractam tempore impetrationis litterarum & post illas impetratas: Rescriptum ad beneficium vacans valebit, & vi illius conferetur à Commissario beneficium excommunicato tempore impetrationis, quia per clausulam *teque absoluentes* contentam in mandato, censetur dispensatus ad effectum

effectum impetrationis, qui non est duntaxat, vt possit commissarius conferre personæ habili propter sublatum impedimentum per absolutionem, ad hoc enim non esset opus illa particula, *teque absoluentes*, etsi enim excommunicatus sit incapax omnis rescripti Apostolici, vt dicemus inferiùs, & ideò clausula *teque absoluentes* apponatur, illa tamen cadit in adæquatum effectum rescripti, qui est in hoc casu, vt commissarius validè conferat beneficium Tino, v. gr. non obstante quocunque censurarum impedimentu. At verò quandò Rescriptum est ad beneficia vacatura, si post illud impetratum mandatarius, & cui est conferendum Beneficium incidat in excommunicationem, opus habebit absolutione, sicut si in homicidium aut quampiam Irregularitatem incurreret, omninò deberet dispensari, quod vnum probat ratio Garciæ, nimirum valituram hanc clausulam pro absolutione Censurarum post litteras Apostolicas contractarum quod omninu absurdum foret.

Quæritur prætereà circa hanc clausulam, an eam suis rescriptis possint apponere Ordinarij Papa inferiores, quod Iure affirmant Garc. numer. 71. Alteri. disput. 6. lib. 2. cap. 3. & alij disq. 10. afferendi, modo non absoluant nisi ab iis, à quibus possent absoluere.

18 Restat dispensatiu ad retinendum beneficium tempore excommunicationis inualidè collatum, quam necessariam esse dixit Innoc. in cap. postulastis, quod hactenus versamus; hæc autem dispensatiu operabitur tantùm, vt ex nunc licitè possideat beneficium, non autem retrotrahitur ad primum momentum collationis factæ, vt ex Cardin. in cap. postulastis num. 5. notat Ricciul. lib. 4. cap. 12. num. 9.

Gemina tamen hic oritur difficultas 1. est, quis possit in eo casu dispensare, & respondent communiter Canonistæ, quos dabit Garc. cap. 13. cit. numer. 74. Episcopum id posse ex quodam generali principio, omnem nimirum dispensationem, quæ non reseruatur permissam esse Episcopo, hæc verò non reseruatur, vt patet ex ipso textu. cap. postulastis, ibique obseruat glossa: limitant tamen iidem DD. communiter hanc Episcopi facultatem, nimirum vt nequeat dispensare ad retinendum beneficium, quod ipse conferre non poterat; aut quod iam prouisum fuerat à Pontifice, quia manet affectum, aut quando electio & præsentatiu ad illud pertinet ad alios sine quorum consensu non poterit in hac retentione dispensare, quæ DD. dicta plurima continent alibi discutienda vbi illud principium de potestate, quam tribuunt Episcopis dispensandi, quoties non reseruatur dispensatio explicabimus, vbi de Electione, præsentatione aliisque ad acquisitionem beneficiorum pertinentibus tractabimus. Quarè placet quod in vniuersum pronuntiat Suar. disput. 13. de Censu. s. 1. numer. 34. Is eum omnem dispensare in hoc casu posse, qui habet potestatem beneficium illud conferendi cum Iurisdictione Episcopali coniunctam, tunc enim nihil videtur deesse ad hanc potestatem dispensandi, cum virtuali collatione, quæ in ea dispensatione includitur, nulli faciat iniuriam, quandoquidem ipse liberam conferendi potestatem habeat, & ratione Iurisdictionis Episcopalis possit dispensare, vbi dispensatio non reseruatur.

Secundò qui habuerat potestatem eligendi, conferendi aut præsentandi, non semper habebit potestatem dispensandi, quia caret Episcopali Iurisdictione necessaria ad dispensationem.

Tertiò Qui habuerant Ius eligendi, nominandi, præsentandi aut conferendi possunt Excommunicatione sublata per absolutionem eundem quem inualidè priùs elegerant aut præsentarant, denuo eligere aut præsentare; nam licet collatio & electio sit nulla ratione excommunicationis electi aut præsentati, ille tamen excommunicatus postquam Censuræ vinculis exolutus est, non manet inhabilis & incapax omnis deinceps electionis, præsentationis aut beneficij, quarè absque vlla alia noua dispensatione poterit obtinere beneficium.

Quartò quamuis non posset dispensare Episcopus cum excommunicato ad retinendum beneficium, cuius libera collatio ad ipsum non pertinet, posse tamen de consensu patroni, collatoris aut alterius, qui Ius aliquod habet ad collationem, dispensare, quia ex illis simul sumptis conflaretur causa integra habens omnes conditiones necessarias ad concedendam hanc dispensationem non reseruatam.

Quintò probabilissimum est Episcopum posse dispensare excommunicatum ad retinenda beneficia, etiamsi ad alium collatorem spectarent, aut iam affecta sedi Apostolicæ per prouisionem Pontificiam, aut electiua sint, aut patronata; quia cum omnes fateantur id posse ipsum Pontificem, videtur idipsum tacitè concessisse Episcopo, cùm in cap. Postulastis, simpliciter concedit, vt obtenta dispensatione beneficia inualidè acquisita per excommunicatum retineantur, neque inter beneficia vllum discrimen collocat, & cùm nihil significet singulare circa dispensationem, quam postulat, relinquit totum Iuri communi, à quo habet Episcopus, vt possit dispensare, nisi prohibeatur, neque facit iniuriam collatori aut electori & patrono, quia collationem, electionem & præsentationem ab ipsis factam confirmabit, aut potiùs validam reddet, & qualem omninò ipsi esse voluerant; atque præter glossam in cap. postulastis ℣. dispensatum, ita docent Panormit. ibid. numero 9. nisi fort assis fuerit facta collatio à Papa, quam exceptionem quoque alij adhibent apud Ricciul. cap. 12. num. 9. sed nostram sententiam tradunt Azor tom. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 2. Alteri. lib. 2. disp. 6. cap. 7. sub fin. idem pluribus aliis similibus casibus illustrant, & plures Canonistæ, quos adducit & sequitur Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 7. num. 12. vbi tamen aliquas conditiones adhibet nempè vt hic excommunicatus non fuerit intrusus, & ea dispensatio in tertij electi iniuriam non cedat, impedimentumque fuerit occultum; sed alibi hæc omnia pensiculatius disquirentur.

Quæstio 2. erit, an cum ea dispensatione opus 19
sit noua collatione? Resp. cum Suar. l. cit. & panum. in cap. postulastis, Innocentium eod. cap. nihil aliud postulare præter dispensationem, quarè frustrà requiremus nouam collationem, alioquin dispensatiu foret superflua, quia vt iam monui, excommunicatio non facit, vt excommunicatus sublata excommunicatione per absolutionem maneat incapax ad beneficium, si igitur non egeat noua dispensatione, vt obtineat collatum sibi denuò beneficium, aut si dispensetur ad retinendum inualidè acquisitum beneficium, nihil opus fuerit noua collatione, prætérquam quod certum est hanc dispensatio-

nem

nem esse virtualem collationem, vnde tamen malè inferebat sententia communior non posse Episcopum dispensare quando non poterat conferre beneficium, cùm non acquireret per eam excommunicationem potestatem conferendi, quia non dicitur virtualis collatio hoc loco, nisi quod dispensatio validet collationem aliàs inualidam.

CONSECTARIVM I.

An conferens beneficium excommunicato & excommunicatus illud acceptans, peccent & quas pœnas incurrant.

20 Hæc quæstio soluitur ex disputatis in confirmanda & explicanda nostra propositione.

Nam primo, quod attinet ad conferentem beneficium excommunicato denuntiato siue vitando, certum est illum peccare mortaliter, quia communicat in diuinis cum eo excommunicato, beneficia enim ad res sacras pertinent, & violat legem Ecclesiasticam in re grauissima, facit actionem irritam cum non exigua inordinatione, & contra commune bonum & fidelitatem, quam debet Ecclesiæ, eligit personam indignam, atque inhabilem, & denique hunc esse suum sensum testatur Ecclesia grauem pœnam infligendo illi collatori; excusatur tamen sæpiùs ex probabili ignorantia.

21 Maior est difficultas de conferente beneficium excommunicato non vitando, quia omnes rationes superiùs allatæ cessant, non enim est prohibita communicatio etiam in diuinis cum hoc excommunicato, & collator non facit actionem irritam, sed irritabilem tantùm à Iudice, quoties aduersus collatarium excipietur excommunicatio; deinde non eligit simpliciter inhabilem & incapacem, sed tantùm secundum quid, potestque collatio esse conditionata cum onere remouendi hoc impedimentum, quæ omnia demonstrauimus 4. parte propositionis; quare non video vnde damnetur peccati grauioris collator, quoties collatarius non erit excommunicatus vitandus, & habebit animum non exercendi actus beneficij nisi sublata censura & impedimento, quod per absolutionem facilè excuti poterit, vti leg. cap. dicebamus.

22 Quod attinet ad acceptantem distinguenda est duplex acceptatio, vna beneficij post, altera ante contractam excommunicationem collati; si itaque collatarius sit excommunicatus denuntiatus, non poterit acceptare beneficium sibi inualidè post contractam excommunicationem collatum, quia ea collatio prorsus inualida est, & prohibetur communicare cum aliis fidelibus maximè in diuinis, estque omninò inhabilis & incapax ad illud beneficium præterquam quod si ipse licitè posset acceptare, posset & collator ipsi licitè conferre, vt q. 1. de administratione sacramentorum argumentabamur. Ita Kon. disp. 14. n. 76. Bonac. q. 1. de excomm. p. 4. §. 1. n. 8.

23 Excommunicatus porrò non vitandus non videtur peccare sibi collatum beneficium acceptando, Itaque Hurtad. disp. 6. de excomm. diffi. 2. quia si licitum est conferre ipsi beneficium, & illi quoque erit licitum acceptare; Neque dicas non licere excommunicato etiam tolerato suscipere sacramenta, licet possint illi ministrari, eo quod communicatio cum illo non sit prohibita *n.* enim ministrantem sacramenta tali excommunicato non peccare quidem in legem Ecclesiasticam de non communicando cum excommunicato, peccare tamen contra legem naturalem ministrando illi, qui non potest nisi sacrilegè illa suscipere, quamdiu manebit innodatus tali censura, nisi occurrant illæ causæ, quæ suspendant effectum censuræ, vti suo loco fuit explicatum; atqui ostendimus superiùs hunc excommunicatum non prohiberi simpliciter à susceptione beneficij, & collationem illi factam non esse inualidam, vnde longè diuersa ratio est, inter susceptionem sacramentorum & acceptationem beneficij; prior enim illa primò & per se, atque simpliciter & absolutè prohibetur excommunicato, hæc autem acceptio non vetatur, nisi quatenus excommunicatus ad beneficium inhabilis redditur per excommunicationem, sit verò tantùm inhabilis secundum quid, quamdiu excommunicatio non est denuntiata, quare si saltem acceptet animo non exercendi, nisi sublato impedimento censuræ, aut petentibus aliis quandiu durabit censura, quod ipsi fas esse constat ex q. 1. & extrauag. ad euitanda, non video vnde damnari possit peccati, quod totum confirmabitur ex iis quæ subiicio.

De acceptatione beneficij ante excommunicationem ac proinde validè collati, licet deinde collatarius incident in excommunicationem in eâque adhuc perseueret, illam enim omnis culpæ immunem docent Suarez disput. 13. sect. 1. n. 22. Garc. 7. p. cap. 13. numer. 46. Henriquez lib. 13. cap. 13. numer. 3. Sayr. lib. 2. cap. 5. num. 11. sub fine. Auila. 2. p. cap. 6. disput. 5. dub. 6. ad secundum, modò non habeat iste acceptans animum exercendi officium ante absolutionem excommunicationis, non enim considerandus est status, in quo iste excommunicatus acceptat beneficium sed ille pro quo acceptat, & vt fusiùs prosequitur Suarez nullum assignari potest caput ex quo deriuetur culpa in hanc acceptationem cùm neque violetur lex Ecclesiastica, neque lex vlla naturalis, nam nullibi hanc acceptationem prohibuit Ecclesia, siue singillatim, siue in vniuersum propter prohibitam communicationem excommunicato cum aliis fidelibus, quia cum hic sit sola declaratio voluntatis quam habet excommunicatus, non censetur communicatio. Lex porrò naturalis non violatur hoc loco, nisi quia ea acceptatio est quædam cooperatio iniquæ actionis, aut quia est iniuriosa religioni, aut Ecclesiæ, aut tertio alicui, primum dici nequit, collatio enim, cuius ista acceptatio est veluti complementum quoddam, valida fuit & legitima vtpote ante excommunicationem collatarij facta, & acceptatur prout facta fuit, quare non cooperatur acceptans vlli iniquæ actioni. Non violatur etiam Religio, quod eligatur persona indigna, quia reuerà obiectum totius collationis est persona digna, & acceptatio fit quidem à persona tunc indigna, sed quæ terminat suam acceptationem ad personam dignam, cùm non acceptet beneficium nisi exercendum à digna persona, licet tunc sit indigna & inhabilis. Itaque persona quidem acceptans est indigna persona, tamen quæ acceptatur, & prout acceptatur, digna est. Non fit iniuria Ecclesiæ, quia non exhibetur illi persona simpliciter inepta ad ministerium beneficio annexum, cæteri verò cum non 24

non habeant proprium ius in illud beneficium, sed tantùm capacitatem, eamque validè temotam, non læduntur ea acceptatione. Denique confirmat Suarez, quia alioquin non posset excommunicatus sine peccato retinere beneficium prius obtentum, tam enim indecens est beneficium ab indigno retineri, quàm obtineri, idcircò verò retinetur beneficium ab excommunicato, quia tota indignitas, quam affert excommunicatio est facile mobilis, & excommunicatus habet animum illam excutiendi, si igitur eundem animum habeat, poterit quoque beneficium simili modo acceptare.

Quod attinet ad pœnas propter hanc collationem impositas, nihil circa excommunicatum accipientem statuit Ecclesia, satis enim illi visum est, si eam collationem irritaret, aut irritabilem faceret modo explicato in 3. & 4. propositionis parte; conferens verò suspendendus est à collatione beneficij, qui scienter illud contulerit excommunicato, quod ad collationem factam excommunicato vitando restringendum esse superiùs monui; Deinde hæc pœna non incurritur ipso iure, sed est ferenda à Iudice, vt Suarez num. 36. & Garcias numer. 80. locis cit. atque alij adnetiunt, & manifestè colligitur ex ipsis verbis textus, quæ sonant pœnam inferendam, cùm dicunt talem conferentem debere à beneficiorum collatione suspendi. Vnde quoque infert optimè Suarez Episcopum, qui contulerat excommunicato beneficium, posse, deinde cum illo dispensare ad illud retinendum ex generali Regula tradita in vltima parte propositionis, quia reuera antequàm damnetur à Iudice, retinet facultatem conferendi, & præterea haber iurisdictionem Episcopalem & ad dispensandum, quæ duo duntaxat ad hanc dispensationem eo loco postulabamus.

CONSECTARIVM II.

An electio, præsentatio, nominatio, permutatio, resignatio, impetratio litterarum, promissio beneficij in gratiam excommunicati facta sint nulla.

26 ℞. Omnes istas actiones nullas esse, quod in vniuersum ex dictis ostenditur, his enim omnibus acquiritur aliquod ius ad beneficium, atqui dicimus excommunicatum nullum eiusmodi ius acquirere posse, quamdiu excommunicatus manet. Intelligenda tamen est hæc corollarij decisio consentaneè iis, quæ in propositione disputauimus, & distinguendus denuò est excommunicatus vitandus à non vitando, nam hæ actiones in gratiam excommunicati vitandi factæ sunt prorsus nullæ & inualidæ, in gratiam autem excommunicati non vitandi sunt quidem validæ, sed debiles & irritabiles per exceptionem excommunicationis.

Sigillatim verò de electione & præsentatione id docemus tract. de benefic. cum communissima sententia DD. quos dabunt Lamb. lib. 2. de iure patron. 4. p. quæst. 9. art. 1. Couarru. in cap. Alma mater. 1. part. §. 7. n. 1. Flam. Parisi. lib. 4. de Resignat. q. 3. n. 47. & Garc. citato cap. 13. n. 14. Ricciul. lib. 4. cap. 6. num. 23. & 25. certum enim est, electionem dare ius ad beneficium, atque etiam præsentationem, quando saltem accepta fuit, quod libr. citato. fusiùs diximus.

Permutatio quoque, cùm acquirat Ius permutanti non potest fieri per excommunicatum, itaque non valet quoad excommunicatum, tenet tamen quoad non excommunicatum, si & ipse compermutans sit. Ita Cosmas in pragmat. sanct. tit. de collatio. §. item insuper. v. disponete, vbi latè disputat an possit permutatio claudicare, & an necessariò propter inhabilitatem vnius fiat omnino nulla, quod nos quoque libro cit. ostendimus; alios dabit Garc. numer. 15. & seq. Ricciul. cap. 6. cit. numer. 18. Sanch. lib. 2. in decalog. cap. 28. num. 33.

De Resignatione quoque excommunicato facta eiusque nullitate docent iidem DD. cum Flamin. Parisi. lib. 4. de Resignat. quæst. 3. num. 44. & seq.

De Impetratione litterarum & Rescripti ad beneficia siue vacantia siue vacatura iam diximus in vltima parte propositionis, requirere immunitatem ab excommunicatione, vt suum effectum sortiantur, præterquàm quod omne Rescriptum Pontificium ab excommunicato impetratum nullum est, cap. de rescriptis. in 6. vt inferius exponam. De promissione beneficij facta excommunicato, si illa aliquod Ius tribuat promissario, æquè certum esse debet, nullam esse.

CONSECTARIVM III.

An Excommunicatio superueniens collationi eius exequutionem impediat?

℞. Negatiuè cum Ricciul. lib. 4. de Iure personar. cap. 13. n. 7. est que euidens ratio ex eo, quod exequutio collationis alteriusue rescripti nullum nouum ius afferat, sed tantùm iuris iam acquisiti vsum, excommunicatio autem impedit duntaxat noui iuris acquisitionem, non autem priuat iam obtento, vt cum Panorm. in cap. 1. de Iudic. num. 24. dicam propos. 2. valida itaque manet prior collatio, etiamsi deinde antequam executioni daretur, collatarius inciderit in excommunicationem, vnde monet Ricciul. cap. cit. n. 8. vt cum excipitur excommunicatio aduersus collationem diligenter inspiciatur an ea excommunicatio præcesserit, vel subsequuta fuerit collationem. 27

Hinc solues geminam aliam difficultatem, primo enim quæritur, an si is, qui impetrauit coadiutoriam cum futura successione innodetur excommunicatione tempore vacationis beneficij, irritæ fiant illæ litteræ?

Distinguendum est, aliquando enim dantur litteræ in forma commissarij, aliàs in forma gratiosa, & quidem si litteræ cum futura successione erant in forma dignum, seu in forma commissaria, quia in euentum vacationis collatio beneficij committitur ordinario, satis fuerit, si tempore collationis impetrans careat excommunicatione, licet tempore vacationis beneficij non esset absolutus, quia per collationem acquirit ius ad beneficium, non autem per eius vacationem, etiamsi illa vacatio sit conditio sine qua non confertur beneficium quod ipsi posita ea conditione vacationis conferri mandatur: Excommunicatus autem est tantùm incapax noui iuris acquirendi, quod vt dixi non acquirit ex ea tantùm vacatione, quare non est vnde colligamus illo tempore debere necessariò esse censura liberum.

Quando

Quando verò ex litteræ cum futura successione sunt in forma gratiosa, ita vt Pontifex conferat beneficium adueniente vacatione cum clausula Ex tunc, prout ex nunc, & ex nunc,prout ex tunc volunt aliqui impetrantem excommunicatum tempore vacationis non gaudere effectu illarum litterarum,quia videtur fieri collatio tempore inhabili, siue durante excommunicatione propter illam clausulam. Verùm quidquid sit de hac clausula,de qua glossa in Clem. volentes. de hæreticis. ꝟ. ex nunc, & nos lib.de benefic. diximus aliquid. Garc. cap.13. cit. num.57. rectè statuit valere hanc collationem, quia non fit tempore vacationis, quo est excommunicatus collatarius, sed tempore dati rescripti, in quo non erat excommunicatus impetrans, hæc enim clausula facit vt actus censeatur à principio factus, quanquàm eam retractationem non operetur in dispositione conditionali, nisi iustificata vt loquuntur, conditione, quarè in dispositione collata in tempus mortis, non operatur à die mortis assignatæ; & quando est de beneficio vacaturo, suspendit gratiam vsque ad vacationem, vt DD. alibi relati communiter docent: nihilominus cùm adueniente hac vacatione non conferatur noua gratia, aut ius vllum ei, cui facta fuerat ea gratia,sed tantùm illa habeat suum effectum,& incipiat operari, & excommunicatio non tollat iura priùs acquisita, etiamsi adueniente hac vacatione iste, cui fuerat concessa gratia benefici vacaturi,sic excommunicatus, non excidit gratia sibi facta, & collatio illa valebit.

29 2. Hinc explicabis an possessio beneficij capta ab excommunicato sit valida. Ita enim affirmant Sayr. lib.1. cap.5. numero 11. Selua p. 3. de benefic. qu. 4. numero 15. Henriq. lib. 13. cap.13. numero 3. Azot. 2. p. lib.6. cap.7. qu. 10. Couarruu. in cap. Alma mater. 1. p. §. 7. numero 4. Garc. cap. 13. 7. partis. de benefic. numero 89. Alteri. lib.2. disputat.6. cap.5. quia possessio est quid facti non iuris, quarè cùm possessio nullum ius donet, quod totum acquiritur sola canonica collatione, excommunicatio non impediet possessionem, si collatio legitima fuerit. Possessio quidem triennalis confirmat inualidam collationem etiam ratione excommunicationis, vti Nauarr. in cap. si quando exceptio. 10. numero 9. Garc. de benefic. p.7. cap.13. numero 7. Ricciul. lib.4. cit. cap. 13. numero 2. qui alios allegant contra Rebuffum in cap. postulastis. notab. 4. num.48. id tamen minimè habet possessio ex natura sua,aut quasi ipsa tribuat ius, quod tunc accipitur totum à lege posita conditione possessionis triennalis, ita enim visum est statuendum esse ad præscindendas lites.

CONSECTARIVM IV.

An excommunicatus acceptans beneficium sibi ante excommunicationem validè collatum, validè illud acceptet?

30 Suppono beneficium collatum fuisse antequàm collatarius incidisset in excommunicationem atque ita collationem fuisse validam & legitimam; Quæritur itaque an acceptatio, quæ collationem quodammodo complere debet, impediatur excommunicatione superueniente.

Ratio difficultatis est quia acceptatio non tam est aliquid iuris, quàm facti, est enim tantùm de-claratio voluntatis ratam habentis validam & legitimam collationem, siue cupientis sibi quæsitum ius per collationem retinere, & est conditio quædam vt collatio sortiatur suum effectum, aut executioni mandetur; quarè non magis impedietur excommunicatione, quàm ipsa possessio, de qua diximus superius. Itaque hanc sententiam tradunt DD. communiter, quos referunt & sequuntur Sayr. lib. 2. Thesau. cap.5. numero 11. Garc.cap. 13. cit. numero 35. Ricciul. lib.4. cap. 10. numero 1. Couarru. in cap. Alma mater. 1. p.§. 7. numero 4. & lib.3 .varia. cap.16. numero 4. Moneta cap.4. de optione Canon. qu.2. numero 25. atque è recentioribus sequuntur Azor. 2. p. lib.6. cap.7. q.9. Auila.2. p.cap.6. disp.5. dub.6. de excomm. Bonac. qu.2.de excomm.p.4.§. 1. numero 9. Vgolin. tab.2. cap.13. §. 1. numero 2. Alteri lib.2. disp.6.cap.5. Ioan.de la Cruz. in directorio conscient.tract.de censu.a.2.n.10.

Econtrario tamen acceptatione ius aliquod in beneficium acquiri certum videtur ex c. si tibi absenti. de præbend. in 6. absens cui collatum fuit ab Episcopo beneficium non acquirit ius in illud, nisi consentiat ratamque habeat collationem, vnde manifestò sequitur ius aliquod acquiri per acceptationem: Deinde stante acceptatione collatarius moriatur, non dicitur beneficium vacare per obitum vt testantur Couarru. lib. 3. varia. cap. 16. numero 10. & alios allegans Ricciul. lib. 4. de iure personar. cap. 10. numero 5.quia nempè licet ius in beneficium acquiratur ex collatione,non consolidatur tamen in persona prouisi ante sequutam acceptationem; atque iam latè ostendimus excommunicatum incapacem esse acquirendi noui iuris ad beneficium, ergo & illud acceptandi, atque ita docent Cardinal. in cap. postulastis, de clerico, excommuni. minist. circa fin. ꝟ. quæro; fauet Felin. in cap. ad probandum, de re iudicata. numero 5. Alciat. in cap.1. de iudic. numero 12.Caietanus etiam. ꝟ. excommunicatio, circa fin. §. vbi scito. allegari solet, sed male, dicit enim duntaxat excommunicatum nullum posse acquirere beneficium,sed nihil singillatim agit de acceptatione. docent verò Vasq. de beneficiis cap.4. §. 4.dub. 2. numero 245. Kon. disp.14. numero 78. Lessi. lib.2. cap. 34. numero 118. Layman. lib.1. tract.5.pa. 2. cap.2. numero 11. Hurtad.disp.6.de excomm. diff.3.n.8.

Mihi componendæ videntur dissidentes sententiæ.Imprimis enim ius ad rem, quod collatio legitima contulit, non perditur per excommunicationem subsequntam ante acceptationem, neque potest collator alteri conferre, donec collatarius recusàrit, esto sit incapax acquirendi noui iuris, non idcircò amittit iam obtentum, quod in vniuersum probauimus superiori consectario, atque de hac collatione loquuntur Suar. dispnt.13.f.1. num. 17. & quotquot in prima sententia docuerunt acceptari posse beneficium ab excommunicato, nempe collationem validam fuisse non obstante subsequuta excommunicatione. 31

2. Acceptatio facta ab excommunicato non est valida & efficax quoad iuris acquisitionem, neque per eam beneficium sit acceptatis,quia excommunicatio, vti sæpiùs diximus, omnem noui iuris acquisitionem impedit, atque eo sensu loquuntur DD. secundæ sententiæ, vti ex rationibus ab illis allatis manifestum fit,neque dissentiunt ex eo capite prioris opinionis authores, idcircò enim volunt

volunt acceptationem excommunicati, quia illa est tantùm consensus & declaratio voluntatis, & aliquid facti potiùs, quàm iuris propter quam rationem & ego quoque eam sententiam amplector; Quarè

Dico 3. Hanc excommunicati acceptationem validã & efficacem esse quoad voluntatis & cõsensus declarationem, ita vt licet vi illius non acquirat nouum vllum ius collatarius, neque illud quod habet ex collatione sibi facta cõpleat, nihilominùs vbi primùm absoluetur acquiret plenum ius & dominium beneficij absque vlla noua acceptatione. Ita Couarru. lib. 3. varia. cap. 16. num. 6. Suar. n. 18. s. 1. citatæ. Ricciul. lib. 4. cap. 10. n. 4. Garc. cap. 13. cit. n. 37. contra Hurtad. diff. 3. cit. Ratio iam indicata est, quia excommunicatus potest ea quæ sunt facti, & per quæ solùm voluntas declaratur, cap. pro illorum de præbend. cap. si verò. de sentent. Excomm. iuncto cap. decernimus eod. tit. in 6. & cap. significasti, de eo qui duxit in matrimon. atqui acceptatio sumitur tantùm pro declaratione voluntatis, & conditione quadam, siue dispositione, vt ius quod totum per collationem traditur, acquiratur, vnde non est actus iurisdictionis, & quamuis nullus acquirat dominum rei sibi donatæ, nisi illam acceptet, non tamen suo consensu dicitur sibi conferre ius, aut sibi illam donare, quamuis donatio completa non sit nisi posita ea conditione, tunc enim habet suum effectum; vnde sequitur quod addebam non fore opus noua collatione, aut acceptatione post absolutionem excommunicationis, quia omnia necessaria fuerunt ad obtinendum beneficium in hoc casu, legitima nimirum & valida collatio, declaratio quoque voluntatis collatarij tali collationi consentientis, fueratque duntaxat interpositus obex excommunicationis, quæ suspendit effectum collationis, sed vbi per absolutionem sublatus fuerit, reuerà operabitur ea collatio, cùm nihil ampliùs declarari possit.

Obiicit Hurtad. Consensum connubialem expressum durante impedimento dirimente non valere tali impedimẽto sublato, nisi vel denuò exprimatur, vel vsque ad id tẽpus actualiter perseuerauerit, & non tantùm habitualiter ex eo quod semel positus non fuerit retractatus igitur neque acceptatio tempore inhabili facta etiamsi non fuerit rescissa, valebit cessante ea inhabilitate, sed vel actualiter ad id vsque tempus debuerit perseuerare, vel denuò poni.

℞. Disparem esse rationem in consensu matrimonij propter impedimentum dirimens inualidi, & in acceptatione, de qua loquimur: hæc enim fuit valida initio non quoad acquisitionem noui Iuris, aut maioris, quàm haberet sine illa vi solius collationis, sed quoad declarationem voluntatis, quæ tanquam conditio quædam & dispositio subiecti requirebatur, vnde non reualidatur per absolutionem, sed tantùm tollitur obex, qui impediebat efficacitatem collationis; At verò consensus matrimonij cum impedimento dirimente fuit inualidus; quarè solo lapsu temporis aut cessante impedimento validari non potest, nisi actualiter perseueret, neque ille consensus est tantùm declaratio quædam voluntatis, sed tribuit ius in corpus proprium alteri Coniugi, & obligat consentientem, quod non potest, vbi inualidatur à lege.

Hinc fit 1. Vt si excommunicatus acceptans beneficium decedat ante obtentam absolutionem, non dicatur illud beneficium vacare per eius obitum, quia reuerà non habebat plenum ius in illud, & acceptatio illa inutilis fuit ad acquisitionem iuris & tituli. Ita Couarru. Suar. Ricciul. & alij locis citatis.

2. Hæc excommunicati acceptatio non extinguit reseruationem, quia ea non expirat simplici collatione, nisi ea efficax fuerit, & per acceptationem completum ius dederit, licet non exigat adeptionem possessionis. Ita Ricciul. num. 6. alios allegans.

3. Qui obtinuit litteras ad beneficium vacaturum, si tempore vacationis illud acceptet innodatus excommunicatione, indiget post absolutionem noua collatione, quia illæ litteræ non conferunt ius ad beneficium, sed conferri mandant, siue dant ius ad collationem, quæ durante excommunicatione inualida erit. Quando autem dantur hæ litteræ in forma gratiosa cum clausula Ex tunc pro vt ex nunc, quid dicendum sit, docuimus superùs

4. Si fuit præfixum tempus collatario ad acceptandum beneficium & ille toto eo tempore perseueret in excommunicatione, quamuis acceptet collationem & suam voluntatem declaret, poterit nihilominus collator eo tempore elapso beneficium alteri conferre, quia acceptatio fuit inefficax, quantum ad effectum acquirendi beneficium, tempus autem præscriptum ad acceptandum, intelligendum est de acceptatione valida & efficaci ad acquisitionem beneficij.

CONSECTARIVM V.

An excommunicatus post obtentam absolutionem egeat noua collatione, vt beneficium sibi durante excommunicatione collatum acceptet.

Hæc quæstio, in qua tricantur DD. soluta ma- 32
net ex nostra propositione vniuersali, cùm enim collatio beneficij nulla fuerit propter excommunicationem, quæ reddebat subiectum omninò incapax, non potest sublata illa incapacitate reualidari, neque satis est collatorem in eadem voluntate perseuerare, quia ea voluntas est tantùm approbandi & ratam habendi præteritam collationem, quæ nulla fuit, non autem denuò beneficium conferendi; sic enim foret noua collatio atque huc pertinet exẽplum matrimonij superiùs allatum, quamnis enim perseueret idem consensus coniugum, nisi tamen denuò contrahant sublato impedimento dirimenti, quod priorem consensum illegitimũ & inualidum reddebat, reuerà matrimonium manet nullum & inualidum, quia consensus non reuocatus manet semper inualidus, nisi sit consensus denuò contrahendi; quarè hanc acceptationem inefficacem propter inualiditatem collationis excommunicato factæ reiiciunt Nau. cap. 27. numero 194. Garc. c. 13. cit. numero 45. Lessi. lib. 2. cap. 34. numero 119. Kon. disputat. 14. numero 74. Hurtad. disputat. 6. de excomm. diffic. 3. sub fin. Bonac. q. 2. de excomm. p. 4. §. 1. numero 10. contra Henriq. lib. 15. cap. 13. numero 3. & alios quosdam: opus igitur fuerit noua collatione post absolutionem, quia collatio nulla non potest deinde validari per obtentam absolutionem, vti probant Hugolin. tab. 2. cap. 13. §. 1. numero 1. & Sayr. lib. 2. cap. 5. n. 7. sicut collatio beneficij non vacantis, quæ nulla est minimè validatur per vacationem deinde subsequutam, sed opus est noua collatione.

Ratio est, quia alioquin tota ea pœna excommunicationis inutilis omninò esset, nam excommunicatus, cui cõferretur beneficium, differret eius acceptationem donec obtinuisset absolutionem, atque ita validè absque vlla noua collatione siue formali & explicita, siue virtuali & æquiualenti, qualem contineri dicebamus in dispensatione, beneficium retineret, quod videtur omninò contra mentem Pontificis in sæpe citato cap. postulastis. Neque dicas collationem perseuerare virtualiter, ac proinde, vbi accedet acceptatio legitima suum effectum nanciscetur. ℞. enim collationem nullam & inualidam malè dici perseuerare, non fuit quidem reuocata voluntas conferendi, non propterea tamen collatio inualida manere dicitur & conualescere.

CONSECTARIVM VI.

An Ecclesia possit commendari excommunicato.

33 ℞. non posse cum Sayr lib. 2. Thesau. cap. 5. n. 20. Vgolin. Rebuff. & aliis ab ipso relatis. Ratio manifesta est, quia vt ostendit l. c. Sayr. Rebuff. in cap. postulastis, notab. 4. num. 67. & seq. Garc. 4. p. de benefic. cap. 4. & alij, eadem aut etiam maior idoneitas, requiritur in commendatario, quæ in titulari, vti colligitur ex cap. nemo de elect. in 6. atqui beneficium non potest conferri excommunicato in titulum, igitur neque in commendam; quod totum illustrabitur ex iis, quæ latè disputabimus de natura commendæ, eiusque diuersitate lib. de beneficiis Et sanè cùm Ecclesia commendetur alicui ad administrationem, quæ ipsi tota committitur, & excommunicatus incapax sit administrationis eiusmodi, incapax quoque erit acquirendi principium illius administrationis, siue commendam, qua ratione circa incapacitatem acquirendi beneficia argumentabamur initio.

CONSECTARIVM VII.

An pensio Clericalis possit conferri excommunicato.

34 Dixi Clericalem, quia est quædam pensio laica & temporalis, quę Laico propter causam aliquam temporarem assignatur, v. gr. propter obsequia ab ipso, aut eius maioribus Ecclesiæ præstita, eaque pensio cùm sit stipendium aliquod, & nihil habeat commune cum beneficio poterit conferri excommunicato, cùm nihil omninò sit, quod persuadeat incapacitatem excommunicati ad obtinenda beneficia extendendam esse, ad hoc genus pensionis, neque de ea, opinor, loquuntur DD. qui negant excommunicatum esse capacem obtinendæ pẽsionis, licet non satis inter has pensionum species distinxerint.

Pensio igitur alia est spiritualis, quam iterum triplicem faciunt: quædam enim ex alicuius beneficij fructibus in perpetuũ extrahitur ad munus aliquod spirituale, estque verum & proprium beneficium, quod præstimonium appellãt, de quo dicemus, lib. de beneficiis 1. Huius autem pensionis æquè atque omnis beneficij incapacem esse excommunicatum statim apparet. Quædam alia pensio est, quæ etsi perpetua non sit, atque ex eo capite recedat à natura beneficii, datur tamen propter spiritualem aliquem titulum & munus, vt Vicariatus, cùm porrò excommunicatus nequeat exercere eiusmodi actus spirituales, neque etiam capere poterit pensiones, quæ in tam tantùm causam dantur: Denique pensio quædam est, quam aliqui mixtam vocant, quia licet non detur propter spirituale aliquod ministerium, postulat tamen statum clericalem in pensionario, vnde ego clericalem appellaui, eiusmodi est, quæ resignanti beneficium aut sustentationẽ sufficientẽ non habenti Clerico solet à Põtifice assignari super beneficio, cui cessit, aut super aliquo quopiam, de qua latè disputamus lib. de benefic.

Hanc igitur pensionem conferri posse excommunicato negant Sayr. lib. 2. Thesau. cap. 5. num. 15. Vgolin. tab. 1. §. 13. §. 2. num. 8. Henriq. lib. 13. cap. 13. num. 3. Garc. 1. p. cap. 5. num. 130. Gigas quæst. 14. de pensionibus. Rebuff. in concordat. tit. de excomm. non vitan. ℣. vigesima. Couarrun. in cap. Alma mater. 1. p. §. 7. num. 2. Ricciul. lib. 4. cap. 6. num. 29. Ioan. Koxier. tract. de permuta. benefic. capite 33. numero 8. quibus recentiores Theologi & Casuistæ adhæserunt, Tolet. libro 1. capite 13 Suar. disp. 13. sect. 1. num. 9. Filliuc. tract. 12. cap. 5. quæst. 4. Reginald. lib. 32. num. 45. Azor tom. 2. lib. 8. cap. 7. quæst. 2. Vasq. dub. 6. de excomm. Alteri. lib. 2. disp. 6. cap. 4. quia pensio aliqua ex parte imitatur naturam beneficij, & excommunicatus est incapax omnis priuilegij Clericalis, & nõ fuit suos fructus ac Ecclesiasticos, pensio porrò est eiusmodi fructus aliquis, quem si non potest facere suum neque Ius ad illum poterit acquirere ex Regula tota hac quæstione sæpiùs tradita, inhabilem ad aliquem actum, esse quoque inhabilem ad recipiendum de nouo principium illius actus. Denique in collatione pensionis solet Pontifex adhibere clausulam, *Teque absoluentes*, quæ frustrà adhiberetur, si censura non impediret eam collationem. 35

Validam nihilominùs hanc collationem pensionis merè clericalis, & quæ beneficium non est, neque ad munus aliquod spirituale confertur existimat Layman lib. 1. tract. 5. 2. p. cap. 2. num. 8. Aula. 2. p. cap. 6. disp. 5. dub. 5. vbi hanc pensionem temporalem appellat. Probatur, quia pensio multùm à beneficio dissidet, & cùm nullum ius illius collationem irritet, non possumus, quæ circa beneficia definita sunt, ad pensiones extendere propter diuersitatem ipsorum, & ideò Congregatio Cardinal. in cap. 7. sess. 14. Trident. de reformat. negat decretum de incapacitate beneficiorum ratione homicidij extendi ad pensiones; quare homicidam occultum & voluntarium negat incapacem esse pensionis Eman. Sa. ℣. homicida. 11. n. 21. & ad omnem irregularitatem extendit Suar. disp. 44. de censu. n. 34. neque improbabile censet. Less. lib. 2. ca. 34. n. 203. vnde sumitur validum argumentum nomine beneficij non comprehendi pẽsiones maximè in pœnalibus, in quibus voces non sunt impropriandæ, nisi aliqua ratio plurimùm vrgeat, qualis nulla est, neque vllum ius in casu, de quo agimus, nam stylus Curiæ adhibens clausulam absolutionis in collatione pensionis, non propterea significat incapacitatem in excommunicato, sed vt rescriptum validum sit & impugnari non possit, ea vtitur clausula, quæ in omnibus rescriptis excommunicato datis necessaria est, alioquin nihil efficient in foro externo saltem, vt dicemus inferiùs.

Ego dissidium istud componam distinctione superiùs allata, imprimis enim pensionis collatio excommunicato vitando

facta illicita eft, cùm contineat communicationem circa aliquid quodammodò, fpiritale, aue faltem cum aliquo fpirituali connexum, quanquàm cùm nō fit omninò res fpiritualis & nullibi fpecialiter prohibeatur ifta collatio, non erit nifi leuis culpa in hac communicatione, vti dicam inferius; at verò collatio penfionis excōmunicato nō vitando licita eft, cùm neq; ratione fui vllibi prohibeatur, neque ex vniuerfali prohibitione cōmunicationis cum excōmunicato, & quāuis hæc communicatio videatur fpectare cōmodum excōmunicati, cui tamen fauere minimè intendit Martin. V. in fua Extrauag. Ad Euitāda, dum communicationem cum excōmunicatis quibufdam indulget, primariò tamen tendit in commodum non excommunicati, fi enim v. gr. aliquis petit acquirere beneficium, quod aliàs legitimè obtinuit excommunicatus, & quo per excommunicationem priuatus non eft, atque illi penfionem conferre, ea communicatio erit ipfi admodum commoda, quamuis & aliquis etiam fauor in excommunicatum deriuetur quod non effe contra mentem Martini V. oftendimus q. 1.

Exiftimò 2. hanc penfionem validam effe fiue excommunicato denuntiato & vitando, fiue non vitando conferatur, quia nullibi irritatur, & rationes prioris fententiæ nihil vrgent, quidquid enim fit, an excommunicatus poffit capere redditus, Ecclefiafticos, qua de ftatim dicam, id intelligendum erit de redditibus, qui funt annexi alicui fpirituali minifterio propter quod dantur, cùm enim excommunicatus nequeat exercere illud minifterium, æquum non eft, vt redditus in illius exercitium affignatos capiat; at verò quando redditus non funt ad functionem fpiritualem obeundam, non videntur denegandi excommunicato, neque enim tam funt redditus Ecclefiaftici, quàm ab Ecclefia datæ mercedes aut fuftentationes, eiufmodi autem funt penfiones, de quibus hoc loco agimus, quæ nullum minifterium exigunt, quarè & illas capere poterit excommunicatus, & ius ad percipiendas illas obtinere, quandoquidem nulla lege id prohibetur aut irritatur.

Opponit Suar. in hac materia omnem collationem illicitam, effe nullam, quia ex cap. poftulaftis, de clerico excomm. minift. collatio non Canonica nulla eft, atqui quæ eft illicita, eft non Canonica, ergò eft nulla, diximus autem hanc collationem penfionis effe illicitam.

℞. Imprimis id verum tantum fore in collatione facta excommunicato vitando, in quo cafu folùm diximus collationem penfionis effe illicitam, deinde hæc propofitio Suarez amplior eft, quā par fit, fequeretur enim nunquàm peccari in collatione beneficiorum, quin irrita fit tota collatio, quia fi quidpiam defit à Canonibus præfcriptum, reuerà non eft futura Canonica collatio, nullus tamen dicet omnem collationem quoquo modo illicitam & non confentaneam Canonibus effe inualidam, quod pluribus exemplis oftendi poteft. Quando itaque dicunt DD. in cap. poftulaftis citatum, collationem non Canonicam effe inualidam, loquuntur de collatione non Canonica fubftantialiter, non accidentaliter tantùm; id eft, in qua peccatur contra Canones quidpiam ad fubftantiam collationis præfcribentes, cuiufmodi eft ille, qui iubet beneficium dari capaci, qualis non eft excommunicatus modo explicato in propofitione; quarè docendum foret excommunicatum effe incapacem penfionis clericalis obtinendæ, atque ita eius collationem non effe Canonicam fubftantialiter, quod non docent aduerfarij, cùm duntaxat ex collatione beneficiorum argumententur, & non ex vllo expreffo iure, nos verò eam paritatem negamus propter diuerfam beneficij & penfionis huius naturam, propter quam ipfemet Suar. & alij fequuti declarationē & fenfum S. Congregat. explicando Tridentino propofitæ, negant irregularitatem, quæ reddit incapacem beneficij, reddere quoque incapacem penfionis, cum tamen id concedere debeant, fi incapacitatem beneficij ortam ex excommunicatione extendant ad incapacitatem penfionis, maximè quando peculiaris illa prohibitio communicandi cum excommunicato fublata fuit, vt in excommunicato non vitando. Denique verbum *Canonica* folet referri ad poteftatem tātùm conferentis, non ad habilitatē recipientis, vt Rebuff. repetit. in cap. poftulaftis. gloffa. retinere. n. 9. obferuat. ex Speculat. quarè nō negabitur fuiffe canonica collatio ex fola incapacitate excōmunicati, neque igitur ex collatione nō Canonica poterit colligi Collatarij incapacitas, cùm aliunde dici debeat Canonica, aut non Canonica.

Exiftimo nihilominus 3. excommunicatum exigentem penfionem repelli poffe in iudicio per exceptionē cap. exceptionem. de exceptionibus & cap. pudentiam. §. fexta. de officio delegati. hæc enim exceptio in omnibus iudiciis valet.

Poterit etiam priuari illis fructibus donec abfoluatur, nō tamen irritari penfionis collatio nifi fortaffis eo cafu, quo poterit priuari beneficiis legitimè obtentis.

Fructus porrò quos perceperit ex fua penfione retinere poterit vtpote fuos, quandoquidem penfionis collatio valida fuit.

CONSECTARIVM VIII.

An poßit conferri beneficium Capitulo, cuius partes funt excommunicatæ?

Diximus difq. 4. Capitulum aliamue Communitatem excommunicari non poffe nifi diftributiue, 37
ita vt excommunicatio cadat in fingulas perfonas feorfim fumptas, & non collectiuè in totum capitulum, vt eft vnum aliquod corpus, fic enim eft incapax effectuū excommunicationis; Conftat tamen Capitulo vt fic conferri aliquādo beneficia. Quæritur itaque an excommunicatio fingularum perfonarum & partium, ex quibus conflatur capitulum, inualidam reddat beneficij collationem Capitulo ipfi factam, feu reddat incapax Capitulum obtinendi noui alicuius iuris erga beneficia.

℞. cum Alterio lib. 2. difp. 6. cap. 2. §. fed dubitari poteft primo & Bonac. q. 2. de excomm. p. 4. §. 1. n. 8. fi omnes perfonæ capituli excommunicatæ fint, inualidam fore totam collationem, etfi enim non excommunicetur Capitulum, cui confertur beneficium, cùm tamen ex omnibus & fingulis membris inhabilibus nequeat componi corpus capax & habile cap. voic. ne fede vacante in 6. & in hoc cafu omnia & fingula membra huius Capituli incapacia fint propter excommunicationem obtinendi beneficium, ipfum quoque capitulum ex illis membris conftans incapax erit; At verò fi vel vnus fit non excommunicatus & habilis cum in eo remaneat Capitulum ex Panorm. in cap. 1. de Electio. n. 5. poterit validè conferri Capitulo beneficium, quia vtile non vitiatur per inutile, & innocentes priuati non debent fuo iure & priuilegiis propter nocentium confortia.

CONSECTARIVM IX.

An Excommunicatus possit retinere beneficium sibi collatum & fructus eius percipere?

38 Communissima quidem sententia est excommunicatum neque posse sibi retinere beneficium, quod inualidè obtinuit, neque eius percipere fructus, cùm ad eos nullum ius habeat. Quod consectarium in ea communi sententia certissimum & necessarium est contra Rebuff. qui malè in cap. postulastis, in glossa retinere. n.15. existimat obtinentem beneficium Canonicè de iure naturali, non tamen de iure positiuo, quin in eo solemnia iuris seruata non sunt, sed solus consensus conferentis & collatarij, retinere illud posse in conscientia, alibi enim ostendemus eiusmodi collationes esse irritas etiam in foro interno, & satis liquet ex iis, quæ diximus lib. superiori. de lege irritante. Itaque verum est consectarium, quod inferebat communis sententia, & quod fatetur ipsemet Rebuff. seq.n.62. ait enim excommunicatum nullo iure posse retinere beneficia durante excommunicatione collata, quia nullum accipit titulum. Ea tamen communis sententia nobis limitanda ex iis, quæ in vniuersali nostra propositione explicanda statuimus.

Cùm enim eo loco docuerimus collationem beneficij factam excommunicato non vitando & tolerato validam esse, sed irritabilem, necessario sequitur, quamdiu per sententiam iudicis ea collatio non irritatur, retineri posse beneficium ab eiusmodi excommunicato, & eius fructus percipi, neq; deinde illos restituere tenebitur. Sequitur etiam posse permutare id temporis cum alio ab illo rogatus; quia dat beneficium, quod reuerà suum est, & acquirit nouum cuius capax est, quamuis deinde ea noua acquisitio, irritari possit. Deniq; si absolutus sit, non indiget dispensatione ad retinendum suum beneficium, cùm illud iam validè acquisierit, neq; vnquàm amiserit, & nulla ampliùs causa superest, propter quam illo deturbari à iudice queat.

Quæ omnia falsa sunt in excommunicato vitando, quia cùm collatio ipsi facta fuerit inualida, & nullum ius ad illud beneficium habeat, sanè neque illud retinere, neq; permutatione aliaue ratione de illo disponere, neq; fructus illius percipere potest.

Quanquàm, quod ad fructus pertinet, existimet Alteri. lib.2. disp.6. c.7. sub. fin. hunc excommunicatum interim dum dispensationem & reualidationem sui tituli procurat, posse capere fructus tanquam depositarium, quos, si deinde legitimè obtineat, beneficium sibi seruabit, quia fructus beneficij vacantis debentur successori, vti tradunt Sylu. v. beneficium. 5. initio. Nauarr. cap.25.n.123.& cap.27.n.69. & Henriq. lib.13. cap.5.n.3.litt.A. si verò ad alium trāsferatur beneficium, & intereà obsequium annexū beneficio per se vel per alium præstiterit, poterit eam fructuum partem, quæ ad honestam sustentationem pro ratione talis seruitij necessaria fuerit retinere. Ita Nau. Consil.2. siue 5. de filiis presbyter.n.5. Henriq.lib.13.cap.3.n.3. Auila. 2. p.cap.6. disp.6. dub.7. Konin. disp. 14. n.71. Suar. disp.13.f.1. n.3. contra Garc.7. p.de benefic. c.13. n.101. qui n.102. Rotæ decisionem eam in rem adducit. Verùm ea tantùm dicit fructus esse restituendos à tempore motæ litis, neque detrahendam partem pro seruitio, quia si ipse dimisisset possessionem, victor non fecisset eas expensas, ad quas illum modo compellit, quod nos etiam non negamus modò, sed solùm dicimus excommunicatum, qui inseruiuit beneficio, quod possidebat, posse instar stipendij aliquid sibi reseruare. Et quidem si bona fide percepit hos fructus, eosque consumpsit, non tenebitur nisi vnde fuerit ditior factus, cum neque ratione rei acceptæ, quæ non extat, neque ratione iniustæ acceptionis, quæ nulla ibi fuit, obligetur. Deinde quod dixi de seruitij stipendio, æquissimum omninò est, quod enim reponit Garc. illud seruitium fuisse gratis exibitum, & sine titulo beneficij, & ad illud non fuisse conductum hunc excommunicatum, probat tantùm illum non posse hos fructus petere à successore, ut etiam non obligatur illos reddere, immò & sibi postulare poterit; non tamen inde efficitur hunc excommunicatum teneri ad restitutionem illorum fructuum in conscientia, quamuis fortassis in foro externo condemnandus sit.

R. P. Ioseph. Gibal. de Cens.

CONSECTARIVM X.

An beneficium legitimè obtentum vacet per acquisitionem illegitimam secundi tempore excommunicationis.

Rebuff. in c.postulastis glossa. retinere.n.7. 39
primùm beneficium eo casu amitti, si secundum vi collationis licet inualidæ iam per duos menses pacificè possideatur & scienter ab excommunicato fuerit admissum, quia vi occupans beneficium priuatur 1.cap. Eum qui.de præbend. in 6. & secundum recipiens pacificè videtur renunciare primo ex communi DD. & nulla ratio est propter quam iniusta receptio beneficij non inducat vacationem primi eo casu, quo eiusdem iusta acquisitio illam vacationem induceret, alioquin aliquid proficeret ex sua malitia. Idem docet Alteri lib.2.d.6.c.2.q.3.

SECVNDA PROPOSITIO

Quid efficiat Excommunicatio circa beneficia ante ipsam obtenta.

Excommunicatio non priuat beneficiis ante ip- 40
sam legitimè obtentis, etiamsi excommunicatus per annum in ea insordescat, nisi lata fuerit propter crimen, quod vel inferat ipso iure pœnam priuationis, vel illam mereatur; in priori enim casu excommunicatus priuabitur ipso iure suis beneficiis, in 2. priuari poterit à iudice, quæ tamen priuatio potiùs à crimine, quod ex tali insordescentia certò constare præsumitur, quàm ex ipsa excommunicatione nascitur

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

PRIMA PARS PROPOSITIONIS.

Excommunicatio non priuat beneficiis prius obtentis.

1. Pars, nimirum excommunicationem non pri- 41
uare beneficiis ante ipsam legitimè obtentis, communissima est, & æquè certa, cùm nullo Iure decernatur hæc priuatio, immò & contrarium manifesto indicetur, cùm enim iura priuent excommunicatum fructibus sui beneficij durante excommunicatione vti seq. proposit. dicemus, supponūt omninò beneficium remanere excommunicato.

SECVNDA PARS PROPOSITIONIS.

An insordescentia in Excommunicatione priuet beneficiis prius obtentis?

41 Quarè difficultas est in 2. parte, an videlicet propter insordescentiam in excommunicatione priuati quis possit beneficiis prius obtentis, dissident DD. in cap. rursus & cap. Quicunque 11.q.3. & cap.1. de iudiciis, & cap. cùm Bonæ. de ætate & qualitate & cap. contingit; de dolo & contumacia. Non placet verò huc adducere singulorum DD. opiniones; Ego litem totam composui in hac 2. parte Proposit. nostræ.

43 Dico igitur 1. vnius aut plurium annorum insordescentiam in excommunicatione non priuare excommunicatum beneficiis prius legitimè obtentis, neque iudicem propter eam præcisè insordescentiam posse talem excommunicatum eiusmodi beneficiis spoliare. Itaque nunquàm insordescentia præcisè sumpta erit adæquata causa huius priuationis beneficiorum, sed vel crimen quod commissum fuisse ex ea insordescentia conuincitur, vel quod ex ea præsumitur, vel etiam in ea committitur. Ita Panorm. in cap. 1. de iudiciis. numero 24. Conarru. in cap. Alma mater. 1. p. §. 7. numero 10. Rebuff. in cap. postulastis. notab. 4. numero 108. & quotquot dicunt permanentiam in excommunicatione lata propter causam ciuilem non inducere priuationem beneficiorum, ita vt non modò non priuetur ipso facto, neque priuari possit propter eam duntaxat insordescentiam excommunicationis etiamsi foret mille annorum. Ita glossa singularis in cap. contingit. de dolo & contumacia. ℣. non potest & alij inferius adducendi; inde enim sequitur hanc insordescentiam annuam aut tricenalem per se non inducere priuationem de qua agimus, eam enim æquè in causa ciuili, atque in criminali causare deberet, vti dicam statim, cùm eadem sit, & eiusdem rationis insordescentia & excommunicatio, licet pro diuersis causis lata fuerit; denique nostram assertionem absolutè pronuntiat Garc. 7. p. de benefic. cap. 13. numero 90. & aliquot Rotæ decisiones refert.

Ratio porrò mihi perspicua videtur, quia neque natura excommunicationis, & diuturnioris in illa contumaciæ aut insordescentiæ hanc priuationem beneficiorum prius legitimè acquisitorum inducit aut postulat, neque iura illam vllibi decernunt. Primum patet alioqui etiam in causa ciuili, quod plurimi ex ipsis aduersariis negant, admittenda esset ista priuatio, & vel ipso facto incurreretur, vel cogeretur iudex illam imponere, neque sanè DD. hunc effectum excommunicationis aliunde petunt, quàm ex definitione iuris Ecclesiastici, quod eiusmodi insordescentes voluit priuari suis omnibus beneficiis; atqui nullum est eiusmodi ius, vt ipsa inductione constabit.

44 Affertur enim 1. cap. Rursus. 11. qu. 3. vbi PP. Concilij V. Carthaginensis de clericis accusatis & legitimè citatis, neque comparentibus & ea de causa excommunicatis statuunt, vt si intra annum causam suam purgare contempserint nulla eorum postea vox penitùs audiatur, in quibus, vt vides, nihil de beneficiis eorumque priuatione dicitur, sed tantùm eiusmodi excommunicato denegatur audientia. Neque aliud habet cap. Quicunque. ead. causa & q. Quicunque, inquit, intra anni spatium ciuiliter siue publicè causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi aditum audientiæ clausisse videantur. Ex quibus verbis, quomodo concludant Aduersarij priuationem beneficiorum ex insordescentia in Excommunicatione per annum, planè non video, cùm tantùm colligi possit eiusmodi excommunicatum haberi pro conuicto, quarè ampliùs non esse audiendum, etiamsi suam innocentiam probare velit; atque ita si priuandus esset beneficiis propter illud crimen, iam reuerà priuari posse, quandoquidem constat de crimine, vt statim dicam.

Affertur 2. cap. cùm Bonæ. de ætate & qualitate ordi. vbi suspensi per triennium iubentur priuari suis beneficiis. ℞. 1. ambiguum esse textum, an priuentur tantùm beneficiis durante suspensione obtentis. 2. hæc priuatio fit per sententiam Episcopi, & non incurritur ipso facto, neque imponitur ea pœna præcisè propter permanentiam in suspensione toto triennio, sed propter contemptum sedis Apostolicæ, de quo queritur eo capite Cælestious III.

3. Innocentius in cap. cùm Bonæ cit. numero 2. & glossa in cap. Rursus 11. q. 3. obiiciunt in illo cap. Rursus, & cap. Quicunque, temperari rigorem antiquorum Canonum, qui iubebant deponi Clericum, qui contemneret excommunicationem. cap. si quis presbyter 11. q. 3. cùm hi posteriores canones eum contemptum vno anno metiantur, quarè eo elapso priuandi omninò erunt excommunicati suis beneficiis.

℞. Imprimis ipsammet glossam in cap. contingit. de dolo & contumacia. ℣. non potest restringere hanc dispositionem cap. Rursus & cap. Quicunque ad causam criminalem, negareque in causa ciuili; ergo nunquam voluit ius Ecclesiasticum, siue nouum, siue vetus insordescentiam in excommunicatione præcisè sumptam inducere priuationem beneficiorum, sed id diiudicandum voluit ex causa, propter quam lata fuerat excommunicatio, aut ex ipsa natura talis excommunicationis, quam sanè non immutat eius maior aut minor duratio.

2. Iura antiqua quæ allegat & temperata fuisse affirmat glossa in cap. Rursus. nihil planè habent de deponendo Clerico propter insordescentiam in excommunicatione, nam cap. si quis presbyter, anathema tantùm dicit Clerico, qui correptus à suo Episcopo, cùm ad vicinos Episcopos recurrere deberet, vt cum suo Episcopo reconciliaretur, ab eo tamen se schismate seiunxit, vbi nihil dicitur de perseuerantia in excommunicatione, quæ ante illam discissionem & schisma lata non fuerat: c. verò sequenti, si quis Episcopus. PP. Antiocheni volunt Episcopum à synodo, aut Clericum à suo Episcopo damnatum, qui tamen aliquid de sacro ministerio contigerit, nunquàm in pristinam dignitatem restitui, vbi non agitur de excommunicatione, sed de depositione, qui enim ibi dicitur damnatus nominatur καθαιρεθείς, id est depositus; deinde negatur deposito restitutio, quia ministrauit, dum adhuc esset depositus, non verò quia in depositione sua aliquandiu perseuerauit.

Nihil igitur habetur in iure ex quo inferatur aliquem priuari ipso iure aut priuandum esse suis beneficiis præcisè ex eo quod insorduerit per annum in excommunicatione.

Dico 2. quoties aliquis excommunicatus est propter crimen quod ipso iure inducit priuationem bene

beneficiorum, reuerà illam incurrit, si vel per annum, vel per illud tempus, quod ad conuinctionem illius criminis sufficit, In ea excommunicatione insorduerit. Ita Rebuff. in cap. postulastis. notab. 4. numero 113. Couarru. in cap. Alma mater 1. p. §. 7 numero 10. Alteri. lib. 2. disput. 6. cap. 1. Ricciul. lib. 4. cap. 7. numero 3. quibus præiuerat Panorm. in cap. 1. de iudic. numero 14. Ratio est; quia post annum, aliudve certum tempus à iure statutum habetur quis pro conuicto, & crimen pro quo damnatus erat, videtur fateri ipse Reus, qui tamdiu illud abstergere neglexit, incurrit igitur pœnas ipsius criminis; quarè si priuatio beneficiorum ipso iure sit imposita tali crimini vti hæresi, Apostasiæ, & aliis quibusdam imposita est, reuerà illam incurret, neque aliud colligi potest ex Iuribus superiori conclusione adductis & maximè ex cap. Rursus & cap. Quicunque, vbi post annum denegatur audientia purgare se volenti, quod tamen optimè interpretatur Rebuff. cit. numero 115. & alij relati à Ricciul. cap. 7. cit numero 7. vt licet excommunicatus, qui fuit priuatus suo beneficio non possit post annum audiri super recuperatione beneficij, possit tamen audiri super crimine sibi obiecto & suam probare innocentiam, vnde l. 2. C. de requir. Reis. contumax post annum sistens se iudicio si suam innocentiam probauerit, absoluitur à pœna delicti, quamuis bona iam Fisco addicta non recuperet. Denique probatio Innocentiæ nunquàm dicitur exclusa etiam post latam sententiam. Prætterquam quod ex silentio annuo & insordescẽtia in excommunicatione Ius colligit tantùm fictam confessionem, eius autem confessionis natura est vt admittat probationem in contrarium, vt latè ostendit Neuizan. consil. 60. numero 2. Perseuerantia tamen ista in excommunicatione hoc vnum operatur, vt Actor vel Fiscus qui agunt contra Reum & excommunicatum non teneantur probare crimen obiectum excommunicato, qui per annum in ea insorduit, quia per tacitam illam confessionem probatum censetur, quarè incumbit Reo onus probandi suam innocentiam, ad quam probationem admittitur, nisi fuerit fortassis negligentia quædam positiua, ita vt pluries monitus neglexerit sui defensionem & purgationem, tunc enim poterit penitus excludi à iudicio, atque de hac positiua negligentia interpretatur Menoch. lib. 2. de Arbit. iudic. atque cent. 5. casu 416. cap. rursos prohibens ne excommunicatus post annũ amplius audiatur. Hoc igitur loco audiendus erit excommunicatus quoad repellendum crimen, non tamen quoad retinendum beneficium quo ipso iure priuatus fuit propter crimen; quod conuictum fuit eius tacita confessione, quam persuadet diuturnior illa insordescentia in excommunicatione propter illud ipsum crimen lata ex communi DD. cum glossa in cap. contingit, de dolo & contumacia. Nihilominus posset iudex ex quadam æquitate restituere illi excommunicato post probatam suam innocentiam, beneficium quo fuerat spoliatus. Ita Rebuff. num. 126. gloss. & DD. in c. quamuis. de Rescript. in 6. & ex cap. Inter sollicitudines. de purgatione Canonica: si tamen fuerat illud beneficium alteri collatum, non poterit in illius præiudicium restitui excommunicato, quia cùm reuerà prius illo exciderit excommunicatus & alteri validè ac legitimè fuerit collatum, reuerà ipsius est, neque eo priuari absque iniuria poterit; opus etiam erit noua collatione, quandoquidem fuit ipso iure priuatus; an verò fieri possit ea collatio ab Episcopo disputat Iuann. de Selua. 3. p. de benefic. q. 31. & nos dicemus in simili tractatu: tutios esse existimat Rebuff. si à Pontifice fiat.

Ex his porrò vides hanc priuationem beneficij, neque ex excommunicatione, neque ex annua insordescentia præcisè oriri, quod in nostra propositione contendimus, sed ex crimine, quod ex tali insordescentia reuerà commissum fuisse conuincitur. Vnde dixi non tantùm annuam insordescentiã, sed eam omnem quæ sufficit ad probandum crimen, & quæ repellit Reum deinde à purgatione inducere hanc priuationem, quod manifesto sequitur ex disputatis, cùm enim annua insordescentia idcircò tantùm causet hanc priuationem, quia probat crimen, quod illam inducit, ita vt super illo crimine non ampliùs audiatur Reus vt definitur cap. Rursus. & cap. Quicunque. 11. q. 3. si breuioris temporis insordescentia crimen aliquod inferens ipso Iure priuationem beneficij, probaret, ea omninò sufficeret ad eandem priuationem causandam; ius autem propter grauitatem vel leuitatem causæ, propter quam quis priuatur beneficio, breuiorem aut longiorem moram ad se purgandum antequam condemnetur, statuit, quod obseruat Alteri cap. 1. cit post Panorm. in cap. 1. de iud. n. 24.

Dico 3. Perseuerans per annum in excommuni- 46
catione lata propter crimen, quod est dignum priuatione beneficij, quia lex iubet illud tali priuatione puniri, priuandus omninò est suo beneficio per sententiam iudicis. Panorm. in cap. 1. de iudic. numero 25. Rebuff. loco cit. numero 126. & Ricciul. dub. 4. cap. 7. numero 9. qui alios allegant, manetque iam probata hæc assertio, cùm enim per illam insordescentiam probetur crimen, Reus iam conuictus debet subire pœnam impositam à lege; Neque obiecta apud Rebuff. l. c. ex variis iuribus contrarium probant, quia hæc priuatio vt tam sæpè moneo, non oritur ex excommunicatione, neque ex contumacia, neque ex insordescentia, sed ex crimine, quod probatur & conuincitur per illam contumaciam & annuam insordescentiam, vnde sicut si initio probatum fuisset crimen puniri debebat priuatione beneficij, ita cùm modo sufficienter probetur atque ex iuris fictione siue interpretatione conuictum censeatur, eadem pœna plecti debet, quam lex infligi mandabat.

Dico 4. Quoties quis excommunicatus fuit propter crimen, quod non inducit priuationem beneficij ipso iure, neque illam meretur, non poterit priuari suo beneficio ex eo quod in ea excommunicatione insorduerit per annum. Ita Panorm. in cap. 1. de iudic. numero 24. Rebuff. Ricciul. Alteri. loc. cit. quia cum ex ea insordescentia colligatur tantum conuictio criminis, & illud crimen non mereatur hanc priuationem, reuerà illa non poterit infligi, sed alia quædam arbitraria pœna imponi poterit. Vnde etiam fit, eum qui fuit excommunicatus propter causam ciuilem non posse priuari beneficiis, etiamsi per annum & amplius insorduerit, vti omnes consentiunt, cuius communissimæ sententiæ alia ratio non est quàm quia causa ciuilis neque ex iure priuationem istam inducit, neque illam meretur, excommunicatio autem & insordescentia in illa non causat eiusmodi priuationem, nisi ratione causæ propter quam lata fuit, quod iam ab initio monui.

Dico 5. Elapso anno Excommunicationis, in qua quis insorduerit siue ob causam criminalem, siue ciuilem lata fuerit, habetur quis suspectus de

hæresi, vt definit Trident. sess. 25. c. 5. Et quamuis nondum ille vt hæreticus damnari possit, citari tamen poterit vt de fide respondeat, quod si noluerit comparere, tanquam hæreticus damnandus erit. cap. Excommunicamus. §. qui autem. de hæretic. & cap. Cum contumacia, eod. tit. in 6. qua de re vide Bernard. Dias in practic. cano. cap. 116. numero 12. Couarr. in cap. Alma mater 1. p. §. 7. numero 11. atque ita priuabitur beneficiis, testatur que Rebuff. norab. 4. in cap. postulastis. num. 108. Eam esse Galliæ praxim, vt ille contumax in excommunicatione pro causa ciuili citaretur instante procuratore Episcopi responsurus de fide, qui si non compareat, & ita annum in excommunicatione perseueret, anno elapso priuatus sit beneficiis, solet etiam Regius procurator compellere excommunicatum, vt curet absolutionem, & nisi illam procuret, incidet in pœnas insordescentiæ.

49 Porrò ad hanc annuam insordescentiam exigitur 1. vt tempus sit completum & non incæptum duntaxat, vt sit continuum & non interruptum, nam si quis post aliquot menses obtenta absolutione cum reincidentia, ceterá reincidit, non poterit post annum ita interpolatum dici insorduisse per annum.

3. Vt sit pertinacia & contemptus clauium propter quem imponitur pœna ari irratia, atque etiam subortur hæresis suspicio, immò si diuturnior fuerit vt triennalis pertinacia, quia creuit eo vsque contumacia poterit puniri priuatione beneficij excommunicatus propter peccatum contemptus clauium & contumaciæ, non præcisè propter solam insordescentiam, opus igitur est aliqua pertinacia seu contumacia, vnde qui vel nesciuit se fuisse excommunicatum, vel qui egit quantum potuit, vt absolueretur, non dicitur insorduisse in excommunicatione. 4. Denique requiritur sententia saltem declaratoria huius insordescentiæ. Quæ omnia fusiùs probat Ricciul. l. 4. cit. cap. 8.

TERTIA PROPOSITIO.

Quid efficiat excommunicatio circa beneficij fructus.

50 Excommunicatio maior non priuat excommunicatum fructibus sui beneficij, nisi sententia idexprimat, quod maximè verum est, si excommunicatus officium per se vel per alium præstiterit, aut si non sit in mora obtinendæ absolutionis.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

51 Fructuum Ecclesiasticorum alij competunt beneficium habenti, alij tanquam merces & stipendium quoddam redduntur diuina officia cottidie celebrantibus, & vocantur distributiones cottidianæ, vt dixit Couarr. lib. 3. Varia. c. 13. Initio, & nos latè exponemus lib. de beneficiis. Hinc fit vt nomen fructuum & prouentuum Ecclesiasticorum in latiori significatione sumptum comprehendat omnes fructus, quomodocunque ex titulo canonico acquirantur, cuiusmodi sunt omnes, qui ex bonis Ecclesiæ, aut causa Ecclesiæ prouenîunt, vt decimæ, oblationes & Eleemosynæ, mortuaria, emolumenta sigilli, & similia quæ enumerat Ricciul. lib. 4. de iure personarum, & cap. 14. à n. 3. ad 11. Sayr. lib. 2. Thesau. cap. 5. n. 26. & 27. & Suar. disp. 13. s. 2. n. 21.

2. Comprehendit hoc nomen pensiones, quia ex bonis Ecclesiæ dantur & pendent à beneficio, sicut vsusfructus à proprietate, vt ex Imola in Clem. 1. §. eadem. de supplenda negligent. Prælato. obseruauit Gigas de pensionibus. q. 71. n. 1. & vnà cum omnibus fructibus amitti quoque pensiones Clericales, docent Garc. 1. p. de benefic. cap. 5. n. 131. & 7. p. cap. 13. numero 114. & Ricciul. cap. 14. cit. numero 5. vbi referunt varias Rotæ decisiones hanc in rem, & sequuntur Suar. disp. 13. s. 2. n. 21. & alij passim.

3. comprehendit, cottidianas distributiones, quia licet dentur per modum mercedis, reuerà tamen sunt Ecclesiastici prouentus, atque aliquando appellantur beneficia manualia, sed impropriо vsu, cui tamen sese accommodarunt PP. vti obseruat Moneta 1. p. de distributioni. q. 2. num. 10. & seq. Quando vero fructus vsurpantur in strictâ & magis propria significatione non comprehendunt nisi prouentus præbendarum, non autem hæc cottidiana stipendia, cùm enim ius ad illa non sit beneficium vti l. c. latè ostendit Mon. neque ipsæ distributiones fructus beneficij dici poterunt.

Quando igitur fructus beneficij in materia fauorabili vsurpantur, quia in ampliori significatione accipiendi sunt, distributiones quoque comprehendunt; secus verò in materia, in qua voces in strictiori significatione capiuntur. In hoc verò loco fauor est Ecclesiæ, si excommunicatus, qui priuatur fructibus beneficij, distributionibus quoque careat, non enim qui ab Ecclesia pulsus est, debet ab ea aliquid emolumêti capere, præterquàm quod cùm hæ distributiones dentur tanquam stipendia illis qui officiis assistunt, quod non licet excommunicatis, multò potiori iure priuabuntur eiusmodi distributionibus quam aliis prouentibus. Itaque tradunt DD. statim afferendi, estque vniuersalis illa Regula in omnibus casibus, in quibus amittuntur fructus, amittantur etiam cottidianæ distributiones, licet amissis distributionibus, non idcircò deperdantur fructus, cap. ad audientiam & c. de cætero. de Clerico non resid. & cap. licet ne præbend.

Nomine tamen fructuum beneficij non intelliguntur fructus patrimoniales etiamsi assignati fuerint in titulum ordinationis, quia manet merè têporale eiusmodi patrimonium, neque fit spirituale etiam per aliquam indirectam connexionem, quod obseruant glossa in cap. Tuis. de præbend. & ibid. Panorm. n. 6. & 8. & manifestè colligitur ex Trident. sess. 21. cap. 2. de Reformat. Vbi hoc patrimonium Clericus alienare permittitur. Amissione igitur fructuum Ecclesiasticorum non comprehenditur patrimonium assignatum Clerico loco beneficij vt eo titulo sacris ordinibus initiari posset, quod sapienter docent Sayr. lib. 2. cap. 5. cit. n. 26. & Suar. s. 2. disp. 13. n. 21.

PRIMA PARS.

PROPOSITIONIS.

Hæc priuatio fructuum non incurritur ipso iure ab excommunicato.

His obseruatis confirmanda restat nostra propositio, & quidem concors est omnium DD. sententia in cap. pastoralis. §. verum. de Appellationibus, 52

excom-

excommunicatum priuari omnibus fructibus & prouentibus Ecclesiasticis beneficij ante excommunicationem obtenti, licet eius titulum retineat; Dissident tamen iidem DD. an hæc priuatio fructuũ incurratur ipso iure vi excommunicationis ante omnem sententiam saltem declaratoriam, an verò opus illa sit, ita vt nisi sententia excommunicationis exprimat hanc peculiarem pœnam, reuerà talis excommunicatus faciat fructus sui beneficij suos attento duntaxat excommunicationis impedimento. Quod postremum affirmo in mea propositione, & volo sententiam excommunicationis expressè hanc priuationem imponere, alioquin manebunt fructus Ecclesiastici excommunicato, qui illos validè capiet, poterit tamen iudex, si libuerit, eiusmodi pœnam imponere. Ita glossa in cap. pastoralis citatum. §. verum. ℣. subtrahuntur, quam sequutos esse omnes DD. vsque ad Ioann. Andr. inclusiue fatetur Panormit. ibid. n. 17. E recentioribus verò idem docuerunt Petr. Nau. lib. 2. de restitut. cap. 2 numero 238. Auila. 1. p. de censu. cap. 6. dub. 1. Monera. cap. 4. de optione Canonica q. 2. numero 40. quamuis contrarium docuerit 2. p. de distribut. q. 15. numero 18. & q. 20. num. 12. Vbi imprudenter omninò hunc eundem effectum tribuit ipsi etiam excommunicationi minori, omnibus refragantibus, & nullo textu aut ratione suffragante, Vasq. cap. 4. de benefic. num. 229. Kon. disp. 14. dub. 9. n. 89. Bonac. q. 2. de excomm. p. 4. §. 2. n. 2. Layman. lib. 1. tract. 5. 2. p. cap. 2. n. 9. Hurtad. disp. 6. de excomm. diffic. 1. Neque putat improbabile Sanch. lib. 3. de matrim. disputat. 51. numero 52. Qui omnes negant excommunicatum, qui per se vel per alium exercet suum officium carere fructibus beneficij, nisi in sententia id exprimatur. Quod si eiusmodi officium neque per se, neque per alium exerceat, carebit quidem illis fructibus, sed ex lege naturali Iustitiæ, non vi excommunicationis contra Panorm. in c. pastoralis. tit. § verum numero 17. vbi & alios allegat, quos sequuti sunt perplures, quos dabunt qui illis adhæserunt, Couarru. lib. 3. varia. cap. 13. numero 8. Gutierr. lib. 1. qq. Canoni. cap. 1. numero 90. Garc. 7. p. de benefic. cap. 13. numero 90. Ricciul. lib. 4. cap. 14. n. 21. Sayr. cap. 5. cit. n. 24. Suar. l. 2. disp. 13. n. 4. Alteri lib. 2. disp. 6. cap. 8. & alij recentiores.

53 Probatur verò nostra propositio, quia nullibi habetur imposita illa priuatio ipso iure & ante sententiam incurrenda, nam illo §. verum cap. pastoralis. de Appellat. quo vno loco ducuntur aduersarij, reuerà id non dicitur. Quæsierat enim Episcopus ille, an quandò excommunicatus appellauit à sententia, possit non obstante illa appellatione denuntiari excommunicatus, & priuari Ecclesiasticis beneficiis, quarè omninò supponit eiusmodi excommunicatum non esse priuatum beneficiis Ecclesiasticis, sed priuandum, alioquin malè omninò quæreret, an spoliari & priuari deberet, si enim ipso iure, & per iudicis sententiam priuatus erat, non poterat ampliùs priuari, quia cùm agatur de iure tantum percipiendi fructus, non autem de restitutione aut spoliatione fructuum perceptorum, quæ post sententiam Iudicis adhuc excommunicationi mandanda est, quæri non potest, an excommunicatus priuari debeat iure percipiendi illos fructus, quo per ipsammet sententiam excommunicationis, quæ secum exequutionem trahit, priuatus iam fuit, nihil enim circa eam priuationem ampliùs agere habet iudex excommunicans, quia reuerà talis priuatio manet, quamdiu sententia, quæ illam inuexit, perstat; appellatio autem non facit, quin sententia excommunicationis valeat, & totum suum robur obtineat, donec cassetur à superiore, ad quem fuit appellatum, vt dicam disq. 9. non erat igitur locus huic dubitationi an priuatio ipso iure per excommunicationis sententiam inducta maneret durante appellatione, cùm tam certò maneat illa priuatio, quàm ipsa excommunicatio. Et confirmatur ex ratione, quam ille Episcopus suæ dubitationis affert: Eo quod, inquit, per appellationem interpositam excommunicantis videtur iurisdictio dormitasse. Quærit igitur an possit durante excommunicatione erga illum excommunicatum ius aliquod exercere, nimirum illum spoliando suis beneficiis Ecclesiasticis, atqui nulla erit noua iurisdictionis actio in ea priuatione, si iam fuit contracta ipso iure per sententiam excommunicationis latam ante appellationem, neque enim sunt illi subtrahendi prouentus iam percepti, vti monui, sed ius illos percipiendi, quod tamen ius sublatum fuisse dicunt aduersarij per sententiam Excommunicationis. Nihil igitur circa illud faciendum restat excommunicanti, qui idcircò ineptè quærit, an valeat propter interpositam appellationem tollere ius, quod iam funditus sustulit per excommunicationem ante appellationem, & siue dormitet, siue non dormitet eius Iurisdictio durante appellatione, habuit illa suum effectum circa priuationem iuris capiendi fructus Ecclesiasticos, qui effectus manet durante excommunicatione iam lata, quæ per appellationem neque irritatur, neque suspenditur, sed omnem suum effectum sortitur, eo quod trahat secum suam exequutionem, donec cassetur & irritetur. Cùm igitur Pontifex respondet illi excommunicato subtrahi prouentus Ecclesiasticos, loquitur de subtractione facienda per iudicem & illius sententiam, non autem vi ipsius excommunicationis ipso iure iam facta, nisi dicas ipsum non respondere quæstioni propositæ, quod ineptum foret.

Obiiciunt Panorm. Suar. & alij 1. Pontificem comparare negationem communicationis cum negatione fructuum beneficij, illa verò prior negatio inducitur ipso facto vi excommunicationis absque peculiari sententia, ergo & hæc prior. 54

℞. Innoc. non aliter comparare istas negationes, quàm quia assignat vnam esse causam alterius, cum dicit meritò illi subtrahi prouentus Ecclesiasticos cui Ecclesiæ communio denegatur. Vnde non sequitur vtramque negationem & priuationem eodem modo incurri, quod etiam satis manifestum fit ex diuersa harum priuationum natura, nam priuatio communionis est essentialis excommunicationi, & quodammodo eius constitutiua, vt ex disq. 1. constat, at verò priuatio fructuum Ecclesiasticorum est aliquis effectus duntaxat, qui non est necessariò & ex natura rei connexus cum illa priuatione communionis, vti argumentatur Hurtad. vnde nonulli qui priuantur communione Ecclesiastica, capiunt nihilominus fructus bonorum Ecclesiasticorum; Mirum itaque non est priuationem communionis incurri ipso facto per excommunicationem, priuationem verò fructuum beneficij indigere singulari expressione & sententia, satis enim est, si excommunicatus ex eo quod iam priuatus sit communione Ecclesiæ, eius quoque bonis meritò priuari possit.

Obiiciunt 2. Ex ipsa responsione Pontificis constare,

state priuationem bonorum Ecclesiasticorum non impediri, neque suspendi per interpositam appellationem, quod tamen falsum foret, nisi vi ipsius excommunicationis fuisset iam contracta; idcircò enim bxcommunicatio non suspenditur per appellatinnem, quia excommunicatio secum trahit exequutionem, hoc est, vt interpretatur glossa, statim ligat, aut nulla est; quando igitur excommunicatio non trahit secum exequutionem alicuius effectus, ille necessariò sospendetur per appellationem, donec de æquitate tum appellationis tum excommunicationis proouutiatum sit. Quarè malè responder Pontifex excommunicatum priuandum esse fructibus soi beneficij non obstaute appellatione, eo quod excommunicatio secum trahat exequutionem, nisi existimet per ipsam excommunicationem iam fuisse omninò priuatam.

Quod confirmatur ex altera parte propositæ quæstionis; quærebatur enim, an interposita appellatione post latam excommunicationis sententiam possit iudex denuntiare excommunicatum, & ad tempus beneficiis Ecclesiasticis spoliare, quod vtrumque fieri posse affirmat Pontifex & quoad denuntiationem id probat, quia ea denuntiatio non magis ligat excommunicatum, quarè noua pœna non est, & ideò declarari eam nihil vetat, noo obstante appellatione. Ergo etiam priuatio fructuum, quæ æquè atque ipsa denuntiatio post appellationem fieri potest, quia non est noua pœna, quæ iam per excommonicationem inflicta ooo fuerit, sed est tantùm eios declaratio quædam, alioquin malè illam comparauit Pontifex cum denuntiatione excommunicationis, nam reuerà si de nouo contrahit hanc priuatiooem excommunicatus per seotentiam Iudicis, de nouo ligatur.

℞. Negando per appellationem suspendi posse priuationem fructuum, si ipsa oon fuit iam contracta per excommunicationem, quia quando aliquis effectus posita validitate sententiæ necessariò, aut saltem ex claro quodam iure sequitur, non impeditur per appellationem, nisi ipsius senteotiæ, à qua appellatur, validitas interim suspendatur, si enim ipsa maneat valida habeatque suos effectus non obstante appellatione poterunt illi mandari exequutioni etiam per nouam senteotiam, si opus sit, quia licet non sit ibi mera omninò exequutio, ant declaratio effectus iam positi, sed verus actus iurisdictioois, qui hunc nouum effectum ponit, qoia tamen id totum fit tantùm consequenter ad valorem primæ sentétiæ, quaodiu illa senteotia valida manebit, quæ ad plenam eius efficacitatem pertinebuot, poni poterunt; atqui seotentia excommonicationis oeque ioualidatur, neque suspenditur per appellatiooem, eiusque proprius effectus est, constituere excommunicatum extra communionem Ecclesiasticam, ac proinde dignum, qui priuetur bonis Ecclesiæ, à qua eiectus est, & præcisus, & extra quam manet durante appellatione, poterit igitur reipsa priuari à iudice per sententiam nouam fructibus beneficialibus, non obstante appellatione ab excommuoicatione, non quia illa priuatio fuit prios inflicta per excommunicationem, & modò declaratur duntaxat per sententiam; sed qoia excommunicatio reddidit excommunicatum obnoxium illi pœnæ & dedit ius Iudici eam imponendi, quod ius cum iudex non amittat per appellationem ab excommunicationis seorentia, validè & legitimè illo vtetur, atque ita priuabit excommunicatum Ecclesiæ prouentibus.

Vnde vides, cur ex eo quod excommunicatio secum trahat exequutionem, possit excommunicarus priuari bonis Ecclesiasticis, quibus tamen nondum erat priuatus per excommunicationem, quia nimirum excommunicatio reddidit illum dignum ea priuatione, & dedit ius iudici illum priuandi, qui deinde, dum vtitur suo iure, non dicitur sumere sibi aliquid, à quo per appellationem fuerit impeditus, quandoquidem tam manet integrum iudici ius priuaodi beneficiis excommuoicatum, & dignitas seu obnoxietas priuationis in excommunicato, post appellatiooem, quàm manet valida ipsa excommunicatio, quarè per appellationem oon suspenditur omnis effectus, cuius exequutioné secum non trahit excommunicatio, si ponat necessariam causam illius effectus, & conferat ius ad illum.

℞. 2. Negando Pontificem idcircò dicere priuationem fructuum non impediri per appellationem, quia excommunicatio; qua appellatur trahit secum exequutionem à cùm enim duo quæsita fuisseot, vnum ao excommuoicatus posset denuntiari, non obstante appellatione; alterum an posset spoliari beneficiis Ecclesiasticis, vtrumque fieri posse dixit Pontifex, sed non eandem vtriusque illius quæsiti & responsionis caosam assignauit, vt malè contendit confirmatio obiectioois; nam denuotiationem fieri posse respondet, quia ea non magis ligat, neque est nooa pœna, & cùm excommunicatus iam fuerit redditus incapax communionis Ecclesiasticæ, & cæterorum fidelium, poterit illis excommunicatio denuntiari, vt vitent illum, qui iam vitandus est; at verò prioatio fructuum imponi debet, qoia inquit, illi merito prouentus Ecclesiastici subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur, quæ ratio loogè à priori dioersa est, quarè ex ea comparatione, quam falsò instituunt Aduersarij inter denuotiationem excommunicationis, & priuatiooem fructuum, quam vtramque post appellationem interiectam fieri posse affirmat Pontifex, inùtile omninò ducitur argumentum, cùm diuersam ratiooem vtriusque proferat, leue quoqoe est, quod ex verbo, subtrahuntur, colligunt, cùm enim ad iudicem dirigatur hoc verbum liquidò sententiam ferendam & oon latam significat.

Denique obiiciunt hanc priuatiooem non fore pœoam ipsius excommunicationis, ad quam tantùm concomitanter se habebit, eritque altera clausula senteotiæ, quia manebit integra excommunicatio sine tali pœna.

℞. Iam constare ex dictis, hanc pœnam esse effectum excommunicationis, quæ proiode se habet omninò coocomitanter, est enim secundaria quædam priuatio, qoa digous est excommunicatus vi prioris priuatioois, nimirum commnnioois Ecclesiasticæ, quàm esse essentialem excommunicationi sæpiùs diximos, poterit itaque iudex hanc quoque priuationem bonorum iofligere, nisi tamen id faciat iure cápiet eos prouentus excommnnicatus, si solius excommunicationis habeatur ratio.

Cùm itaque nullo iure excommunicatus priuetur sui beoeficij fructibos ante sententiam, neque etiam ex natura excommunicationis id colligatur, dicendum omninò est excommunicatum facere suos fructus, quos ex beneficio suo & ex Ecclesia capit, nisi sententia excommunicationis aliud ferat.

His accedit consuetudo quæ derogauit huic iuri, si quod esset, vti testantur Hurtad. diffic. 1. disp. 6. de excomm. Suar. disp. 13. s. 2. sub fin. Garc. cap. 13. cit. num. 128. & quamuis de generali adeò

co nsue

consuetudine nihil audeat affirmare. Ricciul. cap. 14. lib. 4. num. 39. Eam tamen in Gallia vigere testantur Rebuff. repetit. in cap. postulastis. de clerico. excomm. ministr. notab. 2. num. 42. & validam esse hanc consuetudinem etiam in foro poli, quandoquidem cum solo Iure positiuo pugnat, malè omninò negauit Monet. part. 2. de distributuon. q. 15. n. 31.

55 An verò non obstante illa consuetudine possit excommunicatus priuari per sententiam iudicis fructibus Ecclesiasticis, maior difficultas est, negat Garc. num. 131. & Ricciul. n. cit. quia ius statuit priuationem ipso facto incurrendam, quam sustulit consuetudo, quæ cùm sit lex quædam vnius priuati iudicis sententia tefigi non potest; aliunde tamen videtur quidem effecisse consuetudo, ne excommunicatus ipso iure priuetur suis fructibus, non tamen sustulisse potestatem iudici illum priuandi. Mihi distinguendum videtur, vel enim agimus de fructibus ab excommunicato perceptis, vel percipiendis, vel consideramus ius quod competit iudici circa hanc priuationem, vel vsum illius iuris & quidem existimo iudicem non posse per suam sententiam spoliare excommunicatum fructibus beneficij perceptis durante excommunicatione ex præscripto consuetudinis, quia reuerà fecit illos suos in vtroque foro, & nihil prætereà admisit propter quod mulctetur ista pœna, non poterit igitur sine iniuria spoliari bonis legitimè partis; si verò agamus de fructibus percipiendis, certum est excommunicatum esse dignum ea priuatione, & quod inde necessariò sequitur excommunicantem habere ius imponendi pœnam, cui Reus obnoxius est, neque consuetudo facere potest, quin excommunicatus sit dignus illa priuatione cuius debitum siue dignitas fundatur in ipsa essentia & natura excommunicationis, quam consuetudo immutare non potest; quia verò Ecclesia potest eam pœnam & priuationem indulgere, & reuera indulsisse testatur legitimè præscripta consuetudo, non poterit priuatus iudex eam infligere, quamuis enim eo ipso, quod excommunicatus fit dignus tali priuatione, videatur nasci ius in superiore illam infligendi, illud tamen ius vel priuatis iudicibus sublatum, vel saltem eius vsus impeditus & ligatus esse potuit tum lege Ecclesiastica, tum consuetudine quæ legi æquiualet, atque ita reuerà non poterit impedire perceptionem horum fructum iudex Ecclesiasticus per suam sententiam, contraria stante consuetudine.

SECVNDA PARS. PROPOSITIONIS.

Quando excommunicatus per se vel per alium præstat officium potest capere fructus beneficij.

Dixi 2. Hanc nostram propositionem maximè veram esse, quando excommunicatus per se vel per alium præstat suum officium, quia si illud non exequatur non faciet fortassis fructus suos, non ex vi excommunicationis præcisè, sed quia non facit sua culpa id ad quod ex lege iustitiæ & ex quodam quasi contractu tenetur, & propter quod dantur prouentus Ecclesiastici tanquam stipendium, quam ob causam plures ex aduersariis negant excommunicatum facere suos fructus beneficij, quia ratione excommunicationis nequit exercere officium, ob quod dantur. Verùm licet excommunicatus peccet ingerendo se diuinis, cùm tamen illa præstet, reuerà non peccat contra iustitiam, & ideò sua stipendia validè recipiet. Quare qui habet simplex beneficium, quod obligat tantùm ad recitationem horarum Canonicarum, quam implere potest excommunicatus, illius beneficij fructus omninò capiet, vt obseruat Vasq. cap. 4. de benefic. §. 3. n. 229. quod idem in suspenso ab officio dixit Nauarr. cap. 27. n. 160. Idemque dicendum est, quoties per alium, vt vicarium officium præstari potest, si enim ille adhibeatur, beneficiarius capiet validè fructus ex eod. Vasq. ibid. n. 133.

Hinc vides falsò dixisse Monet. 2. p. de distributionibus. q. 15. n. 25. & alios relatos à Sanch. statim citando, excommunicatum, etiamsi assistat Choro non lucrari distributiones, quia licet faciat id, quod imperat Ecclesia non tamen id facit eo modo quo imperat, sed suscipit, quod fuit ipsi prohibitum, sicut clericus, qui in aliena Ecclesia officiis adesset, non idcircò lucraretur cottidianas distributiones. Verùm cùm, vt iam monui iste excommunicatus impleat suum officium, & modus non cadat sub præcepto, sitque eiusmodi officiû vtile Ecclesiæ, cuius nomine fit, quod de excommunicato toletato certum est, non est cur non capiat eas distributiones, nam etiam possessor malæ fidei accipit mercedem laboris, quem impendit in vtilitatem rei iniustè à se possessæ. Itaque sentiunt Petr. à Nau. lib. 2. c. 2. n. 137. Henriq. lib. 13. c. 3. n. 3. Sanch. lib. 3. de matrim disp. 51. n. 12. & alij.

PRIMA PARS. PROPOSITIONIS.

Excommunicatus capere potest fructus sui beneficij si non est in mora obtinendæ absolutionis.

Dixi 3. Excommunicatum siue ipso iure, & vi excommunicationis, siue per sententiam expressam priuatus sit beneficij fructibus, vbi tamen non manet in contumacia, siue non dormit, vt loquuntur, in contumacia, neque per eum stat; quominus absoluatur, capere posse fructus sui beneficij. Ita Armilla. ℣. Clericus n. 28. Sylu. ℣. Clericus. 4. q. 25. & ℣. excommunicatio. 3. n. 1. Caietan. eod. ℣. excommunicatio. cap. 82. §. scito. Petr. Nau. lib. 2. de restitut. c. 3. n. 239. Nau. cap. 25. n. 123. Henriq. lib. 13. cap. 3. n. 3. & cap. 13. n. 4. Alteri lib. 2. disp. 6. c. 8. Sayt. lib. 2. cap. 5. n. 29. Layman. l. c. & alij contra Vgolin. tab. 2. cap. 12. n. 1. Suar. l. 2. disp. 13. n. 4. & 5. Bonac. q. 2. de excomm. p. 4. §. 2. n. 7. Garc. cap. 13. cit. n. 93. qui alios allegat, additque n. 95. id verum esse, quamuis iudex iniustè neget absolutionem, quamuis Suar. n. 16. & 20. velit à tempore iniustæ dilationis absolutionis omnes fructus beneficij deinde restituendos esse excommunicato.

Probatur verò nostra sententia, imprimis enim si excommunicatus priuatus fuerit per sententiam iudicis, cùm ex eo tatùm sit dignus hac pœna, quia manet in excómunicatione, & non maneat sua culpa, vt supponimus, etiamsi in ill[illegible] sua culpa inciderit, non potest absque iniuria plecti, propter eam moram inculpabilem, alioquin ex sola alterius iniuria plecteretur. Itaque licet non præstet officium, & non assistat choro, quia impeditur excommunicatione, cùm tamen inculpabile iam sit illud impedimentum & legitimum, non priuabitur stipendio illius officij, sicut neque si valetudinem sua culpa contraxisset, quamdiu tamen dura-

ret valetudo, legitimè excusaretur ab assistentia personali, & ab officio per se exercendo, atque beneficij fructus lucraretur.

Maior est difficultas posita altera sententia, quæ hanc priuationem fructuum dicit contrahi ipso iure vi excommunicationis, quamdiu enim durabit excommunicatio, quæcunque tandem sit causa illius durationis, causabit hanc priuationem, quæ non ex contumacia, aut mora petendæ absolutionis sed ex excommunicatione immediatè nascitur. Verùm necesse non est vt omnes effectus secundatij excommunicationis maneant ea nondum sublata maximè quando illi videntur esse in pœnam contumaciæ, ea enim cessante cessare quoque debebùnt hi effectus; neque existimandum est tantùm existere Ecclesiæ rigorem, vt voluerit propter iniquam voluntatem iudicis denegantis absolutionem, priuare pœnitentem filium suis bonis, vt argumentatur Sayr. num. 29. cit. & alij ab ipso relati: & sanè cum Suarez fateatur à tempore dilatæ absolutionis posse hunc excommunicatum repetere fructus, necesse etiam est, vt dicat iam illum facere suos eiusmodi fructus, & habere ius illos capiendi, alioquin repeteret, quod suum non est, nam iniustitia iudicis non tollit excommunicationem, neque effectus immediatè & necessariò ab illa prodeuntes, vt concedunt aduersarij, igitur posset tantùm habere actionem aduersus iudicem, qui fuisset iniusta causa iniuriosæ dilationis absolutionis & damni inde subsequuti quod aduertit Garc. n. 97.

QVARTA PARS PROPOSITIONIS.

Excommunicatus egenus potest sibi retinere in foro interno partem fructuum beneficij, quibus alioquin priuatus est.

58 Dixi 4. Excommunicatum etiamsi non fungatur officio Ecclesiastico propter impedimentum excommunicationis, & fructibus beneficij fuerit priuatus vel vi excommunicationis, vel per sententiam, posse nihilominùs in conscientia sibi retinere partem aliquam fructuum ad suam sustentationem, qua alioquin careret, necessariam; in foro tamen externo priuabitur omnibus illis fructibus, si sit in mora petendæ absolutionis, neque tenebitur iudex Ecclesiasticus partem fructuum illi excommunicato pauperi alendo applicare seclusa externa necessitate, in qua illi pereundum omninò foret.

Vtor hac distinctione fori interni & externi cum Laym. cap. 2. cit. n. 9. & Auila. 2. p. cap. 6. disp. 6. dub. 1. con. 3. atque ita compono dissidentes sententias, aliqui enim quos sequitur & allegat Sayr. n. 28. cap. 5. cit. & Henriq. lib. 13. cap. 13. n. 4. hanc retentionem fructuum concedunt pauperi excommunicato, communissima tamen & receptissima sententia negat cum glossa in cap. pastoralis. §. verum. de appellationibus. ℣. subtrahuntur. Panorm. inc. Apostolicæ. de exception. & Felin. ibid. n. 9. Quarè receptissimam dixit Couarr. lib. 3. varia. c. 13. n. 8. Doctores dabunt Gutierr. lib. 1. Canonic. qq. c. 1. n. 96. & Garci. 7. pa. de benefic. c. 13. n. 98. tum extremam necessitatem, tum impotentiam obtinendi absolutionem, vbi recessit à contumacia, quas limitationes alij quoque passim admittunt, vt apud eosdem Gutierr. & Garc. videbis.

Priorem igitur sententiam veram existimo in foro poli, cur enim hic excommunicatus non poterit titulo Eleëmosynæ id ipsum capere, quod alijs pauperibus applicandum foret. Neque benè obijcit Alreti. c. 9. disp. cit. dubit. 1. neminem posse rem alienam inuito domino contrectare ad sui sustentationem, nisi sit in extrema necessitate, & hos fructus, quibus fuit priuatus excommunicatus non esse ampliùs illius sed Ecclesiæ, ac proinde si eos contrectet, peccabit etiam mortaliter, si partem sufficientem ad eiusmodi peccatum sibi sumat.

℞. enim ex probabili sententia partem horum fructuum destinatam esse alendis pauperibus, ac proinde non sumi omninò inuita Ecclesia, quia licet nolit obligare suos ministros ad alendos excommunicatos clericos, vt statim dicam, non tamen molestè feret, eos sibi clanculum aliquid ad victum necessarium retinere.

In foro tamen externo non tradi alimenta ex bonis Ecclesiæ excommunicatis clericis licet indigentibus, patet ex communi sententia, quæ ideò distinguit inter depositum, vel suspensum, & excommunicatū, deposito enim & suspenso alimenta suppeditari debent, si ex patrimonio aut aliunde non habeat, ne in opprobrium ordinis Clericalis mendicare cogantur. Excommunicato verò etiam indigenti negantur, quia suspensus & depositus non potest pro arbitrio liberari à sua depositione & suspensione, vti potest excommunicatus, si recedat à contumacia, quare sibi ipsi imputet suam inopiā, quam volens patitur, & quam, si liberet, facilè exueret; neque ea mendicitas in Ecclesiæ, sed ipsiusmet excommunicati dedecus recidet, estquæ necessaria ea pœna, ne excommunicati in sua contumacia facilius obstinentur. Vnde quoties aliquis suspensus est à beneficio propter contumaciam, à qua potest recedere, nisi id faciat, alimentis quoque priuandus esset, vt Gutierr. n. 100. & communiter obseruant.

Denique sapienter aduertit Suar. s. 2. disp. 13. n. 18. distinguendam esse vsurpationem, siue perceptionem fructuum à clerico excommunicato & indigente, ab eorundem fructuum malè perceptorum restitutione, hæc enim facienda non videtur eum tanto incommodo, vt à suo statu per summā infamiam decidere ipsum necesse sit, poteritque excusari ex regulis generalibus, quæ in materia de restitutione tradi solent; at verò prima vsurpatio rei alienæ non potest honesta & licita reddi ex quacunque necessitate, aut periculo amittendi proprij status, & infamiam aliquam ex penuria & mendicitate subeundi, neque ex eo tantùm capite volunt DD. quos sequuti sumus clericum excommunicatum licitè capere fructus beneficij, quibus ratione excommunicationis priuatus est, sed quia pars illorum fructuum destinata est pauperibus è quorum numero ipse est, & ratione excommunicationis non prohibetur Eleemosynam accipere, & quamuis non liceat pauperi nūmos in Eleëmosynam destinatos capere, nisi ipsi fuerint designati, & Ecclesia non destinârit hanc partem fructuum huic excommunicato, cui potiùs dari prohibuit, quia tamen incerta est illa priuatio fructuum ex vi excommunicationis, & licet per sententiam expressè feratur, non videtur tantus esse illius rigor, vt nolit pauperem eiusmodi clericum quidquam ex iis bonis attingere, & ipsimet aduersarij non audeant illum ad restitutionem ita perceptorum obligare, tuta mihi videtur nostra sententia, nimirum posse illum, quando indigebit aliquid ad sui sustentationem capere, quæ videtur quoque fuisse mens Sylu. ℣. Clericus. 4. numero 25. & Nauarr. cap. 25. num. 124.

CON

CONSECTARIVM I.

An priuatio prouentuum Ecclesiasticorum afficiat quemlibet Excommunicatum.

℞. Imprimis excommunicatum à iure dun-
59 taxat, & non ab homine saltem per sententiam declaratoriam non incurrere hanc priuationem, quia non oritur, vt ostendi, ex ipsa natura excommunicationis, vt dixi, & ex Innoc. in cap. pastoralis, ex quo vno deducitur eiusmodi priuatio, non loquitur nisi de excommunicatione per sententiam à qua fuerat appellatum.

2. Excommunicatus occultus & toleratus cùm possit solita officia celebrare, vt diximus, poterit etiam fructus sui beneficij capere, vti patet ex 2. parte propositionis.

3. Excommunicatus vitandus, qui tamen per expressam sententiam non fuerit priuatus, quia non potest implere suum officium, neque beneficij, quod propter illud datur, prouentus capiet, non vi excommunicationis, sed iustitiæ & legis naturalis, vti fuit expositum, si tamen illud officium implere queat per alium, quem ipse substituat, nihil prohibebit quominus fructus accipiat, quia neque ratione excommunicationis prohibetur, quæ illum quidem dignum facit ea priuatione, non tamen actu priuat, neque ex eo quod violet Iustitiam naturalem, quandoquidem implet suum officium per alium. Suppono verò hunc excommunicaticatum posse sibi vicarium substituere, quando ea substitutio non est actus iurisdictionis, quam non delegat suo substituto, sed est simplex quædam commissio actionis faciendæ, vt Missæ celebrationis, ad quam nulla est opus Iurisdictione.

4. Si ipse excommunicatus denuntiatus assistat choro & per sese diuina celebret, non tamen lucrabitur sui beneficij fructus, non quidem ratione excommunicationis, vt iam dixi, sed quia non præstat officium, quod Ecclesia præstari vult, cùm eum penitus à suis officiis arceat, neque illud velit suo stipendio recompensare. Ita Bonac. q. 2. de Excomm. p. 4. §. 2. num. 4.

Hinc vides an Excommunicatus possit administrare; sui beneficij bona aut œconomum constituere, cùm enim administratio tendat tantùm ad capiendos fructus, eo modo prohibetur ab ista administratione, quo à fructuum perceptione, quod tradunt communiter DD. cum Garc. cap. 13. cit. n. 115. & Ricciul. cap. 14. lib. 4. n. 9. 10. 11. & 12. Sayr. lib. 2. n. 31. & 32.

CONSECTARIVM II.

An fructus beneficij creditoribus assignati amittantur subsequente excommunicatione beneficiati.

60 In hoc & subsequentibus Consectariis suppono excommunicatum fuisse priuatum sui beneficij fructibus, saltem per expressam sententiam, & quæro an illa comprehendat etiam fructus, qui creditoribus ante excommunicationem fuerant assignati, ab illis tamen nondum capti sint.

℞. Distinguendum esse, vel enim fructus ante excommunicationem Creditoribus assignatos Incetatus iam erat ipse Clericus, vel erat tantum post aliquod tempus lucraturus & percepturus, si primum teuerà non comprehenduntur priuatione, quam sententia excommunicationis imposuit, valetque ratio, quam affert Vgolin. tab. 2. cap. 12. n. 4. peccatum debitoris superueniés non debet afferre præiudicium Creditori, neque aliud volunt, qui Vgolin. sequuti sunt, Sayr. lib. 2. Thesau. cap. 5. num. 25. & Monet. 2. p. de distribut. q. 15. num. 30. quando verò Clericus nondum perceperat, aut lucratus erat fructus sui beneficij dum illis, siue iure illos percipiendi priuatur per expressam sententiam excommunicationis, reuerà etiamsi ante fuerint Creditoribus dati in solutionem comprehenduntur illa sententia, nisi expresse excipiatur præiudicium Creditoris, vti contingit in sententia suspensionis latæ cap. Apostolicæ de Exception. Quarè malè contra nos allegat Sayr Panormitanum in illud cap. n. 7. Ratio est, quia cùm isti fructus nunc non sint excommunicati, qui caret iure omni illos percipiendi, non possunt ab illo assignari creditoribus, neque etiam ante excommunicationem dari, posito quod in isto Clerico debitore perseueraret ius eos percipiendi, dum eos suos facere debebat. Neque aliud volunt Garc. c. 13. cit. n. 109. & Ricciul. lib. 4. cap. 14. n. 20. & decisiones Rotæ, quas adducunt.

CONSECTARIVM III

An Clericus excommunicatus & priuatus sui beneficij fructibus teneatur ad onera realia eiusdem beneficij.

61

Dicendum est hæc onera cum realia sint, atque ipsi beneficio, siue eius potius fructibus affixa, ab illis, qui fructus percipiunt, subeunda fore; secus est de oneribus personalibus, illa enim semper inhærent personæ, & propter quamcunque culpam nunquàm extinguuntur, alioquin Reus commodum ex sua culpa perciperet, quod absurdum esse latè probat Romã. consil. 73. n. 3. & 4. & dicitur cap. Intelleximus. de iudic. Itaque quando vulgò dicitur, excommunicatum haberi pro non excommunicato quoad onera ferenda, intelligendum est vel de oneribus personalibus, vt ad horas Canonicas, ad quas priuatim recitandas teneri superiùs diximus, & latè ostendit Alteri. lib. 2. disp. 6. cap. 9. vel de iis oneribus realibus, quæ affixa sunt rei, quam non tollit excõmunicatio, & quibus oneribus si careret excommunicatus, commodũ perciperet ex sua malitia & excommunicatione. Idcircò dicitur cap. si verò de sentent. Excomm. ab excõmunicatis exigi & recipi posse quod debetur, qua etiam de causa Clericus, qui contraxit obligationem in camera, illa tenetur, etiamsi incidat in excommunicationem, & per sententiam priuetur sui beneficij prouentibus, quod docet Ricciulus lib. 4. cap. 16. num. 2.

Onera verò Realia, quæ certæ cuidam rei affixa sunt, vnà cum illa re transeunt; quarè vbi quis priuatur illa re, siue sua culpa, siue absque culpa si ea res in alium transferatur, eximitur illis oneribus, quæ vnà cum re, cui affixa sunt, in nouum dominum & possessorem transeunt.

Distinguendum itaque est circa culpam, quæ interuenire potest hoc loco, nam vel res manet apud dominum, quæ tamen sua culpa & negligẽtia nihil ex ea capit emolumenti, vnde onera illi imposita dissoluere possit; vel ille dominus sua etiam culpa rem ipsam amittit, siue per negligantiam illam deperdi sinat, siue in pœnam admissi criminis illa priuetur, ita vt iam fit alterius domini & possessoris. In priori casu tenetur adhuc ad omnia onera

suæ rei imposita dominus, neque excusatur ex rei suæ sterilitate, alioquin proficeret ex sua culpa, cùm enim rem oneratam possideat, sibi imputet si illa non reddat satis vberes prouentus ad satisfaciendum oneribus, quibus se carere velit, rem, cui inhærent, dimittar oportet, atque ita qui beneficium oneratum accepit, quamdiu illud retinet, eiusque fructus, si quos ferat, percipit, tenetur ad illa omnia onera, quamuis sua culpa tenues & exigui sint eiusmodi fructus, qui si reuerà tales sunt absque sua culpa, ex aliis causis curet se exonerari, aut excipiat tenuitatem fructuum; itaque omnia Iudicis authoritate componentur, vt dicam latiùs disputando de beneficiis lib. 4. Quando verò quis omninò spoliatur re onerata, quamuis sua culpa, & illa ad alium quempiam transit, liberatur præstatione eiusmodi onerum, quæ vnà cum re onerata ad nouum possessorem & dominum deueniunt, quis enim dicat reum, cuius prædium fisco fuerit adiudicatum in pœnam commissi criminis, teneri soluere ex suis aliis bonis census & annuas præstationes, aliaque onera huic prædio modò in fiscum translato imposita; neque propterea commodum referret ex sua culpa, quia culpa non est causa immediata immunitatis & liberationis ab illo onere, sed confiscatio prædij, cui fuerat onus affixum; si autem Reus iste retineret prædium, eiusque fructus perciperet, & tamen liberaretur onere soluendi census impositos, commodum caperet ex sua culpa, sed cùm in pœnam culpæ commissæ careat prædio & eius fructibus, licet consequenter liberetur censibus prædij causa debitis, nullum fauorem excipit ex suo crimine, sed amittit rem oneratam, alioquin bis puniretur eiusmodi Reus, nam & priuaretur re sua eiusque fructibus, & prætereà debita onera ratione illius rei, qua caret per translationem in alium dominum teneretur ex aliis suis bonis dissoluere, quod iniquum profectò foret. Atque hanc distinctionem illius, qui ex sua culpa priuatur re onerata per translationem dominij in alium, aut qui ex negligentia quoque culpabili illius emolumenta non capit, explicat Barthol. in leg. inter quos §. damni. ff. de damno infecto, qui malè refertur ab iis, qui dicunt aliquem teneri ad onera realia, quoties sua culpa caret re cui inhærent, loquitur enim Barthol. de negligentia culpabili, ex qua fit vt res inutilis sit domino, quæ illum non liberat ab oneribus etiam realibus, vt dixi.

CONSECTARIVM IV.

An excommunicatus teneatur soluere pensionem suo beneficio impositam.

62 Hinc fit 1. Excommunicatum quamuis retineat titulum beneficij prius acquisiti, si tamen per sententiam illius fructibus priuatus sit, non teneri soluere pensionem eidem beneficio impositam. Ita Couarru. lib. 3. varia. cap. 23. num. 8. Vgol. tab. 2. de censur. cap. 12. sub fin. Garc. 1. part. de benefic. cap. 5. numer. 227. Suar. disput. 13. de censur. sect. 2. numer. 24. Riceiul. libr. 4. cap. 16. n. 6. contra Gigant. q. 64. de pensionib. Tolet. libr. 1. cap. 13. sub fin. Alteri. lib. 1. disp. 6. cap. 9. dubit. 2. Bellon. quæst. 33. de charitatiuo subsidio, qui obligant hunc excommunicatum ad præstandam pensionem de suis propriis bonis, etiamsi per sententiam priuatus fuerit fructibus beneficij, cui talis pensio imposita est, eò quod sua culpa excommunicatus sit. Ratio verò nostræ sententiæ iam allata est, pensio siquidem est onus reale impositum non titulo beneficij, sed ipsius fructibus, quare debet vna cum fructibus, quibus affigitur, transferri. Vnde enim habent aduersarij propter excommunicationem beneficiati fructus beneficij liberari onere ipsis alligato, atque ita omninò immunes ad alium quempiam transire excusso in ipsum beneficiatum, qui solum titulum beneficij retinet, neque vllum ex eo emolumentum capit, onere quo premebantur. Deinde solutio pensionis non est nouum aliquod grauamen, quod oriatur ex censura aut culpa excommunicati, sed quod alias omninò causas easque legitimas habet, cur igitur reijcietur in excommunicatum, cui non fuit personaliter impositum, sed eius beneficio, quod proinde grauatum manet. Denique effectus sententiæ priuantis clericum excommunicatum beneficij sui fructibus, non operatur nisi circa illos fructus, qui beneficiato fuerant obuenturi, fructus autem pensionario reseruati, non erant percipiendi à beneficiario, vt patet, ergo quidquid illi contingat, siue capiat sui beneficij fructus, siue illis spolietur, & alius eius vice eos percipiat, pars pensionario reseruata semper manet reseruata, neque ratio vlla, aut ius Pontificium postulat, vt durante excommunicatione beneficiati, integri fructus illius beneficij ipsaque etiam pars seposita pensionario ad alium quempiam transeant, & pensio soluatur à beneficiato excommunicato, tunc enim, vt superius argumentabamur, non tantùm iste excommunicatus priuabitur fructibus sui beneficij, sed etiam onerabitur noua solutione pensionis, debebitque supplere fructus pensionario destinatos, qui omnis reseruationis immunes vnà cum aliis omnibus fructibus illius beneficij ad nouum possessorem deuenient, quod quàm austerum & iniquum sit, nemo non videt. Itaque dicendum omninò est hanc pensionem semper decerpendam esse ex fructibus beneficij, qui sunt obligati pensionario, cui proinde competet actio in nouum possessorem illorum fructuum.

An verò quando pensio imposita fuit præbendæ, cuius fructus in absentia nulli sunt, soluenda sità capitulo, cui accrescunt illi fructus & distributiones, difficillimæ quæstionis est, quàm latè versat Gutierr. lib. 1. qq. Canon. cap. 1. num. 129. Garc. 1. part. de benefic. cap. 5. num. 206. & alij, nosque alibi fusiùs agitabimus, supponit enim plurima ex loco disputanda.

2. Ex huius consectarij explicatione sequitur quodcunque subsidium superioris authoritate beneficio impositum, siue in fauorem Principis ad publicas necessitates subleuandas siue ad Ecclesiæ fabricam, aut sarta tecta, siue ad pauperes alendos, siue ad alia pia quædam opera, soluendam esse ex fructibus beneficij, & non ex propriis bonis excommunicati, qui per sententiam sui beneficij fructibus priuatus fuit contra Bellen. trac. de subsid. charitatiu. q. 33. propter rationem superiùs allatam.

CONSECTARIVM V.

Ad quos pertineant fructus beneficij, quibus excommunicatus priuatus fuit.

Distinguendum est inter fructus qui consistunt 63
in cottidianis distributionibus, aut qui habent
modum

modum distributiuum, & acquiruntur ex actuali ministerio præstito Ecclesiæ, siue ex præsentia assistentium diuinis officiis, atque fructus principales, quos grossos fructus nominant, qui in certa quantitate singulis præbendis assignati sunt.

Distributiones quibus priuatur excommunicatus eo quod non possit assistere diuinis officiis ad illos pertinent, ad quos propter quamcunque aliam absentiam, aut non residentiam pertinetent iure accrescendi, aut non decrescendi, vt ait Alterius, lib.2.disp.6.cap.9.dubit.3.& alij omnes, qua de re dicemus, lib. de beneficiis. Distributiones tamen quæ dabantur dignitatibus vel personatibus ratione certi seruitij in Ecclesia Cathedrali, aut collegiata, applicandæ erunt vel fabricæ Ecclesiæ, si indigeat, vel alteri pio loco ex arbitrio Ordinatij, quando propter absentiam, siue potiùs non impletionem debiti seruitij amittuntur, vt tradit Trident. sess. 22. cap. 3. de reformat. vide Gutierr. libro 1. quæst. Canonic. capite 1. numero 106.

Fructus alij quotidianis distributionibus, quamdiu excommunicatus illis priuatus manet per sententiam excommunicationis, conuertendi sunt in vtilitatem Ecclesiæ, vt communiter tradunt Vgolin.tab.1.cap.12.n.3.Sayr.lib.2.Thes.cap.5. n.28. Suar.f.2.cit.n.24.Alteri.citat.Garc. cap.13.n.134. & alij. Quarè imprimis assignandum est stipendium alicui, qui curam gerat Ecclesiæ, cuius administrationem habere nequit excommunicatus. 2. Si excommunicatus habeat Coadiutorem cum futura successione, illi fructus omnes sunt applicandi, vti decisum fuisse à Rota in Salmantina coadiutoria 9. Iunij, 1599. refert Riccinl. lib. 4. cap. 5. n. 1. quia coadiuto per excommunicationem à beneficij administratione & fructibus sublato, ita se habet Coadiutor, atque si nullus existeret coadiutus, quo casu fructus omnes sine dubio caperet.

3. Impendendi sunt fructus ad sustentanda onera beneficio imposita, vti diximus Consectar. Superiori. 4. In alia vtilia pars residua impendetur, aut in sustentationem pauperum secundum eam quantitatem, quam ipse beneficiatus, si suis fructibus priuatus non fuisset, obligaretur faciendis eleemosynis impendere, quod sapienter Suar. & Garc. obseruant.

CONSECTARIVM VI.

An excommunicatus possit aliquando repetere fructus sui beneficij durante excommunicatione amissos.

64 R. Imprimis excommunicationem validam, quamuis fortassis in modo ferendi aliqua ex parte iniustam, ita priuare beneficiatum fructibus sui beneficij, vt nunquam recuperari possint, quia nunquam fecit suos illos fructus, immò & per sententiam fuit mulctatus iure eos percipiédi, quarè etiasi deinde tollatur excommunicatio per absolutionem, non idcircò tamen recuperabuntur fructus ad quorum perceptionem nullum habebat ius, & qui in aliorum dominium legitimè cesserunt, & sanè hæc amissio fructuum pœna non esset, si paulò post certò recuperandi forent; vnde hanc sententiam amplectuntur omnes cum glossa in cap. pastoralis, §. verum de appellation. v. subtrahontur.

2. Si iniusta & inualida fuerit excommunicatio, quamuis secundum allegata & probata, atque ordine iuris processerit Iudex, atque adeò iusta habeatur sententia in foro externo, retinet tamen excommunicatus ius ad illos fructus, quos proinde occultè capere, atque etiam amissos recuperare potest.

3. Iniustè excommunicatus, postquam iniustitia excommunicationis per sententiam declarata fuerit, omnes fructus ratione illius censuræ amissos repetere poterit, quod glossa superiùs citata, Felin. in cap. Apostolicæ de exceptionib.& cæteri omnes, quos dabunt Garc. cap. 13. num. 118. Alteri cap. 9. cit. dubit. 4. Sayr. cap. 5. num. 25. communi consensu docent: quia inualida sententia nihil operatur, cùm igitur semper retinnerit ius ad sui beneficij fructus percipiendos, illis non poterit priuari sine iniuria, quæ reparari nequit, nisi reponatur violata æqualitas, quod non fiet aliter, quam restitutione eiusmodi fructuum; neque sapienter Gutierr. lib. 1. qq. Canonic. cap. 1. num. 135. & Monera. 2. p. de distribut. q. 15. num. 35. excipiunt illum, qui negligens fuit in petenda absolutione, aut persequenda iniustitia suæ damnationis, hunc enim negant posse repetere distributiones amissas, sed omnino malè, cùm enim ea sententia nihil vnquam fuerit operata, non operabitur etiam propter non petitam absolutionem, aut non declaratam iniustitiam sententiæ.

Probabiliùs multò est quod docent iidem DD. cum Felin. in cap. Apostolicæ de exceptionil. n.12. Couarr. lib. 3. varia. cap. 13. n.8.& aliis iniustè excommunicatum repetere posse distributiones, quibus caruit propter excommunicationem, si prius diuinis officiis interesse consueuerat, alioquin iniusta excommunicatio non est causa illius absentiæ, & non percipiendi distributiones, quandoquidem seclusa ea iniusta sententia excommunicationis nihilominùs abfuisset eadem planè ratione, qua dicunt infirmum percipere omnes fructus beneficij, atq; ipsas distributiones cottidianas ex cap. Ad audientiam de Clerico non residente: si tamen sola infirmitas non impediat residentiam, quia neque interesse solitus erat diuinis, neque præsens erat in loco beneficij, quando incidit in morbum, sed alibi residebat, non percipiet has distributiones, qua de re dicemus alibi, satis sit iu præsentia monere iniustè excommunicatum rectè comparari cum infirmo quoad cottidianas distributiones.

4. Fructus isti repetentur ab illo, qui eos percepit, quod de principalibus & grossis fructibus nemo negat, & quamuis fuerint in fabricam Ecclesiæ, aut aliam eius vtilitatem applicati, repeti poterunt ab eo, qui suis sumptibus ea opera præstare debebat, aut qui rem non suam ita applicauit & distraxit mala fide, aut si bona fide vsus est, saltem quatenus ea, in quibus factus est ditior, aut denique ab iniusto excommunicatore, vt statim dicam.

Tota difficultas est circa distributiones cottidianas, quæ per ius accrescendi, aut non decrescendi obtigerunt aliis per absentiam excommunicati, & datæ sunt in mercedem & stipendium ministerij præstiti, ac proinde in eorum dominium legitimè transiuisse videntur, quarè non poterút illis deinde spoliari. Iniustè igitur excommunicatus, etiamsi deinde illius excommunicationis iniustitia constiterit, nequaquà deperditas distributiones à cæteris clericis, quibus accreuerunt, repetere poterit, sed à Iudice, qui ipsum iniustè damnauit, nam cap. sacro de senten. excommunic. iniustus excommunicator damnatur ad interesse, vbi de iniustitia excommunicationis constiterit. Itaque censent Vgol. tab.

Gesta à Procuratore excommunicato valida sunt, n.10.

Obtenta absolutione non indiget nouo consensu domini, & nequit à iudicio repelli, num. 11.

Procurator excommunicatus cum potestate substituendi validè substituit, numero. 12.

6. Pars. An Excommunicatus vitandus possit esse testis n. 13.

An Tabellio, n 14.

7. Pars propositionis de excommunicato tolerato n.15.

In Gallia non est locus exceptioni in foro Laico aduersus excommunicatum numero. 16.

8. Pars propositionis Excommunicatus potest esse Reus in iudicio, n.17.

Communicantes ratione litis cum Reo excommunicato non peccant, n.18.

Quid sit Reus voluntarius & Reus necessarius, n. 19.

Excommunicatus potest esse Reus necessarius, n. 20.

Non voluntarius, n. 21.

An Reus excommunicatus obligetur sibi constituere Procuratorem non excommunicatum, n. 22.

Consectarium 1. An Matrimonium validè contrahatur per Procuratorem excommunicatum, n. 23.

Consectarium 2. An Reus excommunicatus repelli possit à sui defensione, donec absoluatur, n. 24.

Consectarium 3. An reus excommunicatus possit non comparere & obiicere excommunicationem instante actore latam fuisse, n. 25.

Consectarium 4. Quid Reo excommunicato iure defensionis liceat. n. 26.

QVæ hactenus disputata sunt, pertinebant ad communicationem sacram, qua priuatur excommunicatus venio ad communicationem prophanam, quam duplicem facio, forensem, quæ circa iudicia occupatur, & vsualem, siue communem, quam politicam nomino, & continetur cæteris omnibus actionibus humanæ vitæ ac communis consuetudinis extra forum & iudicia. Ordior itaque à communicatione forensi, non tantùm in Ecclesiasticis iudiciis, sed etiam in sæcularibus.

Propositio vnica vniuersalissima.

Excommunicatus vitandus, neque Iudicis, neque Actoris, neque Aduocati, Procuratoris, testis, aut tabellionis munus exercere potest. Toleratus verò ab iis omnibus officiis repelli poterit exceptione excommunicationis tum à Iudice, tum à parte; quanquam prætextu huius censuræ

nullus excommunicatus Iudicium subterfugere possit, liceatque nihilominùs ipsi agere in causa propria & se defendere.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Repetenda est maximè hoc loco vulgaris distinctio excommunicati vitandi & non vitandi, siue tolerati; duplex quoque alicuius actionis valor attendendus, vnus est firmus & irreuocabilis, alter ita notat, vt per exceptionem aliamue similem causam facilè impediri possit, si tamen non fuerit impeditus, maneat deinde omninò firmus; denique quarundam actionum valor potiùs consistit in facto ipso, quàm in iure, aliarum verò in iure, siue quia iuridicæ sunt, siue quia iurisdictionem supponunt in agente.

PRIMA PARS PROPOSITIONIS.

De excommunicato vitando.

Dixi igitur 1. excommunicatum vitandum neque Iudicem neque actorem neque Aduocatum, testem, Procuratorem aut tabellionem in iudicio agere posse.

Probatur imprimis, quia hæc munera sine communicatione cū cæteris fidelibus exerceri nō possunt, illa verò communicatio tum ipsi excommunicato, tum cæteris omnibus grauissimè prohibita est, quoties igitur aliqua actio fieri non potest absque communicatione fidelium, censebitur prohibita vna cum communicatione illa, atque adeò ministerium & officium, ad quam talis actio pertinebit, dicetur esse suspensum & inhibitum quoad vsum, siue iurisdictio sublata fuerit, siue maneat, est enim omninò iners & inutilis cum durante excommunicatione in actum prorumpere non possit, atque adeò actus illius potestatis ita ligatæ & impeditæ nulli habeantur in foro tom Ecclesiastico, tum sæculari, saltem ex communi consuetudine & pia Principum voluntate, qui noluerunt actiones, quæ sine grauissimo peccato, & in Ecclesiam contumacia fieri non poterant, alicuius roboris & firmitatis esse: atque ita facile diffidia conciliabis, an acta Iudicis excommunicati vitandi valida sint, an sententia ab eo lata sit nulla: nam quas Canonistæ passim afferunt ad probandam eiusmodi nullitatem agunt de Iudice duntaxat Ecclesiastico, qui quoad suam iurisdictionem alia longè ratione subiicitur Ecclesiæ, quam Iudex laicus, neque excommunicatio priuat ex sua natura iurisdictione temporali, an verò priuare possit, & quomodo periculosæ & inuidiosæ quæstionis est. Itaque totum hoc diffidium facilè compono, dum dico Iudicem excommunicatum denontiatum nihil validè agere ex suo officio, eo quod illud exercere nequeat absque communione sibi prohibita, & communis ferè orbis consuetudo, atque ipsa Principum Christianorum pietas, & in Ecclesiasticas leges obseruantia reiiciat publica acta ab eiusmodi excommunicatis vsurpata; immò neque ita gesta à Iudice excommunicato denuntiato, rata deinde haberi posse à partibus dixit Rebuff. in concordat. titulo de excommunicatione,

non vitand. in pœnis excommunicat. pœna 3. quod tamen ita intelligendum est, vt ea sententia non habeat vim sententiæ, habeat tamen efficacitatem ratione pacti quod partes inter se inuerunt illam seruandi. Denique vbi lex aliqua prohibet substantiam actus, aut aliquid ad ipsam pertinens, prohibitio sufficit ad inualiditatem actus, etiamsi lex non dixerit inutile esse debere, quod gestum erit, cap. quæ contra. de Regulis Iuris in 6. & l. non dubium. §. ad omnes. C. de legibus. Ibique Bald. num. 15. atqui communicatio prohibetur excommunicato vitando, ergò & omnes actus, qui sine ea communicatione fieri non possunt, qui proinde tanquam nulli haberi possunt, nisi eorum valor aliunde pendeat quàm ab ipso excommunicato.

SECVNDA PARS

An Excommunicatus vitandus possit esse Iudex.

4 Sigillatim verò demonstro eas omnes actiones vitandi excommunicati, quas enumeraui prohibitas & communiter nullas esse.

Et quidem quod attinet ad Iudicis munus, iam dictum fuit, & amplius colligitur quoad Iudicem Ecclesiasticum ex iis, quæ disputata sunt alibi circa modos amittendæ Iurisdictionis.

TERTIA PARS.

An possit esse Actor.

5 1. Non poterit excommunicatus in Iudicio esse Actor, sed à Iudice repellendus erit, vti iubet Alexand. IV. cap. decernimus de sentent. excomm. in 6. quod de excommunicato denuntiato verum est, illum enim repellere tenetur Iudex ex officio, vti eo loco iubet Pontifex, non obligatur autem idem Iudex non vitandum repellere, nisi partes excipiant. Ita Auila 2. p. cap. 6. disput. 7. dub. 2. atque ita intelligendum est quod dixit Innoc. I V. in Concil. Lugdun. & refertur cap. pia. de exceptionib. in 6. Iudicem ex officio debere repellere actorem excommunicatum publicum, etiamsi Reus nihil excipiat, iure enim nouo ad excommunicatum denunciatum restringêda est ea Constitutio, quia, vt argumentatur Auila, ea repulsio imperabatur ad vitandum peccatum communicationis, quod nullum est, quando excommunicatus non est denuntiatus, quarè non tenebitur Iudex illum repellere, quamuis possit, si velit, vt dicam inferiùs: quomodo verò fiat, & quid operetur ea exceptio, dicam inferius, ex quibus, quæ hoc loco afferri possent, faciliùs intelligentur.

Neque tantùm prohibetur excommunicato agere per seipsum, sed etiam per alium, & per procuratorem à se constitutum, quia eadem est causa procuratoris, quæ domini principalis, cap. licet de testib. & l. alia. ff. soluto matrimonio, quod verum est, etiamsi excommunicatio adueniat domino post ceptam litem, cùm semper agat nomine domini excommunicati nisi post obtentam litem procurator intentaret aliquas actiones vtiles nomine suo, non enim propter nomen domini excommunicationē prohibetur nomine suo agere, quamuis ea actio ex domini excommunicati actione nata fuerit. Ita Aufreri. in decis. 143. Capellæ Thosola. ad quod probandum ait esse bonam glossam in cap. vnic. de interpretat. in 6. quando etiam procurator constituitur ab vniuersitate, in qua sunt excommunicati, licita est & legitima ea procuratio, modò in ea non exprimantur nomina excommunicatorum, quod omnes tradunt in cap. Consulti. de procurat. quia vniuersalis manet in reliquis non excommunicatis.

QVARTA PARS.

An possit esse Aduocatus.

3. Idem prorsùs dicendum est de Aduocato, 6
quem à iudicio repellere iudicem iubet Pontifex, cap. decernimus. de sentent. Excomm. in 6. vbi glossa & DD. consulendi sunt, quod Ricciul. lib. 4. de iure personarum cap. 21. num. 3. ita extendit, vt eiusmodi excommunicato nequidem liceat desiderium clientis exponere, aut contradicere aduersario, aut in camera consulere, aut iudicibus mittere informationes, quia in omnibus istis communicatur cum eo excommunicato, quod planè non licet, an vero ea communicatio sit grauis, dicam disq. seq.

Valida nihilominùs erunt acta ab eiusmodi aduocato excommunicato, non enim valor ille pendet à iurisdictione, quam tollat. aut suspendat excommunicatio, sed potiùs consistit in prudenti consilio & deffensione clientis secundum iura. Consilij autem prudentia & scriptionis eruditio, atque causæ defensio non pendent nisi à sapientia & doctrina consulentis, quam neque confert permissio patrocinandi, neque aufert eiusdem prohibitio siue per excommunicationem, siue quocunque alio modo fiat; An verò scripturæ, quæ vt iuridicæ sint, debent obsignari ab aduocato, validæ sint, si ab excommunicato conficiantur, pendebit ex arbitrio iudicis, qui eas admittet, aut reiiciet; si enim admittat, validæ omninò erunt, cùm nullo iure irritentur; quod idem dicendum est de actis actoris & testis & aliorum eiusmodi. Quarè ille aduocatus, cuius acta admissa sunt in vtilitatem Clientis iure merito stipendium pro iis accipiet, quandoquidem non violat æqualitatem, etiamsi peccarit contra Censuræ præceptum, immò quamuis inutile fuerit Reo suum patrocinium, si tamen illud rogatus ab eo, qui sciebat excommunicationem dedit, debetur illi stipendium laboris, sibi verò imputabit Cliens, quod talem patronum, quem nôrat excommunicatum elegerit, nam si se obtulisset ignoranti, aot illi suum impedimentum occultasset, & frustrà idcirco laborasset, nullo prorsùs iure stipendium deposcere posset.

QVINTA PARS.

An Excommunicatus vitandus possit esse procurator?

4. Excommunicatus procurator non repellitur 7
quidem nominatim à iudicio in cap. decernimus, ex generali tamen Regula interdictæ cum excommunicato vitando communicationis omninò remouetur. Deinde quia vel partes Actoris, vel Rei gerit, si primum sicut Actor excommunicatus agere nequit per se & in sua causa, multò minus pro alio agere poterit, cùm propria caussa sit multo fauorabilior, quàm aliena; cùm enim siue excōmunicatus agat pro se, siue pro alio licet non excōmunicato

tanquam

tanquam eius procurator, necessaria sit communicatio, quæ prohibita est, non magis vno nomine, quàm alio agere poterit, atque adeò dum repellitur Actor à iudicio cap. decernimus, simul & necessariò repellitur procurator excommunicatus nomine actoris agens; quod si personam Rei sustineret, aduocatum gereret, atque ita eo nomine iam repelleretur à iudicio, vti diximus, nisi fortassis ea sit Rei necessitas, quæ illi cum excommunicato denuntiato communicationem eo casu permittit; vt si v.gr. dum longius abest, procurator ab ipso constitutus incidat in excommunicationem, neque alius fuerit destinatus, vigeatque periculum amittendæ litis, defectu procuratoris, poterit excommunicatus pergere in suo procuratoris munere, etiamque iudicis, si pars aduersa excipiat excommunicationem procuratoris illius, vel progressum litis suspendere, donec alius eius loco nominetur, vel Reo ita succurrere, vt minimè queri possit se indefensum per summam iniuriam damnatum fuisse.

8 Circa hunc porrò procuratorem excommunicatum etiam vitandum quædam veniunt obseruanda imprimis, si neque à Iudice, neque à partibus repellatur, valida fore ab eo gesta, quod communiter tradere canonistas in cap. 1. de Exceptione in 6. & in cap. post cessionem. de probation. testatur Suar.disp.16.de censu. s. 7. num. 8. Alteri.lib. 2. disp. 3. cap. 3. & alij, quia cùm excommunicatio superuenerit tantùm, reuera fuerat legitimè constitutus, neque excommunicatio tollit potestatem ipsi factam, sicut neque priuat aliis iuribus, aut officiis & dignitatibus, sed tantùm impedit eius vsum propter periculum communicationis prohibitæ, quare si non opponatur ipsi excommunicatio, reuera valebunt omnia, quæ ex mandato sui domini geret; falsum enim est, quod innuit Ricciul. lib. 4. cap. 14. num. 9. mandatum prius factum & validum reuocari per superuenientem excommunicationem mandatarij, cum nullo iure id statuatur, tantùm igitur impeditur, vsus illius, qui tamen si ponatur, omninò valebit, nisi per exceptionem elidatur, & sanè cùm ipsiusmet actoris gesta valida esse diximus, quando excommunicatio ipsi non opponitur, multò magis quæ fieri ab excommunicato procuratore valida censenda erunt, vbi verò opponetur excommunicatio potestas illi facta à domino suspenditur, siue impeditur ne in actum erumpat.

9 Secundo, Existimo excommunicatum validè constitui procuratorem, siue qui illum constituit, sciat illum esse excommunicatum, siue ignoret, ignorantia enim vel scientia nihil facient hoc loco, si excommunicatio ex sese reddat inhabilem ad hoc munus accipiendum, sicut enim ignorantia constituentis procuratorem excommunicatum non tollit excommunicationem à constituto, ita non reddet illum habilem, vt id officium accipiat, vti argumentatur Vgolin. tab. 2. de censu.cap. 19. §. 2. Dico igitur, excommunicationem non reddere inualidam constitutionem procuratoris excommunicati, siue ad actus extra-iudiciales, siue ad iudiciales, impedire tamen potestatis tali procuratori factæ vsum, & quidem quod attinet ad actus extra-iudiciales, nihil planè afferri potest, vnde colligatur inualiditas huiusmodi constitutionis: imò cùm ea constitutio fiat per modum contractus cuiusdam inter constitutum & constituentem, & contractus cum excommunicato validi sint, vti quæst. seq. docebimus, iste quoque validus erit, nisi irritetur aliquo peculiari iure, quale nullum offerri potest. Neque dicas prohibita actione prohiberi quoque quæ ad actionem tanquam illius principia & causæ referuntur ex cap. si celebret de clerico excomm. minist. ℟. enim iam superiùs ostendisse me ex eo capite tantùm sequi, quoties actio publici alicuius muneris prohibita est, & sine peccato exerceri nequit, collationem illius muneris & officij esse irritandam, non tamen ipso iure irritam, quod ad contractus & negotia particularia extendendum non est, ex solemni Regula, quæ negat faciendas esse extensiones in materia odiosa, præterquam quod aliud inferri non potest, ex vulgato principio, nimirum, vno prohibito id etiam prohiberi per quod peruenitur ad illud, quam actionem & eius principium eodem modo prohiberi, actio verò facienda per procuratorem non prohibetur, neque tanquam irrita, neque tanquam irritanda ex suo genere & ipso iure, sed tãtùm tanquam illicita propter communicationem cum eo excommunicato vitando, de quo agimus, vnde fit vt quamuis in illa communicatione peccetur, si tamen non obiiciatur excommunicatio, valida sit procuratoris excommunicati actio, vt superius euicimus. Igitur & collatio illius officij prohibebitur tantùm tanquam illicita propter communicationem, quæ interuenit cum tali excommunicato vitando, sed neque irrita, neque necessariò irritanda erit.

Idipsum porrò affirmo etiam de constitutione excommunicati in procuratorem ad actus iudiciales, cùm Innoc. in cap. post cessionem. de pro. bation. & in cap. veritatis. de dolo & contumacia num. 2. Suar.disp. 16. s. 7. num. 15. Alteri. lib. 2. disp. 3. cap. 3. & Nau. cap. 27. num. 23. vbi dicit excommunicatum constitui posse procuratorem, vt absolutus agere valeat, atque se id probasse in cap. post cessionem contra communem in illud cap. quæ reuera contraria est, Panorm. Felin. & aliorum, quos dabit Sayr. lib. 2. Thesau. cap. 8. num. 7. 8. 9. & 10. & Ricciul. lib. 4. cap. 24. num. 12.

Probatur verò hæc pars nostræ assertionis eodem modo quo superior, quia neque ex natura excommunicationis, neque ex vllo iure positiuo colligitur nullitas huius constitutionis, eam si hæc duo capita nullitatis, quæ duntaxat hoc loco fingi possunt, nihil operantur circa ipsum actorem principalem, qui neutro ex capite ita repellitur à iudicio, vt ab eo actu ipso iure nulla sint & irrita, sed omninò valida maneant, nisi elidantur exceptione excommunicationis, dum fiunt, minus verò valebunt in procuratore, qui alieno nomine agit.

Deinde vnicum argumentum communis sententiæ contrariæ est cap. post cessionem cit. vbi Innoc 3. idcircò reiicit à iudicio procuratorem quendam, quia constabat ipsum fuisse excommunicatum, quando procuratoris assumpsit officium; Inde enim colligunt aduersarij excommunicationem facere inhabilem excommunicatum ad suscipiendum procuratoris officium; quam illationem vbi firmam esse sibi persuaserunt primi aliqui glossatores, eam deinde cæteri nullo examine sequuti sunt, vti in aliis quotidiè deprehendimus; verùm non esse necessariam eiusmodi ratiocinationem viderunt quoque iam olim Innocentius & Decius, quorum expositionibus omissis respondetur cum Suare & Alteri. in toto illo cap. nullum

nullum prorsus esse verbum irritans, illa enim clausula *non duximus admittendum*, nihil aliud sonat, quàm einsmodi procuratorem iure merito repelli in iudicio, siue à iudice, siue à parte aduersaria obiiciente excommunicationem, in quam inciderat, dum factus est procurator, quod ex litteris Ordinarij constabat Pontifici.

Quomodo verò inde deducat communis sententia constitutionem illius procuratoris fuisse ipso iure nullā, planè non video, nisi quoties aliquis Iudex aut sacerdos, aut beneficiatus repellitur ab exercendo officio iudicis, sacerdotis, aut beneficiati, colligant nunquam fuisse validè factum Iudicem, sacerdotem aut beneficiatum. His accedunt plurima incommoda, quæ ex hac nullitate gestorum ab eiusmodi procuratore excommunicato, vtpote carente omni potestate deriuarentur tum in eos, qui cum illo bona fide & ex ignorantia probabili agerent, tum in dominum, qui illum ex eadem bona fide sibi procuratorem elegisset, quamuis enim possent de interesse agere aduersus eiusmodi procuratorem, vti concedunt Panorm. & Felin. nihilominus innumeras lites & difficultates inde nascituras nemo non videt, ad quas volentes se damnant, DD. communis sententiæ, cùm nihil planè sit, quod rigorem illum subire nos cogat, vti euicimus, immò si quidpiam tale appareret, molliendum omninò foret, quantum absque iniuria liceret.

10 Ex hac porrò valida constitutione excommunicati in procuratorem ad omnes actus tum Iudiciales, tum extra-iudiciales,

Sequitur 1. gesta à procuratore excommunicato etiam tempore constitutionis aut mandati valere, donec vel officio priuetur vel ab eius exercitio remoueatur, quia agit ex vera & legitima potestate, validè itaque operatur, neque distinguendum est inter excommunicatum occultum aut publicum, aut expectanda ratihabitio principalis, qua ratione communem sententiam contrariam aliqui molliunt apud Ricciul. cap. 24. cit. num. 14.

11 Sequitur 2. talem procuratorem obtenta absolutione suæ excommunicationis, etiamsi non accesserit nouus cōsensus, aut noua Constitutio principalis Actoris non posse repelli à iudicio obiecta excommunicatione, in qua erat, quando constitutus fuit procurator, quia reuerà ea Constitutio fuit nihilominus valida, & cōtulit potestatem ad agendum, quam modò quoque retinet absque fictione nouæ concessionis, quæ in communi sententia Panormitani necessaria omninò erit.

12 Sequitur 3. Excommunicatū procuratorem constitutum cum potestate substituendi validè substituere, quia cum hic procurator talem potestatem acceperit per sui validam constitutionem, validè omninò illa vtetur, & substituet. Ita Alteri. cap. 3. cit. Immò Antoni. de Butrio in cap. post cessionem cit. existimat id verum esse etiam in sententia communi Panormit. negantis constitutionem talis procuratoris validam esse, quia substitutio procuratoris fit per viam contractus, ad quem excommunicatus non est inhabilis; sed parum consequenter loquitur Butrius, cùm enim ex hac communi opinione inualidè constituatur excommunicatus procurator in iudicio, neque accipiet potestatem contrahendi in ordine ad Iudicia. Placet vero quod dixit Felin. in cap. post cessionem. de probationib. n. 25. quoties constitutio procuratoris fuit valida, quia præcessit eius excōmunicationem, cum, si vnà accepit potestatem substituendi validè substituere, quia superueniencia excommunicationis non tollit eam facultatem, & malè id negat Ricciul. cap. 25. num. 3. quamuis enim superueniens excommunicatio tollat liberum vsum huius potestatis, eo quod possit opponi Excommunicationis exceptio, si tamen non opponatur, valida erit tum hæc substitutio, tum alia ab eiusmodi procuratore saltem ante excommunicationem constituto gesta, quod sæpiùs monuimus.

Addit ibidem Felin. in 2. fallentia, quoties procurator excommunicatus accipit mandatum substituendi certam quandam personam, substitutionem esse validam, quia tunc substitutio videtur facta à principali & non à procuratore excommunicato, qui nudum tantùm ministerium exhibet. Quando verò actus non requirit nisi ministerium facti, exercetur etiam ab inhabili ex l. cum Pater. §. hæreditatem filius. ff. de legatis 2. Vbi deportato, licet sit incapax hæreditatis, dari potest facultas eligendi capacem, quæ pluribus illustrat Ricciul. cap. 25. cit. à num. 12. Hinc porrò Felin. plurimum inclinat in opinionem Butrij nimirum procuratorem excommunicatum, validè sibi substituere, licet mandatum tantùm generale substituendi acceperit, modò illud præcesserit excommunicationem, quia etiam tunc tota ea substitutio fit à principali, & procurator nudum ministerium exhibet nominando & designando vnam personam ex pluribus sicut quando mandatum est de substituenda persona, illam quoque procurator nominat, neque satis idoneum discrimen videtur reddere Decius & ex illo Alteri & Ricciul. quod non vacat diligentius excutere, quando constat ex nostra sententia vtramque hanc substitutionem validā fore.

SEXTA PARS.

An Excommunicatus vitandus possit esse testis.

5. Testimonium excommunicati reiicitur à Iudicio, cap. decernimus, de sentent. Excomm. in 6. & cap. licet Eod. tit. & lib. cap. veniens. 2. & cap. testimonium, de testibus, quia excommunicato credendum non est, vt cap. nullus 3. q. 4. dixit Stephanus Papa. 13

Circa hoc verò testimonium excommunicati obseruanda sunt nonnulla, imprimis enim solus excommunicatus vitādus necessario erit reiiciendus, quia cum aliis licita est communicatio.

2. In quibusdam nihilominus causis admitti potest cuiuscunque excommunicati testimonium, vt in causa fidei contra hæreticum cap. io fidei de hæretic. in 6. atque etiam in maleficio, vt disputat Delrio disquis. mag. lib. 5. s. 6. deinde in omnibus iis casibus in quibus infamis poterit esse testis.

3. Post absolutionem poterit excommunicatus esse testis etiam de iis quæ tempore excommunicationis gesta erant, quod pluribus tradit glossa in summa 4. quæst. 1. quod intelligendum esse monet Auila. 6. p. cap. 6. disp. 7. dub. 4. nisi excommunicatio incursa fuerit propter crimen, quod etiam emēdatum relinquat infamiam, tunc enim ratione illius infamiæ, non excommunicationis antiquæ repelleretur à testimonio ferendo; atque ita quæ sibi obiicit loco citato glossa facillimè exponens, & sanè excommunicatio, in qua tunc erat excommunicatus, quando vidit rem, de qua modo post absolutionem testificatur, non impediuit, quo minus eam rem videre posset.

4. Aliquādo quis vt testimoniū eius repelli non possit,

possit, cum tamen aliunde necessarium sit, absolui-tur ab excommunicatione ad cautelam, vt dicitur c. veniens 2. de test. vel absolutione ad reincidentiam, de qua absolutione vide Alten. lib. 2. disp. 3. cap. 5. sub fin. Panormit. in illud cap. veniens, n. 33. disq. 10. quaeremus.

5. Moneo hoc testimonium excommunicati etiam denuntiati & vitandi, si admittatur à Iudice consentientibus partibus, siue in eo admittendo peccetur propter communicationem illicitam cum illo, siue non peccetur propter excusantem necessitatem, validum nihilominus esse, vt obseruat Vgolin. tab. 2. cap. 17. quia non magis hic excommunicatus repellitur ab officio testis, quam actoris, Procuratoris & Aduocati, vt patet ex cap. decernimus de sent. excomm. in 6. horum tamen omnium acta, quoties non eliduntur exceptione excommunicationis, valida esse docuimus nisi dicas cum Hurtad. disp. 8. de excomm. diffic.... nullũ esse hoc testimonium, quia nulla est obligatio ei credendi, cùm repelli possit, vnde tamen non fit, quin, si admittatur, validum non sit.

6. Denique quod attinet ad actus extraiudiciales, vt contractus, testamenta, aliave similia, in illis excommunicatus denuntiatus propter vitandam eius communicationem nequit esse testis, si tamen admittatur, validè testabitur. Est verò discrimẽ hac in parte inter actus iudiciales & extraiudiciales, quod in iudicio testis dicat se vidisse aut audiuisse id de quo agitur, in aliis actibus contractu v. gr. vel testamento adhibeatur, vt videat & audiat, quæ geruntur, atque statim testetur se id audiuisse vel vidisse; excommunicatio autem non impedit, quominus suo iuramento obligetur æquè atque non excommunicatus, & proinde quin æquè validum sit huius testimonium atque alterius secluso omni iure positiuo irritante, quale nullum affertur.

An hic excommunicatus possit esse tabellio.

14 6. Denique notarij & tabellionis publici officium illicitè exerceri ab excommunicato vitando, constat ex communicatione ipsi cum aliis etiam rogantibus vetita, atque cæteris fidelibus ab eiusdem consuetudine repulsis; Acta verò eius & instrumenta non ita valida sunt, quasi sint irrefragabilia, eo quod repelli possint, si tamen admissa sine consensu partium, reuerà fidem facient & valida erunt saltem in foro interno, quæ de excommunicatis toleratis in foro tum interno, tum externo certissima sunt; quidquid in contrarium pugnet Alteri. lib. 2. disp. 3. cap. 4. & alij apud Ricciul. cap. 30. lib. 4. quibus repugnant, quos sequuti sumus Suar. disp. 16. s. 3. Kon. disp. 14. dub. 11. à n. 107. & alij. Verùm hæc omnia, & quæ circa alia munera iudicialia hactenus attulimus, lucem accipient ex iis quæ de iudiciis alibi disputabimus.

SEPTIMA PARS.

De excommunicato tolerato.

15 Dixi 2. parte propositionis excommunicatum toleratum ad omnes actus iudiciales ab aduersario admitti posse, si lubeat, vel repelli, cùm enim communicatio cum illo licita sit cæteris fidelibus ex extrauag. Ad euitanda, nihil est vnde repellendus sit, si pars, cuius interest, nihil apponat, tunc porrò fore illius acta valida iam constat ex superiori parte in qua ostendimus, eadem acta, quandiu non obiicitur excommunicatio, valida esse etiam ab excommunicato vitando, quod verius multò erit in tolerato, qui neque priuatur iurisdictione vlla, neque redditur simpliciter incapax ad exercendum vllum actum, quem prius exercere potuisset, vti ostendimus q. 1. quandoquidem illum rogantibus cæteris fidelibus non modò validè, sed etiam licitè exercere valet.

Dixi tamen posse reiici hunc excommunicatum ab iis omnibus actibus, quia constitutio ad euitanda fauet fidelibus non verò excommunicato, neque obligat cum illo communicare, quamuis permittat; quare excipere licebit, vbi commodum videbitur, aduersus eiusmodi excommunicatum. Quomodò verò facienda sit illa exceptio, & quando, latè disputant Ricciul. lit. 4. cap. 31. Sayr. lib. 2. cap. 3. à n. 6. atque alij ab ipsis laudati, nosque exponemus lib. de iudiciis.

Moneo duntaxat, quod q. 1. iam indicaui ex Layman, vbi consuetudo aut Edicta Principum non probant hanc exceptionem excommunicationis ad repellendum toleratos excommunicatos à quibusdam actionibus, ea abstinendum esse, & idcircò in Germania Lutheranos, & in Gallia Caluinistas à publicis contractibus, iudiciis & dignitatibus huius exceptionis ope minimè remoueri.

Addo ex generali consuetudine Galliæ nunquam locum esse exceptioni in foro sæculari, quod acriter tuetur & testatur Tiraquell. de retractu consang. §. 1. glossa 9. n. 181. Ioan. Faber in §. vlt. instit. de exception. Boëri. decisio. Burdegal. q. 43. Aufreri. in decisio. capellæ Tholosa. q. 190. Imbertus institution. forensi. lib. 1. cap. 35. apud Hispanos quoque passim admitti à Iudicibus excommunicatum ad agendum refert laudato Couarruuia Auila 2. p. cap. 6. disp. 7. dub. 1. neque irrationabilis est ista consuetudo. Cùm enim non sint remouendi excommunicati à iudicio, nisi quia non licet cum ipsis communicare, obtinere iure potuit consuetudo vt quis ad infringenda acta non possit obiicere excommunicationem agentis, quæ reuerà non sunt irrita, sed tantùm illicita, atque ad summum irritanda, quam irritationem fieri noluit lex municipalis variis de causis, quæ æquissimæ esse potuerunt, maximè circa excommunicatos toleratos, quibuscum licita est communicatio: neque attendit forum laicum, an excommunicatus, qui se ingerit ad hæc agenda, aut alij, quibuscum agit, peccent propter vetitam communicationem vel non, sed an ipsorum gesta valida sint, an irrita, aut saltem irritanda, & probat tanquam valida, non tamen idcircò facit esse licita, aut eximit excommunicatione quoad illum actum, quanquam sicut consuetudo potius, quàm lex vlla synodalis induxit, vt cum excommunicatis non denuntiatis, neque notoriis Clerici percussoribus liceret in omnibus communicare, inducere quoque potuerit, vt in iudiciis eadem communicatio licita foret, neque vllum discrimen afferri poterit hac in parte.

OCTA

OCTAVA PARS.

Excommunicatus potest adesse iudicio tanquam Reus.

17 Postrema parte propositionis dixi quemcunque excommunicatum tanquam Reum trahi posse ad iudicium siue in ciuilibus, siue in criminalibus, cui licebit omnia, quæ in sui defensionem necessaria erunt, efficere. Ita definit Pontifex. cap. Intelleximus. de iudic. Alioquin excommunicatus commodum perciperet ex sua excommunicatione, quæ illum quodammodo indemnem præstaret, quarè excommunicatus cogi poterit ad ea omnia, quæ seclusa excommunicatione præstare teneretur: Vnde etiam necessariò sequitur omnia, quæ cuilibet Reo ad sui defensionem conceduntur licita esse excommunicato, vt constat ex cap. cùm inter. de exceptionib. & cap. vlt. eod. tit. & cap. reuerà 3. quæst. 9. quia defensionis ius naturale est, quod nulla lex aut pœna impedire potest.

18 Hinc fit vt communicantes ratione litis cum Reo excommunicato non peccent neque incurrant minorem excommunicationem, immò si præstandum sit iuramentum calumniæ, id liceat excommunicato, vt fatetur glossa in cap. cùm inter. de exception. ℣. legitima defensio. quamuis alioquin nefas sit excommunicato Ecclesiam ingredi & sacra tangere. cap. ad eius. 5. dist. & cap. Cleros. 21. dist. quia hæc omnia cedunt in damnum ipsius excommunicati, non commodum, vnde eorum concessio in simili casu pœna quædam est, non fauor.

Quod porrò attinet ad defensionem ratione cuius excommunicatus in Iudicio agere potest, plurima obseruanda sunt; atque imprimis alium esse Reum voluntarium, alium necessarium, quod in cap. cùm inter. de exceptionib. notauit Innocent. cuius aurea verba esse dixit Felin. in idem cap. num. 11. Voluntarius ille est, qui volens iudicio se sistit ob sui vtilitatem, quia non compellitur, neque citatur, aut vocatur nisi fortasse per Edictum generale contra quoscunque contradicentes, cuius exemplum Panorm. in cap. cùm inter. de exceptionib. haberi dicit in authent. si omnes. C. si vt se ab hæretic. abstin. vel cap. veniens. 2. de testib. idem contingit, quando edictum citationis fit sub conditione, si commodum ei fuerit, aut, si vult, si sua putauerit interesse, de qua clausula fusiùs Felin. l. c. num. 15. Certè ita citatus, etiamsi sua putauerit interesse, non dicetur contumax non comparendo, ac proinde non nisi voluntariò se sistit, & non necessariò.

Reus necessarius ille est, in quem expressè dirigitur actio, vel qui specialiter vocatur ad iudicium, quia iudicium redditur in inuitum; nihil verò interest, quod citetur aliquis, siue pro proprio & priuato interesse, siue, pro interesse suæ Ecclesiæ, siue tanquam tutor, aut Curator, aut alius necessarius administrator, siue in sua propria persona, cum vtroque modo adesse iudicio compellatur, vt vitet grauamen, sibi immineus, aut illi, cuius curam gerit, & quod ex iustitia ipse quoque auertere tenetur. Quando etiam citatio ita fit per edictum generale, vt quamuis plures comprehendat, certos tamen designet, vt legatarios, æquiualet citationi speciali, cùm enim hi legatarij scripti sint nominatim in testamento, nominatim quoque vocantur edicto illo quamuis generali, quia tunc genus idem operatur, quod species.

Excommunicatus igitur siue toleratus, siue vitandus potest esse Reus necessarius in iudicio, & omnia, quæ ad sui defensionem necessaria erunt, vsurpare, nihil quoque ipsi quoad hunc casum officit excommunicatio. Ratio est, quia statim atque aliquis citatur vt Reus, & per se vel per alium sistit se Iudicio, fit habilis Reus & contradictor; vnde infert Bald. in l. fin. C. de Edicto diui Adriani tollen. quod licet, qui comparet pro suo interesse, docere debeat imprimis saltem summariè sua interesse, id tamen minimè necessarium esse, quando instante parte citatur, quia omnis citatus audiendus est tanquam legitimus contradictor. Hinc etiam criminosus vocatus ad Iudicium electi, admittitur non obstante crimine, vt ait Domini. in caput. vt circa. §. 1. de Electione in 6. qua eadem ex causa partes non posse opponere inhabilitatem testi, quem ipsæmet rogarunt pronunciat glossa in §. licet. ℣. suppliciis in Authent. de testib. quam auream nominat Felin. numer. 11. in cap. cùm inter. de exceptionib. vbi addit, quamuis hæ partes possint opponere quidpiam contra dicta talis testis à se electi, non tamen contra eius personam, siue habilitatem ferendi testimonij. 20

Nihilominus Excommunicatus non potest esse Reus voluntarius, repellique poterit, vbi vigebit exceptio excommunicationis, quia cap. Intelleximus. de iudic. agit de Reo, qui cogitur adesse iudicio, & grauatur dum in iudicio comparet, & non vult Pontifex illa sua constitutione fauere excommunicato, vti tamen faciet, cùm Reus voluntarius non adsit iudicio, nisi quia sibi commodum putat. Deinde hic Reus gerit vices actoris, prouocat enim ad iudicium, & actorem ad agendum compellit, & non tam se defendit, quàm Aduersarium impugnat. Denique Reus iste antequam agat debet legitimare personam suam, quod non potest excommunicatus, vt patet. 21

Itaque quamdiu excommunicatus sustinebit partes veri Rei, & sese tuebitur duntaxat, reiici non poterit à iudicio, vbi verò geret se tanquam actorem & impugnatorem, quamuis non compareat nisi vt Reus sed voluntarius, & qui actorem ad causam prosequendam prouocet, æquè repelli poterit, atque ipse actor.

Verùm quæritur an Excommunicatus, qui tanquam Reus se defendit, id per se ipsum efficere possit, an verò procuratorem non excommunicatum sibi eligere cogatur, & quidem hunc excommunicatum posse eo casu sibi sumere procuratorem patet ex cap. Intelleximus, de iudiciis, vbi dicitur hunc Reum conuentum *debere per alium respondere*, quæ verba supponunt necessario alium, qui eius personam gerat, ab illo eligendum esse; immo inde aliqui inferunt, nunquam posse per seipsum excommunicatum respondere etiam in grauissimis causis, quamdiu alius substitui poterit. Ita glossa in caput. pastoralis de iudic. ℣. factum. Azila. 2. p. caput. 6. disput. 7. dub. 5. Ricciul. libro 4. de iure personarum caput. 37. numer. 7. quia in aliis casibus, in quibus dicitur quis debere comparere per procuratorem, cogitur illum nominare, neque potest per seipsum comparere, cum igitur in cap. Intelleximus, expressissimè edicat Innoc. Reum excommunicatum debere per alium respondere, cogendus quoque erit constituere procuratorem, qui suas agat vices, consequens manifestum videtur, cùm nulla congrua ratio afferri valeat, propter quam verbum *debet* in aliis dispo- 22

dispositionibus agentibus de comparendo per procuratorem importet necessitatem, & non in nostra materia, neque enim excommunicatio fauorem sed odium potius importat. Antecedens verò probat Ricciul. 1. ex l. quicunque C. de procuratoribus, vbi illustres personæ sub pœna nullitatis coguntur agere per procuratorem, 2. ex cap. quia Episcopus 5. quæst. 3. Vbi Sacerdos ne à ministeriis Ecclesiasticis impediatur, iubetur agere per procuratorem 3. quia mulier luxuriosè viuens cogitur nominare procuratorem. l. mulieri, ff. de curatoribus furioso & aliis. Quod idem iubetur personis in agendo indiscretis. cap. pastoralis de Iudic. Deinde excommunicatus æquiparatur relegato ex glossa fin. in cap. pastoralis. de appellation. relegatus autem quamuis inuitus cogitur constituere procuratorem l. Papinianus. ff. de minoribus, vnde fit vt illi currat tempus ad recuperandas res, siue ad petendam restitutionem præfixam.

Existimo nihilominus in iis casibus, in quibus alij non coguntur agere per procuratorem, posse quoque Reum excommunicatum citatum sistere sese iudicio, & ipsum per se agere, neque aut reijciendum, aut inuitum cogendum esse ad constituendum sibi procuratorem, quod glossa in cap. Intelleximus. de Iudiciis. ℣. conueniri, & ibid. Panorm. Felin. aliique tradunt, neque abnuit Suar. disput. 16. f. 4. numer. 7. & Alteri. libro 2. disput. 3. caput 2. quæst. 1. quia tum iure naturæ, tum etiam iure Canonico. cap. cùm inter. de exception. defensio simpliciter conceditur excommunicato, quarè non est cur nos illud ius imminuamus nouo isto onere constituendi procuratorem; neque vnquam præscribendus est modus defensionis Reo, nisi iura idipsum disertè faciant. Caput autem intelleximus. de Iudiciis, quod vnicum refertur non imponit Reo excommnicato necessitatem istam nominandi procuratorem, rectè enim Panorm. exponit illa verba, *debet per alium respondere*, vt excommunicatus saltem per alium respondere possit, quoties ad iudicium vocabitur, & sanè Pontifex non intendit aliud eo capite, quàm excommunicatum conueniri posse, & Reum peragi, ne commodum aliquod ex sua excommunicatione percipiat, & ne excommunicatus obiiciat se non posse cum aliis communicare, respondet Pontifex, vt saltem agat per alium, verbum autem *debet*, quamuis ordinariè inuehat necessitatem, quam præcisam, id est omnimodam vocant, vti glossa in Clem. Attendentes. de statu monach. ℣. debent. & DD. relati à Tiraquel. de Retract. consang. §. 1. glossa 15. sub fin. obseruat; aliquando tamen decentiam quandam, & quod magis congruum videatur, significat, quod etiam notauit glossa cit. & in caput. 1. de sponsalib. impub. & in cap. 1. 15. quæst. 1. quarè attendenda est subiecta materia, & verba alia, quæ huius vocis, *debet*, significationem determinant, vti contingit in casibus pro priori opinione adductis, quos tamen non libet singillatim expendere, ne nimium digredi cogamur. Moneo tantùm quòd dicebatur de deportato cum quo sæpius comparatur excommunicatus, non vrgere, cùm enim deportatus longius absit, neque seipsum sistere possit Iudicio, mirum non est, si cogatur constituere procuratorem, quod non contingit in excommunicato, vt patet.

Denique aduersarij ita explicent suam sententiam iisque finibus circumscribunt, vt vix aliquando Reus excommunicatus cogi possit inuitus suas vices alteri delegare in iudicio; Nam quando non reperitur idoneus Procurator, aut quando necessaria est ad causam industria principalis, aut quando egestate laborat principalis, neque habet vnde impensas Procuratoris suppeditet, posse excommunicatum agere per seipsum, ostendit singillatim Ricciul. cap. 37. cit. à n. 12. qui addit n. 15. non admitti regulariter in criminalibus comparitionem per Procuratorem ex l. penult. ff. de public. Iudic. & l. 2. atque fin. C. de Procuratoribus, ibique glossa & DD. quarè in tali causa excommunicatus, ne priuetur iure defendendi seipsum, non cogetur substituere sibi Procuratorem. Denique concludit. id totum relinquendum esse Iudicis prudentiæ, qui dispiciet vtrum, si principalis non admittatur per seipsum, videatur illi denegari iusta defensio, & hanc materiam censet arbitrariam Iudici ex cap. pastoralis de Iudic.

CONSECTARIVM I.

An Matrimonium contractum à Procuratore excommunicato nomine alterius, sit validum?

℞. Validum omninò esse 1. quia gesta à Procuratore excommunicato valida sunt, vti docuimus 1. p. propositionis nostræ. 2. quia matrimonium ab ipso etiam principali excommunicato contractum validum est vti q. 1. & 3. huius capitis dictum fuit, multò magis si celebretur à Procuratore excommunicato, qui agit solo nomine principalis. 3. quia contractus initi ab excommunicatis validi sunt, vt seq. q. ostendam; vnde vides matrimonium, de quo quærimus, omni ex parte firmum esse, quod asseruit quoque Bonac. q. 2. de excomm. p. 7. n. 15. 23

CONSECTARIVM II.

An Reus excommunicatus repelli possit à sui defensione, donec absoluatur?

Diximus Reo excommunicato permitti omnia, 24
quæ ad sui tuitionem necessaria sunt; quia tamen aliqoando est in mora petendæ absolutionis, quæri iure potest, an tunc repelli possit donec absoluatur, cùm enim cap. intelleximus de Iudic. vbi definitur excommunicatum trahi posse ad iudicium tanquam Reum, non intendat fauere excommunicato, sed potius enitatur, ne vllum ex sua communicatione commodum capiat, neque huic Reo concedatur defensio, nisi quatenus à iure naturæ permittitur; quarè quoties ad aliquid obligabitur non imminuto iure naturali defensionis, queri non poterit de nimio rigore legis Ecclesiasticæ; quod porrò obligetur ad obtinendam absolutionem; quando id commodè potest, antequam se defendat in iudicio, non violat ius naturale defensionis, quæ non negatur, stat enim tantum per excommunicatum, quin obtenta absolutione, vti commodè potest, se defendat, neque enim necesse est, vt se in statu illo contumaciæ & excommunicationis defendat, cur igitur Ecclesia laxabit rigorem excommunicationis, & permittet cum excommunicato, cum aliis communicationem quam vetabat, vt hic Reus se defendat, qui commodè

modè & sine periculo eximi potest excommunicatione, quod maximè verum erit, si dicamus saltem eo casu non admittendum esse excommunicatum per seipsum sed tantùm per Procuratorem non excommunicatum, cui suam causam committet; atque ita censent aliqui apud Felin. cap. intelleximus de Iudic. n. 19.

ᵭ. Nihilominus cum Suare, disp. 16. s. 4. n. 10. & Alteri. lib. 2. disp. 3. cap. 2. q. 2. nullibi ius, quod simpliciter defensionem concedit excommunicato imponere hoc onus petendæ absolutionis, idque sapienter ita institutum fuisse propter dubia frequentia, quæ oriuntur, an fuisset culpabilis mora in obtinenda absolutione, cuius prætextu plurima peccari possent, & iusta defensio sæpius eo prætextu denegari. Præterquam quod etiam si fuerit culpa in non petenda absolutione, eo tamen momento, quo Reus se ad defensionem accingit, non est facultas illius obtinendæ, & si tunc repellatur à Iudice minus rem attendente, magnum incommodum sentiet propter dilatam defensionem, quam ipsi ius naturale concedit. Itaque nunquàm tenebitur Iudex eiusmodi excommunicatum, donec fuerit absolutus à defensione repellere, immò neque vix vnquam id poterit absque iniuria, cùm priuet illum iure, quod ipsi Ecclesia concessit. Quando tamen Iudex, coram quo disceptatur & sistitur Reus excommunicatus, est ille ipse, qui sententiam excommunicationis tulit, qui potest illum compellere, vt exeat à contumacia, & excommunicationem excutiat, poterit etiam vti hoc remedio, vt repellendo illum ad aliquod tempus à tuenda causa & lite ipsi intentata cogatur ad mentem redire, & saltem inuitus desinat esse contumax, petatque absolutionem, quam Iudex dare paratus est, si præstet quæ necessaria sunt, vti commodè præstare posse, supponimus.

CONSECTARIVM III.

An Reus excommunicatus obiicere possit excommunicationem instante actore latam, atque ita non comparere.

15 Excommunicatum tanquam Reum conueniri posse statuebamus 3. parte propositionis; quæri tamen potest, an nunquam possit excipere excommunicationem aduersus actorem aduersarium suum.

ᵭ. Quoties ea obiectio habebit vicem defensionis, eam licitam esse ex iis, quæ eadem 3. parte stabilita sunt. Caius lv. gr. instante Seio excommunicatus est propter non solutum debitum, deinde Caius iam excommunicatus citatur ab eodem Seio coram Iudice sæculari vt ad debiti solutionem cogatur. Dico Caium opponere posse iniustitiam excommunicationis, qua instante actore Seio perculsus est, & donec absoluatur recusare comparere, quia cùm fuerit iniuriam passus ab illo conueniri non potest, nisi fuerit restitutus in pristinum statum, & reuerà in ista obiectione tuetur se duntaxat aduersus acceptam & continuatam iniuriam, Seius verò actor & creditor impedit ne absoluatur; Itaque Caius non petit absolui, vt in iudicio comparere possit, quasi commodum aliquod captare velit ex sua excommunicatione & eius prætextu subterfugere iudicium, sed tuetur tãtùm se aduersus iniuriam, quam illi irrogat actor, qui ipsum in iniusta excommunicatione detinet, atque ita docet communis sententia teste Alterio & Suare locis citatis. Neque dicas agentem contra iustitiam sententiæ excommunicationis non admitti nisi prius absoluatur cap. cùm contingat. de officio delega. & cap. per tuas de sentent. excom. Ibi enim quæstiò est de illo qui agit contra suum excommunicatorem quoad iniustitiam excommunicationis ab ipso latæ, quod non fit hoc loco, excommunicatus enim agit tantùm aduersus partem aduersariam, quæ cùm iam iniustè curarit eum sacris extorrem fieri; Deinde pertrahit ad aliud tribunal, vt eadem ex causa inibi quoque damnetur & mulctetur.

CONSECTARIVM IV.

Quid Reo excommunicato iure defensionis liceat.

In vniuersum statui potest, omnia, quæ solius defensionis rationem habent, concedi Reo excommunicato siue omnia, in quibus geret se pro Reo, non pro actore, quæ ex lib. de iudiciis constabunt amplius. Intereà adi Riccìul. lib. 4. cap. 33. 4. 5. & 6. vbi omnia diligẽter circa excommunicatum collegit, quæ nos illa parte excutiemus; non placet modò in his immorari ne plurima aliò spectantia, huic libro, qui iam plus nimio excrescit, inferre cogamur, & maximè cùm in Gallia non admittatur exceptio excommunicationis, atque excommunicatus non modo necessarius, sed etiam Reus voluntarius, & actor esse possit, non est cur te in his diutius detineamus. Adi Panorm. & Felin. in cap. cùm inter de exceptionibus. 16

QVÆSTIO IX.

Quomodo excommunicatio priuet communicatione politica.

1. Propositio vniuersalis, de communicatione cum excommunicato. n. 1.
Expositio & confirmatio. n. 2.
Vnus excommunicatus tenetur alium vitare n. 3.
1. Pars propositionis, quid prohibeatur nomine ciuilis communicationis. n. 4.
Quid intelligatur nomine oris. n. 5.
Quid nomine vale. n. 6.
Quid sit communio. n. 7.
Quid mensa communis. n. 8.
2. Pars propositionis, qualis culpa committatur in hac communicatione cum excommunicato vitando. n. 9.
Est venialis. ibid.
Ratio communis sententiæ. n. 10.
Quomodo aliqua communicatio fieri possit ex veniali mortalis, aut ex mortali venialis. n. 11.
An communicatio venialis fiat ex sola consuetudine mortalis. n. 12.

Iura

HOc nomine comprehendo omnem profanam & non sacram communicationem excepta iudiciali & forensi, de qua disputauimus q. proxima. Itáque quærimus, quinam actus politici exerceri licitè & validè valeant ab excommunicato, & cum excommunicato extra iudicium & forum. Agimus porrò de excommunicato denunciato duntaxat & vitando, nam cum tolerato licet in omnibus communicare, vti q. 1. fuit expositum fauore noui iuris.

PRIMA PROPOSITIO

VNIVERSALIS.

De communicatione cum excommunicato.

Illicita est & culpabilis omnis communicatio ciuilis cum quocunque excommunicato vitando, quæ culpa ex suo genere venialis tantùm est, & ple- 1
ctitur minori excommunicatione.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO

PROPOSITIONIS.

Quamuis excommunicatio, aliæue censuræ
suos effectus primariò & directè producant in 2
excommunicatis, aliáue censura innodatis, in

in cæteros tamen per quandam necessariam connexionem aliquando deriuantur, vti apparet in prohibitione communicationis excommunicati cum cæteris fidelibus, illa enim primò, per se, & directè obligat excommunicatum, cui prohibetur communicatio einsmodi, vnde dicitur grauius ipse peccare, quàm ij, qui ipsi communicant cap. illud. de sentent. excomm.& vti monuimus q.1.ipsi etiam occulti & tolerati excommunicati tenentur hac lege, quandoquidem Extrauag. Ad euitanda, non fauet excommunicatis, sed cæteris fidelibus, vnde diximus eos excommunicatos, quoties non rogati cum aliis communicant, peccare, licet cæteri fideles, dum communicant cum his excommunicatis, minimè peccent, & quod inde necessariò sequi ostendimus, neque ipsimet excommunicati ita præuenti à non excommunicatis, tunc delinquent.

5 Fallitur porrò glossa in cap. deuotam. 27. q.1. dum negat teneri vnum excommunicatum abstinere à consortio alterius excommunicati, contrarium enim cæteri omnes affirmant apud Suar. disputat. 15. f.1. numero 11. & Riceiul. lib.4. cap. 46. numero 9. quia excommunicatio est separatio à cœtu fidelium, atqui cæteri excommunicati sunt adhuc fideles, vt constat, & quamuis aliàs diximus, excommunicationem esse quandam eliminationem ab Ecclesia, quod etiam probat Ricciul. lib. 4. cap.1. vnde inferri videtur communicationem cum excommunicato esse communicationem cum extorri ab Ecclesia, quæ non prohibetur excommunicato; ea tamen eiectio ab Ecclesia non eximit numero fidelium excommunicatum, neque iurisdictione Ecclesiæ, sed priuat communibus Ecclesiæ bonis, atque adeò ista communicatione alterins fidelis; nam quoad omnia commoda censetur extra Ecclesiam esse excommunicatus, non verò quoad onera & obligationes; non modò autem prohibetur excommunicatus communicare cum aliis fidelibus, sed etiam fit obiectum inhabile & incapax consuetudinis & communicationis tum sacræ, tum humanæ fidelibus dignæ, ac proinde priuatur omni communicatione tum actiua, tum passiua. Vnde fit vt hæc priuatio siue prohibitio communicationis in cæteros quoque fideles redundet, non enim possunt communicare cum persona incapaci talis communicationis, quod eodem modo in communicatione sacra, & pluribus aliis effectibus contingit. Quæ ratio multò potior est eà, quam aliqui deducunt ex ratione correlatiuorum, quæ postulant, vt vnum sine altero prohiberi nequeat, id enim non esse perpetuò verum constat ex Extrauag. Ad Euitanda, cuius fauore non peccat fidelis, quo cum communicat excommunicatus non præuentus ab illo, quamuis ille excommunicatus peccet, quia prohibetur excommunicato talis communicatio, non autem aliis fidelibus, vti fuit expositum q.1.

PRIMA PARS

PROPOSITIONIS.

Quid prohibeatur nomine ciuilis communicationis?

4 Dixi igitur omnem ciuilem communicationem cum excommunicato denuntiato prohibitam esse fidelibus, quod expressissimum est in iure 11. q.3.

tota & maximè c.cum excommunicato, cap. sicut Apostoli. c. quoniam multos, & 24. q.1. & c.cùm desideres.c. significauit, & c. inter alia, c.sacris. c. si concubinæ.de sentent. excommunic. & clem.fina. eod. titulo, atque aliis locis, quæ passim allegant DD. qui totam hanc communicationem ciuilem ad quatuor capita reuocarunt, his versibus, quos omnes Summistæ explicant.

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os orare, vale, communio, mensa negatur.

Oratio enim, quæ ponitur 1. loco pertinet ad communionem sacram de qua disputauimus. q.2.

De prima communicatione oris nomine expressa.

Oris nomine Intelligitur 1. osculum aliaque beneuolentiæ signa, quæ prohibentur e, Excommunicatos. 11. q.3. aduertit tamen Durand. in 4. d.18. in vltima parte. q.1. etiamsi osculer eum, quem excommunicatus fuit osculatus, me non participare cum excommunicato in osculo, nisi ex pacto & communi consensu cum excommunicato id factum fuisset. 5

2. Ad hanc eandem beneuolentiæ significationem pertinet missio honorifica munerum & Xeniorum, quamuis aliqui ad secundum caput reducant, hæc igitur reciproca missio munerum prohibetur, vt ait Vgolio. tab.1. cap. 23.§.1. Angelus. ✠. excommunicatio, 8. num. 4. Astensis 2. p. lib.7. tit. 11. a 1. quæst. 18.& alij, quia æque per moneta, atque alias actiones humanas communicamus eum aliis. Deinde cap. quoniam multos 11. quæst.3.quidquid datur excommunicato in sustentationem superbiæ & non necessitatis prohibetur; hæc autem munera non dari necessitatis causa statim apparet. Idem dicendum est de acceptione munerum ab excommunicato, quæ nemo tamen tenebitur accepta reddere, non enim validè tantùm, sed etiam licitè ea retinebit, cùm culpa fuerit solùm in acceptione, non in retentione, vt ait Sayr.lib.1.cap.13. num.2.qui tamen suadet hæc excommunicati munera in pia opera impendi nisi quis mallet in detestationem excommunicationis illa remittere.

3. Nomine oris significatur sermo, qui cum excommunicato prohibetur, cap. sicut Apostoli & aliis 11. q. 3. cap. si aliquando. de sentent. excomm. & cap. statuimus. cap. constitutionem eod.tit. in 6. ac Clem. fin. eod. tit. atque disertè S. Flauian. Ep. ad Leonem, quæ est 9. inter eius Epistolas, de damnato Eutychete agens. Ratio videtur apertissima, quia maxima communicatio humana fit per sermonem, quem non nisi ad fouendam societatem homini inter omnia animantia datum esse cum vi Intelligentiæ, sapienter disputat Philo, lib. quod deterius insidietur potiori, explanans cur Aaron datus fuerit Mosi tanquam eius interpres futurus, & lib.de somniis, agens de lege reddendi pignoris, non potuit igitur prohiberi excommunicato humana consuetudo, nisi vnà sermo omnis vetaretur; quarè neque palam, neque secretò cum ipso loqui licebit, cap. cum excommunicato 11. quæstio 3. siue ille respondeat, siue taceat, aut nos audiamus duntaxat, siue ipse prouocet nos ad loquendum, siue nos incipiamus, quod obseruant Sylu. ✠. excomm

§.n.2. Caietan. ✠. communio & alij, quoties tamen verba sunt tantùm deprecatutia, quibus salutem à Deo peroptamus excommunicato, vt Devs te illuminet, licita esse concedunt vulgò DD. contra Vgolin. tab. 2. cap. 23. §. 1. numero 3. & 4. quia tunc potiùs cum Deo, à quo petimus bonum, quàm cum excommunicato, cui bonum illud volumus, loquimur.

4. Sermo quoque per litteras & nuntium illicitus est, ex cap. si aliquando, de sentent. excomm. & Clem. fin. eod. tit. atque eo postremo loco glossa. ✠. litteris. & in cap. constitutionem, eod. tit. in 6. ✠. participationes, quia vt ait Couarru. in cap. Alma mater prima p. §. 1. numero 1. Idem omninò est agere verbo & scripto, & colligitur ex c. vbi periculum. §. nulli. de electione in 6. & l. 1. ff. de verborum obligation. vbi Iason. numero 53. & cæteri DD. communiter hunc per litteras & nuncium sermonem admittunt. Quæ eadem ratio idem probat de collocutione, quæ fit per nutus & signa, cùm enim his omnibus exprimamus animi nostri sensa, quam ob causam inuentæ sunt voces, reuerà loquimur, omnis autem humana collocutio cum excommunicato vetita est; igitur & ista, alioquin liceret agere cum muto excommunicato, & cum illo colloqui eadem ratione, qua ante excommunicationem licebat.

His omnibus addunt Sylu. ✠. excommunicatio. 3. numero 13. dubio 4. & Henriq. lib. 53. cap. 7. §. 3. nefas esse ab vxore, famulo, liberis excommunicati, aut alio quopiam ex eius familia litteras aut munera accipere, quando aut solius excommunicati nomine, aut amborum saltem mittuntur, quia tunc communicatur cum excommunicato, quod non contingit, quando isti famuli vel liberi, vel vxor dant suo & proprio nomine, quarè ex capite illicitæ communicationis nulla erit culpa ea accipere.

De Communicatione per salutationem

2. Communicatio explicatur per vocem vale, quæ continet quamlibet honorificam salutationem, quam impartiri non licet excommunicato, neque ei Aue dicere, vti monet Ioann. & habetur cap. omnis 24. qu. 1. & cap. excommunicatos. 11. qu. 3. quarè neque in litteris, si quando liceat ad eiusmodi excommunicatum dare, ponenda erit salutatio; sed vt monebamus superius aliqua deprecatio v. gr. spiritum sanioris consilij, aliaque similia, quibus meliorem mentem optamus alicui, quod Astens. 2. p. lib. 7. tit. 11. a. 1. qu. 58. Antonin. 3. p. tit. 25. cap. 2. Henriq. lib. 53. cap. 7. numero 3. litt. H. & alij obseruant contra Vgolin. superiùs adductum, sic enim non salutamus excommunicatum, sed illum de sua culpa arguimus, & officij monemus, quod fas esse constabit propos. tertia.

Difficultas porrò est, an prohibeatur tantùm salutatio verbalis, an verò omnis alia, ita vt neque caput aperire, neque assurgere, neque via decedere, neque vllum aliud honoris & reuerentiæ signum exhibere excommunicato vitando fas sit, quamuis ab omnibus verbis honorificis & salutationis abstineatur. Ita enim affirmant Paludan. in 4. d. 18. qu. 6. a. 2. Nauarr. cap. 27. numero 20. allegans Cardinal. in Clem. fin. de sentent excommunic. Sylu. ✠. excommunicatio. 5. numero 3. Henriq. lib. 13. cap. 7. numero 3. Vgolin. tab. 2. cap. 23. §. 1. numero 50. Suar. disputat. 15. f. 1. numero 3. Layman. tractat. 5. lib. 1. 2. p. cap. 2. numero 16. Præposit. dubio 14. de excommunic. Peres. ad cap. 25. Regu. S. Benedict. numero 2. Vasq. dub. 8. de excommunic. numero 5. Bonac. qu. 2. de excommunic. p. 6. §. 2. numero 4. Kon. disputat. 14. dub. 4. Hurtad. disp. 9. de excommun. diffic. 1. & alij plures. Quia ex communi hominum consuetudine hæc signa sunt salutationes quædam & communicatio in obseruantia & honore, alioquin liceret loqui nutibus, aliisque signis cum eo excommunicato.

Nihilominus permissas esse has salutationes externas verbis destitutas, modò fiant vrbanitatis tantùm causa, & non animo honorandi, sed vel seruandi consuetudinem, aut aliquod inimicitiarum, aut rei alterius periculum vitandi licitas esse tradunt Antonio. 3. p. tit. 25. cap. 2. circa initium. Angel. ✠. excommunicatio. numero 4. Tabien. eod. verbo. 8. numero 5. Ma. in 4. d. 18. q. 2. circa initium. Comitol. lib. 6. responso. q. 31. numero 4. plures allegans. Sayr. lib. 2. cap. 14. numero 7. Auila. 2. p. cap. 6. disputat. 9. dub. 9. Alten. lib. 1. disputat. 10. cap. 2. Ricciul. lib. 4. de iure personar. extra Ecclesiam cap. 46. numero 13. quia pœnæ sunt restringendæ, & hæc signa, quæ sunt indifferentia, possunt habere alium finem, quam salutationem; quarè Nauarr. fatetur hanc sententiam in foro conscientiæ tutam esse, & Henriq. concedit filio emancipato aperire caput patri denuntiato, & ciuem prætori excommunicato; quod postremum quoque affirmat Peres loc. cit. & tandem Suar. consuetudinem plurimùm hac in parte obtinuisse dicit. Quarè excusantur subditi, atque infimæ plebis homines, qui viris magnatibus excommunicatis alioquin vitandis hæc signa obseruantiæ exterioris exhiberent, ne vel eorum odium experirentur, vel vt consuetudini & officio cuidam vrbanitatis satisfacerent non animo salutandi tamen, aut cum illo communicandi.

Quanquam, vt aperiam quod sentio, periculum mendacij & fictionis in his omnibus iure merito subuereatur Suar. quarè quod in hac parte licere vult hæc postrema DD. sententia, quæ, quia mollior, magis placet, dandum potiùs est consuetudini, quàm rationi vlli, quæ illam efficaciter persuadere queat.

De communione cum Excommunicato.

Tertio loco prohibetur communio, cuius vocis plurimæ quidem sunt acceptiones, vt videbis 7
apud Albaspinæ. lib. 1. Sacrar. obseruation. obseruat. 1. hic tamen vsurpatur pro societate seu cooperatione, vel participatione in humano aliquo negotio gerendo, vt in contractibus emptionis, venditionis, atque aliis quibuscunque, & in cohabitatione cæterisque similibus de cohabitatione porrò expressè traditur cap. omnis qui. 2. qu. 1. & ab Innocent. cap. nuper. de sentent. excommunic.

De communitate mensæ cum excommunicato.

Demum mensa communis esse non potest cum 8
excommunicato, neque eum illo participare in cibo & potu fas erit, id enim prohibuisse videtur Paul. 1. ad Corint. 5. & pluribus capitibus. 11. qu. 3. nimirum cap. cum excommunicato, & cap. excommunicatus & cap. ad mensam, & cap. nuper.

nuper. de ſentent. excomm. & gloſſa in Clem. fin. eod tit. neque intereſt, ſiue excommunicatus inuitet non excommunicatum, & ſiue ab illo inuitetur, ſiue ſimul degant, ſiue ab alio ambo inuitentur, ſiue communes cibi ipſis in eadem menſa apponantur, ſiue ſingulis proprij & peculiares, ſiue in diuerſis, quando fit communio & conuentio ad idem conuiuium. Quarè vt hæc menſæ, lecti, & habitationis, quæ tradita eſt ſuperiùs, participatio intelligatur obſeruandum eſt cum Auila. 2. p. cap.6. diſp.9. dub.11. & Suar. diſputat. 15. ſ.1. numero 9. & 10. Hanc communitatem menſæ, habitationis & lecti aliquando eſſe materialem tantum, alias formalem; ſicut è contrario aliquando eſt diſtinctio materialis menſarum, cubiculorum, lectorum & ſimilium, nihilominùs tamen eſt formalis quædam vnitas. Formalis autem vnitas eſſe dicitur, quando in his omnibus eſt quædam humana ſocietas & conuentio in habitatione eiuſdem domus in eadem menſa, cubiculo, lecto, itinere, negotio; materialis verò tantùm & per accidens communicatio reperitur, quando caſu quodam & ſine vllo ordine aut relatione vnius ad alium, aliqui in eadem domo aut conuiuio, aut itinere ſibi occurrunt, ea igitur communicatio in habitatione, menſa, lecto & negotiis aliis prohibetur cum excommunicato, quæ propter ſocietatem humanam, quæ in ea communione & participatione reperitur, formalis quodammodo eſt, & non tantùm materialis, prout hæ voces in iſtis vſurpari quadam ratione poſſunt, quod ſubiecta exempla clariùs explicabunt.

Nam 1. Si excommunicatus & non excommunicatus, qui ſibi in eodem hoſpitio occurrerunt, comedant in eadem menſa, vnus in vna parte, alter in altera, licet iidem cibi ipſis apponãtur, quia nullam idcircò faciunt ſocietatem, & cenſentur ibi diuerſa prandia, non communicant interſe.

2. Qui inuitati ſunt ad idem conuiuium, etiamſi in diuerſis menſis accumbant, iiſque diuerſi cibi apponantur, à diuerſis etiam miniſtris, communicant tamen in eadem menſa & conuiuio, quia licet ſint diuerſæ menſæ materialiter, eſt tamen vna artificialis, vt patet in triclinio religioſorum; in quo ſunt diuerſæ menſæ, & diuerſi aliquando cibi, qui infirmis & ſanis apponantur, communicant tamen in menſa; quare ſi aliquis excommunicatus denuntiatus accumberet, reuerà illius communicatione cæteri inficerentur.

3. Si verò cubiculum vnum nequeat omnes menſas & conuiuas capere, excommunicatus, qui eſſet in vno cubiculo, non communicaret cum aliis conuiuis in alio accumbentibus, quia etiamſi ſit vnum conuiuium, eſt tamen tanta diſtinctio materialis menſarum, vt neque moraliter, neque phyſicè dici poſſint hi conuiuæ ſimul in eadem menſa comediſſe, ſi enim in vno cubiculo comedent viri, in alio fœminæ, aut ſeparatim viri nobiles & plebeij domini & famuli, non dicerentur ſimul comediſſe, ſed potiùs ſeparatim; ergo & hi conuiuæ propter diuerſitatem cubiculorum ſeparatim quoque comederunt, neque inter ſeſe ratione menſæ communicarunt: contra Sayr. lib.2. c.13. n. 13. qui allegat Paludan. Antonin. Sylu. & Viuald. putat enim vnum eſſe conuiuium, & in eo communicationem, etiamſi menſæ ſternantur in diuerſis cubiculis, eo quod detur vna benedictio, & vna gratiarum actio reddatur, ſed praxis videtur contraria, nam ſaltem in diuerſis cubiculis diuerſæ fiunt & benedictiones & gratiarum actiones & ſub fin. illius numeri videtur tandem Sayr. nobiſcum ſentire.

4. Qui ad vitandum excommunicatum vel in aliu cubiculo, vel in aliqua parte eiuſdem cubiculi aut etiam menſæ comedit, non communicat, quia qui ſolus comedit & ſeparatus ab aliis conuiuis, non dicitur intereſſe conuiuio.

6. Quando ex alicuius teſtamento diſtribuitur cibus omnibus oppidanis aut pauperibus certa aliqua hora aut die, vel conueniunt vt ſimul cibum ſumant, reuerà in menſa communicant; ſi verò ſingulis ita ſua pars diuidatur, vt liberum ſit illam vel aſportare domum, vel in eodem loco comedere, aut aliis largiri, nulla eſt in conuiuio communicatio, neque ſi aliquis vitandus excommunicatus intereſſet, cæteri dicerentur cum eo communicare, & excommunicationem idcircò incurrere.

6. Quando non excommunicatus occurrit excommunicato vitando in eodem hoſpitio, etiamſi in eadem menſa propriis ſinguli ſumptibus comedant, non communicant, cùm nulla ſit inter eos ſocietas, aut relatio, ſed tantùm materialis quædam loci & menſæ communitas, vnde Catholicum, qui in eadem menſa manducat cum Iudæo, eo quo dixi modo, negant peccare DD. in cap. omnes. 28. q.1. iudæi & Catholici conuiuia prohibens. Sanch. lib. 2. in Decalog. cap.31. numero 13. & Philiarh. de offic. ſacerdo. tom. 1. p.2. lib. 3. c. 12. ſub finem.

7. Superueniente nouo hoſpite excommunicato non teneor è meo hoſpitio exire aut alio diuertere, etiamſi ſciam excommunicatum ibi iam hoſpitari, ſiue cogar deinde in eodem cubiculo & menſa comedere atque dormire, immò & in eodem lecto, ſi aliùs commodè haberi nequeat, aut ille vnus vtrique aſſignetur ab hoſpite, nulla præcedente inter excommunicatum & non excommunicatum ſocietate & communione, quia vt iam monui ex Suar. ſ.1. cit. n.7. aduertitque poſtmodum Ricciul. c. 46. n. 18. in omnibus iſtis caſibus attendenda eſt ſocietas & familiaritas, non actualis dormitio, aut habitatio, aut accubitus mẽſę; quarè ſi aliqui per modũ ſocietatis vtantur eodem cubiculo, licet dormiant in diuerſis lectis dicuntur communicare, quod non faciunt etiamſi dormiant in eodem lecto caſu quodam, & nulla præcedente communicatione & ſocietate, quamuis fatendum ſit rarò admodum contingere lecti communitatem abſque præuia aliqua aut familiaritate, aut ſocietate

8. Qui excommunicato vitando permittit claues domus ſuæ, vt inibi comedat aut dormiat, cum eo communicat. ex Antoni. 3. p. tit. 25. c.2. Tabie. ỳ excommunicatio. 8. n.4. Sylu. eod. ỳ. 5. n. 3. Auila. 2. p. c.6. diſp.9. dub.11. Sayr. lib.2. cap.13. n.16. qui tamen addunt id verum non eſſe, quando vitandæ offenſionis, aut inimicitiarum cauſa aut ſubleuandæ excommunicati miſeriæ, qui caret hoſpitio aut alimentis indiget, iſta exercentur, vti dicemus propoſit. 3.

Horum omnium corollariorum vna cauſa eſt, certiſſima iuris Regula, quod in his, quæ ex diuerſis cauſis fieri poſſunt, non inſpicitur actus ſed cauſa actus. Nam pro diuerſitate cauſæ, à qua prodit, diuerſum eſſe morale accipit, cùm igitur habitatio, dormitio, accubitus & cœtera ſimilia ex cauſa inferente communicationem & ſocietatem, aut eandem ſocietatem excludente prodire poſſint, attendenda omnino erit eorum actuum cauſa, vt videamus an prohibiti ſint, vel non: omnes porrò iſtæ communicationes cum excommunicato vitãdo idcircò prohibentur ab Eccleſia, vt graui illa pœna

& pudore compulsus excommunicatus ad sese redeat, cùm enim omni humano consortio priuetur, ad vitam quodammodo ferinam damnatur, & veluti cadauer quoddam inanime inter homines iacet, sanè negari non potest, excommunicatos istos iam damnatos esse morte ciuili & exilio quodam, nam & excommunicationem exilium finitimum appellauit Alexand. I. Ep. 1. vbi exponit Turrian. lib. 1. adu. Magde. cap. 22. etsi enim non deportetur in extremas oras, tamen inter ciues suos exulat, quod grauius multo videtur exilio & deportatione, cuius tamen atrocitatem describit Philo. lib. de Abraham. Et sanè hanc excommunicari cum deportato & relegato siue bannito affinitatem agnouit glossa in c. pastoralis. de appellationib. Ioann. Andr. in cap. decernimus. de sentent. excomm. in 6. & Barth. in l. 2. de public. iudic. neque sibi contrarius est in Repetit. in l. placet. C. de Sacrosanct. Eccl. n. 5. ait enim tantùm non esse proprium exilium, sed affinitatem cum eo. Alij conferunt eum eo, cui interdictum est aqua & igni apud Ripam. ad l. si constante. ff. soluto matrimonio num. 44. & Chassanæ. Consi. 1. arg. 2. pro parte negatiua n. 17. Immò cum ipso etiam mortuo cōponunt, Innoc. in cap. graue. de sent. excomm. & DD. in c. per venerabilem. Qui filij sint legitimi, quos dabit Benedictus in cap. Raynutius. de testamentis. §. mortuo itaque testatore. numero 277. & 278. Et sane, vti obseruauit Chassan. l.c. vbi ius ciuile plectit capite quempiam, Ecclesia excommunicationem & anathematizationem ipsi infligit, quod dixit etiam Panormit. in cap. per venerabilem cit. notab. vltim. & in cap. 2. de Maiorit. & obedientia, & in c. 1. de furtis sub fin. & in cap. 1. de homicidio sub finem.

SECVNDA PARS PROPOSITIONIS.

Qualis culpa committatur in hac communicatione cum excommunicato vitando.

9 Dixi 2. Parte propositionis culpam, quæ committitur in ciuili communicatione cum excommunicato vitando hactenus explicata, venialem duntaxat esse ex suo genere, quod passim tradunt DD. quos dabit Sayr. lib. 2. cap. 11. numero 20. & c. 13. n. vltimo. probant, quia Ecclesia per excommunicationem directè & per se prohibet communicationem in diuinis cum excommunicato, cuius proinde violatio mortalis est in eadem cōmuni sententia, eò quod directè violetur præceptum Ecclesiasticum, communicationem verò in humanis & temporalibus non nisi indirectè vetat, quia duplex est Christianorum inter sese societas & communicatio, vna est, quatenus Christiani sunt, & Ecclesiæ membra, quæ est participatio in sacris & diuinis; altera est quatenus sunt ciues & membra eiusdem Reipubl. quæ est communicatio in humanis actionibus, quam homines inter sese passim habent: primam illam sacram communicationem primariò & per se tollit excōmunicatio, vti ex eius natura, & effectibus hactenus explicatis liquidò constat; alteram verò communicationem humanam duntaxat, & non Christianis etiam communem, non nisi secundariò & indirectè vitari vult. Quæ est ratio Caietan. in summ. ℣. excommunicatio. cap. quæ sint illicita excommunicato, Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 5. numero 7. & aliorum, quam tamen optimè Suar. disp. 18. s. 1. numero 9. impugnat ex eo, quod rem præcipi primario vel secundario, non impediat naturam veri & proprij præcepti, atque totius obligationis, quam inijcit; quarè eius grauitatem & leuitatem non benè metimur ex primaria aut secundaria prohibitione, aut præceptione, nam quamuis indumenta sacra non teneatur induere Sacerdos nisi ratione sacrificij, quod primariò præcipitur, & secundariò deinde vestes & supellex sacra, si tamen sine sacris vasibus & vestibus sacrificet, peccabit mortaliter, nisi quidpiam excuset.

Ratio igitur communis huius sententiæ petenda 10 erit ex grauitate aut leuitate materiæ, siue communicationis per excommunicationem prohibitæ, siue enim primariò, siue secundariò prohibeatur, si grauis sit & capax grauioris obligationis illam profectò inijciet, nisi constet aliunde superiorem nolle in illa materia quamuis grauiori, obligare ad culpam mortalem aut grauem; si verò leuis sit materia quamuis primariò prohibeatur, non afferet nisi leuem obligationem, quia est incapax maioris, quæ omnia constant ex iis, quæ disq. 2. q. 1. dicta sunt. Quia igitur communicatio in rebus sacris cum excommunicato censetur ex communi omnium sensu materia grauis ex suo genere, culpabilis grauiter erit: communicatio verò in humanis & temporalibus ex suo etiam genere & obiecto non æstimatur nisi leuis maximè circa illa quatuor capita politicæ consuetudinis prima parte nostræ propositionis explicata, & idcircò non erit nisi venialiter culpabilis.

Verum existit tertium quoddam genus actionum, quod est veluti medium inter sacras & merè prophanas ac politicas, vt quæ pertinent ad collationem beneficiorum, electionem, præsentationem, acceptationem, & cætera eiusmodi, atque eæ quæ spectant ad forum Ecclesiasticum, in quo ex sacra iurisdictione proceditur, hæ enim actiones quodammodo sacræ sunt, licet non supponant ministrum semper consecratum, quia ad Res sacras referuntur tanquam in finem aut à sacra potestate pendent.

Aliæ denique sunt actiones, quæ etiamsi nihil prorsus videantur habere commune cum sacris, in suo tamen genere & ordine magni fiunt, & sanè sunt præcipuæ inter politicas & ciuiles, quales habentur dictio iuris in iudicio, & aliæ actiones forenses maioris momenti, & quæ pertinent ad officium Principum, Magistratuum. De hoc itaque tertio actionum genere siue accedant ad sacras ob affinitatem, quàm cum illis habent ratione finis in quem tendunt, aut principij à quo prodeunt, aut vtriusque; siue nihil habeant commune cum sacris, sint tamen præcipuæ dignitatis inter politicas, potior controuersia excitari posset. Verùm & illis applicanda erit tradita regula, & videndum an ex suo genere communicatio in illis actionibus censeatur grauis, tunc enim inueheт culpam mortalem, sin autem sit tantum leuis ea participatio, non pariet nisi noxam venialem, quod vltimum existimat Caietan. de toto hoc tertio genere actionum, & Hurtad. disp. 9. de excomm. diff. 2. vbi communem esse testatur. Nos verò quid in singulis fuerit sentiendum ferè explicuimus superioribus quæstionibus.

Circa hanc porrò vniuersalem certamque do- 11 ctrinam aduertendum præterea est ex 1. 2. actiones ex sua natura & obiecto graues fieri aliquando leues

ues ex leuitate materiæ, sicut è contrario quæ leues sunt ex suo genere & obiecto crescunt grauitate ratione plurium circumstantiarum, vt innumeris exemplis liquet, & fusè à nobis probatum fuit eo loco de transitu mutuo peccati mortalis in veniale, & venialis in mortale disputantibus, id porrò totum contingit in nostro negotio; Nam communicatio in sacris, quæ ex sua natura grauis est, nonnunquam ratione materiæ fit leuior, cùm enim hæc communicatio cum excommunicato sit sacrilega & contra religionem, sicut in qualibet alia specie irreligionis datur leuitas materiæ, & in ipsa quoque voti transgressione, ita & in ista particulari irreligione ex suo quidem obiecto graui, dabitur leuis aliqua materia.

Hinc diximus q.2. cum Couarru. §. 3. cit. numero 8. Henriq. lib.3.cap. 7. numero 3. Hurtad. disp.9. diffic.2. communicationem in aliqua parte tantum sacri aut in recitatione priuata & nō solemni diuinorum officiorum esse tantùm venialem, quia illa communicatio comparata cum fine, quem intendit Ecclesia instituendo excommunicationem, leuis admodum est, quod idem de ingressu in Ecclesiam, ibi non diu commorando, & aliis similibus monuimus.

Econtrario verò quamuis communicatio in ciuilibus, atque vt ex Caietano monebam, in omnibus non sacris & diuinis leuis existimetur, modo explicato, hoc est præcisè in ratione communicationis sumpta, nam materialiter in ratione actionis pluris existimabitur pro eius varia nobilitate & dignitate; Nihilominus propter adiunctas circumstantias plurimùm crescere poterit in malitia, atque adeò fieri mortalis.

1. Si fiat ex contemptu formali clauium & excommunicationis vel excommunicantis, vel vtriusque.

2. Quando ex speciali præcepto prohibetur etiā leuis communicatio, quia graues causæ ita faciendum esse omninò suadent propter commune bonum, tunc enim materia illa leuis ob adiunctam communis boni circumstantiam grauis euadit, vti documus aliàs & in hoc ipso libro cap.2. q.2.s.2. numero 12. post Nauarr. cap. 27. numero 31. & numero 36. & alios relatos à Sayro. lib.2. c. 11. numero 15. & ab Alterio. lib. 1.disp.12.cap.7.tenetque glossa in c. statuimns de sentent. excomm. in 6. in expositione casus. Deinde in hac communicatione contra speciale præceptum præsumitur contemptus quidam, vnde fit vt eiusmodi communicantes possint nisi moniti desistant excommunicari maiori excommunicatione, vti dicemus inferiùs.

3. Quamuis singuli actus huius communicationis non sint nisi veniales, illorum tamen frequentiam, siue consuetudinem diuturniorem lethalem esse dixit Nau. cap.27. numero 31. verùm difficilis est ista sententia, cùm enim singuli actus veniales tantùm sint, multitudo eorum nequaquam mortalis erit, vti 1. 2. fuit ostensum, consuetudo verò non constat nisi ex iisdem actibus diutius & frequentiùs repetitis, atque vt latiùs prosequitur Suar. lib.3.de legib. cap.28. n. 9. & lib.5.de voto. cap.5. auget tantùm extensiue numerum actuum, quos singulos supponimus hic esse veniales; auget præterea voluntarium in posterioribus actibus, sed inde non crescit malitia vsque ad mortale peccatum, vt statim apparet. Vnde Nau. explicat suam sententiam de frequentia quæ habet adiunctam, vt inquit, malitiam mortalem animandi ad delictum, sed tunc reuerà malitia huius communicationis non fit mortalis ex sola frequentia plurium communicationum venialium, sed ex incitatione ad peccatum, pro quo lata fuit excommunicatio. Ioann. verò. Andr. in cap. sacris, de iis quæ vi metusue caussa fiunt. Hostien. in summ. rit. de sentent. excomm. §. necesse. Durand. in 4. d. 18 q.5. in hac frequentia communicationum agnoscunt contemptum legis & clauium, quem iam diximus esse mortalem; verùm nullum ibi contemptum esse nisi interpretatiuum & non formalem, ac proinde mortalem malitiam non adiicere docet S. Thom. 2.2. qu. 136. a. 9. vbi sapienter addit hanc frequentiam viam munire formali & vero contemptui, quod idem asseruit Adrian. quodlibet 6. a. 2.

Quarè vt hæc frequentia mortalis sit explicandam esse dicit Suar. disp. 15. s. 2. numero 11. per modum vnius obiecti directè vel indirectè voliti, quia nimirum qui frequenter communicat cum excommunicato vult illam continuationem & perseuerantiam omnium illorum actuum, sic enim quamuis singuli actus sint leues seorsim sumpti, & sine vlla relatione vnius ad alium, simul tamen & per modum vnius voliti, reuerà faciunt vnum grauius obiectum, quod plurimùm derogat intentioni Ecclesiæ ablegantis à cœtu fidelium excommunicatum.

Displicet tamen tota ea ratiocinatio Suarez, nam ex ea duntaxat colligitur illam volitionem, qua intenditur ista frequentia actuum & communicationum esse mortalem, non verò singularem aliquam communicationem. Quamuis enim tota illa multitudo possit per modum vnius obiecti terminare volitionem, quam modò concedimus vltrò esse mortalem, non tamen poni potest nisi successiuè per singulos actus qui leues omninò sunt, neque vnus accipit malitiam ab alio præcedente aut subsequente, & quamuis aliquam acciperet, non aliam profectò, quàm illam ipsam, quam habet similis actus, qui non est nisi venialis; quarè nulla vnquam externa communicatio in humanis erit mortalis ratione frequentiæ.

Denique non satis apparet intentionem communicandi in humanis cum excommunicato nullo habito legis prohibentis respectu grauem esse & ferri in obiectum graue quamuis conflatum ex partialibus leuioribus, vt dicebat Suar. qui id aliter non probat, nisi quia notabiliter de rogat legi prohibenti communicationem cum excommunicato, quæ ratio mihi non satisfacit, diximus enim omnem & totam communicationem merè humanam, esse leuem in ratione communicationis, atque adeò legem illam prohibentem habere materiam ex sua natura leuem & incapacem obligationis grauioris, licet igitur intentio communicandi passim & continuò cum excommunicato in omnibus humanis deroget totaliter legi vitanti eam cōmunicationem, non erit tamen mortalis, quando non violat legem obligantem sub mortali, secludimus enim omnem formalem contemptum ab ea intentione, immò si qui ita intendit communicare in humanis, existimaret eam communicationem esse grauem, & grauiter prohibitam, ab ea abstineret, sed quia scit leuem duntaxat esse, & eius præceptum leue censeri ideircò, illud seruare non laborat. Et denique intentio istius volentis in rebus humanis communicare cum excommunicato, non aliter respicit hanc communicationem per modum vnius obiecti, quam lex ipsa eam prohibens, atqui

lex ita totam communicationem respicit, vt primò & per se cadat in singulas actiones, quæ poni vetantur, non ponitur enim communicatio in vniuersum, quia verò singulæ illæ communicationes sunt in sese leues, idcircò tota ea lex prohibens humanam communicationem, leuis quoque censetur, & non grauiter obligans ratione totius communicationis in quam cadat tanquam in vnum obiectū, alioquin idem dici posset de qualibet lege, quæ semper ex suo obiecto grauis foret & sub mortali obligans; diceretur enim respicere singulos quidem actus per sese leues, atque ratione illorum iniicere leuem obligationem, quatenus tamen illos omnes actus per modum vnius obiecti attingit, grauiter obligare. Cur enim idem non fieri in omnibus aliis materiis, atque in ista communicatione, æquè enim plures actus singulares per modum vnius attingi & præcipi aut prohiberi poterunt à lege, ac isti de quibus modò agimus. Cùm igitur intentio communicandi & violandi legem illam præcipientem respiciat singulos actus singulos communicationis ponendos, & non totam illorum collectionē aliter quàm quia distributiuè ponere illos intendit, non apparet, quomodo ea intentio aliter habeat graue vnum aliquod obiectum, quam lex quæ per ipsam violatur.

Confirmatur, quia qui vult committere omnia, aut plurima peccata venialia, & non vult vitare nisi mortalia, non peccat mortaliter, vt ait Sal. 1. 2. tract. 13. disp. 16. §. 26. modò absit periculum peccandi mortaliter ex eo proposito non cauendi illa venialia, aut obiecta siue materiæ peccatorum venialiom continuatione quadam non faciant vnam materiam, vt statim dicam, ipseque Suar. lib. 5. de voto. cap. 5. numero 10. negat eum, qui proponit non implere votum per plures actus veniales sine vlla inter se connexione, & augmento intensiuo ex ea coniunctione proueniente, multiplicatos, peccare mortaliter, quia ibi reuerà non est propositum committendi peccatum mortale, cùm tota ea materia, in quam cadit, sit tantùm grauis extensiuè, plura peccata venialia confusè tanquam collectio quædam complectens; intensiuè autem reuerà grauis non est, in ordine ad transgressionem, quia in executione nunquam continet obiectum peccati mortalis; Idem dicendum est de illo, qui haberet plura leuia vota eodem die implenda, & vellet omnia illa omittere, non magis committeret peccatum in illa sua volitione, quàm si vellet plura leuia mendacia proferre. Quarè Sanch. lib. 1. in decalog. cap. 5. numero 4. & alij qui damnant peccati mortalis voluntatem admittendi obuia quæque venialia id faciant, quia ex eo proposito nascitur periculum ferè euidens incidendi tandem in mortale; quod periculum modo nos secludimus & attendimus præcisè voluntatem committendi plura venialia siue distributiue, siue collectiuè in illa tēdat, & negamus eiusmodi propositum esse mortale; quarè neque intentio communicandi cum excommunicato vitando, in humanis & cottidiana consuetudine, mortalis erit, cùm omnes & singulæ illæ commonicationes sint tantùm ex suo genere veniales, quæ proinde sola repetitione non fient mortales magis, quàm plura leuia mandacia simul sumpta, aut plures leues transgressiones, neque, vt ostendi, crescet hæc malitia & fiet mortalis, etiamsi volontas feratur vnico actu in totam illam collectionem.

Horum omnium Ratio à priori est, quia in his omnibus exemplis allatis plures malitiæ veniales non sunt partes vnius, quam componant, sed faciunt tantùm collectionem leuium transgressionum, vt in leuibus mendaciis & verbis otiosis apparet. Quia verò aliquando plures malitiæ ibi cupulantur vt vnam componant, & plures actus in vnum veluti moralem coalescunt ratione obiectorum, quæ quodammodo continuantur, tunc licet ex pluribus venialibus non fiat vnum mortale peccatum, tamen quod veniale tantùm foret, fit mortale ratione præcedentium, quod videmus in modicis furtis, qui enim per leuia furta tandem notabile damnum infert, peccat mortaliter illo vltimo actu, quo complet eiusmodi damnum, cum aduertentia ad priora damna quæ per hoc vltimum consummantur, & cum voluntas feratur in totum illud damnum, quod reuerà graue est, quamuis ex pluribus minutis coalescat, reuerà habet obiectum capax mortalis iniustitiæ, ac proinde ipsa mortalis est; quando autem non ita coalescere possunt singulorum actuum materiæ & obiecta nunquàm voluntas fertur in totam eam materiam vt collectiuā vnam, sed tendit in plures malitias exiguas disparatas confusè in conceptu collectiuo repræsentatas: quarè nonquam peccatum veniale fiet mortale ratione præcedentium venialium, neque etiam voluntas tendens in eiusmodi collectionem venialium sæpius iteratorum mortalis vnquam erit.

Fateor quidem hanc materiarū continuationem fieri non tantùm in materia iustitiæ, vt dicebamus de damno graui per exiguas damnificationes illato, sed in aliis quoque materiis, quod Sanch. lib. 1. in decalog. cap. 4. numero 10. & alij suo loco à nobis adducti docent: Nam qui pluribus leuioribus compotationibus graue tandem nocumentum affert suæ valetudini, vltimo eo actu, quo detrimentum illud veluti consummauit cum aduertētia ad priora, peccauit mortaliter. Qui pluries in die ieiunij sumit cibum, qui in singulis comestionibus seorsim spectatis non esset sufficiens violando ieiunio, in vltima tandem comestione, in qua ponetur quantitas sufficiens coniuncta cum aliis, reuerà soluet ieiunium, quarè qui vellet tota die per leues comestiones ieiunium violare, reuerà illa sua intentione peccaret mortaliter, quia in illius obiecto continetur aliqua comestio, quæ ratione præcedentium, quibus coniungitur, fit mortalis, quod non continget, si pluribus diebus ieiunij velit leuiter comedere, quia comestiones illæ plurium dierum & leues plurium ieiuniorum violationes non possunt ita inter se coniungi, vt vna propter aliarum vnionem fiat grauis & mortalis; quod idem assero de operibus seruilibus eodem aut diuersis diebus festis, & de leuibus voti transgressionibus latè tradunt Suar. lib. 5. de voto. cap. 5. numero 10. & Sanch. lib. 1. in decal. cap. 4. numero 14. At verò in toto isto negotio communicationis in ciuilibus & humanis cum excommunicato vitando non apparet illa singularum communicationum in vnam coalescentia, & quomodo vna aliqua ex præcedentium coniunctione fiat mortalis. Ergo voluntas, quæ includet totam eam collectionem non erit mortalis, vti contendebat Suar. neque etiam frequentia & consuetudo communicandi in istis humanis cum tali excommunicato fiet mortalis, vt malè asserebat Nau. & alij apud Sayr. lib. 2. cap. 11. numero 13. qui tamen nobiscum apertè sentit.

Obiiciuntur nonnulla iura, in quibus omnis communicatio cum excommmunicato vitando damnari videtur peccati mortalis, & primo quidem,

dem aliquando plectitur maiori excommunicatione, quæ omninò supponit peccatum mortale, vti constat ex disq.5.sed de hac pœna agemus 3.p.huius propositionis,quam modò explicamus.

2.Cap. sacris. de iis quæ vi metusue causa fiunt, Innoc. III. ait illum, qui metu coactus communicat cum excommunicato incurrere excommunicationem,& non excusari metu.Supponit itaque excommunicatione ista contrahi peccatum mortale,neque satis appositè ad communicationē diuinam DD.passim hoc caput restringunt,quando Pontifex de communicatione absolutè loquitur, neque quidquam habet, vnde hæc restrictio colligatur.℟. 1. quandam esse commonicationem cum excommunicato intrinsecè & ex sua natura malam seclusa omni lege Ecclesiastica, quæ sua prohibitione non facit eiusmodi communicationem esse malam quamuis illi pœnam affixerit; altera est cōmunicatio tantùm mala, quia prohibita ab Ecclesia; prior illa est communicatio in crimine propter quod lata fuit excommunicatio, quæ punitur excommunicatione maiori, vt dicetur infernus, posterior est omnis alia communicatio siue diuina siue ciuilis quod ex eo ostenditur, quod sublata prohibitione Ecclesiastica reddatur immunis omnis culpæ, vt post extrauag. Ad Euitanda, patet in excommunicato non denuntiato, neque ootorio clerici percussore,cum quo licet in omnibus etiam sacris communicare. Dico igitur Innoc. in cap. sacris. loqui de communicatione essentialiter mala, qualis est ea tantùm quæ antecedenter ad omnem prohibitionem Ecclesiasticam mala est, nolla autem eiusmodi existit, præter eam quæ est in crimine criminoso, quandoquidem omnis alia siue sacra siue humana permitti potest, & reipsa sæpius permittitur ab Ecclesia.Pontificem autem loqui de communicatione essentialiter mala & seclusa omni lege Ecclesiastica facilè constabit ex eo qnod dicat peccatum mortale, quod io ipsa committitur nullo metu excusari posse, cùm tamen certum sit, & liquidò probabimus inferius prohibitionem Ecclesiasticam de non communicando cum excommunicato non obligare graui impendente metu, quod omnibus humanis legibus commune esse docuimus aliàs. Quarè vides ex hoc loco nihil effici contra nostram propositionem culpam nimirum venialem duntaxat committi in violatione legis Ecclesiasticæ communicando cum excommunicato vitando in humanis & ciuilibus.

℟.2.Quamuis daremus Innocent.agere absolutè de communicatione cum excommunicato eum distributione tamen accommoda intelligendus foret. Ita vt licet dicat communicationem eiusmodi esse mortalē,fiat tamen venialis ratione materiæ vti cōtingit in omnibus aliis peccatis ex suo genere lethalibus,fiunt enim leuia materiæ exiguitate,communicatio verò ciuilis est exigua materia legis interdicentis excommunicato commonicatione fidelium,quod hactenus euicimus; Nihil igitur nobis aduersatur Innoc.

Obiicitur 3. cap. Exceptionem. de exception. Pontifex concedit exceptionem excommunicationis ne Reus cum periculo animæ suæ communicare cogatur cum excommunicato, quod ex iure nouo de excommunicato vitando exponendum est.

℟. periculum animæ de peccato quoque veniali non incongruè intelligi; deinde cùm ibi agat de commuoicatione forensi, quæ grauior videtur, & de qua non ita constat, an sit immunis culpæ mortalis, Reus qui noo posset excipere excommunicationem cogeretur cum religione animi & dubio peccare mortaliter cum eiusmodi excommunicato communicando.

Vltimò obiiciunt cap. si verò. de sent.excomm. vbi Pontifex ait cruce signatos in Venetorum excommunicatorum nauibus existentes excusabiles esse apud DEVM, si cum dolore & amaritudine cordis sub spe veniæ & pœnitentiæ illis communicarent in iis, in quibus eorum communicationem non possent vitare, quibus verbis Pontifex supponit in ea communicatione fuisse graviorem colpam.

℟. Imprimis hæc verba,vt sonant, in omni sententia facere difficultatem, nam vt dicemus propos. 5. grauis necessitas transmittendi in Palæstinam cùm nullæ aliæ naues, quàm excommunicatorum præsto essent, eximebat omni culpa etiam veniali eiusmodi communicationem,vt quid igitur de re non mala, immo & licita dolor cordis habendus erat, vt quid pœnitentia & venia speranda. Quarè respondet 2. Suar.t. 5. disput. 15. numero 15. & ex illo Alteri. lib.1. disputat.12. cap.1. loqui Pontificem de communicatione quadam diuturna & quasi continua, quæ erat materia grauis peccati, si sine causa suscepta fuisset. Verùm iam docui etiam hanc diuturnam communicationem in humanis duntaxat, oon esse materiam grauis peccati deinde quamuis grauitatem in eiusmodi diuturnitate agnoscemus, necessitas in hoc casu eam licitam reddebat.

Respondet 3.idem Suar.ostendere voluisse Pontificem eiusmodi communicationem potiùs sustinendam, quam quærendam fuisse, atque tollere omne dubium, quod suboriri poterat teneriotibus mentibus ex frequenti & assidua illa communicatione,maximè cùm dari possent fortassis in itinere illo diuturniori casus aliqui, in quibus non fuisset licitum communicare, quæ postrema expositio mihi maximè placet, nam agebatur de communicatione in vniuersum siue in humanis, siue in sacris, quæ vitari vix poterat, & quamuis necessitas illam honestaret, vt tamen tolleretur omnis ambiguitas, consultus est Pontifex, qui ne sua indulgentia rigorem disciplinæ laxare videretur, ita indulsit eam communicationem, vt satis significaret, quam retinens esset Ecclesia suarum legum hac in parte.

TERTIA PARS PROPOSITIONIS.

Qua pœna plectatur communicatio cum excommunicato vitando?

14 Vltima parte nostræ propositionis dixi communicationem com excommunicato vitando puniri à iore excommunicatione minori cap. statuimus. de sentent. excomm. in 6. vbi ipsa particula minor apponitur, cuios loco cap. illa quotidiana. de Election. in 6.dicitur simplex excommunicatio,atque ita exponendom est. cap. nuper. de sentent. excomm. vbi cum decernitur excommunicatio in istos communicantes cum excommunicatis, abest illa vox minor, quam tamen omnes DD. subintelligont ex citato c. statuimus ad quod etiam exigenda sunt plurima alia capita 11.q.3. & maximè cap.excommunicatos, quod communicantem cum excommunicato simili excommunicatione innodandum dicit.Sapienter enim Couarr. in cap.Alma mater.1.p.§.3.n.4.Hurtad. disp.9. de excom.diffic. 3. &c

3. & Auila. 2.p.cap.6. disput. 10. dub.1. aduertunt particulam, *simili*, non inferre æqualitatem, sed similitudinem, eamque communem & genericam, ita vt sensus sit hunc communicantem, cum excommunicato incurrere quoque excommunicationem, sed minorem, quod in aliis iuribus passim exprimitur.

Neque hæc pœna restringenda est ad communicationem in humanis, nam quælibet communicatio siue mortalis siue venialis tantùm, sit siue sacra siue prophana, nulla alia pœna, quam excommunicatione minori plectitur nisi expressè habeatur in iure, aut in sententia; quod de communicatione diuina, de qua posset videri maior difficultas traditur cap. vlt. de clerico excommunic. ministr. ibi enim communicans in diuinis, non punitur nisi excommunicatione minori; excommunicatus verò cui quoque prohibita est aliorum consuetudo, etiamsi peccet, nullam tamen inde pœnam aliam incurrit, cùm nulla fuerit à iure statuta; atque circa hanc assertionem consentiunt omnes DD.

Tota difficultas est in intelligendis iuribus, quæ videntur aliquando imponere excommunicationem maiorem communicantibus cum excommunicatis quam proinde supponunt fuisse mortalem, qualem diximus esse communicationem in diuinis, nisi leuitate materiæ excusetur.

15 Primo igitur cap. nuper. & c. si concubinæ. de sent. excom. & c. statuimus eod. tit. in 6. communicantes cum excommunicato in crimine criminoso & damnato, propter quod fuit contracta excommunicatio, feriuntur quoque maiori excommunicatione. Titius v. gr. Clericus iussus est domo expellere concubinam intra sex dies, qui quia non paruit elapso eo termino incurrit ipso facto excommunicationem, qui deinde auxilium aut consilium dat eidem Titio, vt amicam retineat incurrit in excommunicationé. Caius excommunicatus fuit eo quod alienam vxorem apud se detinebat, qui ad eam retentionem postea cooperatur, excommunicatur ipso facto: atque hæc excommunicatio est iuris & non hominis, vti contra glossam in cap. statuimus. de sentent. excomm. in 6. ℣. Constitutionibus, & in cap. nuper ℣. tunc erit absolutio, notant communiter DD. apud Couarru. in cap. Alma mater. 1. p. §. 3. n. 5. & sequuntur Auila. disp. 10. cit. dub. 3. con. 3. Hurtad. disp. 9. diffic. 3. n. 12. Vnde optimè infert Panorm. in cap. nuper n. 10. & alij eum deinceps sequuti, ipsummet Episcopum communicantem in crimine criminoso cum excommunicato à se incurrere hanc excommunicationem, quia ligatur authoritate iuris neque incurrit censuram à seipso latam, sed à iure; cui ipsemet subiicitur. Infertur præterea hanc excommunicationem non restringi ad vnum aliquod territorium. Itaque qui hoc modo communicat cum excommunicato, siue non sit subditus excommunicantis principalem, cum quo communicatur, siue intra, siue extra eius territorium communicatio fiat, nihilominus contrahet hanc pœnam; præterea quoties ita communicabitur cum excommunicato in crimine damnato, vt dici verè possint diuersæ participationes in eo crimine, reuerà toties incurretur ea excommunicatio, quod sequitur ex iis, quæ fusius disputata sunt disq. 5.

16 Ad hanc tamen incurrendam excommunicationem certæ quædam conditiones vulgò postulantur, quarum.

Prima est, vt sit vera cooperatio in crimine damnato, & non in alio quopiam licet grauiori, propter quod tamen non fuit contracta excommunicatio, quæ communicatio fit per auxilium, consilium, fauorem, vt cap. nuper disertè habetur, atque omni alio modo, quo reuerà quis cooperabitur illi crimini quod Panorm. ibidem exponit, etiamsi hic reus iam excommunicatus secluso meo consilio aut auxilio idem crimen committere pergeret contra glossam. ibid. ℣. Consilium, quam sequitur Villalob. 1. p. tract. 17. diffic. 13. n. 6. quia ipso textu dans consilium excommunicatur, neque apponitur vlla distinctio, quare hanc opinionem communem dicit Ricciul. lib. 4. de iure person. extra Ecclesiam cap. 45. n. 1. qui n. 2. obseruat ex Ioan. Andr. in cap. nuper n. 4. hoc consilium capiendum esse de consilio extra iudicium dato, quia consilium in iudicio non reprobatur; verum non fuit opus ista exceptione, consilium enim quod datur ad tuendam causam in iudicio prohiberi non potest, neque est cooperatio criminis nisi fortassis detur, vt eluso iudice, deinde impunè liceret crimen perficere.

Secundo exigitur communicatio cum excommunicato, quare debuit prius esse excommunicatus, quàm cum eo quis communicet, licet enim aliquando excommunicatio extendatur in communicantes mandando, consulendo, aliaque ratione participando crimini vti diximus cap. disq. 5. Illa tamen censura diuersa omnino est ab ea de qua modò disputamus, quod aduertit quoque Nau. c. 27. n. 33. illa enim fertur solum propter communitatem & societatem in faciendo crimine, ista verò propter communicationem cum ipsomet excommunicato non quamcunque, sed in contumacia & scelere, in qua post inflictam excommunicationem nihilominus pergit, vide Suar. disp. 17. f. 2.

Tertio hic excommunicatus, cuius participatio ita punitur, debet esse nominatim denuntiatus, neque sufficiet esse notorium Clerici percussorem, nisi præterea fuerit nominatim excommunicatus, & quidem requiri denuntiationem, quod negat Soto. d. 22. in 4. q. 1. a. 4. con. 3. & Caietan. ℣. excommunicatio. cap. 57. constitutio ad euitanda, dubitare non sinit, cùm enim nullum excommunicatum præter denuntiatum, aut notorium clerici percussorem, vitandum esse velit, reuerà ob communicationem cum illo nulla incurretur censura, etiamsi illa communicatio intrinsecè & antecedenter ad omnem legem Ecclesiasticam mala sit.

Quod verò addidi, neque sufficere excommunicatum principalem, ex cuius communicatione in crimine damnato incurritur maior excommunicatio, esse notorium clerici percussorem, nisi sit quoque nominatim excommunicatus, difficilius videtur, quandoquidem Extrauag. Ad euitanda hunc quoque excommunicatum omninò vitandum esse dicit, æquè atque si esset nominatim denuntiatus. Sequor nihilominùs Auil. disp. 10. cit. dub. 4. & Hurtad. loco superiùs indicato, quia in cap. Nuper in quo lata est ista excommunicatio in participantes in crimine criminoso nulla fit mentio de participante cum notorio clerici percussore, sed de participante cum nominatim excommunicato, & in cap. si concubinæ, nullum nouum ius conditum est, ergò cum ista lex pœnalis sit, & restringenda potiùs quàm amplianda, qui participabit in crimine damnato cum quocunque excommunicato etiã notorio Clerici percussore, si non fuerit nominatim excommunicatus non incurret excommunicationem latam in cap. nuper, & cap. si Concubinæ neque

neque posterius ius Extrauag. Ad eulitanda quidquam immutauit hac in parte, quia cum fauorabile sit, & incommodis animarum consulat minimè debet operari restrictionem ex cap. final. de verbor. signific. & l. legata inutiliter. ff. de adimendis legatis. Atqui ante illam Extrauagantem non contrahebatur maior excommunicatio propter participationem in crimine cum notorio clerici percussore, nisi fuisset nominatim excommunicatus, ergo neque post eam Extrauagantem incurretur, nisi dicas hoc nouũ ius restrinxisse antiquũ, quod tamen ampliare voluit; quare qui Titio excommunicato eo quod violenter detineat clericum in carcere, præbet auxilium ad continuandam illam detentionem, non incurret præcisè ex ea participatione maiorem excommunicationẽ, nisi Titius fuerit iam denuntiatus. Denique c. nuper. requirit hanc communicationem fieri scienter, ita vt qui communicat, sciat illum, quocum communicat fuisse iam excommunicatum propter illud ipsum crimen, in quo nunc is participat, & quia ignorantia crassa tollit scientiam, impedit quoque hanc excommunicationem, vti aduertit Hurtad. n. 12. cit. Hæc porrò excommunicatio ab illo solo absolui potest, qui excommunicationem latam in principalem laxare poterit ex eod. c. Nuper. Quare si principalis excommunicatio fuerit reseruata, ista quoque erit reseruata.

17 2. Quoties Clericus scienter & sponte admittit ad diuina officia excommunicatum à summo Pontifice incurrit excommunicationẽ, cuius absolutio ipsi soli Pontifici reseruatur c. significauit. de sent. Excomm. quæ proinde excommunicatio maior est, contra quam ibid. glossa dixerit quia excommunicatio minor à quocunque Confessario tolli potest, & non nisi grauia peccata & graues censuræ reseruantur.

18 Ad hanc verò requiri aliquot conditiones obseruarunt Nau. c. 27. n. 93. Caietan. ✠. excommunicatio. cap. 58. Couarru. in cap. Alma mater. 1. p. §. 3. n. 4. Auila. 2. p. cap. 6. disp. 10. dub. 2. Sylu. ✠. excommunicatio. 5. n. 22. Alteri. lib. 1. disp. 12. c. 8. Hurtad. disp. 9. de excomm. diffic. 3. & alij glossam & Panormit. in idem c. sequuti.

Prima itaque conditio requirit hunc cõmunicantem esse Clericum, quamuis enim si laicus communicet, peccet quoque mortaliter, quia est communicatio in sacris, non tamen vti aduertit Sylu. hanc pœnam incurret, cùm de solis Clericis agat eo loco Pontifex.

Nomine porrò Clerici comprehendi hoc loco tum sæculares, tum regulares, existimauit Filliuc. tract. 15. n. 168. quod probabilius negat Bonac. disp. 2. de excomm. in particulari. q. 5. p. 3. n. 5. eo quod in pœnalibus Clerici nomine non designentur Religiosi, nisi exprimantur, vti fit cap. Episcoporum. de priuileg. in 6. de quo dicemus inferius.

2. Debet hæc communicatio esse in diuinis admittendo talem excommunicatum ad diuina officia, vt loquitur Canon, quare quælibet communicatio in diuinis non sufficit ad hanc pœnam, vti obseruant Auil. & Hurtad. post Caietan. & Nau. quare Clericus, qui vna cum tali excommunicato interesset diuinis officiis, sicut vnus quispiam de plebe, non contraheret istam excommunicationem, debet itaque illum ad diuina admittere.

3. Requiritur, vt hic Clericus sciat illum quem ad diuina admittit fuisse excommunicatum à Papa, in textu enim habetur particula Scienter.

4. Sponte communicare oportet hunc Clericum, quæ vox ita omnem coactionem tollit, vt quicunque metus etiam iniustus, vel leuis, vel conditionalis impediat hanc excommunicationem, etiã si non impediat peccatum mortale, in ea communicatione committeretur ex solo metu, leui aut iniusto ita docent Couarru. Caietan. Auil. Hurtad. quia vbi metus aliquis est causa actus, non dicitur fieri, sponte, quandoquidem procedit ab aliqua coactione licet leui vel iniusta, Nauarr. tamen restringit hanc Caietani doctrinam ad forum internũ, in quo metus iustus & iniustus exæquantur quoad libertatem actus, quam etiam metus leuis minuit, in foro verò externo spontaneus dicitur esse ille actus qui ex metu iniusto & leui suscipitur c. super hoc de Renunt. & cap. Ad audientiam. de his quæ vi. quia nimirum forum externum nititur præsumptione, quæ vna non est hoc loco, dum quis vim sibi illatam ex metu leui causatur.

Denique requiritur, vt excommunicatus, cui communicatur, sit ea censura ligatus à Pontifice iudicialiter & nominatim, ita vt non sufficiat fuisse excommunicatum sententia Canonis, quod obseruat Caietan. Nauarr. Couarru. & alij. Vt enim argumentatur Suar. disputat. 10. s. 2. num. 9. rigidius esset illud ius quod vellet Clericum communicantem quolibet modo cum quouis excommunicato à Papa percelli excommunicatione ipsi Papæ reseruata, neque post Conc. Constantien. videtur vlla manere difficultas, eius enim fauore licet communicare cum quolibet excommunicato non vitando, vitandus autem solùm ille est, qui est nominatim excommunicatus & denuntiatus; quin immò Clerici percussorem notorium, nisi sit nominatim excommunicatus, admitti posse ad diuina à Clerico absque excommunicatione, de qua agimus vti etiã monebamus in casu superiori, tradit Bonac. disp. 2. de excomm. in particulari. q. 5. p. 3. nnmero 3. ex communi sententia Caiet. Nau. Suar. Auilæ, Fillinc, & aliorum quibus accedere videtur Hurtad. quia Pontifex in illo cap. significauit, videtur diserte id tradere his verbis, Participauerunt excommunicatis à nobis, atqui notorij percussores Clericorum non sunt excommunicati iudicialiter à Pontifice, sed ab ipso iure, nisi igitur tales esse declarentur per sententiam Pontificiam, poterit Clericus illos admittere ad diuina, neque ideirco incurret excommunicationem maiorem, de qua modò disputamus, Hinc reiicias gloss. in cap. 2. de exception. vbi dixit quemcunque communicantem cum excommunicato à Papa, innodari excommunicatione maiori propter eximiam Romani Pontificis authoritatem, id enim falsum esse constat nisi in casibus à iure expressis.

Tertiò incurritur excommunicatio maior propter communicationem cum excommunicato, quando iudex excommunicauit etiam participantes & communicantes cum tali excommunicato; hanc enim excommunicationem in communicantes cũ excommunicato ferri posse definit Innoc. 3. in c. Quod in dubiis. de senteut. excomm. & idem dicitur c. excellentissimus. 11. q. 3. quibus locis, qui monitus non desistit à tali cõmunicatione poterit excommunicari, verùm de hac excommunicatione latè disputauimus disq. superiori. q. 2. neque quicquam addendum occurrit. 19

4. Incurritur maior excommunicatio propter communicationem in sepultura sacra cum excommunicato à Clem. 1. de sepultu. quem explicauimus q. 2. huiusce capitis. 20

Dicendum igitur nunquàm propter communicationem

ficationem quamcunque cum excommunicato incurri maiorem excommunicationem nisi in casibus iure expressis.

SECVNDA PROPOSITIO.

Quosnam & vbi obliget lex non communicandi cum excommunicatis.

21 Prohibitio commuoicandi cum excommunicato vitando omnes Christi fideles & vbique obligat.

Hactenùs explicuimus quænam communicatio cum excommunicato vitando sit prohibita, & sub quibus pœnis; videndum modò est, quosnam liget hæc Ecclesiastica lex, quod hac & sequenti propositione paucis definio, hac enim assigno personas, quæ hoc communi iure obstringuntur, alterâ verò tradeṁus causas, quæ eiusmodi obligatione eximere nos possunt.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

PRIMA PARS.

De personis obligatis ad vitandos Excommunicatos.

22 Dixi igitur imprimis omnes Christi fideles teneri lege Ecclesiastica non communicandi cum excommuoicato vitando. Ita omnes, quoties enim iura aliqua indistioctè loquuntur, indistinctè quoque intelligenda sunt.

Vnde etiam ipse Episcopus excommunicans vitare debet excommunicatum, vti aliàs monuimus ex Couarr. in c. Alma mater. 1.p.§. 2.n.2. habeturque expressè c. cùm desideres. de sentent. Excomm. vbi Panorm. & alij id tradunt, nosque rationem reddidimus disq.3.q.2.n.4. & disq.4.q.1.n.3. quia excommunicatio instituta est ab Ecclesia cum tali effectu priuandi excommunicatum communicatione fidelium, neque potest Episcopus eam censuræ illius naturam mutare, & cùm ipsemet subiiciatur legi vniuersali, si contra eam communicet cum excommuoicato peccabit & incurret minorem excommuoicationem, nisi prius illum absoluat, neque præcipere potest, vt quis cum excommunicato vitando communicet, non modò enim illicitè, sed inualidè quoque id præciperet, vt annotauit Ioann. Andr. in c. cùm desideres. n.4. ac deniquè priuilegium siue dispensatio ab illo facta, vt liceat cum excommunicato commuoicare nulla erit, vti probat Barbos. allegat. 45. de potestate Episcopi. n. 37. & Ricciul. 4. c. 43. n. 7.

Pontifex nihilominùs non modò non incurret excommuoicationem, sed ne quidem peccabit, vti ostendimus contra Panorm. Couarru. & alios qui hunc effectum excommunicationis malè contendebant esse de iure diuino & non Ecclesiastico; cuius conditor est Pontifex, & in quo dispensare potest, neque quoad vim coerciuam illo tenetur, vti aliàs dictum fuit.

Denique qui alioquin iurisdictione excommunicantis exempti sunt, tenentur nihilominus excommunicatum denuntiatum vitare c. nulli. de sent. excom. & c.3.§. excommunicatos. de Priuileg. quia hic effectus excommunicationis non pendet à potestate excommunicantis, sed ex ipsius censuræ natura; quarè quamuis isti sint exempti à iurisdictione excommunicantis, non idcircò tamen circa illos excōmunicatio suos effectus & proprietates amittet.

Addidi in propositione solos fideles teneri hac lege, quia reliqui omnes cùm non subiiciantur Ecclesiæ, non obligantur eius scita seruare; nomine verò fidelium intelligo solos baptizatos, non autem catechumenos, quod alibi cum Sayro monuisse me memini.

SECVNDA PARS PROPOSITIONIS.

De loco in quo vitandi sunt excommunicati.

Dixi altera propositionis parte excommunicatos vitandos vbique vitandos esse, eo quod ossibus excommunicati infixa hæreat excommunicatio atque vbique eosdem pariat effectus; cuius rationem reddidimus disq.3.q.2.n.4. Neque in istis ad alia properantibus diutius immorari licet. 23

TERTIA PROPOSITIO.

Causæ excusantes communicationem cum excommunicato.

Communicationem cum excommunicato vitando licitam facit summa excommunicati, vel cum eo communicantis vtilitas, aut necessitas, & naturalis quædam obligatio, cui sua lege derogatum noluit Ecclesia, ac demum ignorantia. 24

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Plures causas quibus excusamur à communicatione cum excommunicatis vitandis enumerant DD. quas his versibus complexi sunt. 25

Hæc anathema quidem faciunt, ne possit obesse
Vtile lex humili, Res ignorata, necesse.

Illas omnes Ricciul. lib.4. c.47. ad duas reuocat, alij ad plures. Ego ad tres aut quatuor reduco. 1. est vtilitas siue nostra, siue excommunicati ipsius. 2. necessitas, quam distingo ab vtilitate, licet, vt explicantur ab interpretibus, omninò coincidant, quia hac voce necessitatis coactionem quandam designo. 3. Est alia quæpiam obligatio naturalis cui vix fieri satis potest ea vitatione excommunicati, & cui suauis Ecclesiæ pietas non videtur hac sua prohibitione derogare voluisse. 4. Demum est ignorantia. Singulas itaque istas causas paucis exponam.

PRIMA PARS PROPOSITIONIS.

Quænam vtilitas excuset à communicatione cum excommunicato vitando.

Vtilitas imprimis spiritualis excommunicati excusat à crimine communicationis cum ipso, quia cum Ecclesia salutem excommunicati maximè cupiat, eamque ipsa excommunicatione procuret, vti ex disq.1. huius libri constat, non debuit prohibere, ne conferremus quidquid ad eius salutem faceret; quarè cum illis ad obtinendam absolutionem agere licebit. c. cum voluntate. de sentent. excomm. c. cùm pro causa. eod. tit. & c.1. de Rescript. in 6. & 26

cap.

cap.cùm inter §.porrò de exceptionib.Idem dicendum quando communicamus,vt illum inducamus ad satisfaciendum, vt instruamus in rebus animi, alijsque eiusmodi,atque ad illum ea de causa litteras dare,salutem impertiri,similiaque beneuolentiæ signa aut officia,quibus eius animũ delinire possimus,præstare licebit,hinc tam frequentes Epistolæ commonitoriæ ad Episcopos excommunicatos occurrunt apud Baronium,qua etiam de causa dicebamus licitum esse concionem habere coram excommunicato denuntiato.

27 2.Propter vtilitatem nostram spiritualem eadem communicatio cum excommunicato licita erit, atque ita ab illo consilium petere in rebus animi,eius concionibus ac lectionibus Theologicis interesse, vti quondam monuimus,fas erit,quod passim concedunt Doctores.

3. Idem quoque dum medio excommunicato procuranda erit tertij alicuius salus,licitum esse aduertit Adrian.in 4.tract.de clauibus.q.3.& consentit Sayr.lib.2.c.14.n.3. sub fin.estq; euidentissima ratio,cur enim permitteretur communicatio cum excommunicato ad ipsius salutem,& non ad salutem alterius innocentis,si ad vtramque illam salutem ea necessaria sit,cur enim non licet ab excommunicato consilium petere æquè pro salute alterius atque pro propria.

Hæc tamen omnia ita intelligenda esse monet Sylu.ꝟ.Excommunicatio 5.n.4.vt ab aliis non excommunicatis æquè commodè & vtiliter consiliũ aliaque eiusmodi capere non possimus,tunc enim alios adire oporteret, quam limitationem etiamsi passim probari videam,non tamen damnatem eum, qui excommunicatum ad sui alteriusue salutē adiuisset,quamuis alium non excommunicatum adire potuisset, quia suf .cit,si illa cum excommunicato communicatio reipsa fuerit vtilis communicanti, licet cum non excommunicato futura fuisset æquè vtilis;neq; enim Ecclesia vlibi requirit maiorem illam vtilitatem,v.gr.etiamsi non excommunicatus æquè prudens sit in consulendo atq, excommunicatus,quia tamen maior mihi cum isto necessitudo intercessit,illum potiùs consulam , quam non excommunicatum,neque opinor,peccabo.

Dices.Cum ista communicatio cum excõmunicato permittatur in his casibus ex quadam tantùm Ecclesiæ venia,vbi non erit causa,quæ impulit Ecclesiam,ad hanc veniam faciendam,non licebit cõmunicare,quando autem æquè commodè mihi aut ipsius excommunicati bonis & saluti consulere possum absque ea communicatione, nulla erit causa communicandi cum illo contra prohibitionem Ecclesiasticam, alioquin inutilis esset tota illa prohibitio,facilè enim esset aliquam causam huius communicationis prætexere.

R.Hinc optimè probari illicitam esse communicationem cum excommunicato quando æquè cõmoda & vtilis nobis est cõmunicatio cum non excommunicato,atq; cum excommunicato,neq; vllæ sunt causæ, quæ in pari illa vtilitate potiùs nobis suadeant communicationem cum excommunicato, quàm cum non excommunicato, qualis est antiqua v.gr.necessitudo cum excommunicato, tunc enim tantùm dico videri mihi licitam hanc cõmunicationē,quãuis non maior ex illa exitura sit vtilitas;atq; ea ratione interpretor communē opinionē, quæ maiorē vtilitatem requirit,illo enim modo loquendi cõplectitur omnes causas,quæ hanc cõmunicationē cum excõmunicato præferēdam esse suadēt id tēporis cõmunicationi cũ nõ excõmunicato,

4.Idem sentiendum est de vtilitate temporali tũ 28 communicãtis,tum excõmunicati,quod tradit Syl. ꝟ. Excommunicatio 5.n.4. Nau.& alij qui dicunt eam vtilitatem pensandam esse arbitrio boni viri, Hinc diximus conueniri posse in iudicio excommunicatum , & cogi ad soluenda nomina , atque seruandos contractus initos alioquin ex sua iniquitate cõmodum perciperet. Hinc etiã licebit ab illo consilium pro temporalibus capere vt medicũ excommunicatum vocare , Eleemosynam petere , vt statim dicam,atque alia eiusmodi,maximè quoties agitur potius de tuendo statu,& sustentanda vita, quàm de augendo lucro temporali. Verùm & hoc quoque postremum permissum esse negandum minimè videtur,an vero sint liciti ea de causa contractus cum excommunicato,dicam in consectarijs,in præsentiarum enim doctrinam vniuersalem tradidisse satis fuerit,nimirum quoties opera excommunicati nobis necessaria est ad nos vel ad nostra tuēda,illa vti fas esse ; quam regulam tradunt passim DD.quos dabit Ricciul.lib.4.c.54.& ratio euidens est excommunicatio enim,& quælibet alia censura debet operari contra excommunicatum , non verò damno esse fidelibus innocentibus, vti reuerà esset, si damnum aliquod pati ex separatione excommunicati à cæteris fidelibus cogeremur.

Quando prætereà vrget vtilitas licet temporalis ipsius excommunicati, qui periculum incurrit alicuius iniuriæ in fama,bonis,aut ipso etiã corpore, cum illo communicabimus impunè , id enim iura humanitatis, quibus non priuatur excommunicatus,exigunt;Imo Adria.q.3.cit.de clauibus & Ric. in 4.dist.18.a.11.dixerunt eum , qui non impedit iniuriã,quã videt irrogari clerico excõmunicato incidere in excõmunicationē c.quantæ de sent.excõ.

Denique sicut licet cum excommunicato communicare propter istas vtilitates ita licebit illi,quoties de eius salute,aut bonis agitur, communicare cum aliis,quod æquè dicendum, quando de vtilitate proximi agit... quam eadem ratione curare poterit excommuni...is, atque nos illius bonum & salutem.Poterit igitur medicus etiam non vocatus ægrum,quem scit egere sua opera,inuisere,eleemosynã pauperi erogare,aliaq; eiusmodi præstare aliis, suam vero propriam salutem & commodum , rum in spiritualibus, tũ in temporalibus quærere,quod cõstat ex iis,quæ q.superiori circa communicationē forēsem statuebamus:an verò ea de causa possit repetere sua debita à creditore,dicã in consectariis.

SECVNDA PARS PROPOSITIONIS.

De necessitate excusante communicationem cum excommunicato vitando

Hæc causa ferè explicata manet ex iis,quæ diximus de vtilitate,tum quia vtilitas est quædam necessitas ad melius esse,tum quia si vtilitas tum nostra,tum proximi,tum denique excommunicati excusat,multò magis ipsa necessitas id præstabit,quia tamen necessitas aliquid addit supra vtilitatem simpliciter & absolutè acceptam , de ea seorsim agunt DD.

Estque vniuersalis regula , quam tradit Tabien. ꝟ. excommunicatio.8. n.10. quoties aliquis communicat cum excommunicato non ob illius fauotem & commodum,sed pro euitando suo aut illius damno,aut cauenda sua vel illius necessitate non peccat in illa communicatione,quam regulam singillatim expono.

Distinguo verò triplicem necessitatem 1. nascitur ex ipsis quodammodo rebus absque vlla adhibita vi externa voluntati, cuiusmodi est indigentia quædam grauis eorum, quæ saluti tum aoimæ, tum corporis necessaria sunt. 2. est necessitas violentiæ, quia per vim externam cogimur aliquid aut pati, aut agere, sic qui ligatis pedibus detineretur io loco, in quo excommunicatus audit sacrum, diceretur pati violentiam, quæ contingit, quoties aliquid fit renitente passo, & hæc violentia tollit prorsus voluntarium, de illaque maximè dicitur, non subdi legi etiam in his, quæ spiritualia sunt ex c. 2. de obseruat. Ieiuni. cap. sicut. de Consecrat. dist. 1. & cap. discipulos de Consecrat. dist. 5. gloss. fin. io Clem. 1. de baptis. Felin. in cap. cum dilecta. de Rescriptis. n. 16. & aliis, quanquam ea vulgaris parœmia de priori quoque necessitate in iis, quæ oon suot intrinsecè mala, sæpiùs valeat. 3. quædam alia necessitas est per vim extrinsecùs adhibitam, quæ tamen non tollit voluntarium simpliciter, quamuis minuat liberum, cuiusmodi est necessitas, quam affert metus incussus, quem aliquando excusare à legis obseruationne diximus aliàs. De hac triplici igitur necessitate paucis sic statuo. Et quidem quoad priorem illam communem necessitatem sic accipe.

30 1. Spiritualis nostra aut proximi necessitas licitam reddit communicationem cum Excommunicato, vnde & ab illo baptismum, pœnitentiam aliaque sacramenta ipsa vrgere, capere & petere possumus, vt dictum fuit quæst. 1. & 3. Necessitas verò ipsius excommunicati etiam spiritualis per hanc communicationem subleuari poterit, atque illi non modò sacramenta eo modo conferri, vti ex alibi dictis constat, sed etiam alia salutária remedia, quibus ex cœno vitiorum exurgat, redeatque ad bonam frugem, & Ecclesię recôcilietur, suppeditari poterunt.

31 2. Nostra necessitas temporalis excusat, atque ita ab illo emere ad victum necessaria, cap. quoniam multos 11. q. 3. aliaque einsmodi præstare conceditur, quæ ioferiùs ex consectariis magis elucescent, vt an liceat Eleemosynam ab excommunicato petere.

3. Valet quoque necessitas ipsius excommunicati, quoad victum, vestitum, potum, habitationem, vitationem damni alicuius temporalis magni momenti, quia prohibitio Ecclesiæ noo ita rigida est, vt quæ sunt humanitatis cuiusdam, exhiberi nolit, quamuis fortassis id possit, vt monebo inferiùs.

4. Quoties aliorum commodis necessaria erit nostra communicatio cum excommunicato licitam quoque futuram esse tradit Adrian. q. 3. de Clauibus. in princip. §. sed quoniam, & ideò cap. Iuliá. 11. q. 3. licitè milites Christiani cômunicabant Iuliano Apostatę, oe si militiam desererent, ipse in Christianos crudelius sæuiret. Deniq; cum pręceptum communis pacis procurádæ, & spiritualis vtilitatis proximorum, atque vitandi scandali sit iuris naturalis, magis obligat quàm præceptum Ecclesiasticum prohibens communicationem cum excommunicato, quarè vbi duo illa præcepta simul concurrent, præponendum erit naturale Ecclesiastico.

32 5. Hæc necessitas extrema esse non debet, neqoe admodum grauis, sed communis, & ea saltem, quæ ex ordinaria & communi charitate aut pietate homines vel obligare vel multum permouere soleat, quia nimirùm excommunicatus ille, aut nos verè indigemus, & aliunde commodè habere noo possumus ab excommunicato, neque excommunicatus, quam à nobis petis operam Ita Nauarr. cap. 27. num. 27. & Henriq. lib. 13. cap. 23. num. 4. Quarè noo placet, quod Sylu. ℣. excommunicatio. 3. n. 1. requirat extremam necessitatem, aut quasi extremam, nam & ipse mentem mutauit eod. ℣. 5. oumer. 5. Idem quoque habet Tabien. ℣. excommunicatio. 8. numer. 10. & alij Magistri apud Auil. 2. p. cap. 6. disp. 11. dub. 13. & Sayr. lib. 2. cap. 14. numer. 30. & 32. quod ex subiectis exemplis magis patebit.

Qui enim petit Eleemosynam ab excommunicato, quam non potest accipere nisi cum eo simul in eadem mensa accumbat poterit cum illo comedere ex Paluda. in 4. dist. 18. q. 6. a 2.

2. Io itinere apud excommunicatum hospitari, & ab illo equum conducere fas fuerit, aut si ille excommunicatus incommodè pedes agere iter soleat, eidem equum locare. Ita Auil. l. c.

3. Excommunicato communi oecessitate laboranti, & stipem, sicut alij communiter solent poscenti erogare potero ex Henriq. lib. 13. cap. 23. n. 4. quia alioquin si nullus ei stipem porrigeret, periculum esset, ne in grauem oecessitatem incideret.

4. Ad res meas tuendas consilium, auxilium & patrocinium ab excommunicato petam absque culpa. Henriq. ibid. n. 4. Litt. 1. Vgolin. tab. 2. cap. 23. §. 11. num. 5.

5. Excommunicatus petens hospitium recipi potest etiam antequam à cæteris exclusus sit ex Antoni. 3. p. tit. 25. cap. 1. sub fio. & aliis, quos sequitur Sayr. cap. 14. cit. n. 32.

6. Vtensilia ℣. gr. securim & cætera similia non posse ministrari excommunicato titulo oecessitatis, nisi ad vitam, aut grauis damni vitationem necessaria sint, affirmat Sylu. ℣. Excommunicatio. 5. n. 5. §. quinto. & Tabien. eod. ℣. 8. o. 10. sed nimiam esse hanc religionem dixit sapienter Sayr. cap. laudato. num. 33. cùm vbi necessitas non excusabit, vtilitas id præstitura sit; quare

Licebit 7. Principem excommunicatum, cuius ditionem inuadunt hostes iniusto bello, suis armis defendere ex Richard. in 4. d. 18. a. 11. q. 1. & Sayr. num. 33. Superiori, vbi & Marian. & Socin. adducit, colligiturque ex cap. Iulian. 11. q. 3.

8. Pro Reo excommonicato, cuius periclitatur ius, fas erit Aduocatum & Procuratorem agere, ex cap. intelleximus. de Iudic. & Panorm. ibid. n. 7.

Iam verò quod attinet ad necessitatem violentiæ illam excusare à commuoicatione etiam in sacris, omnes æque consentiunt; Itaque qui violenter detinetur, vt audiat Sacrum vnà cum excommunicato, non peccat, neque obligatur claudere oculos, aut obturare aures & alio diuertere aoimum, ne ad rem Sacram attendat, & vt animo, cui nulla vis inferri potest, non iotersit, vti voluit Caietao. ℣. excommunicatio, circa fio. §. circa tertium optime reiectus ab Henriq. lib. 13. cap. 23. nu. 4. & Auila. 2. p. cap. 6. disp. 11. dub. 13. con. 3. poterit itaque Eucharistiam adorare, & ad sacrificium aliaque diuina officia attendere, quamdiu inibi vi detinebitur, cum si quæ ea io re existat communicatio in diuinis cum excommunicato vitando per iniectam violentiam excusetur, & culpæ immunis fiat. 33

Tertia demùm necessitas per metum siue mortis, siue alterius grauioris damni iniecta excusat à culpa circa communicationem cum excommunicato etiam in diuiois, quando metus non incutitur in odium Religionis, aut in contemptum clauium & potestatis Ecclesiasticæ, siue Censurarum, quæ fusiùs explicata sunt io seieotia canonica Estqua communis DD. sensus hoc loco. 34

TERTIA

TERTIA PARS
PROPOSITIONIS.

Quomodo aliarum quarundam legum obligatio excuset à communicatione cum excommunicato vitando.

35 Tertia causa, quæ licitam facit communicationem cum excommunicato comprehenditur in vulgati summissatum disticho, his vocibus *lex humile* quibus designant quasdam alias obligationes ex lege matrimonij, aut subiectionis ortas; quibus Ecclesia noluit sua prohibitione derogare, quare vbi satisfieri non poterit harum legum obligationi absque eo quod communicetur cum excommunicato, id permittit Ecclesia, quod intelligendum est etiamsi excommunicatio non tantum Reum, sed eos omnes, qui cum ipso deinceps communicarent, comprehenderet, quia ea censura non fertur nisi in eos, qui cum excommunicatis illicitè communicant, quod Sayr lib.2.cap.14.thesaur.n.10. Sanch. lib.9.disp.14.n.6. Vgolin.tab.2.de Censu.cap.23. §.6.nu.3. Ricciul.lib.4.cap.48.nu.32. Suar.disp. 15.s.4.num.16.& alij pridem obseruarunt.

36 5. Igitur obligatio, cui vt satisfaciamus, permittitur communicatio cum excommunicato, est obligatio Coniugij vt à Greg. VII. definitur. cap. Quoniam multos. 11. qu.3. & ex communi DD. sensu designatur in voce *lex* in vulgari disticho superiùs allato ex glossa; de lege enim matrimonij omnes interpretantur, si igitur vel alter tantùm, vel vterque Coniux excommunicatus vitandus fuerit, licebit nihilominùs ipsis communicare tum in debiti redditione & petitione, tum in cæteris omnibus quæ ad familiæ gubernationem & conuictum ac societatem indiuiduam, quam ex sua ratione matrimonij contractus infert eadem prorsus ratione atque ante excommunicationem licuisset. Quæ sententia communissima est & 1. quoad actum Coniugalem nulla potest suboriri dubitatio, cùm ea maximè de causa permittatur vxoribus communicare cum viris excommunicatis, cap. Quoniam multos cit.& vt animarum periculis occurratur, quam enim graue foret vxorem cohabitare cum viro excommunicato, & nihilominus teneri ab actu Coniugali abstinere, & sanè si ob nostram vtilitatem liceat communicare cum socio excommunicato ex glossa in cap. si vete. de. sentent. excomm. & dicam inferius, multò magis licebit eadem communicatio cum vxore, quæ diuinæ & humanæ domus socia dicitur l.1.ff.de ritu nuptia. denique communicatio vxoris, vt vxor est ea maximè est, quæ in actu maritali intercedit; immò verò non tantum potest vxor marito excommunicato debitum reddere, & ab eodem petere si lubeat, sed etiam petenti tenetur reddere, vti declarauit Innoc. III. cap. inter alia de sentent. Excom. vbi mentem Gregorij in cap. quoniam multos ita interpretatur, vt velit omnes personas, quibus permittitur eo loco communicatio cum excommunicato, eo quod aliter non possint obsequia ad quæ tenebantur ante excommunicationem exhibere, ad eadem omninò deinde præstanda teneri eo quod per excommunicationem non eximantur illo debito, neque ex Ecclesiæ pio fauore excommunicatus priuetur iure exigendi talia obsequia & debita, quare ad eam omnem communicationem, quæ necessaria erit præstandis obsequiis & debitis ad quæ obligantur soluendis, tenebuntur. Sub eadem igitur obligatione est hæc communicatio, sub qua est solutio debiti, propter quam à Pontifice conceditur; quare debebit vxor communicare marito excommunicato circa ea omnia, ad quæ ex vinculo matrimonij obligatur, quorum præcipuum est redditio debiti Coniugalis, atque ita affirmant in illud cap. inter alia Ioan. Andr. & Felin. Suar. disp: 15.s.4.n.2. Sanch.lib.9.de matrim. disp.14.n.13: Vgolin. tab.2. cap.23.§.6.n.3. Sayr. lib.2.cap.14: n.4. Ricciul.lib.4.cap.48.n.5.

Dixeram 2. vxorem communicare debere in omnibus aliis, quæ ad indiuiduam vitæ societatem, & domus gubernationem pertinent, quod docent relati DD. atq; Sanch. disp.14.n.4. alios referens, se neminem reperisse, qui ea de re dubitaret, estque manifesta ratio, quia fieri nequit, vt sit cohabitatio vxoris & viri, atque in actu coniugali communicatio, & non sit in omnibus aliis ciuilibus & vsualibus, siue quæ ad communem victum & familiarem vsum pertinent. Deinde, quia exceptio ab aliqua lege prohibente intelligenda est secundum terminos, vt loquuntur prohibitionis, & Regulæ à qua excipit. Hinc dicitur l. nam quod liquid. §. Vlp. ff: de penu legata, *si cui penus legata sit præter vinum omnis penus legata videtur excepto vino, sed si ita scriptum sit, omnem penum præter vinum quod Romæ erit, sola penus, quæ Romæ erit, legata videtur.* Quia nimirum exceptio iisdem limitibus circumscribitur, quibus Regula, lex aut alia qualibet dispositio opponitur. Cum itaq; omnis prohibitio politica & ciuilis cum excommunicato prohibeatur, vti fusiùs ostendimus propositione 1. & ab ea prohibitione excipiantur vxores excommunicatorum cap. Quoniam multos, neque vlla particularis exceptio exprimatur ab omni ea prohibitione fieri exceptionem dicendum erit. Denique cùm vt dicebat Innoc. cap. Inter alia, excommunicatio non priuet excommunicatum suo iure, maneantque illi obnoxij sui debitores, obsequia & conuictus, quem debet vxor marito, illi reddenda erunt, aut separandi inuicem erunt, quod non nisi ægrè, & cum animarum periculo, quod tamen Gregorius cap. Quoniam multos vitare voluit, fieri poterit.

2. Obligatio veluti naturalis, quæ eximit à lege prohibente communicationem cum excommunicato vitãdo est debitum & obligatio subiectionis, quàm designarunt DD. per vocem, *humile*; Qua de causa Gregor. cap. quoniam multos, cõmunicationem istam permittit filiis, seruis, ancillis, siue mancipiis & Rusticis seruientibus, atq; omnibus aliis, qui non ita curiales sunt vt eorũ Consilio perpetrentur crimina, propter quæ lata fuit excommunicatio.

Et quidem quod attinet ad filios cum iure naturali obedientiã Patri debeant, visum non fuit pietati cõsentaneum, aut vinculum illud disrumpere, aut eius Iuris executionem impedire aut filium à patria potestate subducere, id enim ipsi filio graue & onerosum fuisset non poterat vero Patri subiectus manere filius, & cum illo sæpiùs habitare & tamen illi non communicare, & quamuis sæpiùs illum vtilitas aut necessitas excusarẽt, vti exposuimus, quia tamen frequenter dubitari poterat, an foret vtilitas, aut necessitas sufficiens ad excusandam eiusmodi comunicationẽ, vt omnes isti scrupuli, & peccãdi crebra pericula tollerentur, sapientissime Gregorius permisit hanc cõmunicationem tum filiis, tum seruis, cæterisque personis, quas eo loco recenset. Et sanè cùm Ecclesia in ferendis censuris Rei emendationem potiùs, quàm pœnam attendat, vti diximus disq. 1. & 2. austerius videretur

tegtur illud remedium, quod iura naturalia tolleret, & fœdera, quæ natura sacro quudam nexu sanciuisset, sua lege disrumperet.

Nomine porrò filiorum intelliguntur imprimis ipsæ quoque filiæ, liberi naturales & illegitimi, atque etiam adoptiui, & demum nepotes, pronepotes, cæterique qui etiam ratione affinitatis filiorum loco haberi solent, vt nurus, priuignus & priuigna, quæ omnia fusè ex variis iuribus ostendit Vgolin. tab. 2. cap. 23. §. 7. & Ricciul. lib. 4. cap. 49. quarè hos omnes cum suis parentibus excommunicatis communicare posse tradunt iidem DD. & alij passim saltem quamdiu in illis erit eadem causa subiectionis respectu parentum, ratione cuius Gregor. hanc facultatem communicandi cum excommunicatis ipsis indulsit; ex hac enim Regula admetienda erit ista facultas, quod circa emancipatos & adoptiuos, atque etiam filios spirituales faciam in consectariis.

38 Quod attinet ad seruos, ancillas, mancipia & alios seruientes, qui à Gregorio enumerantur, statim apparet, quam æqua fuerit ea constitutio, nam serui, ancillæ & mancipia sunt sub dominio & potestate dominorum. §. in potestate. Instit. de his qui sunt sui, vel alieni iuris, & excommunicatus non priuatur dominio suæ rei, neque eius vsu, non debuit igitur communicatio seruorum cum dominis excommunicatis interdici, quare non modo hi serui & mancipia poterunt communicare cum suis dominis, sed etiam ad omnia obsequia præstanda eodem modo, quo prius, tenebuntur, vt ex Innoc. cap. inter alia superiùs circa vxorem colligebamus, & de his seruis tradunt Vgolin. & alij.

Requirit tamen Suar. disp. 15. s. 5. num. 9. vt hi serui non solùm sint sub dominio, sed etiam sub vsu seu conuictu suorum dominorum, ex illo enim vsu & conuictu proximè nascitur necessitas communicationis huius; quarè si seorsim à domino aliquis degeret, aut alteri alicui iubente domino, aut alia de causa seruiret, existimat Suar. non posse eum communicare cum domino, nisi in iis, quæ in signum seruitutis, & recognitionem dominij præstãda essent. Verùm cùm hæc mancipia etiamsi habitent seorsim à domino, maneant tamẽ in eius potestate & dominio, poterit dominus illis vti dum lubuerit, & tenebuntur ipsi seruire, atque adeò ipsi consuescere, & idcircò etiam non vocati à domino, quoties tamen suam operam illi vtilem esse videbunt, illam impunè conferent, ea enim vtilitas aut necessitas domini excusabit eos aliundè ad seruitia exhibenda obligatos. Quarè existimo prætereà illos posse adire dominum, illum comitari, illi adesse, atque offerre se paratos ad eius nutum & obsequia, si fortè sua opera indigeat dominus, qui non est priuatus Iure illis vtendi. Concedo quidem cum Ricciul. lib. 4. cap. 50. num. 8. veram esse sententiam Suaris, quoties vnus dominus habet tantùm nudam serui proprietatem, alter verò habet vsumfructum, tunc enim non poterit seruus communicare domino proprietario excommunicato, quia hæc relaxatio Censuræ, & venia communicationis facta non est nisi intuitu obsequij & seruitij actualis, quod neque reddit hic seruus, neque reddere tenetur domino solùm proprietario, quamdiu est alius vsufructuarius.

39 Nomine aliorum seruientium intelligit Gregor. alios omnes famulos conductitios, vt nutrices, famulos, operarios, & reliquos omnes qui sunt de familia excommunicati, quocum communicare posse vult Gregor. prout ministerium, quod exhibere tenentur siue ruri, siue domi, postulat eam communicationem. Addit tamen Pontifex suæ concessioni limites quosdam, vt videlicet hi famuli rustici sint, & non ita Curiales, vt eorum consilio scelera perpetrentur, quod ita interpretatur Nau. vt horum fauore & auxilio dominus in sua contumacia non perseueret; atque ita loqui vult Pontificem de sola cooperatione criminosa, vt ita dicam, post excommunicationem, cùm verba Pontificis vniuersalia sint, & de auxilio aut consilio præstito ad præstandum scelus loquantur; quarè si hi famuli delicto, propter quod dominus fuit excommunicatus, cooperati sint, licet deinde nihil conferant ad subsequentem contumaciam, immò contrarium suadeant Domino, nequeunt tamen vi huius Constitutionis Gregorianæ & titulo subiectionis ac seruitutis communicare cum suo domino excommunicato, quod sapienter sanciuit Pontifex, qui enim particeps fuit criminis non debet eximi pœna, & aliquo gaudere priuilegio: vel igitur excommunicatio lata est non modo in committentem aliquod scelus, sed etiam in omnes participantes, adiuuantes & consulentes, & tunc famulus qui suam operam domino delinquenti contulerit, eadem cum illo excommunicatione implicabitur, vel in principalem tantùm Reum intorta fuit Censura ista, & famulus non ferietur illa excommunicatione, quacunque ratione iuuerit herum in patrando illo scelere, non tamen poterit licitè cum illo communicare, sicut poterunt alij famuli, quorum neque manu neque consilio fuit vsus dominus in committendo crimine propter quod incurrit excommunicationem. Si denique hic famulus post iam contractam à domino suo excommunicationem, iuuat illum in sua contumacia, cùm communicet in crimine criminoso, incurrit eandem excommunicationem, tantùm abest vt domino communicare valeat. Interpretatus porrò sum hæc verba Gregorij, vt eorum consilio scelera perpetrentur de auxilio & consilio, atque cooperatione ad peccandum, & non de potestate consulendi aut cooperandi, sequutus glossam ibid. quia vbi quis nunquàm fuit malè vsus potestate peccandi, non debet ob eam potestatem puniri, immò potiùs laudandus erit, quod non deliquerit, neque vlla re dominum peccantem iuuerit, cùm illum facilè iuuare potuerit.

Enumeratis personis, quæ ratione alicuius obli- 40
gationis ex lege Coniugali aut subiectione ortæ eximuntur prohibitione communicandi cum excommunicatis, vniuersales quasdam Regulas circa illas statuere placet.

PRIMA REGVLA

Circa personas oppositas.

In concessione communicandi cum excommu- 41
nicato facta ratione legis coniugalis & subiectionis, quibus per suas Censuras nihil voluit derogatum esse Ecclesia, comprehenduntur personæ oppositæ & correlatiuæ.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLÆ.

Huius Regulæ sensus perspicuus est, nimirum illud ipsum, quod conceditur vxori respectu viri excommunicati concedi viro respectu vxoris excommunicatæ, & quod conceditur liberis atque famulis

famulis respectu dominorum & parentum, conceditur quoque parentibus & dominis respectu liberorum & famulorum. Ita docent magno consensu non infimæ notæ DD. quos in Corollariis statim adducam. Probaturque in vniuersum hæc Regula, quia in correlatiuis de vno dispositum, trahitur ad alterum, quando vtrobique par & eadem est ratio, vti latè ostendimus in scientia canonica; atqui vxor & maritus, parentes & liberi, domini & serui, sunt personæ correlatiuæ, vt patet, & quæ ratio mouit Ecclesiam vt posita vniua ex his correlariuis excommunicatione, permitteret alteri non excommunicato communicationem cum ipso, eadem valet in vtroque; ergò reuerà in concessione Pontificia, in qua aliquæ ex his personis permittuntur communicare cum aliis correlatiuis excommunicatis, idem omninò conceditur vtrisque, si v. gr. conceditur vxori cõmunicare cum marito, conceditur quoque & marito communicare cum vxore, & non tantùm liberis & seruis licebit agere cum parentibus & dominis, sed etiam ipsis dominis & parentibus fas fuerit agere cum liberis & famulis non obstante excommunicatione. Ratio enim, propter quam hæc venia fiat vxori, liberis, & famulis, est obligatio naturalis, qua ratione coniugij aut subiectionis tenentur marito, parentibus & dominis, cùm neque maritus, neque parens, aut dominus priuentur suo illo iure per excommunicationem, maneatque in vxore, liberis, & seruis prius illud debitum ex coniugio & naturali aut voluntaria subiectione contractum, neque istæ personæ sint à priori obnoxietate solutæ, vt loquitur Innoc. III. cap. intelleximus de sentent. excomm. concessionem Gregorij interpretatus; atqui in marito est æqualis obligatio & debitum respectu vxoris, & in parentibus ac dominis, nonnulla etiam est obligatio circa liberos ac seruos qua tenentur seruis atque liberis excommunicatis, præterquam quod si dum maritus, parens & dominus est excommunicatus retinet ius perẽdi ab vxore, liberis & famulis non excommunicatis obsequia & actiones sibi debitas, & illi ratione illius debiti aut subiectionis quomodocunque illam contraxerint, tenentur solita obsequia præstare, atque ad ea præstanda communicare cum ipso; cur idem maritus, aut parens, aut dominus innocens & non excommunicatus priuabitur illo suo iure & potestate propter excommunicationem vxoris aut liberorum aut famulorum, neque poterit ab illis exigere solita debita & obsequia, & quia suo illo iure vti nequit absque communicatione, cur illa non erit æquè ipsi licita, vti est vxori, liberis, & seruis cum marito, parente aut domino excommunicato, vt ipsi sua debita reddant, aut petant & accipiant, præterquàm quod sæpiùs esset inutilis ista concessio communicandi facta istis personis, & pluribus peccandi periculis, atque conscientiæ scrupulis obiecta nisi mutua foret; quis enim neget valdè fore onerosum vxori non excommunicatæ, si ipsa quidem possit siue in actu coniugali, siue in aliis communicare marito excommunicato, non autem maritus ipsi, sed illum perpetuò & in omnibus debeat vxor præuenire: quàm inane esset ius imperandi, si dominus semper deberet præueniri à seruo, qui quidem obsequi tenebitur, non tamen liceret domino excommunicato imperare, aut communicationem cum suo seruo habere, nisi ab illo præueniretur, aut si domina non possit communicare cum suo seruo excommunicato, iam seruus ille commodum ex sua iniquitate reportaret, & dominus, qui illo vti non posset, cogeretur vel illum à se ablegare, vel otiosum & inertem domi retinere & alere, quæ omnia quàm absurda sint, vides.

Dicendum igitur est has omnes personas oppositas & correlatiuas comprehendi in concessione communicandi cum excommunicatis facta in cap. quoniam multos à Gregor. VII. & idem omninò de illis statui ex necessaria quadam consequutione.

CONSECTARIVM I.

An maritus non excommunicatus possit communicare cum vxore excommunicata.

Hinc sequitur itaque imprimis, virum non excommunicatum posse communicare cum vxore excommunicata non modò in debito coniugali, sed in omnibus aliis, in quibus vxor non excommunicata potest communicare cum viro excommunicato contra glossam in cap. Quoniam multos. ✠. vxorea, atque Archidiacon. ibi num. 1. Hostiens. in summa tit. de sentent. excomm. §. quæ sit pœna participantium num. 15. Antonin. 3. p. tit. 25. cap. 1. §. 1. ✠. 2. excusat Astens. p. 2. lib. 7. tit. 12. q. 4. Rosell. ✠. excommunicatio 6. n. 4. Armilla eod. ✠. num. 45. qui omnes volunt in solo debito coniugali maritum communicare posse cum vxore excommunicata, Sylu. verò ✠. excommunicatio. 5. n. 4. ait nisi vir corrigat vxorem, peccare mortaliter, & incidere in minorem excommunicationem eum ea communicando, si verò corrigere nequeat, tunc communicare licitè cum illa in copula & aliis ad domus gubernationem, non verò in mensa, familiari colloquio, & cætera cõsuetudine, quod ipsũ dixerat Angel. eodẽ verbo. 8. n. 8. & deinde sequutus est Alteri lib. 1. disp. 15. cap. 2. neque fortassis multum abest Caieta. ✠. excommunicatio. cap. participatio cum excommunicatis dum ait virum communicare posse cum vxore excommunicata saltem in iis, quæ vxor illi debet. Sed iis omnibus limitationibus reiectis nostri Corollarij sententiam absolutè docent ex DD. in cap. Quoniam multos, Turrecremata initio, & Dominic. in 4. atque aliqui veteres, vt fatetur Hostiens. loc. cit. Couarr. in cap. alma mater. 1. p. §. 1. n. 8. Tabien. ✠. excommunicatio. 8. num. 9. Nau. cap. 27. n. 17. Vgolin. tab. 2. cap. 23. §. 6. n. 6. Petrus Soto. lect. 3. de matrim. §. secundum sit. Paluda. in 4. d. 18. q. 6. a. 2. n. 3. Gabr. ibid. ead. dist. quæst. 3. art. 1. notab. 3. & Maior q. 2. circa medium Adrian. q. 3. de clauib. except. 6. dub. 2. Henriq. lib. 13. cap. 22. n. 2. Sayr. lib. 2. cap. 14. n. 6. Auila 2. p. disp. 11. dub. 5. Suar. disp. 5. s. 4. n. 14. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 14. n. 16. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 2. n. 6. Hurtad. disp. 9. de excommun. diffi. 4. n. 23. Kon. disp. 14. n. 23. Ricciul. lib. 4. cap. 48. n. 22. Bonac. q. 2. de excom. p. 6. §. 2. n. 14. quibus accessere Filliuc. tract. 13. n. 104. Reginald. lib. 31. tract. 1. n. 104. Villalob. tom. 1. tract. 17. diffic. 13. num. 14. & alij innumeri.

Estque manifestè probata ista sententia in confirmatione Regulæ ex natura Correlatiuorum, & mutua societate coniugij, ex qua argumentabamur superius cum Couarruu. si enim dissoluenda non est societas contracta propter excommunicationem, & cum socio excommunicato in iis, quæ pertinent ad societatem, licet communicare ex glossa in cap. 1. dist. 41. ✠. viuit, cur cum socia vxore excommunicata communicare non licebit.

Denique idcircò facta est vxori potestas communicandi cum marito excommunicato, quia vt interpretatur Innoc. cap. inter alia. de sentent. excomm. per excõmunicationem mariti, ipsa non soluitur debito Coniugali, atqui neque maritus soluetur eodem debito, quod reciprocum est, & æquale in vtroque propter excommunicationem vxoris, quia verò nequit illi obligationi satisfacere absque communicatione, eodem modo fas ipsi fuerat communicare cum vxore excommunicata, atque licebat vxori communicare cum marito excommunicato quando enim sunt duo casus sub eadem ratione tunc dispositum in vno censetur quoque tacitè dispositum in altero. l. His solis. C. de reuocat. donat. vide Tiraq. tract. causa cessante. p. 1. n. 151.

Neque dicas Gregor. in cap. Quoniam multos, loqui de solis vxoribus, quia licet vxores nominet, non tamen excludit maritos, sed quia sæpiùs contingit maritos excommunicari, quàm vxores, idcircò potiùs egit de communicatione vxoris cum marito excommunicato, quam de communicatione mariti cum vxore excommunicata; valetque hoc loco generalis Regula quam tradit glossa in l. 1. C. de his qui ad Ecclesiam confugiunt. ℣. Iudæi & in l. vni. C. de raptu Virgin. ℣. sponsam. & in Clem. 1. de Rescript ℣. præsidentes, vbi lex alicuius casus meminit, quia frequenter accidit, non excludit alios similes minus frequentes. quod probat etiam Vgolin. tab. 2. capit. 23. §. 6. numero 6. Non valet quoque argumentum ductum ex eo, quod patri Clerico prohibeatur esse cum filia Deo dicata, quæ nupserit cap. de filia 27. quæst. 1. vnde colligunt neque licere marito manere cum vxore excommunicata, nam inde plus probarent aduersarij, quam velint efficere, nimirum ne quidem fas esse marito in eadem domo cum vxore excommunicata habitare, aut aliquid aliud habere commune. Deinde ibi nihil dicitur de participatione cum excommunicato. Prætereà filia iam fuerat emancipata per consecrationem religiosam, quarè nihil erat, cur eius ampliùs conuictum requireret pater & demum erat iniqua illa communicatio parentis cum ea filia, quam fouebat in suo crimine, quæ omnia longè diuersa sunt in nostro casu.

Denique discrimen, quod afferunt aduersarij inter vxorem & maritum, & propter quod Ecclesia concesserit vxori communicare marito excommunicato, non autem marito communicare vxori excommunicatæ, leue omninò est, quod enim maritus sit caput vxoris, teneaturque eam corrigere, & vrgere ad absolutionem obtinendam, atque sibi ipsi tribuere debeat, si vxor in contumacia perseueret, non facit, vt quandiu vxor siue ex malitia, siue ex impotentia non absoluitur, & manet excommunicata, ipse nequeat communicare cum illa. Concedo quidẽ ipsum peccaturum atque adeo grauiter, si vxorem non moneat, & in excommunicatione tanquam in cœno quodam hærere patiatur sua culpa, nego tamen incidere in excommunicationem minorem & peccare ex eo, quod interim cum illa tanquam cum sua vxore communicet in debito coniugali, domus administratione, mensa, colloquio, & reliquis, quæ ad conuictum, & indiuiduam societatem quam exigit matrimonium pertinent.

CONSECTARIVM II.

An Coniux excommunicatus possit ab altero innocente petere debitum?

Ratio dubitandi est, quia Gregor. sua illa con- 44
stitutione, Quoniam multos. non intendit fauere excommunicatis, neque ex eo, quod Coniux licitè possit, immò & teneatur reddere debitum petenti, sequitur alterum semper licitè petere, vt patet in eo, qui vouit castitatem, qui nequit licitè petere debitum, quod tamen vxor reddere tenebitur, quarè hanc debiti petitionem licitam esse Coniugi excommunicato negat glossa in cap. quoniam multos ℣ vxores, quam sequuti sunt Sylu. ℣. Excommunicatio. 5. nu. 4. & Iacob. de Graffis lib. 4. decision. cap. 13. num. 4. à quibus non videtur abesse Tabien. ℣. Excommunicatio 1. nu. 17. dum negat esse mortale in eo casu petere debitum, hac enim voce supponit culpam venialem in ea petitione, quæ vt ex superioribus constat, sufficiet ad incurrendam minorem excommunicationem ratione communicationis cum excommunicato.

Existimo nihilominùs Coniugem excommunicatum posse & reddere & petere debitum, cùm Vgolin. tab. 2. cap. 23. §. 6. nu. 3. Henriq. lib. 13. cap. 22. num. 2. Sanch. lib. 9. disp. 14. n. 20. Suar. disput. 15. cit. s. 4. num. 10. Sayr. lib. 2. cap. 14. n. 4. Alteri. cap. 2. cit. Villalob. diffi. cit. & aliis passim recentioribus. Sequitur ex Regula posita, nempe eandem esse dispositionem in correlatiuis, quoties eadem ratio est: atqui licet Coniugi non excommunicato cum excommunicato quoad omnia, quæ ad Coniugium spectant, communicare, ergo & licebit excõmunicato eadem communicatio in qua clauditur non tãtùm redditio, sed etiam petitio debiti quod confirmatur ex ratione propter quam Pontifex concessit Coniugi non excommunicato communicare cum altero, quia manet obligatio coniugalis & excommunicatus non est priuatus suo iure, quod vt sæpius dixi, interpretatur Innoc. III. cap. inter alia. de sentent. Excomm. Coniux igitur excommunicatus non amisit suum ius per excommunicationem, neque alter solutus est obligatione illi iuri satisfaciendi, & ideò communicare permittitur. Poterit igitur excommunicatus vti suo illo iure quod retinet, si enim liberum illius vsum non haberet, non iuberetur alter contra prohibitionem vniuersalem communicandi cum excommunicato, nihilominùs cum illo communicare, nisi supponeret Coniugem excommunicatum vsurum legitimo suo iure, quod adhuc integrum retinet, si enim alia obsequia eodem modo atque ante excõmunicationem petere licebit quidni & istud, quod inter Coniuges præcipuum est. Prætérquam quod cum ad vitanda pericula peccandi Gregor. has personas exemerit lege vniuersali non communicandi cum excommunicato, eo quod vix propter arctam inter ipsas necessitudinem ab ea cõmunicatione abstinere possint, debuit ad ipsum quoque excommunicatum coniugem eandem veniam extendere, cùm vix fieri valeat vt simul habitẽt, eodemque vtantur lecto, & excommunicatus abstinere debeat à debiti petitione, neque hic fauor tam erit excommunicati quàm ipsius Coniugij, quod vix patitur hanc prohibitionem, aut etiam Coniugis non excommunicati, cui onerosum foret perpetuo petere, & præuenire excommunicatum, ne ipse petendo peccaret.

CONSECTARIVM III.

An quando vterque coniux excommunicatus est, licita sit mutua petitio & redditio debiti coniugalis.

45 ℞. licitam esse, vti affirmant Sanch. n. 22. Suar. num. 15. & colligitur ex regula posita, cùm enim excommunicatio mariti non prohibeat vxorem ne cum illo communicet, neque etiam excommunicatio vxoris impediat mariti communicationem cum ipsa, poterit æque excommunicatus communicare cum altero excommunicato, atque si vnus tãtùm esset excõmunicatus, cùm ex ea multitudine excommunicationum in diuersis subiectis non crescat vis & efficacitas excommunicationis in quolibet subiecto, neque enim aut vniuntur in vnam excommunicationem, quandoquidem sunt in diuersis subiectis, aut vnius extremi excommunicatio crescit ex consortio illius, quod est in extremo opposito, imo si in vno eodemque subiecto plures excommunicationes simul multiplicarentur, quod fieri posse diximus cap. 5. non idcircò quælibet ex istis excommunicationibus aliud quidpiam præstaret coniuncta cum aliis, quam si solitaria foret.

CONSECTARIVM IV.

An Communicatio cum coniuge excommunicato licita sit quando matrimonium fuit tantùm putatiuum?

46 Matrimonium putatiuum illud appellant DD. quod ritè quidem celebratum est, reipsa tamen nullum est, quia suberat impedimentum dirimens quod contrahentes ignorabant.

℞. Porro, inter hos putatitios coniuges licitam esse communicationem non obstante excommunicatione alterius, vel vtriusque. Ita Vgolin. tab. 2. cap. 23. §. 6. num. 1. Sayr. cap. 14. cit. num. 6. initio. Ricciul. lib. 4. cap. 48. num. 29. Quia matrimonium præsumptum gaudet priuilegiis veri matrimonij, & proles in eo suscepta legitima censetur cap. a. & cap. prolatum, & cap. peruenit, & cap. ex tenore, qui filij sint legitimi; gaudebunt igitur & hoc priuilegio communicationis illi coniuges, sicut & cæteri. Deinde vel præsumpti coniuges laborant adhuc ignorantia occulti impedimenti, vel illud ipsis iam innotuit, si primum non potest ipsi illicita reddi hæc communicatio, cùm ignorent nullitatem sui coniugij, quæ sola eiusmodi communicationem illicitam redderet; si verò nouerint impedimentum, iam reuerà tenentur abstinere coniugij actibus, donec obtineant dispensationem, alioquin peccabunt non ratione excommunicationis alterius coniugis, sed quia accedit quisque coniux ad non suum, quia verò possunt, dum expectatur dispensatio simul habitare, secluso thori consortio, tanquam frater & soror: poterunt quoque sibi mutua illa obsequia familiæ exhibere & simul vti familiari conuictu & consuetudine, licet alter sit excommunicatus, non quidem ratione obligationis coniugalis, cui sint obnoxij, cùm reuerà nullum sit coniugium, sed ratione suæ ingentis vtilitatis & necessitatis, cùm nequeant sine suo magno damno secedere inuicem, & periculum sit ne nullitas coniugij, aut eius impedimentum patefiat. Deinde cùm his putatitiis coniugibus permittat Ecclesia omnem conuictum præter consortium maritale, reuerà & in hoc quoque casu permittet hanc excommunicationem; imò quamuis mala fide fuisset contractum matrimonium, si tamen res tota occulta sit, neque possint interea, dum quæritur dispensatio, absque famæ dispendio, aut alio quopiam damno communi conuictu carere, & inuicem secedere, etiamsi tunc temporis alterius aut vtriusque excommunicatio contingat, poterunt pergere in eo conuictu. Atque ita facultatem factam coniugibus cap. Quoniam multos, communicandi inuicem nequicquam impediente excommunicatione, interpretor de veris aut præsumptis in foro externo coniugibus.

CONSECTARIVM V.

An coniux excommunicatus possit in iudicio repetere vxorem suam?

Suppono vxorem recessisse à marito excommunicato siue ratione excommunicationis, siue quapiam alia de causa; quæritur an maritus excommunicatus possit iudicio contendere, & postulare reddi sibi vxorem suam eaque omninò reddenda sit & compellenda à Iudice, vt ad virum redeat si nihil aliud hunc discessum legitimum reddat, quàm excommunicatio, an vero vxor possit excipere excommunicationem mariti, illumque à Iudicio repellere. 47

Ratio dubitandi petitur ex dictis, cùm enim maritus retineat ius suum, & vxor obnoxia maneat obligationi coniugali erga maritum quamuis excommunicatum, teneaturque illi eodem modo, atque ante excommunicationem obsequi, quod hactenus ex Gregorio & Innoc. docuimus, videtur omninò posse illam maritus pro suo iure repetere, neque à Iudice repelli posse absque iniuria, quia tamen excommunicatus nequit esse actor in iudicio vti constat ex quæst. superiori, iure vxor marito agenti excipiet ipsius excommunicationem.

Hanc controuersiam ita componit Sanchez. disp. 14. cit. num. 24. vt dicat vxorem recedentem à viro excommunicato peccare, tenerique ad eum ipsum reuocantem redire, virum nihilominùs non posse ad eam repetitionem in Iudicio agere, quia ipsi opponi possit exceptio excommunicationis ex generali constitutione, cap. intelleximus de Iudiciis, & cap. decernimus. de sentent. excomm. in 6. Iudicem tamen non ex instantia mariti actoris, sed ex proprio officio teneri cogere vxorem, vt redeat ad maritum excommunicatum ob vitandum fornicationis periculum. Qua ratione, qui ab excommunicato quidpiam subriperet, iniustitiam committeret, cuius tamen reparationem prosequi non posset in iudicio excommunicatus, quanquam Iudex proprio officio interpellatus illam iniuriæ & damni reparationem curare deberet. Sic censuit glossa in cap. Quoniam multos ꝟ. vxores. Abbas cap. inter Alia de sentent. excom. n. 5. & Felin. ibidem.

℞. Imprimis non esse nobis laborandum an maritus excommunicatus agere possit in iudicio ad repetendam vxorem, quandoquidem certum est teneri quoad conscientiæ forum vxorem redire ad suum maritum licet excommunicatum, si nulla alia causa discessionis subsit præter excommunicationem; in foro verò externo audiendus erit hic maritus excommunicatus, non ex iure actoris,

quod amiserit propter excommunicationem, sed ex Iudicis officio, tenetur enim Iudex propter animæ excommunicari periculum illi impertiri suum officium, atque restituere vxorē, vt omnes Canonistæ consentiunt, quos dabit Ricciul. lib. 4. cit. cap. 32. num. 4. quare tum in foro interno, tum in externo tenebitur vxor redire ad maritum excōmunicatum.

℟. 1. In Gallia, vbi cæteris in causis, abolitæ sunt exceptiones excommunicationis ex generali regni consuetudine, vti quæst. superiori probauimus; multò minus admittentur in hoc casu repetitionis vxoris à marito excommunicato, cùm ea repetitio tam iusta sit, vt illam Iudex teneatur ex suo officio, etiamsi nullum competeret ius marito agendi in eo foro imperare.

℟. 3. Etiam in iure communi probabilius videri maritum excommunicatum posse agere ad hanc vxoris restitutionem, quod censet Hostiens. tit. de restitution. spoliat. §. quod facienda. & alij nonnulli, quia cum excommunicatio non tollat ius vllum marito respectu vxoris, vti diximus, non videtur illum priuare iure hoc repetendi, illa verò negatio actionis, de qua agitur cap. decernimus, non est intelligenda circa eas res, quarum vsu non priuatur ratione excommunicationis, quoties illis spoliatur titulo solius excommunicationis, vti contingit in nostro casu; tunc enim iniusta erit exceptio excommunicationis, cùm enim illius prætextus iniustus fuerit ad spoliandum excommunicatum, iniusta quoque erit eiusdem exceptio; quarè si quis iniustè spoliaret bonis suis excommunicatum, & tantùm de causa, quia excommunicatus est, non posset deinde eidem in Iudicio sua bona repetenti excipere excommunicationem, atque ita illum ab agendo repellere. Neque fuit vnquam ea Ecclesiæ mens, dum statuit exceptionem excommunicationis, quia probasset manifestam ea in re iniustitiam; nam quod fuit iniusta causa criminis admissi & iniuriæ alteri irrogatæ non potest illud idem esse iusta causa defensionis aduersus illum, qui iniuriam passus est, & ad ipsius reparationem agit. Quis enim nō rideret illum qui furatus esset centum nummos à Cræso, quia ditissimus erat, & deinde repetenti Cræso suos nummos obiiceret illum esse diuitem, & in ea repetitione iusta suæ pecuniæ minimè audiendum esse. Neque videtur dissimilis esse causa illius, qui spoliat Titium, quia excommunicatus est, & deinde eidem Titio obiicit, esse excommunicatum, ne audiatur in iudicio, & agat spolio ad restitutionem rei suæ; quod idē dico de actione ad restitutionem vxoris, quæ à viro discessit ea tantùm de causa, quod excommunicatus esset.

CONSECTARIVM VI.

An vxor repetere possit dotem à viro in excommunicatione insordescente?

48 Vsque eo intricatam existimauit hanc quæstionem Ioan. Andr. in additionibus ad speculat. tit. de dote post diuortium restituenda §. fin. vt illam definire noluerit, quod tamen ex nostra Regula facillimum fuerit; cùm enim excommunicatio viri non liberet vxorem ab obligatione Coniugali, neque ea sit causa sufficiens diuortij si nihil aliud spectetur, vti euidenter ex ipso iure euicimus; neque aut Gregor. aut Innocent. summi Pontifices, dum hoc ius vel condiderunt, vel declararunt, distinxerint inter excommunicationem & Insordescentiam, in ea, quasi hæc posterior extinguat ius mariti, & vxorem faciat esse liberam ab obligatione Coniugij vinculo debitam, neque nos debemus etiam distinguere, quarè non est cur vxor dotem repetat à marito à quo discedere nequit, & quocum habitare tenetur, atque etiam à Iudice saltem in officio suo procedente compelli debet. Quarè malè Probus in addition. ad Ioan. Monach. in cap. fin. de sententia excom. in 6. n. 13. distinxit hoc loco inter ius Ciuile & Canonicum, quasi ciuile concedat hanc repetitionē, Canonicum verò neget, nam neutrum illam concedit, vt fatentur Vgolin. tab. 1. cap. 13. §. 6. num. 5. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 14. num. 25. Ricciul. lib. 4. de Iure persona. cap. 48. num. 10. Qui tamen omnes ita limitant, vt si maritus ratione suæ insordescentiæ declaretur hæreticus, quia tunc sua omnino bona amittit, possit vxor suam repetere dotem; verùm hoc non contingit ratione excōmunicationis, sed propter crimen hæresis de quo alibi dicetur.

CONSECTARIVM VII.

An sponsa possit communicare cum sponso excommunicato?

Repetenda est hoc loco distinctio duplicis sponsæ, vna enim est de præsenti, altera de futuro, prior illa iam reuerà nupsit, sed nondum cognita est, quia respectu effectus matrimonij & copulæ est adhuc veluti promissa, idcircò dicitur sponsa & non vxor, additur tamen particula de præsenti, vt distinguatur ab illa, quæ reuerà nondum nupsit, sed quæ nuptura est, & iam habet futuri matrimonij promissionem, quæ est propria significatio huius vocis sponsæ; Quarè quoties iura de sponsis loquuntur, semper intelligenda sunt de sponsis de futuro, nisi aliud suadeant graues Coniecturæ, vti docebimus disputantes de matrimonio estque euidens ratio; nunquàm enim in aliqua lege aut dispositione sunt impropriandæ voces, nisi ex ipsa subiecta materia aliisque circumstantiis, ex quibus mentem disponentis aut condentis legem colligimus ad hanc impropriationē cogamur. 49

Ex his manifesta redditur solutio Consectarij, dicendum enim est sponsam de præsenti communicare posse cum sponso excommunicato alioquin vitando, quia illa reipsa vxor est, & licet nondum consummatum fuerit matrimonium, reuerà tamen iam contractum est per mutuam corporum traditionem, ex qua nascitur ius reciprocum & mutua obligatio inter Coniuges tum ad copulam, tum ad cætera obsequia. Quarè cum cap. Quoniam multos, permiserit Coniugibus excommunicatis mutuam communicationem, vt satisfacerent obligationi per matrimonium contractæ; idem quoque concessit sponsis de præsenti, quandoquidem & ipsi eandem iam obligationem contraxerunt & nisi inuicem communicare possint, magno peccandi periculo exponuntur, quod tamen vitare se velle testatur in sua Constitutione Gregorius. Adde in rebus indifferentibus & multò magis in fauorabilibus, quale est decretum animarum saluti consulens, vxoris nomine intelligi sponsam de præsenti, vt Panormit. in cap. Tertio loco. de præsumptio. Felin. & alij D D. ibidē communi consensu tradunt.

Sponsa verò de futuro, quæ non significatur in iure nomine vxoris, nisi ex vrgenti causa impropriè, tur nomen vxoris, & nullam adhuc coniugalem obligationem contraxit, sed contractura est, nequit commu

communicare cum ſponſo excommunicato, quandoquidem ea venia non fit Coniugibus niſi vt ſatisfaciant obligationi per matrimonium contractæ, qualis, vt dixi, inter ſponſos de futuro nulla eſt. Immò Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. prohibet ſponſam habitare cum ſponſo. Atque de hac ſolùm ſponſa loquuntur Vgolin.tab.2.cap.23.ſ.6.num.4. & alij communiter dum negant ſponſis excommunicatis licitam eſſe mutuam communicationem.

CONSECTARIVM VIII.

An vxor poſſit poſt diuortium communicare cum marito excommunicato?

50 ℞. Diſtinguendum eſſe, vel enim quæritur an quandiu perſeuerat diuortium, poſſint hi coniuges excommunicati inuicem communicare, vel vtrum poſſint hi Coniuges excommunicati denuò reconciliari, quamuis durante diuortio contigerit alterum vel vtrumque excommunicari. Primùm fieri nequit, cùm enim fuerint legitimo diuortio ſeiuncti inuicem & à mutuis obſequiis, atque obligationibus liberati, communicatio, quæ idcircò concedebatur in cap. quoniam multos, vt huic obligationi ſatisfieri poſſet, iam illicita erit, vt patet, atque hoc ſenſu ſunt intelligendi DD. dum vulgò dicunt cum Ioan.Andr.in cap.inter alia de ſentent.Excomm.n.4.Ancharan.in cap.ſtatuimus eod. tit.in 6. n. 4.& aliis, diuortium impedire diſpoſitionem & priuilegium capitis.Quoniam multos.

Poterunt tamen hi coniuges redire in gratiam & ad cohabitationem, etiamſi inciderit excommunicatio, eodem planè modo, quo potuiſſent, ſi non accidiſſet illa cenſura, & poſt reconciliationem redibit obligatio ad mutua obſequia, & ratione ipſius poterunt communicare, quod tradidit Sanch. lib.9.diſp.14.n.11.

CONSECTARIVM IX.

An parentes & domini poſſint communicare cum liberis & famulis excommunicatis?

51 ℞. Ex noſtra Regula id fieri poſſe: oſtendimus enim in his correlatiuis eandem eſſe diſpoſitionem; quarè ſicut obſequi tenentur domino excommunicato ſerui, ita & dominus illis imperare poteſt, & ſi ipſi ſerui in cenſuram inciderint, non tamen illorum obſequio priuabitur dominus, neque iure illis imperandi.

De parentibus circa liberos idem tradunt Vgolin.tab.2.cap.23.§.7.n.12.Alteri.lib.1.diſp.15.cap. 4.Auila 2.p.cap.6.diſp.11.dub.7.Sayr lib.2. Theſau. cap. 14. n. 12. moltos alios allegans, quibus Suar.diſp.15.ſ.5.n.18.& 19. acceſſit contra gloſſ. in cap. Quoniam multos & quoſdam alios Canoniſtas, quos dabit Ricciul.lib.4.cap. 49.n. 25. quia cùm liberi ſint obligati parentibus in pluribus, non eſt cur capiant commodum ex ſua excommunicatione, & parentes non poſſint ab illis ea obſequia repetere. Deinde licet non ſint ita, parentes obſtricti liberis, atque idcircò ab illis cogi non poſſint ad communicandum, ſufficit tamen ſi propter mutuum illud vinculum parentes poſſint cum his filiis communicare, etiamſi non teneantur; quæ eadem ratio valet in dominis reſpectu ſeruorum vti in confirmatione noſtræ Regulæ fuit oſtenſum, & ſentiunt iidem DD. qui parentes componunt hac in parte cum dominis. Vide Sayr.cap.14.cit.n.14.

CONSECTARIVM X.

An vxor poſſit communicare cum excommunicatis quibuſcum vir communicat?

℞. Non poſſe, quia coniunctio maritalis, cuius 52
fauore conceditur communicare cum viro excommunicato, reuerà nulla eſt cum illis perſonis, cum quibus vir agit aut communicat, vt ſtatim apparet; priuilegium igitur quod in illa coniunctione & obligatione coniugali nititur, non debet vltra eam coniunctionem & obligationem extendi, neque vltra mariti perſonam. Quod idem de filiis & ſeruis reſpectu excommunicatorum, quibuſcum domini & parentes communicant, dicendum omninò eſt. Ita Paludan.in 4.d. 18.q.6. a. 2.n. 4. Vgolin. tab.2.cap.23.§. 6.n. 4. & alij deinceps. Vnde vxorem non poſſe in eadem menſa accumbere cum excommunicato quem vir inuitauit, docet Sanch. lib.9.diſp.19.n.12.Henriq.lib. 13.cap. 22. n. 2.& omnes ſummiſtæ cum Sayr. cap. 14. cit. num. 7. addit Ricciul.lib.4.cap.48. n. 41. non licere vxori communicare cum excommunicato quocum maritus aduocatus conſilij dandi cauſa communicat; cauſa enim quæ facit licitam communicationem mariti aduocati cum excommunicato, non pertinet ad vxorem.

Exiſtimarem tamen reſtringendam vel molliendam eſſe hanc communem ſententiam, vt quando legitimæ cauſæ excuſant maritum, vt excommunicatum domum ſuam deducat, aut ad menſam inuitet eædem etiam faciant licitam communicationem vxoris cum marito præſente excommunicato, & conſequenter aliqualem cum illo communicationem; neque enim tenetur vxor propterea abſcedere aut domo aut cubiculo, aut abſtinere menſa mariti, vtitur enim iure ſuo, neque communicat per ſe excommunicato ſed cum marito, cuius etiam culpam non fouet, quia ille abſque culpa communicat; prohibebitur itaque tunc vxori ea tantùm communicatio, quæ erit immediatè & per ſe cum illo excommunicato, non autem ea, quæ per accidens tantùm orta eſt ex communicatione cum marito legitimè communicante. Idem dicendum erit, quando cauſa propter quam maritus communicat, erit aliqua ratione communis vxori propter indiuiduam vitæ ſocietatem, vt ſi maritus communicet propter negotia familiæ, ſi dum excommunicatus accedit domum mariti aduocati illum conſulturus, interim dum præſtolatur eius aduentum, vxor agat cum eo, ne maritus clientibus ſuis priuetur, atque ita damnum aliquod graue patiatur, non peccabit vt ego exiſtimo, eſt enim quædam neceſſitas excuſans; immò quoties maritus ob vtilitatem aut neceſſitatem communicabit excommunicatis, ferè ſemper licebit vxori communicare cum eodem, cùm vix contingat hanc eandem cauſam ad vxorem non pertinere: quod eadem ſeruata proportione dices in liberis & ſeruis; neque puto domino inuitante excommunicatum ad menſam teneri ſeruus denegare obſequium, aut liberos abſcedere ab ea menſa non ſine aliquo parentis probro, & ſaltem titulo vtilitatis & neceſſitatis hi omnes excuſabuntur; vnde fratres & conſeruos cum fratribus excommunicatis manere poſſe concedunt DD. cum Sayr.c. 14. n.14.& 15.& Suar.diſp.15.ſ.5.n.23. Idem dicunt de tota familia reſpectu domini excommunicati, aut alterius è familia, eo quod in eadem domo & familia habitent, neque poſſint ſine ſuo incommo-

do

do alio commigrare aut quia dominus maximè indiget ipsorum opera, alioqoin magnum dispendium passurus ad quod euitandum potest illos apud se retinere, & illi etiam eiusdem necessitatis causa, vti superiùs diximus, manere, neque conseruum excommunicatum vitare tenentur, cùm vix id possint, quandiu simul in eadem domo & familia habitabunt. Vide Reginald. lib. 32. tract. 2. n. 120.

SECVNDA REGVLA,

Quidnam comprehendat facultas communicandi cum excommunicatis.

53 Communicatio cum excommunicatis alioquin vitandis concessa quibusdam personis in capite Quoniam multos, comprehendit omnem communicationem etiam in diuinis, & omne genus excommunicationis, nisi ea lata esset ad ipsam communicationem impediendam.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLAE.

54 Bipartita est ista Regula, 1. enim parte contendo Gregorium in sua constitutione, quoniam multos, concessisse vxoribus, liberis & seruis, aliisque eiusmodi personis omnem communicationem cum excommunicatis etiam diuinam; secludo semper communicationem in crimine criminoso, quod etiam monuit Innoc. III. cap. inter alia de sentent. excomm. Gregorianam concessionem explanans; Itaque vxor v. gr. nullo gaudet in hac re priuilegio, sed tenetur iure capitis nuper. & cap. si concubinæ de sent. excomm. & non tantùm peccat mortaliter in ea participatione criminis, eo quod ex natura sua talis communicatio sit damnata, sed etiam incurrit in maiorem excommunicationem latam citatis capitibus, quod obseruat glossa fin. in cap. inter alia.

PRIMA PARS.

Permittitur etiam communicatio in diuinis.

55 Aliam verò omnem communicationem permitti his personis priuilegiatis assero, neque communicationem in diuinis excipiendam existimo cum Tuttecrem. in cap. Quoniam multos, circa initium, Viuald. in candelab. Parte 2. de excomm. n. 100. & aliis pluribus DD. in consectatis asserendis, & probatur efficaciter ex iis, quæ in expositione tertiæ partis nostræ propositionis diximus: quia exceptio à lege prohibente aut concedente intelligenda est secundum terminos concessionis aut prohibitionis, nisi quidpiam apponatur, vnde restringi possit, alioquin tam latè patet, quam ipsa prohibitio & concessio, id est exceptio tollit totam dispositionem, cui apponitur, cùm igitur omnis protsùs communicatio tum sacra, tum prophana cum excommunicato vitando prohibeatur, vti ex omnibus quæstionibus præcedentibus certò constat, cui per exceptionem ab illa vniuersali lege conceditur communicatio cum eodem excommunicato absolutè & sine vlla apposita restrictione conceditur omnis illa communicatio, quæ fuerat iure communi vetita; vnde communiter DD. colligebant licitam esse vxori communicationem omnem prophanam & non solùm eam, quæ ad actum maritalem, aut gubernationem familiæ pertinet, quia illi conceditur ea communicatio cum marito excommunicato, quæ negata est aliis cum excommunicato, illa autem est omnis politica & vsualis; quæ argumentatio æquè efficax est in communicatione diuina, atque in ciuili, vt vidit sapienter Sanch. lib. 9. disp. 14. n. 5.

SECVNDA PARS.

Permittitur ea communicatio propter quodcunque crimen fuerit lata excommunicatio.

2. Parte dixi hanc communicationem cum excommunicatis alioquin vitandis permissam esse personis enumeratis in cap. Quoniam multos, propter quodcunque crimen sit contracta communicatio, quod ita intelligas velim, vt hæ personæ non implicentur eodem crimine. 56

Hæc assertio est contra Sayr. lib. 2. cap. 14. n. 13. vbi negat vxorem vti posse fauore canonis, quoniam multos, & communicare cum marito excommunicato propter hæresim: Verùm rectè aduertit Alterì. lib. 1. disp. 15. cap. 4. dubit. 7. in communicatione cum hæretico distinguendum esse periculum subuersionis ex ea consuetudine ab effectu censuræ & excommunicationis, quam ipso etiam facto incurrit hæreticus, periculum enim erroris non nascitur ab excommunicatione, neque est eius effectus, sed ex natura talis consuetudinis suis circumstantiis vestitæ, & seclusa omni censura manebit idem periculum, quoties igitur tale periculum ingruet, tenebitur vxor discedere à viro, atque liberi à parentibus, & serui à dominis, quod si nullum sit eiusmodi periculum, vti reuerà sæpissimè non est, maximè in regionibus, in quibus hæretici permixti Catholicis viuunt, non tenel untur hæ personæ abstinere à consortio & conuictu mariti, aut parentis, aut domini hæretici ratione censuræ, & excommunicationis: quia censura ratione hæresis non habet alios effectus, quam quando infligitur ratione aliorum criminum, quamuis, quia hæresis aliis quoque pœnis in iis locis, in quibus boni communis necessitas non coëgit Principes pati ista lolia & zizania, plectitur, vt priuatione bonorum, fiat vt propter illam priuationem bonorum & dominij aliter de hæreticis sentiendum sit, quàm de aliis Reis non ratione excommunicationis, sed aliarum pœnarum, quæ tamen nullum habent locum ante sententiam declaratiuam saltem ipsarum, etiamsi fuerit denuntiatio excommunicationis. Cùm itaque censura semper & vbique eiusdem sit naturæ, eosdemque pariat effectus, quoties ius indulget communicationem cum excommunicato, indulget etiam cum hæretico, si solius excommunicationis & censuræ ratio habeatur, atque ita licebit vxori cum hæretico marito æquè communicare, atque si ob aliud crimen eadem censura innodatus fuisset. Quod totum confirmatur ex iis, quæ diximus q. 1. nomine excommunicatorum toleratorum comprehendi etiam hæreticos non denuntiatos, & communicationem cum illis licitam esse, quia nimirùm excomunicatio siue propter hæresim, siue propter quodlibet aliud crimen inflicta sit, eiusdem naturæ & efficacitatis existit.

Excepi tamen in propositione illam excommunicationem,

nicationem, quæ per se lata est ad impediendam communicationem, implicat enim tunc personis, ad quarum consuetudinem impediendam intorquetur censura fas esse inter se communicare v. gr. si percellantur ista censura Coniuges propter inualidè aut illicitè celebratum matrimonium, non possunt communicare inuicem, vt magno consensu tradunt DD. quos dabit Ricciul. c. 48. cit. n. 42.

CONSECTARIVM I.

An vxor possit cum viro excommunicato diuina & sacra frequentare?

57 R. Posse, itàque affirmant Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 14. n. 5. Nau. cap. 27. n. 27. Henriq. lib. 13. cap. 22. n. 2. Auila. 2. p. cap. 6. disp. 11. dub. 6. Sa. ℣. excommunicatio. n. 45. Kon. disp. 14. n. 132. Layman lib. 1. tract. 2. p. 2. cap. 2. n. 16. Reginald. lib. 32. tract. 2. n. 101. licet contrarium dicat probabilius, quod etiam tutius dixit Henriq. & docent Caietan. ℣. excommunicatio sub fin. Armilla eod. ℣. n 44. Suar. disp. 15. s. 4. sub fin. Ricciul cap. 48. cit. num. 35. & alij communiùs.

Nostra porrò sententia sequitur manifestè ex Regula tradita & concessione generali, quæ fit in cap. Quoniam multos, & ratione, quam ibidem assignat Pontifex, nimirùm ad vitanda pericula animarum, quàm enim difficile foret vxorem, quæ diuini & humani iuris socia est, adesse cum marito sacro non posse, & cogi illo adueniente discedere.

Vnde solues quod obiicit Ricciul. dispositionem siue legis, siue priuilegij; sine aliam quamcunque, quamuis generalis videatur restringi & regulari à ratione in ipsa expressa, neque ampliores limites habere, quàm quos patitur eiusmodi apposita ratio, ex ea enim maximè colligitur intentio disponentis, vltra quam nihil efficiunt actus operantis, vt ostendit Tiraq. tract. cessante causa. 1. p. n. 48. atqui ratio propter quam Gregor. cap. Quoniam multos, permittit vxori communicare cum marito excommunicato, est necessitas quædam moralis, qualis non reperitur circa diuina, quibus excommunicatus interesse nequit. Verùm iam dixi præcipuam rationem constitutionis Gregorianæ fuisse difficultatem in tam arcta necessitudine vitandi maritum excommunicatum, & dubiis quæ suboriri poterant, an fuisset sufficiens necessitas in ea communicatione, ac proinde an in ea fuisset peccatum & periculum, ne facilè propter causas minus necessarias communicaretur ab his coniugibus; atqui illa eadem pericula existunt in communicatione diuina, & tamen præterea sunt iurgia & odia, dum maritus videbit non sine probro se ab vxore deseri in diuinis; aliud verò est quod excommunicatus iste vitandus non possit ab vxore ad illa inuitari sine vrgenti aliqua vtilitate aut necessitate, quod totum lubens concesserim; aliud verò quod vxor dum casu aut alia quapiam de causa interest iisdem diuinis officiis, quibus maritus non sine scelere propter excommunicationem assistit, cogatur aut maritum inuitum expellere, aut ipsa discedere, quod illi admodum erit onerosum, & vix patitur cæterorum omnium communicatio, & indiuidua vitæ inter Coniuges necessitudo. Quarè dum præceptum audiendi missam vrgebit, poterit vxor in sacellum, in quo maritus excommunicatus orat, ire, & non tenebitur siue illo, siue quolibet alio die carere sacrificio Missæ.

CONSECTARIVM II.

An liberi & serui possint parentem aut dominum ad sacra comitari?

Distinguit Kon. n. 133. disp. 14. imprimis enim licet tum hic comitatus, tum alia communicatio in diuinis permissa sint vxori, liberis & famulis cum marito, parente & domino excommunicato, nihilominùs eam ad villicos aliosque similes personas, quæ cum domino non manent, extendi non debere, quia non est hic comitatus pars eius muneris. Verùm supponit Konin. non esse licitam excommunicationem inter has personas, nisi in certis quibusdam officiis & muneribus, cum tamen in exponenda nostra propositione docuerimus cum Adrian. Suar. s. 5. n. 11. & aliis, omnem ciuilem communicationem concessam fuisse, quoties domino visum fuerit vti opera eiusmodi famuli, aut eius consuetudine; Quarè si vel ad se vocet hunc villicum dominus, vel velit se comitari, vt maiori pompa, quæ ex famulitio & villicorum etiam turba crescit, progrediatur non peccabit ille rusticus, nisi fallor; quod idem dico, quando dominus adibit villam suam, & vel ad villicum suum diuertet, vel cum illo agere placuerit. 58

Quod attinet ad alios famulos cum ille comitatus sit aliquis famulatus, & ex vinculo connexionis, quæ est inter dominum & seruum, ancillam & dominam oriatur, compelli poterunt, vt ad sacrum deducant dominum aut dominam, quod in casu illo coactionis concedit Suar. disp. 15. sect. 5. n. 21.

Dixit 2. Kon. non licere domino, aut marito inducere ad diuina vxorem aut famulos excommunicatos, quamuis enim non teneatur è templo egredi si illi adsint, non tamen potest illos deducere aut ad diuina celebranda, à quibus ipsi arcentur, inuitare. Immò quia mariti, parentis, & domini est vxorem, liberos, ac famulos corrigere, impedire debebit ne diuina frequentent, quamuis si nihilominùs id facere pergant, non teneatur ipse eos vitare. Denique si sint excommunicati tolerati, poterit ob rationabilem causam illos ad sacra ducere, quia tunc illi adesse possunt.

Quæ omnia mihi probabilissima sunt, neque immeritò ponitur aliqua distinctio in ista sacra communicatione inter seruum communicantem cum domino excommunicato, & dominum communicantem cum seruo excommunicato, quod idē de marito & parente respectu vxoris & liberorum dicendum est, nam seruus dum iubetur comitari dominum excommunicatum ad diuina, tenetur, vt dixi, aut licet sponte id faciat, quando simile obsequium præstare solitus erat, aut quia quæpiam alia causa id postulat, illa semper aliquam habebit connexionem cum conditione serui, & aliis obsequiis debitis, neque ipse tenetur monere dominum, ne cum ea censura diuina adeat, & denique facilè fuerit vel vtilitatis, vel necessitatis prætextu eiusmodi famulum excusare. At verò quando ipsemet dominus famulos excommunicatos inuitat ad diuina, & eos secum ducit, non videtur excusari posse, nisi ratione aliqua vtilitatis vel necessitatis, quia non tenetur v. gr. carere solito comitatu & obsequiis adstantium famulorum etiam inter sacra, nam si nihil eorum adsit quo iure poterit hos famulos ducere ad

ad sacra, quæ sine crimine frequentare non possunt, videtur enim ad peccandum illos inducere.

Nihilominùs nó existimarim improbabile etiam seclusa illa necessitate, quam ponit Konin. posse ducere famulum ad sacrum & templum, vti priùs soluens erat atque imprimis tota ratio, quæ prohiberet domino hanc deductionem petenda esset à peccato, quod committit dominus inuitando seruum ad actionem malam; non autem à prohibitione communicandi cum excommunicato in diuinis, quarè neque incideret in excommunicationem minorem, quia, vt iam ostendi in nostra Regula ratione connexionis, quæ est inter dominum & seruum, licita est communicatio in diuinis. Estque eadem ratio domini respectu serui, quæ serui respectu domini, eo quod correlatiua sint, vti diximus Regula 1. Iam verò neque peccabit iste dominus, eo quod inducat seruum ad actionem illicitam, quia eadem ratione peccaret, quoties propter suam vtilitatem aut necessitatem ad eandem actionem ipsum inuitaret: Quod si dicas idcircò illum non peccare, quia vtitur iure suo & petit à seruo actionem, quæ non est intrinsecè mala, & quam ille poterit bene facere, si desinat esse contumax, & curet absolutionem. Idem ego quoque dicam citra eam vtilitatem & necessitatem extraordinariam, sed ex communi iure, quod habet vtendi suo seruo in re non mala, nisi ex malitia ipsius serui, qui potest se constituere in eo statu, in quo illam absque sacrilegio exercebit. Quod si tunc impossibile sit, peccauerit tantùm in eo, quod in eas se angustias redegerit sua culpa, cùm enim non possit detrectare imperium, & tunc non sit ad manum absolutio, si peccaret obsequendo, daretur casus perplexitatis, & necessariò peccaret siue obsequendo, siue non obsequendo, quando vrgente necessitate illi imperaret dominus, vt se ad sacra sequeretur, quia v. gr. veretur host.um insidias; quarè dicendum erit non peccare in illo suo obsequio, neque dominū in suo imperio ex Regula nostra 1. quoties enim licita est communicatio domini cum seruo excommunicato, toties etiam permissa est serui excommunicati cum eodem domino reciproca communicatio, atque in iisdem rebus.

CONSECTARIVM III.

An parens possit à filio Sacerdote vel parocho excommunicato vitando missam audire aut sacramenta percipere.

59 Ratio dubitandi est, quia diximus communicationem in diuinis licitam esse inter parentem & filios excommunicatos, igitur & ista licita erit.

℞. Nihilominùs cum Sayr. cap. 14. cit. n. 13. & Suar. disp. 15. s. 5. n. 22. hanc communicationem minimè permissam esse, quia hęc ministeriorum exhibitio non spectat ad coniunctionem siue naturalem, siue ciuilem filij cum parentibus, neque tunc agit filius vt filius, sed aliam omninò gerit personam, & quamuis pater societatem filij etiam in sacris aliquando exigere possit vt v. gr. simul assistant iisdem diuinis officiis, non tamen tanquàm à filio postulare poterit Eucharistiam, aut aliud quodpiam Sacramentum, cùm obsequia filiorum aut seruorum nulla ratione eò pertingant, etiamsi ad aliquam aliam communicationem sacram porrigantur.

CONSECTARIVM IV.

An vxor communicare possit cum viro excommunicato in causa valoris Matrimonij?

℞. Iam constare ex adhibita exceptione nostræ Regulæ non esse licitam eam communicationem, tum, quia idcircò lata fuit excommunicatio vt cōiugibus interdiceretur vsu matrimonij, cuius valor adhuc incertus, & inutilis foret ea censura, si nihilominùs coniugalis coniunctio licita esset, & prætereà cùm non fiat venia Coniugibus excommunicatis simul communicandi, nisi quia mutua obligatio nata ex vinculo maritali id priuilegium postulat, & in hoc casu incertum sit illud vinculum, & ius ex eo natum, incerta quoque erit venia communicandi, quarè tuta conscientia exerceri non poterit. 60

Denique iniqua esset constitutio Gregorij, cap. Quoniam multos, si hunc casum complecteretur, exponeret enim periculo fornicationis hos coniuges, quibus ad illud periculum vitandum prohibita est sub pœna excommunicationis cohabitatio. Vnde etiam vides vix posse contingere hunc casum, quia communicatio est tantùm prohibita cum excommunicato vitando, qualis non est nisi qui iam incurrit excommunicationem, estque nominatim denuntiatus, atqui quando in causa valoris matrimonij fertur excommunicatio, solet tantùm esse comminatoria, interdicitur enim Coniugibus cohabitatione ante litem iudicatam sub pœna excommunicationis, vel ipso facto, vel per sententiam incurrendæ. Si autem feratur excommunicatione propter matrimonium inualidè cōtractum, iam declaratur matrimonium nullum ac proinde causa, propter quam conceditur communicatio Coniugibus excommunicatis, omninò & funditùs tollitur. Itaque nunquàm continget vt Coniugibus causa valoris matrimonij excommunicatis fingi possit licita esse communicatio, siue excommunicatio iam incursa fuerit, siue tantùm fuerit apposita tanquam pœna incurrenda præcepto prohibenti maritale consortium. Itaque nostrum corollarium vnanimi consensu Theologi, Canonistæ, & summistæ docent, quos dabit ex parte Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 14. n. 9.

TERTIA REGVLA.

De communicatione cum excommunicato vitando licita ad implendas obligationes, quas excommunicatio non mutauit.

Quotiescumque excōmunicatio non elidit obligationem præcedentem, aut ius prius acquisitum, neque similis obligationis & iuris validam acquisitionem ant vsum impedit, toties licita erit communicatio cum excommunicato alioquin vitando necessaria ad illius iuris defensionem & exequutionem atque obligationis ipsi correspondentis impletionem. 61

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLÆ.

Suppono imprimis aliqua esse iura naturalia, & 62

obligatio nes

obligationis ipsis correspondentes ita formas, vt nulla lege, aut constitutione humana aut Ecclesiastica conuelli aut mutari possint;alia verò quædam existunt,quæ licet ex natura rei oriri soleāt,possint tamen impediri ab humana potestate,vti in irritatione contractuum videmus. Quamuis enim ex libera vtriusque contrahentis voluntate sequatur ex natura rei mutua quędā obligatio & mutuum ius, potest tamen impediri per legem irritantem, quoties contractus non fiet modo præscripto: Idem contingit in libertate,qua nihil magis naturale est,quæ tamen per seruitutem iure gentium inductam elidirur,& in aliis pluribus, sicut diximus disputantes de mutabilitate iuris naturalis. Sicut porrò quædam iura impediri possunt, ne oriantur, ita vbi iam nata,elidi possunt,vel quia radicitus vt ita dicam euelluntur,vel quia etiamsi maneant,eorum vsus impeditur, sitque aliquando inualidus, aliàs autem illicitus duntaxat; quod in omnibus negatiuis legibus & quidpiam prohibentibus, atq; in pœnalibus manifestum est. Immò plerumque ipsæ pœnæ habent adiunctam aliquam similem iurium priuationem, aut ipsæmet sunt eiusmodi priuationes, vt patet in confiscatione bonorum, exilio & aliis similibus. Censuræ verò cùm sint priuationes duntaxat, vti diximus disq. 1. semper priuant aliqua re,aut iure,quod ante censuram aliquis possidebat, aut certè eius exercitium, & vsum impediunt,vti videbimus in suspensione tum ab officio, tum à beneficio, & iam constat de excommunicatione,quæ vsu tum actiuo,tum passiuo Sacramentorum priuat;atque vt de hoc ipso effectu quē explicamus,loquamur iure communicandi cum cęteris fidelibus,& per quandam cōsequutionem,ipsos quoque fideles spoliat iure agendi cum excōmunicatis, similes alias iurium priuationes sequentibus quæstionibus in explicandis cæterarum censurarum effectibus dabimus.

Non quæro verò hoc loco, quibus iuribus acquirendis,aut exercēdis possit priuare subditos humana potestas & maximè sacra & spiritualis iurisdictio,cū enim excōmunicatio nullos alios habeat effectus,quā qui in iure expressi sunt, nullis aliis iuribus officiet, quam iis,quorū mentio fit in lege, quarum alia impedit ne acquirantur,alia verò si iam obtenta fuerint, extinguit, aut ne exerceantur prohibet.

Atque ex his perspicuus manet nostræ Regulæ sensus;dico enim licitam esse cōmunicationē cum excommunicato alioquin vitādo,quoties ea ad vsū alicuius iuris,quod non obstante excōmunicatione integrū & liberū retinuimus,aut acquisiuimus,vel ad implēdā obligationē adhuc vrgēte necessaria est.

Quæ Regula vniuersalissima est, vt vides, & ex duabus superioribus colligitur, videturq; mihi tradi ab Innoc. III.c.inter alia.de sentent.excom. Idcircò enim vxori,liberis & seruis conceditur cōmunicatio cū excommunicato,quia vt ait Innoc.c.cit.eiusmodi personæ nō sunt à priori obnoxietate solutæ, & debitum prius adhuc durat, vnde ad familiare obsequium semper tenentur, & consequenter ad communionem, sine qua illud nequeunt exhibere compelluntur.

Ex simili igitur ratione, quoties aliquis manebit constrictus priori quadam obnoxietate, vt cū Pontifice loquar,& in altero,cui obnoxius est,remanebit prius ius integrum,& non impeditum, siue alter tantùm, siue vterque ex ipsis fuerit excommunicatus, licita erit communio, quatenus ad vtendum illo iure, aut reddendum obnoxietatis debitum fuerit necessaria, alioquin illud ius aut inutile aut diminutū,aut impeditū per excōmunicationē fuisset,atq; soluta omnis obligatio & obnoxietas, cuius tamen contrariū supponitur. Si enim,ne quis communicet cū excōmunicato,non tenetur implere debitū,quo ipsi obligabatur,neq; alter vti potest iure suo,& exigere suum debitum,reuerà elisa fuit obligatio & inutile redditū ius,quādiu durabit excommunicatio:quod si dicamus excommunicationē nihil omninò immutasse circa hoc ius & obligationem vti supponimus, & consequenter possit vnus liberè & licitè vti iure suo,& alter teneatur ad debitū & obligationē implendā,licita erunt omnia, quæ ad illud ius tuendū exercendúve,atq; ad exoluendā obligationē necessaria sunt:quarè si absque aliqua communicatione non possit reddi illud debitum, neque ius exerceri, permissa erit ex necessaria quadam consequutione ea cōmunicatio. Neq; existimo quēquā posse refragari huic Regulæ sic explicatæ,immò illā omnes tanquā certā ponunt, vti videbimus in consectariis, si, qui enim debita aut alia quædā pręstanda negant excōmunicato,idcircò negant quia existimāt excōmunicationē suspēdere & differre obligationem in aliud tempus, quamuis illam non extinguat, si enim existimarent aduentu excōmunicationis nihil circa vsum iuris excōmunicati, & obligationem ipsi correspondentem mutari,reuerà implendā quoq; esse durante excōmunicatione dicerent,& communicationem necessariā ad eam debiti exsolutionē cum excōmunicato permitterent. Vnde Felin. dum summam capitis inter alia, tradit,Excommunicatis, inquit, communicare tenentur, qui prius ei obligati sunt.

Dices ex hac vniuersalissima Regula nihil priuilegij concessum fuisse vxoribus & liberis ac seruis à Gregor. VII.c.Quoniā multos,cùm ante eam concessionem non tenerentur à consuetudine virorum, parentum & dominorum excommunicatorū abstinere,eo quod ius mariti,parentis & domini per excōmunicationē neq; sublatū,neq; impeditū fuisset, maneretq; integra obligatio matrimonialis & subiectionis,quæ sine communione impleri non poterat ab vxoribus,liberis & seruis. Neque Regula nostra nititur iure positiuo aut Indulgētia Pontificia, sed ex ipsa rei natura sequitur,quādiu enim manet obligatio,soluēda omninò erit,&nō poterit cōmunicatio ad eā solutionem necessaria prohiberi, nisi aliqua mutatio prius fiat circa ipsam obligationem siue naturalē,siue ciuilem,eo quod vel extincta,vel suspensa & dilata fuerit. Eximium tamen fauorem impensum à Gregorio fuisse his personis,sentit Innoc.c.inter alia, appellat enim beneficiū Canonis, ipseque Gregor.in sua cōstitutione,c.Quoniā multos,ait se authoritate Apostolica subtrahere omnes personas, quas ibi enumerat, anathematis vinculo, quo innodatæ fuissent propter cōmunicationē cum excōmunicatis maritis,parentibus,& dominis:ergo tota ista communicatio permissa est tantùm ex venia Ecclesiæ,& non ex obligatione aut iure antecedente excommunicationem & post illā remanente.

R. Imprimis beneficium impensum fuisse certis quibusdā personis à Gregor.in citato cap. Quoniā multos, enumeratis, quod illis omnem communicationem cum quibusdam excommunicatis permiserit, vti ostendimus 2. Regula etiamsi obligatio, quæ post excommunicationem alterius in ipsis remanebat, illam non postularet, si strictum & rigidum ius seruari voluisset.

Ex Regula porrò nostra non sequitur licitā esse quācumq; cōmunicationem cū excōmunicatis ra-

tione iuris aut obligationis, quæ poſt excommunicationem integra prorſus & immutata remanent, aut acquiruntur, ſed quatenus præcisè communicatio neceſſaria erit ad illius obligationis ſolutioně.

℞. 2. cum gloſſa in c. inter alia ꝟ. agente, Gregorium non condidiſſe nouum ius, ſed naturale & diuinum declaraſſe; atque ita nihil prorſus indulſiſſe circa vxores, liberos & ſeruos, ſed ſolùm circa mercenarios & ruſticos, quarè illa verba Innocentij beneficio canonis agente explicanda erunt cum diſtributione accõmoda circa perſonas in Gregoriana cõſtitutione enumeratas; quanquã etiam circa vxores & alias perſonas, circa quas ius tãtùm naturale declarauit ex ſenſu gloſſæ plurimùm indulgeat Põtifex, quia non modò omnem communicationem vt iã dixi, permiſit, & non eam tantùm præcisè, quæ ex illa obligatione naturali oriebatur, ſed etiã quia ſæpiùs dubitari poterat, an ea naturalis obligatio minorem vel maiorem communicationem, hanc vel illam poſtularet, abſolutè permiſit communicationem totam illam coniugalem.

℞. 3. Si exiſtimes veroſimilius eſſe quod Suar. s 4. cit. n. 34. Sãch. diſp. cit. atq; alij recentiores paſſim docent potuiſſe per excõmunicationem inhiberi communionem vxoris & mariti, excepta ſaltẽ cõiugalis debiti redditione & petitione, & multò magis conſuetudinẽ parentũ & liberorum, ſeruorum & domini. Etſi enim ea communicatio ex quodã iure naturali naſcatur, illud tamen ius eſt poſitiuũ, quod determinari & reſtringi poteſt, vt in ſeruitute, quæ cum libertate pugnat, atque in quamplurimis aliis factum fuiſſe iam monui, & ſanè in exilio & aliis quibuſdam pœnis Reus mulctatur omni conſortio ſuorum, quidni & idem fieri poſſet per pœnam excõmunicationis, quãdo ad efficacẽ emendationẽ ita neceſſarium videretur. Hâc igitur ſentẽtia poſita, de cuius probabilitate modò non diſputo, neque enim animus eſt in hoc tractatu ire per iſtas ſalebras, perſpicuus exiſtit fauor indultus à Gregorio, cũ enim ex eo quod excommunicatio priuet omni commercio fidelium, dubitari iure poteſt, an hæ quoq; perſonæ ab excommunicati cõmunione prohiberẽtur, eo quod eiuſmodi prohibitio non ſuperaret Eccleſiaſticam poteſtatem, neque aliam humanã, vti ſupponit iſta ſententia: aliude tamẽ rigidior hac in parte videretur ea pœna & pietati Eccleſiæ paruin cõueniens voluit ſapientiſſimè Gregorius has omnes perſonas tã arcta & ſacra neceſſitudine & naturali vinculo cum excõmunicato cõiũctas ab eius communione non prohiberi, ſed illud omne vinculum naturale & ciuile, quod erat ante excommunicationem poſt illam deinde perdurare; atque ita tũ vnius ius tum alterius obligationem permanere. Quod verò manente ea obligatione, ſiue obnoxietate, vt loquitur Innoc. teneantur perſonæ tali obnoxietate conſtrictæ debitum reddere, atq; vt illud præſtent, poſſint communicare cum excommunicato, cui ſunt obnoxiæ, minimè indulſit Gregor. id enim neceſſariò conſequitur, vt ratiocinatur optimè Innoc.

Ex quibos non impugnatur noſtra Regula, ſed potiùs ſtabilitur manente nimirum obligatione ex iure libero & expedito io excommunicato, aut in aliis reſpectu ipſius, licitam eſſe eam omnem communicationem, quæ ad implẽdã illam obligationẽ & exercendum illud ius neceſſaria erit, vndecunq; ortum fuerit illud ius, & obligatio illi correſpõdẽs, & quæcunq; cauſa exiſtat, propter quam excõmunicatio non extinxerit tale ius, neque ſuſpenderit, aut diſtulerit oppoſitam obligationem, aut vtriuſque ortum, ſiue acquiſitionem non impediuerit.

Maneat itaque firma vniuerſaliſſima noſtra Regula, ex qua quamplores quæſtiones explicare licebit.

CONSECTARIVM I.

An liceat communicare cum excommunicato ad implendum contractum ante excommunicationem celebratum?

℞. Licere ex Regula proximè poſita, quia ins & 63
obligatio talis contractus non minuuntur, neque ſuſpenduntur adueniente excommunicatione alterius aut vtriuſque contrahentis, quod ſingillatim oſtendo, vel enim iſte contractus eſt in fauorem non excommunicati, qui creditor eſt, & excommunicatus debitor, vel è contrario excommunicatus creditor eſt, & noo excommunicatus debitor, vel denique vtrique fauet, eſt ſiquidem contractus ſocietatis, quarè paria ſunt & æqua diſpendia, & compendia contrahentium. Quoties non excommunicatus creditor eſt, nemo negat illum poſſe agere ex contractu aduerſus excommunicatum debitorem, quia alioquin commodum ex ſua iniquitate & excommunicatione ex pectaret, & melior foret conditio delinquentis, quàm obſequentis, quod vt iniquum reiicitur l. 3. §. 1. ff. de donat. inter vir. & vxor. & confirmatur ex iis, quæ diximus q. Superiori, excommunicatum trahi poſſe in iudicium tãquam Reum, neque eam in rem coaceruandi ſunt DD. qui omnes in cap. ſi verè de ſentent. excomm. vbi iſta definitio traditur, conſpirant: quod verò ibi dicitur de actione & communicatione iudiciali ad reperendum ſuum debitum ab excommunicato vitando, dicendum quoque eſt de eiuſdem debiti extra-iudiciali repetitione cùm eædem omninò rationes vrgeant, & multò minus prohibeatur priuata communicatio, quàm publica, qualis eſt iudicialis, totaque iſta excommunicationis pœna tunc in Innocentem, quem iure repoſcendi ſuum debitum per aliquod tempus priuaret, potiùs detiuaret, quàm in ſontem excommunicatum, qui importuni exactoris moleſtiis intereà liberaretur: quidquid igitur commodum & vtile aut neceſſarium fuerit ad interpellandum cogendumue excommunicatum vt contractam obligatioem impleat, licitum omninò erit; quarè tum epiſtolas, tum nuntium ad illum mittere, cum illo colloqui, & agere tum per ſe tum per alium, & cætera ſimilia præſtare poterit; quoties enim quodpiam licitum eſt, media quoque ad illud obtinendum vtilia vel neceſſaria licita ſunt, ſi nihil aliunde illa vitiet, & iniqua reddat, vti tã frequenter moneo & colligitor ex cap. Quoniam de ſent. excomm. in 6. cap. cùm infirmitas de pœnit. & Remiſſion. l. a. ff. de iuriſdictione omnium iudic. & l. oratio. ff. de ſponſalibus; neque communicatio iſta, quæ ratione debiti exigendi ab excommunicato conceditur, tam arctè accipienda eſt, vt nihil omninò aut coràm illi dicere, aut ad illum ſcribere fas ſit, quàm quod præciſi debiti repetitionem contineat; alia enim, quæ humanitas, atque politicus agendi modus requirit, & quæ ad illum excommunicatum permouendum, vt quod petimus aſſequamur, facere videbuntur, adiici abſque vlla violatæ cenſuræ religione poterunt, quod ſapienter monuit Suar. diſp. 15. ſ. 8. num. 2. & Ricciul. lib. 4. cap. 56. n. 4. & nos quoque ſuperiùs s. propoſitione.

Maior difficultas eſt in altero contractu, in quo ipſe excommunicatus eſt creditor, & non excommunicatus debitor, an hic excommunicatus poſſit

fit agere aduersus suum debitorem non excommunicatum & quidem quod attinet ad ius huius creditoris excommunicati & obligationem debitoris non excommunicati, nemo dixit illam excommunicatione superueniente extingui, cùm enim ipsa non priuet dominio rerum suarum excommunicatum, neque etiam iure illarum priuabit, non potest verò hoc ius manere integrum, quin maneat integra quoque obligatio illi in debitore correspondens. Sed quæstio est, an durante illa excommunicatione suspendatur siue differatur obligatio in aliud tempus, ita vt neque excommunicatus valeat suo iure vti, & suum debitum repetere, neque debitor non excommunicatus teneatur illud reddere ante absolutionem: plerique enim volunt excommunicatum priuatum manere actione petendi, & debitorem liberant necessitate soluendi. Ita glossa in cap. fin de hæreticis. ℣. aliquo pacto. Hostiens. in cap. veritatis. de dolo & contumacia, & ibidem latè Panorm. n. 39. Baldus. in cap. Intelleximus cit. Et alij eo quod in cap. Intelleximus. cit. priuetur excommunicatus omni actione, & cap. fœlicis. de pœnis in 6. apertè dicatur, neminem cogi reddere debita excommunicato. Denique quia omnis promissio & dispositio inuoluit tacitam conditionem rebus sic stantibus, & manente eodem statu, vti latè habet Tiraq. in l. si vnquam. C. de donation. in præfat. o. 167. hic autem superuenit excommunicatio & deniq; quia neque promissio, neque iuramentum extenditur ad illicita. cap. quanto. & cap. Quoniam de iureiurãdo, non extenditur igitur ad communicationẽ cum excõmunicato, quæ Iure prohibita est.

Alij contrarium volunt cum Innoc. in cap. veritatis. de dolo & contumacia. Archidiacon. in cap. Nos sanctorum. 18. q. 6. Panorm. 1. p. Concil. consilio. 60. sub finem. Vbi allegat Innoc. & Archidiacõ. l. cit. & glossa. in idem cap. sanctorum, atque in re dubia tutius esse ait soluere, maximè si ex negata solutione immineat aliquod periculũ non soluenti, vt in casu, de quo ibi consulebatur Panorm. Ratio istorum est quia manet obligatio prior per contractum, aut promissionem, siue iuramentum, siue non iuramentum acquisita, & æque ad eam implendam licita erit communicatio, atque ad exhibenda obsequia domino excommunicato à elicitè non communicato.

Alij denique volunt quidem fieri solutionem, non tamen creditori excommunicato, sed summam debitam deponi vel apud ædem sacram, vel etiam apud fidum mercatorem. Ita Felin. in cap. inter alia. de sentent. excommuni. n. 4. allegans Panorm. in idem cap. & alios, quibus nouissimè adhæsit Ric. ciul. lib. 4. cap. 56. num. 12.

Facilè tamen componi possunt ista dissidia, imprimis enim certum est ex q. superiori, & cap. Intelleximus. de Iudiciis, excõmunicatum priuari actione repetendi sua nomina in iudicio, atque debitorem excipere posse excommunicationem, ne sententia iudicis cogatur soluere debitum durante debitoris excommunicatione.

Certum 2. Videtur creditorẽ excommunicatum non priuari iure petendi suum debitum extra-iudicialiter, atque ea de causa posse cõmunicare cum debitore, & debitorem vicissim cum illo; iam enim tradidimus Regulam generalem circa ista correlatiua parem esse dispositionem. Ratio est, quia excommunicatio non priuat re sua, neq; iure illius vtendi excommunicatum, neque habet vllos alios effectus, quam qui in lege Ecclesiastica continentur; nullibi porrò negatur ista debiti repetitio extra-iu-

dicialis & priuata, quæ enim afferuntur, loquuntur de actione in iudicio; neque excommunicatio adueniens contractui aut promissioni, aut iuramento, aut cuicunque dispositioni ita mutat rerũ statum, vt soluat obligationem. Quod cõfirmatur ex cap. Quoniam multos, & cap. Inter alia. si enim remanet ius petendi obsequia à seruis, quidni etiam ius reposcendi sua debita ab aliis debitoribus perdurabit.

Hinc fit 3. eiusmodi debitorem posse tale debitum soluere, atque ea de causa eum creditore excommunicato, quantum necesse fuerit, communicare, quod docet Caietan. ℣. excommunicatio. §. de his quæ sunt illicita excommunicat.

4. D. Thom. in 4. d. 18. q. 2. a. 4. Suar. disp. 15. s. 8. n. 9. Alteri. lib. 2. disp. 4. cap. 1. dubit. 1. dicunt non tantum posse istum debitorem soluere debitum excommunicato petenti, sed etiam teneri. Medina. verò. C. de Restitution. q. 3. §. nona causa, distinguit, aliud enim est debitum, quod ex iure mere naturali consistit, vt debitum restituendi rem furto aut fraude sublatam, reparandi damnum iniustè illatum, famam reponendi, & similia: aliud verò quod ex solo contractu, promissione vel stipulatione exurgit, prius illud debitum obligat, neque differtur aut suspenditur per excommunicationem, quæ cùm sit iuris positiui nequit elidere obligationem iuris naturalis; aliud verò debitum suspendi & differri in pœnam excommunicati non existimat improbabile.

Ego ita rem diffinio vt omnino vtrumque illud debitum soluendum esse velim à debitore, nisi circa illud posterius ex contractu mero profectum velit vti beneficio legis negantis actionem excommunicato; itaque non soluet nisi compellendus à iudice, & tunc repellet actionem obiecta excommunicatione; quia licet negatio actionis in iudicio non faciat semper rem, pro qua negatur actio licitam, quoties tamen aut in pœnam alicuius criminis fit ea negatio, aut alias ob causas boni communis, fit quædam veluti translatio dominij aut iuris, aut applicatio, aut dilatio quoad vsum illius potest aliquis beneficio & fauore legis vti tuta conscientia. Cùm itaque negatur actio excommunicato creditori in pœnam & suspendatur vsus sui iuris, atque impletio obligationis illi correspondentis, nullam ipsi faciet iniuriam debitor, si iuris priuilegio sibi facto, & in pœnam sui creditoris vtatur, & differat solutionem quamdiu ipsi licet per legem, modò tamen intereà non periclitetur illud debitum, nam eo casu concederetur actio excommunicato.

In Gallia tamen, vbi exceptio excommunicationis non admittitur in iudiciis, non licebit debitori solutionem differre, sed omninò adueniente die præfixa ad illam tenebitur, & non modò poterit licitè cum excommunicato creditore communicare, sed etiam ad id tenebitur, vt satisfaciat obligationi, qua astringitur, & quam nulla ratione immutauit excommunicatio.

Restat contractus societatis, quem non elidi ex- 65 communicatione adueniente atque ratione ipsius posse in omnibus, quæ ad illam societatem pertinent, socium non excommunicatum communicare cum excommunicato tradunt gloss. in c. 1. dist. 41. ℣. & in cap. si verò de sentent. excomm. ℣. excommonicatorum & Hostiens. ibid. atque Panorm. n. 10. Couarru. in cap. Alma mater. 1. p. §. 1. num. 8. quia est ea socij ipsius vtilitas, & quamuis æqua sit commoditas communicati, quia tamen illa ipsi debetur ex iustitia & stante societate tolli ipsi non potest, reddenda erit post excommunicationem incursam.

CONSECTARIVM II.

An liceat communicare cum excommunicato vitando propter contractum cum ipso durante excommunicatione initum.

66 Dicendum est 5. contractum ab excommunicato celebratum validum esse modo aliunde, quam ab excommunicatione nullitatem non accipiat, quod addo, quia; si excommunicatio priuasset potestate aut iurisdictione necessaria ad contrahendum contractus reuera nullus esset non ratione excommunicationis præcisè, sed defectu potestatis, quam excommunicatio sustulit, aut impediuit, vnde tamen non sequitur nullitaté contractus esse proprium effectũ excõmunicationis sed remotum & omninò per accidens. Hinc intelliges quod tradũt vulgo DD. apud Sayr. lib. 2. c. 9. n. 13. quæ fiunt ab excommunicato tãquam priuata persona valere, non autem ea, quæ ab eodé gerũtur vt persona publica, seu ex officio, quod illi credidit Ecclesia, & idcircò quando contrahit tãquam persona priuata, validè contrahere, inualidè autem quando ratione publici officij, vt si Episcopus excõmunicatus alienet bona Ecclesiæ, cùm enim ipsi sit interdicta administratio Ecclesiæ, nullius roboris erunt, quæ circa eam administrationé ab ipso fient; atque ita censent Innoc. in cap. veritatis de dolo & contumacia, n. 1. & Panorm. ibid. n. 34. Gabr. in 4. d. 18. q. 2. a. 3. Suar. disp. 15. s. 4. n. 11. Alteri. lib. 2. disp. 4. cap. 1.

Quoties prætereà contrahens inhabilis erat ad contrahendum defectu alicuius conditionis, quam rescripti beneficio supplere curauerat, si excommunicatus erat tempore impetrati rescripti inualidè contrahit, vt aduertit Felin. in cap. cum illorum de sentent. excomm. n. 2. & in cap. finali. de exceptionibus; non quia excommunicatio impedit valorem contractus, sed quia facit nullam impetrationem Rescripti; quarè manet tota prior inhabilitas, cùm per Rescriptum nullum & inualidum sublata non fuerit: quarè etiamsi per absolutionem sublata fuisset excommunicatio, dum deinde contrahunt, inualidè tamen contrahunt, quia ad id sunt inhabiles, neque habilitati fuerunt, vt dixi per Rescriptum cuius valorem impediuit excommunicatio, & qua sublata non validatur, vt dicam q. sequenti.

Erit prætereà nullus contractus, quoties eius obiectum fuerit ipsa communicatio durante excommunicatione, quia tum contractus, tum votum, tum iuramentum de re illicita nullum est, vt pote contra bonos mores præstitum; eo reducit Suar. s. 8. n. 10. contractum siue promissionem de contractu faciendo durante excommunicatione, prior enim ille contractus iniquus foret, & non obligaret.

Denique Ricciul. lib. 4. cap. 57. n. 12. addit contractum esse nullum quando fuit causa excommunicationis, quia nimirũ prohibitus fuerat sub pœna excõmunicationis, & probat ex c. ad liberãdã de Iudæis, sed parùm appositè; ibi enim non dissoluuntur contractus à Christianis cum Sarracenis circa venditionem galearum, armorum, & aliorum, quæ ibi enumerantur initi, eo quod cum excommunicatis celebrentur, sed eo quod in maximum Ecclesiæ damnum vergant, iubenturque contrahentes compendium ex eo contractu factum, atque alterum tantùm in subsidium Ecclesiæ sanctæ refundere, ex quibus colligere nequit Ricciul. contractum, qui intentata excommunicationis censura prohibitus fuerat, inualidè celebrari; & ex iis quæ diximus disq. 2. q. 1. constat hanc pœnam non immutare legem, cui adiicitur; quarè si lex sit tantùm prohibitiua actus, & non irritans, apposita ipsi comminatio excommunicationis, non faciet actum nullum sed illicitum tantùm; & sanè semper contractus cum excommunicato prohibitus est sub pœna excommunicationis minoris, nisi communicatio, quæ necessariò intercedit in eo actu cum excommunicato, legitima aliqua causa ex iis, quas expendimus hac tertia propositione excusetur; atque ita foret semper inualidus eiusmodi contractus, quod tamen negat Ricciul.

Ita explicata nostra assertio est contra Hostiens. in cap. veritatis de dolo & contumacia, & in cap. si vero de sentent. excomm. Cardinal. in cap. pia. de exceptionib. in 6. Ioan. Andr. in idem cap. pia. Archidiacon. in cap. 1. de iure patronatus. in 6. & alios, qui volunt hos contractus claudicare, & esse tantùm firmos respectu excommunicati, qui per hunc contractum reuerà obligatur, & cogi potest ad implendam eam obligationem. At verò respectu non excommunicati nullam parit obligationem, qui proinde ab illo prosilire potest, daque similes eiusmodi contractus claudicantes, siue non firmos ex vtraque parte fusè docebimus alibi.

Nos tamen vndecunque firmos volumus esse hos contractus, ita vt ex illis mutua nascatur obligatio tam respectu non excommunicati, quàm excommunicati, quarè à nullo contrahentium irritari poterunt absque alterius consensu, immò neque ad eorum rescissionem agere poterit coram Iudice non excommunicatus contrahens, peteret enim rem iniquã, & quã Iudex propria authoritate facere nequit, neque in iure quidquam est, quod ipsi eam potestatem faciat, aut hanc inæqualitatem inter contrahentem non excommunicatum & excommunicatum inducat, quod enim passim dicunt Aduersarij, excommunicatum contrahétem indignum esse, cui per leges subueniatur, quandoquidem in ipsas leges peccat cõtrahẽdo, c. quæ contra ius de Regul. iuris in 6. c. vides 10. dist. & l. nõ dubium. C. de legibus. inane prorsus est, nam etiam non excommunicatus æquè peccat contrahendo cum excommunicato vitando, atque ipse excommunicatus, vti statim dicam, æque igitur indignus erit beneficio legum, quas & ipse quoque contrahendo violat, contractumque & vterque priuari debet iure rescindendi, aut vterque eo validè obligari, cùm enim par sit culpa, par debet esse pœna.

Nostram itaque sententiam de omnimoda huius contractus validitate, & inirritabilitate ratione solius excommunicationis, qua durante celebratus est, tradunt DD. communiter in cap. veritatis de dolo & contumacia cum Innoc. & Panorm. num. 33. qui idem quoque asserit in cap. ad probandum de sentent. & re iudicata. n. 8. Felin. ibid. Ioann. Andr. in cap. decernimus de sentent. excomm. in 6. Rebuff. in cap. postulastis de Clerico excomm. ministr. num. 455. Ioann. de Sylu. tract. de benefic. 3. p. quæst. 4. A Castro. l. 2. de potestate legis pœnal. cap. vlt. con. 2. Vgolin. tab. 2. de censu. cap. 20. §. 1. Conarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 1. n. 9. Auila. 2. p. cap. 6. disp. 6. dub. 6. Nauarr. cap. 27. n. 36. Suar. disp. 15. s. 8. n. 8. Sayr. lib. 2. cap. 9. n. 11. & cap. 12. n. 10. Alteri. lib. 2. disp. 4. cap. 1. Ricciul. lib. 4. cap. 57. n. 8. omnes passim Summistæ, atque iuniores Theologi, quos dabit Bonac. q. 2. de excomm. p. 6. §. 2. n. 6.

Probatur, quia hic effectus non sequitur ex natura excommunicationis, vt patet. Ergo non nisi ex

Constitu

Constitutione aliqua Ecclesiastica, qualis nulla prorsus affertur, immò ipsa Ecclesia contrarium satis manifestè indicat, nam 1. in cap. fælicis. §. verum. de pœnis in 6. Pontifex concedit excommunicato post absolutionem repetitionem debitorum, quæ durante excommunicatione contracta fuerant, igitur supponit validè contracta fuisse, atque consequenter per contractum omninò validum, neque enim solius absolutionis aduentu absque vllo nouo consensu validari posset, cùm ex Regula iuris, quæ initio nulla fuerunt, lapsu solo temporis validari nequeant, quod valet in omnibus aliis contractibus, quos adueniente absolutione fatentur aduersarij obligare. Certum etiam est matrimonium cum excommunicato contractum validum esse, quamuis illicitum, quod q. 1. huius disqui. ostendimus in Consectariis, & in quibusdam aliis sacris contractibus, vt religiosa statim professione probabo. Et sanè cùm validitas contractus per se & ex natura sua oriatur ex mutua contrahentium libertate, & consensu, quoties consensus einsmodi ponetur, validus erit contractus, nisi suprema quædam potestas inhabiles reddat contrahentes ad se obligandum, aut eorum voluntates cassas & inanes reddat, vt disputantes de lege irritante diximus; atqui nunquam Ecclesia circa contractus merè ciuiles id fecit, neque facere potest, nisi vbi agitur de bono communi animarum, quarè nisi habeamus manifestam eius legem in hac parte facilè præsumenda non est, neque cogitandum prohibuisse ea, quæ vel iuris naturalis, vel iuris gentium sunt. Quæ omnia confirmantur ex eo quod ne quidem deportatis prohibitum sit contrahere l. quidam. ff. de pœnis, cùm tamen non peioris conditionis sit excommunicatus quàm deportatus ex cap. pastoralis. de appellationibus.

Malè verò obiicitur tritum illud, quæ contra legem fiunt, inualida sunt, l. non dubium. C. de legibus. de illius enim Regulę intellectu plurima diximus alibi, & certum æque est plurima illicitè fieri, quæ tamen valida sunt, quanquam nusquam prohibetur contractus cum excommunicato præcisè ratione contractus, sed solum quatenus in eo est communicatio, quæ cum excommunicato illicita est; quæ verò prohibentur à lege tantum remotè & per quandam consequutionem, quatenus in quibusdam aliis prohibitis necessariò continentur, nam eo ipso inualidantur, vt innumeris exemplis facilè foret demonstrare.

68 Dicendum est 2. illicitè tamen contrahi cum excommunicato vitando, quia cum illo sic communicatur contra prohibitionem Ecclesiasticam, vti diximus 1. propositione; quarè nisi aliquæ iustæ causę eam communicationem excusent, peccabitur in eo contractu exercendo, & idcircò plurimi etiam ex Doctoribus in priori assertione allegatis, qui concedunt validitatẽ omnimodam horum cõtractuum, dicunt eorum effectum suspendi, quia durante excommunicatione mandari nequeant exequutioni, quatenus saltem ob id requirunt communicationem, si enim absque communicatione impleri possent, reuerà impleri quoque deberent durante Censura. Ita Suar. disp. 15. s. 8. n. 14. Alteri. lib. 2. disp. 4. c. 1. sub fin. & alij in sequenti Corollario afferendi.

69 Dicendum nihilominùs est 3. contractum cum excommunicato durante excommunicatione celebratũ & firmum esse, & exequutioni mandari posse ac debere, etiamsi requiratur aliqua communicatio, neque expectandum esse tempus obtentæ absolutionis. Sequor eos omnes, qui id in quibusdam contractibus peculiaribus in aliis Corollariis afferendis affirmant, & graues etiam recentiores. Ratio est, quia cum reuerà fuerit contracta obligatio per hunc contractum, implenda est, nisi legis alicuius beneficio suspendatur, aut differatur, atqui nulla lex eam suspensionem inducens & obligationis efficacitatem impediens affertur, quòd enim in contrahenda obligatione peccatum sit, non facit illicitam eius exequutionem, nisi aliunde mala sit.

Neque dicas idcircò ortum obligationis malum fuisse, quia peccatum est contra legem communicandi cum excommunicato, atqui idem peccatum continuatur in impletione illius obligationis, ergo differenda est in aliud tempus, in quo obtẽta absolutione à censura licitè fieri possit; nego enim hanc posteriorem communicationem, quæ in implenda obligatione priùs validè, quamuis illicitè contracta, necessaria est, malam & illicitam existere, quia obligatio implenda & debitum soluẽdum illam licitam facit, vt constat ex vniuersali Regula desumpta ex Innoc. in cap: inter alia. de sentent. Excomm. & ex priori nostro Corollario, nam idcircò obligatio implenda excusat communicationem cum excommunicato, quia est vera obligatio, & per excommunicationem non tollitur, quocunque modo fuerit cõtracta, siue cum culpa, siue sine culpa, ortum enim obligationis non attendit Pontifex, sed tantùm eius perseuerantiam, quamdiu enim durat, implendum esse docet, etiamsi ad id requiratur communicatio cum excommunicato, tunc enim illa mala non est. In contractu verò primùm celebrando cùm nihil existat, ex quo excusetur communicatio cum excommunicato, mirum non est esse illicitam; vnde tamen nunquam efficient aduersarij, omnẽ deinde communicationem, quæ ratione obligationis illicito modo, & non sine crimine partæ necessaria erit, illicitam quoque esse. Quarè vel debuit impediri, ne nasceretur obligatio, vel si iam mala est, debent omnia, quæ ad illam exequutioni mandandam necessaria sunt, permitti, aut si in aliud tempus differatur impletio in pœnam peccati commissi, id exprimendum fuisset præterquam quod duplici pœna puniretur contrahens cum excommunicato, nam & incurreret excommunicationem minorem, & effectu sui contractus priuaretur in tempus aliquando valdè diuturnum. Quæ posterior pœna sublata priori per absolutionem minoris excommunicationis diutius perduraret; immò etiamsi non peccasset contrahendo cum excommunicato propter ignorantiam, vbi deinde sciret illum excommunicatum esse, non posset cum illo agere ex contractu initio. Quod si dicas non excommunicatum posse petere suum debitum ab excommunicato, & ratione contractus huius cum illo cõmunicare, sed non posse cogi ab excommunicato, id non satisfacit, quia quoad conscientiæ forum illa inæqualitas inter contrahentes induci nequit, quoties contractus fuit validus; nisi quod superiùs monebam, liceat aliquando fauore legis vti, qualis lex nulla hoc loco affertur. Deinde in contractu societatis idem dicendum foret, cùm tamen in eo sit æqua vtriusque contrahentis sors quoad damna & lucra. Quarè tandem ipsi aduersarij admittunt eos, qui contrahunt cum excommunicato sine vllo peccato, quia ignorant, aut vrgentur aliqua vtilitate, aut necessitate, posse deinde pergere in exequutione illius contractus; atqui facilè est eandem vtilitatẽ, quæ impulit ad contrahendũ, perdurare eo tẽpore, quo fuerit implendus contractus quod verò attinet ad ignorantiam, vbi sublata esset, non posset excu-

sare sequentem hanc communicationem, nisi ratione validę obligationis manentis, quæ eadem perseuerat, & quæ proinde siue scienter, siue ignoranter contracta eodem modo nunc vrgebit depulsa ignorantia, quod ipsa enim præcesserit, nihil facit ad hoc tempus, in quo fugata est.

Obiicies. Si quis contraheret cum excommunicato de communicando cum illo illicitè & inualidè contraheret, ergo etiam si quis se obliget eidem excommunicato ad quidpiam, quod eius communicationem necessariò postulet, inualidè & illicitè se obligabit quoad eam communicationem.

℞. hoc argumentum probare inualidum quoque fore contractum, quia erit de re illicita, nempè de aliquo, quod sine peccato fieri nequit, & sine communicatine illicita; ponamus enim materiam contractus intra mensem esse ponendam, & non vltra differendam, v. gr. locatas esse operas in mensem, aut intra illum deuehendas esse merces, aut conueniendum de aliquo negotio & nisi emat merces, aut locet ædes, aut pecuniam deferat, nullum fore contractum. Sanè cùm non sit obtinenda intra præscriptum tempus absolutio, quæ v. gr. Roma accersenda est, totus contractus erit de re quæ sine peccato non potest exerceri, ergo ab ipso initio nullus est.

℞. Secundo negando ex eo quod contractus de communicatione cum excommunicato sit inualidus, contractum de re, quæ poni non poterit sine aliqua communicatione, esse inualidum quoad communicationem tempore excommunicationis, eo quod se obligent ad communicationem illis prohibitam eo ipso tempore, quo contrahunt; nego, inquam, hanc consequentiam cum Kon. disp. 14. n. 131. quia vt iam monui, quando communicatio in eo contractu est obiectum directum & per se, nihil habet, vnde reddatur licita; quando verò contractus habet aliquam aliam materiam, circa quam parit obligationem, communicatio, in quam indirectè aut secundariò tendit, iam fit licita ratione obligationis ad quam necessaria est, & reuerà non attendunt hanc communicationem, sicut neque vllum aliud medium contrahentes, sed solas actiones, ad quas se primò & per se validè obligant, & ratione cuius obligationis perseuerantis licita fit communicatio, quæ absque illa peccaminosa fuisset.

CONSECTARIVM III.

An vxor, quæ nupsit excommunicato, possit cum illo communicare durante excommunicatione?

70 ℞. Posse cum Hurtado disp. 9. de excomm. n. 24. Alteri. lib. 1. disput. 15. cap. 4. Kon. disp. 14. n. 129. Sanch. lib. 9. disput. 14. num. 3. Vgolin. tab. 2. cap. 23. §. 6. Bonac. q. 2. de excomm. p. 6. §. 2. n. 18. contra Suar. disp. 15. f. 4. n. 6. Ricciul. lib. 4. c. 48. n. 13. & alios.

Probatur ex dictis, quia per illud matrimonium nata est obligatio in coniuge non excommunicato, ad quam implendam tenetur, ac proinde ad ea omnia, quæ eam in rem necessaria fuerint, atque adeò ad ipsam communicationem: præterea Gregor. in cap. Quoniam multos. 11. q. 3. permittit absolutè vxori eam communicationem cum marito excommunicato, neque distinguit de tempore, quo facta est vxor, vtrum ante vel post excommunicationem, & vtrum in contrahendo matrimonio peccauerit, vel non; satis enim est ad mentem illius constitutionis, vt sit vera vxor, teneaturque vinculo coniugali, inde enim fit vt statim possit, immò & teneatur debita ex tali vinculo profecta adimplere.

Dices. Innocent. cap. inter alia. de sent. excomm. interpretari constitutionem Gregorianam, & idcircò personas à Gregorio enumeratas teneri ad obsequia & alia debita, de quibus ibidem agitur soluéda, quia illa post excommunicationem perdurant, ergo supponit Gregorium agere duntaxat de personis, quæ ante excommunicationem obligationem aliquam contraxerant, cùm enim illa obligatio non extinguatur aduentu excommunicationis semper soluenda manet.

℞. Negando Innocentium idcircò velle personas, quarum eo loco meminit communicare posse cum excommunicato, quia ante excommunicationem obstricti sunt obligatione, quæ soluenda manet, sed absolutè & simpliciter, quia sunt obligati excommunicato, neque per excommunicationem extinguitur obligatio, quod verum est etiam in vxore, quæ nupsit sciens excommunicato, veram enim obligationem contraxit, & licet videatur afferre exemplum in personis ante excommunicationem obligatis, ad eas tamen minimè suam doctrinam restringit, sed eam magis illustrat.

CONSECTARIVM IV.

An liberi & famuli communicare possint cum excommunicato, in cuius familiam durante excommunicatione adscripti sunt?

Sequitur ex nostra Regula & superioribus Consectariis, totam hanc familiæ cum excommunicato communicationem licitam esse, & quidem si agimus de liberis post excommunicationem natis nō potest esse difficultas, illi enim æquè manét sub patria potestate, atque si ante patris excommunicationem nati fuissent, & absque violatione censuræ geniti sunt, vt patet, quamuis enim ex illicito concubitu geniti essent, ipsi tamen minimè in censuræ leges peccarunt. Quod verò spectat ad alios adoptatos, negant illos communicare posse cum patre. Alteri. lib. 1. disp. 15. cap. 3. & alij quando adoptio facta fuit post excommunicationem, in illa enim fuit communicatio contra Ecclesiæ prohibitionem; verùm cùm constet contractus ab excommunicatis initos validos esse, & exequutioni mandari posse, eo quod obligationem statim pariant, neque differant in aliud tempus æquè ratione huius adoptionis communicare poterit adoptatus cum parente, à quo post excommunicationem est adoptatus, atque vi alicuius alterius contractus in excommunicatione initi. Præterquam quod cùm adoptio vix fiat, quin sit in commodum adoptati, poterit licitè communicare in alia adoptione adoptatus, cum adoptante excommunicato, atque ita non peccauit in ea prima communicatione, ex qua nata fuit obligatio, ad quam implendam debebit deinde cum eodem excommunicato cohabitare, contra Suar. disputat. 15. s. 5. & Ricciul. lib. 4. cap. 49. numero 24. quod intelligendum est modo aliunde filij adoptiui possint cum parentibus excommunicatis communicare. Qua de re dicam inferius.

Serui & mancipia, licet in seruitutem redacti sin post domini excommunicationem cum eo tamen

com

communicare possunt, vt docet Vgolin. tab. 2. cap. 23. §. 8. num. 1. Suar. f. 5. cit. n. 16. quia siue facti serui fuerint natiuitate ex ancilla, siue quia bello capti, siue quia per emptionem acquisiti, nulla præcessit communicatio illicita huius domini excommunicati cum eo seruo, cuius acquisiuit dominium, sed cum alio quopiam, vnde nihil est, vnde suspendatur ius istud domini, & cur illo vti non possit ante censuræ absolutionem; quæ ratio ostendit licitam hanc communicationem in omni sententia.

Denique quoad famulos conductitios, & alios omnes qui in familiam excommunicati adscripti sunt post eius excommunicationem, idem omninò dicendum est cum Hurtad. Kon. Bonac. q. 1. de excomm. p. 6. §. 2. n. 32. & aliis, cons. 2, adductis, inde enim sequitur manifestè, hos omnes æquè teneri ad præstanda obsequia domino, atque si ante excommunicationem cum illo contraxissent, etiamsi in eo contractu fortassis peccarint, vulgò enim propter vtilitatem aut necessitatem etiam in priori illo contractu excusantur ab excommunicatione illicita.

CONSECTARIVM V.

An professio Religiosa facta à Nouitio excommunicato sit valida, & an ratione illius communicare possit cum suo prælato?

72 ℞. Imprimis qoodlibet votum ab excommunicato factum siue simplex sit siue solemne, atque adeò professionem Religiosam validam esse; quod tradunt magno consensu DD. in cap. cum illorum. de sent. excommunicationis Panorm. ibid. n. 4. Felin. n. 5. Couarru. in cap. Alma mater. 1. p. §. 1, n. 9. Vgolin. tab. 2. cap. 20. Henriq. lib. 13. cap. 7. §. Auila 2. p. cap. 6. disp. 6. dub. 6. & alij quos congerit & sequitur Sayr. lib. 2. cap. 9 n. 19. Ricciul. lib. 4. cap. 41. n. 1. & alij. probatur quia contractus ab excommunicato factus valet, vti in nostra Regula & in consectario 1. ostendimus, atqui professio religiosa sacer quidam contractus est, quod etiam conuenit omni voto; quarè & illud ab excommunicato emissum valet, & obligat emittentem etiam ante obtentam censuræ absolutionem. Confirmatur quia matrimonium ab excommunicato validè contrahitur, vti sæpius monuimus, ex quo ad matrimonium spirituale licet argumentari.

Dico 2. peccare nihilominus superiorem, qoi talem excommunicatum denuntiatum admittit ad professionem, quia cum illo communicat in diuinis, cum professio sit quid sacrum, & prætereà in ea soleant diuina officia celebrari. Quæ ratio probat ipsum quoque excommunicatum profitentem peccare, qoia illi etiam est prohibita communicatio cum aliis, si verò non esset hic denuntiatus non peccaret superior cum illo communicans, siue in admittenda eius professione, siue in aliis quibuscunque; ipse verò profitens si non rogatus aut præuentus communicet cum alio, peccabit, vti q. 1. fuit explicatum.

Dico 3. æquè posse hunc excommonicatum communicare cum suo superiori & cum aliis fratribus, atque posset, si professio fuisset emissa ante excommunicationem, quia excommunicatio antecedens non magis illius obligationem impedit, quàm subsequens, vti ostendi in consectario primo & in matrimonio carnali; valet enim eadem prorsus ratio hoc loco, quia statim atque emittitur professio, eius obligatio perfectè acquiretur Deo & monasterio, vt ex communi consensu omnium pronuntiat Sanch. lib. 6. in decalog. cap. 4. n. 93. non esset autem obligatio perfecta, si eius impletio differretur in aliud tempus, & commodum aliquod ex sua iniquitate reportaret hic excommunicatus, etsi enim se obligauerit per professionem Deo & Religioni, non tenetur adhuc præstare, quod promisit, vti statim teneretur, si liber omni censura professus fuisset. Ea igitur omnis communicatio, quæ ad implendam professionis emissæ obligationem necessaria erit, permittatur oportet tum ipsi excommunicato tum aliis, sicut permitteretur ob eandem causam cum alio quopiam Religioso post professionem excommunicato vitando. Quæ porrò communicatio in eo casu permittenda foret, statim inquiram.

CONSECTARIVM VI.

An liceat Abbati communicare cum monachis, vel nouitiis excommunicatis vitandis, & vicissim an monachi licitè communicent cum suo Prælato excommunicato?

℞. Quod attinet ad commonicationem Prælati 73
cum suis subditis Regularibus excommunicatis illam omninò licitam esse, quia per excommunicationem sobditi Prælatus non priuatur sua iurisdictione, neque illius vsu, alioquin puniretur ipse Prælatus innocens per censuram subditi, quæ illi commoda foret, liberaret enim illum obligatione obsequendi, quatenus ligaret Prælati potestatem, & eius Iurisdictionem impediret; quarè æquè poterit hic prælatus suo subdito excommunicato imperare, atque non excommunicato, & illum ad onera Religionis, aliaque similia obsequia, atque cæteros vrgere; quæ omnia constant ex generalibus principiis, & Regulis hactenus explicatis.

Dices cum Suar. disp. 15. f. 7. n. 4. in c. Quoniam multos 11. q. 3. vbi numerantur personæ, quibus permittitur communicatio cum excommunicatis vitandis nullam fieri mentionem horum Prælatorum Regularium respectu suorum subditorum; Deinde Episcopus nequit communicare cum suo subdito à se excommunicato seclusa peculiari ratione vtilitatis, aut necessitatis.

℞. Constare nobis ex expositione Innocent. III. cap. inter alia. de sent. excomm. concessionem Gregorij ad eos omnes extendendam esse, in quibus manet idem debitum & obligatio subiectionis post excommunicationem, quæ erat ante illam, vt contingit in subditis Regularibus, qui non debent eximi iure obsequendi; quarè illis eodem modo imperare poterit Prælatus, & ea de causa cum illis communicare, præterquam quod Religiosi faciunt vnam familiam & domum; quarè Prælatus, cui incumbit huius familiæ administratio æquè poterit cum sua familia excommunicata agere, atque posset quilibet alius dominus, aut paterfamilias: vnde vides magnum discrimen inter Episcopum ratione sui Cleri, aut diœcesis, & Prælatum Regularem ratione suorum Religiosorum, quibuscum vnam familiam componit, cuius ipse caput est, & hac ratione potest cum sua familia excommunicata

communicare. Quanquam si rem penitius attendamus, aliquid non multum dissimile reperiemus in Episcopo, etsi enim ille non possit pro arbitrio communicare cum excommunicato à se, nempè ex ea præcisè ratione quod illum excommunicârit, quasi in eius sit potestate impedire effectus excommunicationis, aut in illis dispensare, manente nihilominus excommunicatione & non sublata per absolutionem, cùm enim illi effectus sint à iure communi & institutione vniuersalis Ecclesiæ non est priuati alicuius Episcopi illos tollere, aut suspendere pro arbitrio, cùm nulla maximè possit ad id necessitas vrgere, quæ suadeat in iis casibus, Pontificem, cuius hac in parte est suprema potestas, id annuere; si quæ enim sit necessitas poterit tolli excômunicatio per absolutionem ab Episcopo, aut licita erit communicatio titulo necessitatis absque vlla dispensatione; poterit tamen Episcopus subdito à se excommunicato imperare, vti prius, & eadem onera quæ non excommunicatis imponere, si imponenda sint atque ea de causa titulo subiectionis sibi debitæ communicare, quod maximè verum est circa clericos excommunicatos, qui non debent eximi ab oneribus aliorum, nisi quatenus illa exemptio ipsis probro est, & datur in pœnam, cuiusmodi est prohibitio diuinorum officiorum publicorum. Poterit præterea Episcopus communicare cum clericis aliisque è sua familia, quos ipse excommunicârit sicut cum reliquis famulis excommunicatis, & sicut alias quispiam dominus posset; atque ita tum Prælatus Regularis, tum Episcopus comprehenduntur in cap. Quoniam multos.

Atque ex iis facilè solues 2. quæstionem huius Consectarij de communicatione Regularium cum suis Prælatis excommunicatis, cùm enim hi Prælati careant omni Iurisdictione aut saltem illius vsu, non possunt cum illis Religiosi communicare ratione subiectionis, quam nullam habent, vt argumentatur Paludan. in 4.d.18. q.6.a.4. Immò id ipsum valere dicit Suar.s.7.cit.n.3. in prælato excommunicato non denuntiato, & alioquin non vitando fauore extrauagantis Ad euitanda, quia cùm non faciat vllum priuilegium excommunicato, non habet ex illa excommunicatus ius obligandi aliquem vt sibi communicet, & licet retineat suam Iurisdictionem, atque eius vsum, non tamen nisi in subsidium aliorum, & non in illorum onus, debentque semper in hac communicatione præueniri à non excommunicatis; non poterunt igitur ipsis imperare, neque illi tenebuntur parere, si nolint, itaque non permittitur ista communicatio Religiosis cum suo Prælato excommunicato ratione subiectionis, quæ nulla remanet post excommunicationem; atque inde maximè confirmatur Regula nostra superiùs tradita, tamdiu licitam esse communicationem cum excommunicato vitando, quamdiu ea necessaria est ad implendam obligationem, quam excommunicatio neque impediuit, neque extinxit, vbi enim ea obligatio adueniente excommunicatione sublata fuit, iam non manet licita communicatio.

Aliunde tamen permissa erit communicatio cum Prælato excommunicato, vt concedunt Auila 1. p. cap.6.disp.11. dub.6. sub fin. Sayr. lib.2.cap. 14. n.18. vbi omnium esse dicit, Vasq. dub.9. de excommunic. Huttad. disp. 9. de excomm. n.22. Alteri. lib.1. disp. 15. cap. 3. sub fin. Bonac. q.2. de excommunic. p.6. §.2. n.26. & alij, quia Prælatus non amisit administrationem huius familiæ; quare eodem modo, vti iam monui, licebit Religiosis communicare cum hoc Prælato, atque familiæ cum suo capite excommunicato; & præterea æquè licebit cum Prælato isto agere, atque cum alio quopiam Religioso excommunicato, nam reuera est instar cæterorum, quandoquidem priuatus est iurisdictione, aut eius saltem omni vsu; sicut igitur possunt cæteri religiosi cum excommunicato agere, quantum requirit communis habitatio & familia, in qua sunt, neque enim tenentur aliò commigrare, ita poterunt cum suo Prælato agere. Idem dicendum est de Nouitiorum Magistro respectu ipsorum Nouitiorum, quia ipsorum pædagogus & gubernator est. Ita Auila 2. p. cap.6.disputat.11. dub.7.

CONSECTARIVM VII.

An liceat Clericis communicare cum suo Episcopo excommunicato vitando?

74 Hæc quæstio soluta manet ex superiori; clerici enim, qui non sunt de familia Episcopi, non possunt titulo solius subiectionis cum eo excommunicato communicare, quia reuerà per excommunicationem Episcopus priuatur vsu suæ Iurisdictionis, ac proinde non manent ampliùs clerici ipsi actualiter subiecti, qui tamen sunt de eius familia licitè cum eo communicabunt, quod vulgo docent Canonistæ, quos dabit Sayr. lib.2. c.14.n.17. Bonac. q.2.cit.p.6.§.1.n.36. Id verò ipsum extendo ad diuina ex secunda Regula superiùs posita; quarè poterit clericus priuatim horas canonicas recitare cum suo Episcopo excommunicato, vti ante excommunicationem solitus erat.

CONSECTARIVM VIII.

An filij spirituales communicare possint cum suis patribus spiritualibus excommunicatis vitandis?

75 R. non posse, nisi de salute animæ agant, siue ratione vtilitatis, aliovè titulo, quàm filiationis spiritualis, illa enim non affert eam subiectionem aut necessitatem conuictus ex natura sua, vt cogatur filius iste cum tali parente excommunicato, communicare, neque in iure nomine filiorum intelliguntur filij spirituales, nisi aliqua alia nota exprimantur; quamuis enim iura dicant esse æqualem reuerentiam vtrique patri deferendam, & similia multa, non idcircò tamen vbi agitur de filiis, intelligimus spirituales, nisi sit eadem & communis ratio. Distinguo igitur inter parentes spirituales, aliqui enim sunt, inter quos nascitur aliqua cognatio spiritualis, quam in matrimonij impedimentis & quibusdam aliis ius attendit, eiusmodi sunt qui alium in baptismo aut confirmatione susceperunt, aut qui illum baptizarunt, vel chrismarunt. Alij verò dicuntur patres spirituales qui alicuius conscientiam dirigunt, v.gr. Confessarij & alij qui in via spiritus, vt loquuntur, duces sunt; cùm his posterioribus patribus excommunicatis vitandis non potest aliquis in Confessione agere, vt patet, quia ab illo nequit absolui, cùm careat iurisdictione, poterit tamen cum illo de iis, quæ ad vtilitatem animæ suæ pertinent, tractare, excusabiturque in ea communicatione, non ratione spiritualis

tualis filiarionis, sed propriæ vtilitatis ratione cuius cum alioquopiam excommunicato posset etiam agere; atque eadem de causa poterit hic pater spiritualis cum filio excommunicato ad eius salutem agere; parentes verò spirituales ratione contractæ cognationis spiritualis in baptismo, aut Confirmatione non possunt cum his filiis, neque filij vicissim cum parentibus excommunicatis communicare, quia, vt iam monui, ex illa cognatione nulla necessitas conuictus & consuetudinis oriri fingi potest. Ita Vgolin. Suar. Filliuc. Ricciul. Bonac. & alij.

CONSECTARIVM IX.

An filij emancipati licitè communicent cum parentibus excommunicatis?

76 Potest imprimis filius emancipatus ea omnia, quæ pertinent ad rationem filij, v. gr. reuerentiam, obsequium, & cætera eiusmodi præstare parenti excommunicato vitando. Ita Suar. s. 5. disputat. 15. s. 3. & alij passim, quia emancipatio non liberat filium debito naturali erga parentem, cuius proinde obligatione tenebitur, licet parens excommunicetur.

Existimo secundo hunc filium, si adhuc cōmensalis sit parentis, & ab illo accipit necessaria, cum illo in omnibus sicut & alios liberos communicare posse. Ita Vgolin. tab. 2. cap. 23. §. 7. Sylu. ỳ. Excommunicatio. 5. numero 4. Arm. eod. ỳ. n. 46. Villalob. tom. 1. tract. 17. diffic. 13. n. 25. Ricciul. lib. 4. c. 49. n. 16. contra Sayr. c. 14. n. 10. Bonac. q. 2. de excomm. p. 6. §. 2. n. 28. & alios passim. Ratio liquet, quia tunc necessaria est aliqua communicatio, neque enim tenetur iste filius priuare se mensa parentis; Deinde ius non distinguit in cap. Quoniam multos, circa liberos emancipatos, aut non emancipatos; cur igitur nos beneficium illius canonis ad aliquos duntaxat restringemus; quandoquidem verò dicantur emancipati liberi, dicemus aliàs.

CONSECTARIVM X.

An filij adoptiui possint communicare cum parente adoptante excommunicato?

77 Ratio dubitandi est, quia vox liberi, qua vtitur Gregorius in cap. Quoniam multos. 11. q. 3. non vsurpatur ordinariè de adoptiuis, eo quod significet propriè & communi sensu ius & communionem sanguinis, vti fusiùs ostendit Tiraquell. in l. si vnquam. C. de reuocat. Donat. ỳ. donatione largitus. n. 15. & id verum videtur maximè in priuilegiis, ε. adoptiuus. §. si de feudo fuerit controuersum. Quare priuilegia, quæ dantur ob liberos, non acquiruntur ab illo, qui habet tantùm adoptiuos. §. 1. ỳ. adoptiui. Instit. de excusat. Tutor. & l. 2. §. adoptiui. ff. de vacatione Muner. & gloss. in l. 2. ff. de excus. tutor. ỳ. legitimos. Cur igitur in hoc c. Quoniam multos, vbi agitur de priuilegiis, vocem liberorum contra ordinariam & communem significationem extendemus ad adoptiuos, maximè cum verba, quæ accipi possunt tum naturaliter, tum ciuiliter, accipi debeant naturaliter in dubio, ex Regula, quam tradit multis allatis Tiraquell. in l. si vnquam. ỳ. donatione largitus. n. 17. & n. 44. & in tract. de primogen. q. 1. n. 10. Igitur vox liberi pro naturalibus non pro ciuilibus, & legalibus siue legitimis cuiusmodi sunt adoptiui, capienda erit.

Deinde naturale vinculum & obligatio ratione cuius Gregorius permittit communicationem liberorum & parentum non obstante excommunicatione non reperitur in filiis adoptiuis, vt statim apparet.

Nihilominus tamen negari nequit adoptiuos nomine filiorum designari aliquando l. adoptiuum, ff. de in ius vocando, & cum succedant loco liberorum naturalium videntur per adoptionem acquirere eandem obligationem, quam habent filij naturales, idemque vinculum, quamuis non ex iisdem causis, vnde etiam fit vt vna obligatio ciuilis dicatur, altera naturalis, & vna facilius elidatur, quàm altera, quamdiu tamen vtraque manet, eosdem pariunt effectus, & implendæ sunt omninò; atque ex Regula nostra generali; cùm vtraque ea obligatio maneat post excommunicationem, neque enim illa magis tollit filiationem ciuilem, quàm naturalem, implenda quoque erit post eandem excommunicationem, & cum absque communicatione impleri nequeat, communicare omninò licebit, atque ita nomen liberorum in cap. Quoniam multos, extendendum erit ad adoptiuos, quamuis enim ea vox communiter vsurpetur de liberis naturalibus: vbi tamen ratio, quæ mouet legislatorem ad sanciendum quidpiam de liberis naturalibus eadem omninò est in adoptiuis, ad ipsos erit amplianda, quod, vti ostendimus, hoc loco contingit.

Dicendum igitur est, quoties per adoptionem adoptatus transit in potestatem adoptantis, toties posse communicare cum excommunicato parente adoptante, quod fit quoties adoptatio fit à persona coniuncta ex imperio Magistratus, aut quando fit ex Rescripto principis, vocaturque adrogatio, de quibus dicetur alibi; quod si adoptio non subiiceret adoptatum potestati adoptantis, vti fortassis contingit iure nouo in adoptione quæ fit ab extraneo, ocmpè alio, quàm auo, aut proauo, quæ non dat titulum aut ius filiationis, sed solum ius succedendi ab intestato. l. penult. C. de adopt. sanè non gauderet priuilegio communicandi cum adoptante excommunicato, quia ratio cap. Quoniam multos, vbi ea communicatio permittitur, in hoc casu deficeret.

Quia verò adoptio non disrumpit prorsùs naturale vinculum, quod intercedit inter filios & parentes: idcircò filius ab aliquo adoptatus poterit non modò cum adoptante, sed etiam cum suo parente naturali excommunicato communicare in iis, quæ postulabit hæc obligatio naturalis filij, vti dicebamus de filio emancipato. Atque ita expositam nostri corollarij sententiam docent Vgolin. tab. 2. cap. 23. §. 7. Suar. disp. 15. s. 5. n. 6. Alteri lib. 1. disp. 15. cap. 4. dubit. 3. Ricciul. lib. 4. cap. 49. n. 17. & alij.

CONSECTARIVM XI.

An vasalli & subditi communicare possint cum domino excommunicato?

R. Posse in iis omnibus, quæ ad homagium, & debitam subiectionem spectant ex nostra Regula generali; cùm enim vi censuræ Principes & alij domini neque dignitatem, neque dominium, ne- 78

que

que iurisdictionem amittunt, tenebuntur vasalli, & subditi ea omnia præstare domino excommunicato vitando, quæ ante excommunicationem debebant, quandoquidem enim manet idem ius in domino, & obligatio in subdito, illa omninò implenda est, & si nequeat impleri absque communicatione, communicandum erit, atque ita soluenda tributa, & alia debita iure subiectionis, etiamsi in propria persona exhiberi debeant, vt sunt homagia quædam personalia, si enim priuatus non amittit rerum suarum dominium per excommunicationem, neque eius prætextu potest spoliari bonorum suorum possessione à domino, quo iure ipse dominus ratione solius censuræ suis iuribus, dominiis, debitis, ac bonis spoliabitur à subditis fidelitatem, obedientiam, tributa, aliaque obsequia, ad quæ præstanda ratione subiectionis tenentur, denegantibus, quando manet eadem subiectio post excommunicationem, quæ ante illam erat. Neque rectè obiicitur c. Nos sanctorum. 15. q. 6. & cap. Iuratos ead. causa, & q. quia ibi præter censuram imposita erat alia quædam pœna, quæ dominum priuabit suo dominio & dignitate, de qua pœna modo non disputo, contendo tantum in præsentiarum eam non esse annexam ex natura rei censuræ excommunicationis, quæ non inducit necessariò confiscationem bonorum & dignitatis ac dominiorum, vt apparet in singulis priuatis, qui, vt dicebam, retinent dominium suorum bonorum, suasque dignitates, atque, vt ego existimo, iurisdictionem; verum verò eiusmodi priuationis pœna possit annecti excommunicationi ab Ecclesiastica potestate, implicatioris est operæ diffinire. Manet igitur subditos communicare posse cum dominis excommunicatis in omnibus quæ ad debitum subiectionis præstandæ necessaria sunt, atque ita sentiunt Paludan. in 4. d. 18. q. 6. a. 2. Rich. ibid. d. 17. a. 11. q. 1. Ille enim non aliter negat teneri Principi excommunicato obedire vasallus, quàm quia falsò existimat vi excommunicationis exolutum esse debita fidelitate; quare si eadem obligatio maneat, vti reuerà manet, si sola censura adueniat, fatebitur Richard. hos subditos teneri ad eadem præstanda obsequia, & ad communicandum ratione ipsorum cum dominis excommunicatis, quo sensu accipiendi sunt omnes, qui à nobis dissentire videntur, vt summa Astens. 2. p. lib. 7. tit. 12. q. 7. quæ doctrinam Richardi refert, nostram verò distinctionem probant Antonin. 3. p. tit. 25. cap. 1. §. 1. Angel. ℣. excommunicatio. 8. n. 11. Henriq. lib. 13. cap. 22. num. 3. Auila. 2. p. cap. 6. disp. 11. dub. 9. Sayr. lib. 2. Thesau. cap. 14. num. 20. Suar. disp. 15. s. 6. num. 123. Reginald. lib. 3. num. 115. Villalob. tom. 1. tract. 17. diffic. 13. n. 18. Sylu. ℣. excommunicatio. 5. num. 18. allegana summam Confessorum. tit. de sentent. excom. q. 136. lib. 3. & demùm latè Alteri. lib. 2. disp. 8. cap. 1. Qui omnes magno consensu fatentur obsequia, tributa, omnesque alias seruitutes & fidelitates debitas dominis ratione dominij & dignitatis reddendas esse dominis excommunicatis, si nihil aliud, quàm ipsa censura excommunicationis impediat, quia illa neque tollit dominium, neque dignitatem, neque iura illi connexa, quod vnum in nostro consectario quærebamus.

CONSECTARIVM XII.

An Exercitus possit communicare cum suo Duce excommunicato?

Supponendum imprimis est nihil aliud, quàm excommunicationem impedire iure posse, quominus hi milites suo Duci pareant, eo quod bellum iustum sit, & ipsi nomina sua dederint, iamque obligationem merendi sub eo contraxerint, siue naturalem, quia subditi eius sunt, siue ciuilem & ex contractu, quia stipendiarij eius sunt, siue ante, siue post excommunicationem sui ducis eam militiam professi fuerint; si enim excommunicatio non dissoluit obligationem priùs contractam, neque impediet contrahendam, quamuis illicitè contrahatur propter communicationem, quæ in eo contractu habetur cum excommunicato vitando, vti diximus consect. 2. de omni contractu cum excommunicato inito. 79

Ita explicata quæstio diffinita manet ex superioribus, dicendum enim est hos milites licitè cum suo Duce excommunicato communicare in iis, quæ ad militiam pertinent, neque tenentur deserere castra, immò cogi debent ad implendam obligationem contractam, quando sacramento militari se addixerunt, sicut & ad omnem aliam obligationem, quæ post excommunicationem manet, & cuius vsus vi excommunicationis non impeditur, vti constat ex Regula generali tradita, & ex variis ex ea deductis corollariis; atqui obligatio ex sacramento militari orta non magis tollitur aut impeditur ratione solius excommunicationis præcisè & seorsim ab omnibus aliis pœnis adiunctis sumptæ, quam alia quæuis obligatio ex quopiam alio contractu suscepta, cùm nihil tale habeatur in iure, contrarium; nam etiam Christiani militabant sub Iuliano Apostata & excommunicato. cap. Iulianus. 11. q. 3. Ita Paludan. in 4. d. 18. q. 6. a. 2. circa medium. Antonin. 3. p. tit. 25. cap. 1. ℣. octauo. qui excusant armigeros & alios militiæ seruientes. Adrian. q. 3. de clauib. ante medium. & Sayr. lib. 2. cap. 14. numero 19. Vbi & aliam assignant rationem, quia exercitus est familia quædam metaphorica, quæ cum suo capite excommunicato communicare potest.

CONSECTARIVM XIII.

An pupillus licitè communicet cum suo Tutore excommunicato?

Hanc communicationem omninò licitam esse, quod idem dico de curatore, eo quod tum pupillus, tum adultus sint sub potestate tutoris & curatoris. §. 1. Instit. de tutelis. & l. 1. ff. eod. tit. quarè tum ratione moralis cuiusdam necessitatis, tum ratione ciuilis subiectionis, quæ in locum naturalis successit, & plures similes effectus saltem quoad forum externum parit, permitti debuit ea communicatio, & subintelligenda est in cap. Quoniam multos. 11. q. 3. quod enim ibi conceditur liberis ratione paternæ potestatis, cui subiiciuntur, extendendum est ad potestatem, quæ iure ciuili in defectum paternæ substituta est, ea verò reperitur in Tutore & Curatore, quarè cum iis licebit communicare, qui sub eorum cura & tutela latent, atque illi cum iis, 80

quos

quos liberorum loco habent, & quibus ipsi parentum vice sunt à iure. Ita Suar. disputat. 15.s.5. numero 8. Ricciul. lib.4. cap. 51. & alij passim omnes.

CONSECTARIUM XIV.

An liceat communicare per testamentum cum excommunicato vitando?

Hæc communicatio dupliciter intelligi debet, vna in qua excommunicatus scribat testamentum & non excommunicatum hæredem, vel legatarium instituat, altera, in qua ipsemet excommunicatus scribatur hæres vel legatarius.

Dicendum est 1. validum esse testamentum ab excommunicato siue vitando, siue non vitando conditum. Ita Innocent. in cap. cum voluntate. de sentent. excomm. Panormit. in Rubric. de testament. n. 5. & in cap. veritatis. de dolo & contumacia. n. 32. Ioann. Andr. in cap. decernimus. de sentent. excomm. in 6. Benedictus in cap. Raynutius. ℣. mortuo itaque testatore. 1. n. 288. & alij magno consensu DD. quos recensent & sequuntur Couarr. in Rubric. de testam. 2. p. n. 18. Sayr. lib. 2. Thesau. cap. 9. numero 2. & Ricciul. lib. 4. de iure persona. cap. 58. numero 7. qui tamen sub finem capitis malè restringit ad illum, cui non fuit copia absolutionis, si enim potuerit illam obtinere, & cõtempserit, inualidè testari putat, quia ille contemptus arguit eum suspectum de hæresi, & quod si diutius vixisset in eadem voluntate obfirmatus perseuerasset. Hæretico autem prohibetur factio testamenti, vt statim monebo. Verùm & infirma omninò est ea præsumptio perseueraturæ voluntatis in contemnenda absolutione, & quamuis vera foret tota ea coniectura, non esset punienda culpa, quæ nondum est, immò neque vnquàm erit, sed tantum futura erat conditionatè si diutius vixisset, cùm nequidem ipse DEVS pro futuris culpis non modò conditionatè, sed etiam absolutè futuris puniat vnquam, vti prima p. & prima secundæ fusius ostendimus contra Semipelagianos quosdam, qui ex prævisio bono aut malo vsu liberi arbitrij gratiarum variam distributionem metiebantur. Si igitur validum sit excommunicati testamentum, validum omninò erit siue ipse præsumatur fuisse perseueraturus in sua excommunicatione propter non quæsitam absolutionem, dum potuit, siue emersurus ex illo cœno crederetur. Neque DD. huius distinctionis, quam parùm subtiliter excogitauit Ricciul. meminêre, sed absolutè affirmant hoc testamentum validum esse contra gloss. in cap. decernimus. de sentent. excomm. in 6. quam singularem iure merito dixit Franc. in Rubric. de testament. in 6. casu. 16. Idem tamen cum glossa sensit Hostiens. in cap. Pia de Exceptionib. in 6. & Ioann. Monach. in cap. Quanquam. de vsuris in 6. & pauci quidam alij.

Probatur verò, quia edictum de testamentis est prohibitorium, ideo est omnes testari possunt, nisi illis specialiter & expressè prohibeatur, quod patet ex l. si quæramus. ff. de testamentis, & l. 1. C. de sacrosanct. Ecclesiis, & §. fin. Instit. quibus non est permissum facere testamentum; atqui nullo iure prohibitum est excommunicatis testari, nisi aliunde aut ratione criminis, quibus est annexa excommunicatio, intestabiles reddantur, vt in excommunicato propter hæresim cap. excommunicamus. §. credentes. de hæreticis, & cap. cum secundum leges eod. tit. in 6. & in authentic. credentes. C. de hæreticis idem manifestis quoque vsurariis cap. quanquam de vsuris in 6. sed hæc instabilitas non oritur, vti vides; præcisè ex censura excommunicationis, sed ex alia quadam pœna, illi in quibusdam casibus propter atrocitatem criminum, quæ plectuntur, apposita. Ex quibus magis confirmatur in aliis omnibus casibus, & ex iure communi censuram excommunicationis minime reddere excommunicatum intestabilem, quia exceptio denotat & firmat Regulam in contrarium, immò ne in iis quidem casibus hæresis, vsurarum, & aliarum einsmodi testamentum simpliciter nullum est, sed eius tantùm valor & efficacitas suspenditur, vti enim obtenta fuerit absolutio, valebit testamentum, si testator non mutet voluntatem, vti ex pluribus canonistis obseruat Ricciul. c. cit. n. 27. Quæ verò diximus de validitate testamenti ab excommunicato conditi, vera quoque sunt in codicillo & in donatione causâ mortis; hæc enim dispositiones ad leges testamentorum exigendæ sunt. Quod verò quidam dubitant de testamentis siue legatis ad pias causas relictis an valida sint, cùm Ecclesia oblationes excommunicati non recipiat, alibi fuit solutum, & sanè non solet Ecclesia admittere ea legata cum onere impertiendi sua suffragia excommunicato, quem à suo cœtu extorrem fecit, & peccarêt ministri, qui ad id se obligarent, si excommunicatus maximè sit vitandus; possunt tamen omnia legata admitti absque eo onere, etiamsi ad alia quædam pia opera ex voluntate testatoris excommunicati impendendæ sint, inutiliter tamen pro eius animæ subleuatione, si expiatoriis ignibus detineatur.

Ratio porrò à priori huius nostræ assertionis petenda est ex Regula generali, quia enim excommunicatio non priuat dominio rerum suarum excommunicatum, neque voluntate vtendi illis aut donandi, aut alia ratione à se alienandi, non prohibet etiam ne alienet per testamentum, quia quoties censura nihil facit circa aliquam potestatem eius, quem innodat, valida sunt, quæ ex ea potestate geruntur, vti sæpius diximus.

Dicendum videtur 2. neque illicitam aut peccaminosam esse factionem testamenti ab excommunicato contra communem quidem sententiam, quã vt indubitatam supponunt Sayr. c. 9. cit. n. 1. Suar. disp. 15. s. vlt. & alij passim; sequor tamen Auil. 2. p. c. 6. disp. 6. dub. 6. & Ricc. c. 58. cit. n. 3. qui rationenecessitatis excusant testatorem excommunicatũ à peccato communicandi cum cæteris fidelibus contra prohibitionem sibi factam, si enim illi licet consulere suis rebus, quidni poterit per viam testamenti, immò aliquando ad vitandas lites aliaque incommoda tenetur testari; quarè si nequeat obtinere tunc absolutionem ab excommunicatione, licitè omninò testabitur. Deinde quoties aliquis nequit priuari vsu alicuius potestatis & dominij, nisi priuetur indirectè ipsa potestate & dominio, nunquam censendus est priuari illo vsu & exercitio suæ potestatis, alioqnin lex ipsa secum pugnaret, non priuaret enim dominio neque potestate Reum, vt supponitur, & tamen reuerâ priuaret, quandoquidẽ prohibendo eius dominij exercitium sequitur necessariò ratione alicuius adiuncti priuatio perpetua ipsius dominij; in eo igitur casu relinquit lex non modò dominium & potestatem, sed liberum quoque eius vsum & exercitium; atqui hoc contingit in testamentis, cùm enim vulgò non condantur nisi in extremo vitæ periculo, si excommunicatus non

non habeat tunc liberam dispositionem rerum suarum, periculum est, ne vnquam sit ipsi integrum de suis bonis disponere, & ipso quoque dominio in perpetuum excidat, & nunquam etiam absque sua culpa possit vti sua potestate. Quarè vbi non erit copia absolutionis, eritque periculum in mora; poterit intereà testari excommunicatus; quia verò id contingit frequentiùs, & lex respicit casus ordinarios, non verò quæ rarò accidunt, idcircò existimo simpliciter & absolutè dicendum esse, excommunicatum licitè & absque culpa testari.

83 Vnde sequitur neque illos, qui necessariò interesse debent ad valorem testamenti peccare, vt tabellio & testes, si enim principalis agens non peccat, neque qui illi tantùm subsidium præbent, peccabunt; licitè etiam aliquis inducet hunc excommunicatum ad condendum testamentum, quia ad rem bonam & non prohibitam incitat; immò si hoc eius multum intersit, quia speret se instituendum hæredem, aut legatarium, non peccare fatetur Suar. f. cit. etiam si totam testamenti scriptionem peccaminosam dixerit.

84 Dicendum est tertio excommunicatum quemcunque validè & licitè institui hæredem, & de validitate quidem consentiunt Suar. f. 9. disp. 15. Ricciul. lib. 4. cap. 59. numero 1. qui plures dabit cum Sayr. cap. 9. cit. numero 9. quia plures qui sunt intestabiles institui tamen possunt hæredes, vt de pueris, furiosis, mente captis & aliis certum est; quarè nisi ius aliquod expressum afferatur, quo excommunicati prohibeantur institui hæredes, vt statutum est de percussoribus Cardinalium in cap. fœlicis. de pœnis in 6. omnino legatarij & hæredes validè instituentur, atque instituti validè succedent, cùm neque suis dominiis, neque suis iuribus per excommunicationem priuentur, vbi tamen valebit exceptio excommunicationis non poterunt in iudicio agere ad eam hæreditatem, cæteraque iura capienda ante obtentam absolutionem.

Quod attinet ad culpam, aliquam in ea institutione agnoscit Suar. f. 9. cit. num. 4. saltem quando iste hæres est excommunicatus vitandus, quia in ea institutione communicatur; verùm cùm neque præsentia, neque consensus, neque alia actio huius excommunicati necessaria sit in ea factione testamenti, non videtur vlla cum ipso communicatio interuenire ne quidem per litteras, quamuis enim in eius commodum condatur testamentum, non tamen ad eum dirigitur, immò sæpius illius inscius est, præterquàm quod vtilitas & necessitas excommunicati facilè excusabit totam hanc communicationem, si quæ sit, vt constat ex superioribus.

CONSECTARIVM XV.

An communicari possit cum excommunicato per Eleemosynam.

85 Vtilitas & necessitas tum excommunicati, tum alterius facit vt inculpabiliter ab eo accipiatur, eidemque donetur Eleëmosyna, neque ea de causa posui hanc quæstionem, quæ satis iam definita restat, sed quia Alterius. lib. 1. disput. 15. cap. 5. eandem controuersiam excitauit, propter quædam loca P P. & maxime Augustini quibus videtur colligi soli iusto Eleemosynam erogandam esse, ex quibus malè intulit glossa in cap. Non omnis. 5. q. 5. ℣. tollitur, neque excommunicato dandam esse. Verùm etiam peccatoribus citra extremam indigentiam licitè erogari stipem alibi fuit ostensum, modò ea non sit fomentum nequitiæ, vt dixit ipsemet Aug. Ep. 48. & in Psalm. 102. atque ipse Ecclesiastic. cap. 12. da bono, & ne receperis peccatorem, benefac humili, & ne dederis impio quanquam negari non possit, melius esse cæteris paribus iusto, quàm impio Eleemosynam facere; idque insinuat Christus, cùm monet, vt nobis faciamus amicos de mammona iniquitatis, qui recipiant nos in æterna tabernacula, quod obseruarunt Hieron. lib. contra Vigilant. & Aug. serm. 35. de verbis Domini, & loco adducto probat Alteri.

Si tamen æqualis sit indigentia excommunicati & non excommunicati, neque omnibus sufficiat Eleemosyna, aut indiuisibilis sit, præponendus erit non excommunicatus, modò cætera omnia paria sint, quia si excommunicatus foret consanguineus, aut alio quopiam iure polleret, præferendus esset non excommunicato, non ratione excommunicationis sed aliunde, vt vides.

Vltima causa excusans communicationem cum excommunicato, nimirùm ignorantia excommunicationis aut prohibitionis.

De hac ignorantia nihil habeo addere iis, quæ dicta sunt de ignorantia excusante à lege pœnali, in scientia canonica & quæ q. 1. huius disquisit. annotauimus de necessaria cognitione denuntiationis excommunicati, vt illum vitare obligemur, quæ omnia iterum insinuabuntur disq. 9. Certum igitur est ignorantiam tum facti, tum iuris excusare à communicatione cum excommunicato, quod etiam constat ex. cap. Quoniam multos. 11. q. 3. Vbi Gregorius idcircò laxat rigorem antiquorum Canonum, & quibusdam personis liberam communicationem cum excommunicatis permittit, quia quidam peccabant hac in re partim ignorantia, partim nimia simplicitate, quæ peccata vitare intendit Pontifex. Vnde optimè colligit Hurtad. disp. 9. n. 25. ignorantiam etiam crassam, & alioquin culpabilem excusare ab hac communicatione, quia Pontifex significat se ex misericordia eximere ignorantes ab obligatione veterum canonum, atqui ignorantia inuincibilis & inculpabilis non excusat ex misericordia tantùm, aut indulgentia superioris, sed ex natura rei, & ex illa nemo vnquam petit, cùm tamen Pontifex dicat ignorantia multos perire ob istam communicationem, prætereà quod ignorantia absolutè sumpta, vti sumitur in eo cap. omnem ignorantiam tum vincibilem, tum inuincibilem complectitur, quamuis communis sententia solam ignorantiam inuincibilem excusare ab hac communicatione existimet, vt videbis apud Sayr. lib. 2. cap. 14. numero 25. & alios passim recentiores. 86

QVÆSTIO X.

De quibusdam aliis effectibus excommunicationis.

SVpersunt tres effectus excommunicationis, qui ad superiores commodè reduci non poterant.

Primus est inhabilitas obtinendi Rescripti Pontificij ad lites, vt c. 1. de rescriptis in 6. traditur, & latè disputat Ricc. lib. 4. c. 38. Ratio huius Edicti, quo Gregor. IX. inutile reddidit omne rescriptum ab excommunicato impetratum, prætérquam in causa

causa excommunicationis & appellationis, est, quia excommunicatus repellitur à Iudicio, vnde aliqui extendunt hanc constitutionem Gregorianam ad Rescripta Prælatorum, atque adeò Principum sæcularium, vti fusè tradit Ricciul. lib. 4. cit. cap. 39. & 40. & consentit Rebuff. in cap. postulastis. n. 72. verum cum q. 8. dixerim exceptionem, per quam excommunicatus repellitur à Iudicio contraria consuetudine, pluribus in locis abolitam fuisse, & certum sit eam in Gallia minimè vigere, vt ibidem monebamus, valida erunt omnia ista Rescripta ad lites impetrata. Quod si iuri communi inhærendum foret, existimarem cum Nau. cons. 28. q. 1. de sentent. excommunic. & Suar. disp. 17. s. 1. & aliis, hanc inutilitatem Rescriptorum sola Pontificialia restringere, & non inferiorum Prælatorum, & multo minus Regalia. de inferioribus quidē Prælatis ex eo probat Nau. quia nullus hactenus illud cap. 1. de Rescriptis in 6. de alio quam de Pontificio Rescripto intellexit, imò neque dubitauit, an de alio foret intelligendum. deinde quia nomine Rescripti absolutè non significatur, nisi supremi Principis Rescriptum, & cum simus in materia odiosa, non est contra communem sensum DD. & nulla vigēte ratione lex ista amplianda. quæ omnia potiorem locum habebont circa Rescripta Principum, de quibus non est intelligenda lex Ecclesiastica, nisi illorum expressè meminerit; neque enim potest pro arbitrio Pontifex eiusmodi Rescripta inutilia reddere; quarè de iis absque grauissima causa loqui existimādus nō est. Certum igitur est mandatum & rescriptum Pontificium ab excōmunicato impetratum nullū esse, quod latè tradit Rebuff. repetit. in c. postulastis de clerico excōm. ministr. à n. 64. vbi tamen 22. casus enumerat, in quibus valet Rescriptū ab excōmunicato impetratum, quorū tamen aliqui dubij sunt; tu illum adi.

Alter effectus excommunicationis est infamia, qua aspergit excommunicatum, cap. infames. 6. q. 1. quem textum singularem dixit Roman. in singula. 675. Hæc autem infamia est tantum Canonica, vt notat Innoc. in cap. cum te. de re Iudicata. & non ciuilis. nisi quando excommunicatio infligitur propter crimen, cui Iure ciuili est annexa infamia, sed ea tunc non oritur ex ipsa excommunicatione. quid porrò sit infamia Iuris, quid facti; quid ciuilis, quid canonica, & quos pariant effectus, dicemus cum agemus de pœnis; interim adi Alteri. lib. 2. disp. 8. cap. 2. Moneo duntaxat excommunicationem debere esse publicam, alioquim non minueret famam, imò & declaratam sententia Iudicis, alioquin enim non est vitandus excommunicatus, neque propriè infamis.

3. Qui per annum in excommunicatione propter violatam libertatem Ecclesiasticam lata insorduerit, subiacet banno imperiali. Authent. Item quæcumque. C. de Episcop. & Clericis.

4. Aliqui effectus nascuntur ex insordescentia in excōmunicatione per annum de quibus latè diximus qu. 7. 2. propositione, & iterum aliquid attingā disq. 10. circa obligationem curandi absolutionem.

QVÆSTIO VNDECIMA

De effectibus minoris excōmunicationis.

Duo sunt effectus minoris excommunicationis. Primus est priuatio susceptionis sacramentorum; alter est incapacitas aliqua ad beneficia Ecclesiastica, si enim quis innodatus hac excommunicatione eligatur ad beneficia Ecclesiastica, eius electio irritanda est. Vtrumque traditur in cap. si celebrat. de Clerico excomm. ministr. & hic posterior effectus est tantum indirectus, & oritur ex 1. quia enim participatio sacramentorum prohibetur huic excommunicato & necessarium sæpiùs sit ad beneficium aliquem ordinē sacrum recipere, idcircò prohibetur illi beneficij acquisitio, quæ est ratio, quam in eo cap. si celebret, affert Pontifex.

Cæterùm quæ circa istos duos effectus disputanda forent hoc loco, iā à nobis definita sunt, nam qu. 3. & 4. latè dixi, quomodo excommunicatio ista prohiberet à percipiendis sacramentis, & vtrum etiā aliqua ratione à ministrandis quoque arceret; neque aliud circa huoc præcipuum effectum talis excommunicationis disputandum occurrit hoc loco.

Quod verò attinet ad aliquam indirectam incapacitatem ad acquirenda beneficia Ecclesiastica fusè dixi quæst. 7. proposit. 1. 3. parte illius vbi & ostendi hanc electionem non esse ipso iure irritam, sed tantùm irritandam, eamque constitutionem cap. si celebrat valere circa omnia beneficia, & non tolli per Extrau. Ad Euitanda, quæ non fauet excommunicatis, esset autem illorum fauor, si ea electio non esset irritanda. Non peccabunt tamen Electores dum illi excommunicato non denuntiato communicabunt, neque etiam fortassis in eo, quod talem eligant, quia non est simpliciter indignus. Vide Suar. disp. 24. s. 2. à num. 26.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De Effectibus suspensionis.

Repetendum est ex disq. 1. duplicem esse suspensionem, vnam ab officio, alteram à beneficio, quamuis vtraque aliquando simul imponatur vni & eidem, & vel sit totalis & integra, vel partialis tantùm, vti loco adducto distinctè fuit explicatum. Supposita igitur vtriusque huius suspensionis natura & definitione non fuerit operosum varios illarum effectus in quibus assignãdis ferè conueniunt DD. paucis exponere, quod faciam sequentibus Regulis.

PRIMA REGVLA.

De suspensione in communi.

Attendenda sunt verba, quibus vel à iure, vel ab homine per sententiam fertur suspensio, vtrum ex cõmuni & natiua ipsorũ significatione absolutè & simpliciter accipienda sint, vel ad particularem aliquem effectũ restringenda: quod si verba obscuriora existant, ex subiecta materia, aliisque circumstantiis vestiganda erit meos iuris aut iudicis quoad amplitudinem siue vniuersalitatem, vel restrictionem huius censuræ & ipsius effectuum.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLÆ.

Hæc Regula traditur ab Henriq.li.13.c.32. n.1. & ab Aula 3.p.disp. 2.dub.1. & ab omnibus prorsùs admittenda est: cùm enim aliqua sit integra & totalis, alia partialis suspensio, & vna plures, altera pauciores habeat effectus, vna priuet exercitio vnius actionis, altera alterius, hæc diuersitas effectuum aliunde peti non potest, quàm ex intentione Iudicis suspensionem ferẽtis, & ad vnum potiùs quã ad alterum effectum illã determinãtis; neq; ea intentio aliunde quã ex proprietate verborũ, aut si ea ambigua & subobscura sint ex subiecta materia, & variis circũstantiis, quæ subinde cogũt impropriare verba, colligenda erit, vti sæpiùs monuimus & perspicuè ostẽdimus disq.2.q.5.n.4. suspẽsionũ verò alias esse vniuersales, alias partiales satis diximus disq. 1.q.2. & cõstabit ex dicẽdis tota ista quæstione: moneo dũtaxat hinc factum, vt ex his suspensionibus vna intendi, & extẽdi, minui & restringi possit, altera verò neq; minui neq; augeri valeat, cũ enim omnes effectus suo ambitu contineat, non habet vnde crescat, nisi fortassis respectu temporis, quod prorogabitur, quanquam suspensio, quæ censura est, nullum habeat tempus determinatum, sed solam Rei emendationem, & non annorum aut mensium lapsu sed sola absolutione tollatur, vt dicam iterum disq. 10.

illa verò determinatio temporis conueniat suspensioni, quæ mera pœna est, cuius distinctionis meminimus q. 2. cit. partialis autem suspensio cùm modò plures, modò pauciores effectus complectatur, incrementi capax est. Hinc intelliges, quo sensu Can. Aposto. 13. iubeat suspensionem intendi, quia omnium vel illi addebatur priuatio communionis, vel alterius ordinis, vel frequentiùs depositio. can. 5. Apost. & Can. 27. Trulla. pertinaces in suis vitiis clerici post suspensionem deponuntur, quanquam & ipsam quoque depositionem partialem olim fuisse euidenter docebimus q. seq.

Hæc porrò diuisio suspensionis in vniuersalem & partialem, non conuenit excommunicationi aut interdicto, etsi enim alia sit excommunicatio minor, alia maior, immò & quondam videantur fuisse plures minores excommunicationes pro diuersitate priuationum, quas inducebant, cùm reuerà potiùs pœna quædam essent, quam censuræ; omnis tamen excommunicatio maior eosdem vbique & semper parit effectus, neque est in potestate ferentis illam, vt priuet v. gr. administratione Sacramentorum, & non diuinis officiis, aut Ecclesiastica sepultura, nisi vel tollatur excommunicatio, vel cum excommunicato dispensetur à Pontifice, quod sæpiùs monuimus. Ratio à priori huius discriminis est, quia excommunicatio habet in iure expressos suos effectus inter se connexos consentaneè ipsius naturæ, cùm enim illa sit eiectio extra cœtum fidelium & exsectio ab Ecclesia atque vt loquebatur Tertullian. priuationem communionis Christianæ, quæ omnia illa membra superioribus quæstionibus explicata complectitur, quodammodo ex natura rei inducit, non est autem Episcopi vlliusue Prælati Pontifice summo inferioris instituere nouas censuras, aut iam institutarum naturas immutare, vti demonstratum fuit disq. 3. q. 1. nequeant etiam inferiores isti Prælati in iure communi dispensare, vti alibi videbimus: non poterit igitur ferens excommunicationem, eius aliquem effectum impedire, & partialem excommunicationem ferre, & Titium excommunicare maiori excommunicatione, & tamen velle, vt solùm per illam excommunicationem priuetur communibus Ecclesiæ suffragiis; poterit quidem prohibere ne in sua diœcesi communia suffragia ipsi applicentur, & ne pro illo oretur, quæ erit pœna quædam, non censura excommunicationis, neque efficiet quominus Titius reliquæ Ecclesiæ suffragiis iuuetur tanquam eius verum membrum. At verò cùm effectus suspensionis neque ex natura sua, neque ex natura censuræ suspensionis, neque ex definitione iuris communis sint necessariò inter se connexi & inseparabiles, erit in arbitrio ferentis illam, quos libuerit effectus assignare, aut permittere, vt omnes sibi proprios nanciscatur, prout grauitas culpæ, cui admetienda pœna est, id postulabit; quod discrimen suspensionis & aliarum censurarum sapienter aduerterunt Henriq. & Auila locis citatis.

SECVNDA REGVLA.

De suspensione ab officio absoluta & simplici.

4 Suspensio ab officio absolutè sumpta priuat omni vsu ordinis, iurisdictionis, & administrationis clericalis siue Ecclesiasticæ, quantum ipsa persona capax est, non tamen à beneficio acquisito, quamuis noui acquisitionem infirmam & irritabilem reddat.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLÆ.

Hæc Regula in vniuersum confirmari potest ex 5
significatione nominis officij Ecclesiastici, quod vti disq. 1. dixisse me memini omne munus clericale siue sit ordinis, siue iurisdictionis, aut administrationis Ecclesiasticæ spiritualis aut temporalis, complectitur, vti colligitur ex cap. 1. de iudiciis, in 6. & extrauag. ambitiosè de rebus Ecclesiast. non alien. Cùm igitur absolutè ponatur ea vox, & non ad certum aliquod munus, aut functionem limitetur, in amplissima sua significatione propria tamen & natiua vsurpanda erit, nisi aliquid adhibeatur, quod eam restringere persuadeat. Quæ est ratiocinatio Panorm. in cap. cùm dilectus de consuetudine. ℣. officium, & glossæ in capite 1. de sententia & re iudicata in 6. ℣. officij, vbi dicunt tam amplam esse officij vocem, vt omnia comprehendat præter beneficium, esseque officium velut quoddam totum integrale constans variis potestatibus ad plures actus & functiones Ecclesiasticas, vel si mauis, est totum quoddam vniuersale complectens varia munera ordinis & iurisdictionis tanquam diuersas species, qui verò prohibet simpliciter & absolutè vsum alicuius potestatis genericæ prohibet quoque vsum potestatum specificarum sub illo genere contentarum. Confirmatur ex nominibus, quibus suspensionem ab officio explicant antiqui PP. Nicæni. can. 2. dicunt cessationem à clero. PP. Trullan. can. 3. cessationem ab omni sacro ministerio, *πάσης ἱερατικῆς λειτουργίας ἤτοι ἐνεργείας*, Basili. ad Amphiloch. can. 69. cessationem à ministerio, *τῆς ὑπηρεσίας*; quæ voces significant, vt vides, omnem functionem clericalem prohiberi suspensis, siue eiectis à clero. Quarè hæc sententia communis est omnium Theologorum & Canonistarum, quam tamen placet per singulas partes explicare.

PRIMA PARS REGVLAE.

Suspensio non priuat officio, sed vsu officij.

Dixi 1. suspensionem priuare vsu, non potesta- 6
te ipsa, quod ostendit imprimis ipsa vox suspensionis, quæ noua non est, sed iam olim vsurpata à Felice II. Ep. 2. & à Concil. Aurelian. V. can. 5. & 17. significat autem hæc vox impedimentum appositum, ne aliquis actus exerceatur, non verò ipsam extinctionem, aut ablationem, vel deperditionem potestatis, tenetur enim veluti pendens actus, dum eius exercitium prohibetur. Idem significat cessatio ab officio vel à clero, quam loco suspensionis in vsu fuisse antiquioribus diximus, sicut & sequestrari & remoueri ab officio per aliquod tempus, quo modo loquendi vtuntur Aurelian. Concil. III. cap. 2. Bracar. III. c. 1. & Toletan. XIII. c. 11. & denique omnium antiquissima & communissima vox abstineri & abstentus quæ pro suspendi & suspensus vsurpabatur à latinis, sicut & *ἀφορίζεσθαι* & *ἀφορισμός* à Græcis, quæ tum de laicis,

tum de clericis dicta fuerunt ἀφορισμὸς quidem, vbi de laicis dicitur, significat eam excommunicationem, per quam in classem pœnitentium quis redigebatur, non verò per quam extra Ecclesiam eiiciebatur, quamque nos maiorem dicimus, vt probat Morin. lib. 2. Ecclesiast. exercitat. exercit. 3.

In clericis verò ἀφορισμὸς opponitur καθαιρέσει siue depositioni, estque pœna ea minor quandoquidem segregationi siue ἀφορισμῷ adiiciebatur depositio & καθαίρεσις crescente crimine, aut perseuerante contumacia, vt videbis in canonib. Aposto. can. 45. & 38. & 59. & in Synod. Trullan. can. 13. & 99. atqui si suspensio & ἀφορισμὸς siue segregatio priuaret ipso officio, & omni potestate clericali, idipsum efficeret quod depositio & καθαίρεσις, & non esset pœna leuior ipsa: idcircò P P. Ancyrani can. 18. segregari & ἀφορίζεσθαι interpretantur, honore moueri ad tempus aliquod, siue præscribatur à lege, siue arbitrio Episcopi relinquatur; cùm tamen depositio sit perpetua, quia nimirum est ablatio potestatis, non autem simplex segregatio, quam nos modo suspensionem dicimus, neque enim aliam habemus censuram clericorum propriam, & minorem depositione præter suspentionem. Non nego tamen aliquando segregationem & ἀφορισμὸν post depositionem infligi, vt can. 30. Aposto. sed tunc significat priuationem communionis, & æquiualet excommunicationi laicorum, quia clericus iam depositus iisdem pœnis, quibus laici, in quorum ordinem redactus erat manebat obnoxius; quarè si denuò peccaret, segregabatur ve laicus, & ad pœnitentium ordinem redigebatur vti fusius exponam in Consectariis.

Vox denique abstineri & abstentus promiscuè quidem de laicis & clericis vsurpabatur, vt ex veteribus monumentis passim constat, & maximè ex Concil. Eliberitan. can. 16. 21. 37. 54. 61. & 79. & modò leuiorem, modò grauiorem pœnam importat, quod facilè tum ex crimine, cui imponitur, tum ex aliis pœnis, quibus adiicitur, aut quibus præit, cæterisque circumstantiis colligitur; nam grauissimam pœnam ea voce significat Concil. Eliberitan. can. 20. cum iubet clericum vsurarium degradari & abstineri, & Cyprian. ep. 38. Fælicissimum propter fraudes & rapinas, adulteria & schismata abstentum à se dixit, id est, vt ibi interpretatur Pameli. scholio 10. excommunicatum, quam eandem significationem ep. 55. & alibi sæpius familiarem fuisse Cypriano ibidem obseruat Pamel. malè enim omnino Morin. exercit. 3. cit. existimauit Cyprian. illa ep. 53. vocem abstenti pro minore quadam pœna vsurpasse, eo quod videatur dicere fœlicissimum non tantùm abstentum à se Carthagine, sed ab Ecclesia deinde Romæ pulsum fuisse à Cornelio, vnde infert Morin. abstentum eo loco esse aliquid leuius, quàm ab Ecclesiā pulsum quandoquidem hæc depulsio & eiectio ab Ecclesia, accesserit iam abstento. Sed longè alia Cypriani mens est, ait enim Fælicissimum à se propter scelera grauissima abstentum, & plurimorum Coëpiscoporum sententia damnatum, cùm Romam ad Cornelium profectus esset tanquam iam excommunicatum & abstentum reiectum esse, neque ad communionem admissum, & cùm vt in Ecclesiam irrumpere stipatus caterua & factione desperatorum conaretur, ab eodem Cornelio vigore pleno, quo Episcopos agere oportet ab Ecclesia pulsum esse. Itaque illa depulsio ab Ecclesia non fuit noua aliqua pœna & censura per sententiam Cornelij inflicta Fœlicissimo iam abstento, sed violenta eiectio, & depulsio corporalis atque actualis, vt ita dicam, ab Ecclesia, in quam ille vi irruebat, cùm tamen ab illa iam abstentus omninò fuisset, & vt loquitur Cyprian. ibid. iam pridem cum sui similibus DEI maiestate & CHRISTI Domini & iudicis nostri seueritate depulsus, nimirùm propter grauia crimina ab Episcopis damnatus & eiectus. Diaconum quoque, qui cum Virgine dormierat à Pomponio abstentum, quod laudat Cyprian. Ep. 62. de minori quadam pœna, quàm sit excommunicatio, idem author interpretatur, sed contra mentem, nisi fallor Cypriani, qui vult eas virgines, si post inspectionem integræ fuerint inuentæ admitti ad Ecclesiam accepta communicatione, ergò extra illam positæ fuerant; quod autem addit, ei, quæ corrupta deprehensa fuerit, agendam esse plenam pœnitentiam, vt deinde Exomologesi facta ad Ecclesiam redeat, significat tantùm huic corruptæ difficilius, & non nisi post longam atque integram exomologesim siue pœnitentiam reditum ad Ecclesiam permitti, cum non corruptæ statim permittatur; satis tamen indicat vtramque fuisse abstentam & ab Ecclesia eiectam.

Leuiorem tamen pœnam, atque adeò dum agitur de Clericis, eam quam suspensionem dicimus designari hac voce, *abstineri*, rectè confirmat idem Morin. ex can. 3. Conc. Epaun. Vbi concili. clericis venationem prohibet, & ne canes aut accipitres enm in vsum alant, & secus facientes plectit, si Episcopus est, inquit Concili. tribus mensibus se à communione suspendat, duobus presbyter abstineatur, vno diaconus ab omni officio & communione cessabit. Quæ eadem iisdem planè verbis habentur in Concil. Agathensi. cap. 55. & referuntur à Gratian. capit. Episcopum dist. 34. ex Concil. Aurelian. IV. cùm tamen in nullo Aurelianensi reperiantur. Burchardus verò & Iuo. p. 6. cap. 288. ex Meldensi; ex Agathensi verò in quo reuerà habentur, citat idem Iuo. p. 5. cap. 366. & p. 13 cap. 30. Verùm quidquid sit de hac Canonum permixtione, de qua dictum fuit aliàs, liquido constat, *abstinere*, antiquis fuisse idem quod suspendere, aut imponere, cessationem ab officio: quis verò non videat eam vocem ex natiua sua significatione non importare ablationem potestatis, sed potius eius vsum & exercitium prohibere; quare cùm omnes voces, quibus tum antiqui, tum recentiores hanc clericorum censuram expresserunt, significarent propriè solam cessationem à munere clericali, non autem ipsam potestatis ablationem etiamsi ab Ecclesia auferibilis foret, rectè dicebamus prohiberi tantum per hanc censuram eiusmodi exercitium. Etsi enim depositio, per quam, vt videbimus q. sequenti tollitur quoque potestas clericalis, quantum auferri potest, exprimatur aliquando iisdem vocibus, adiunguntur tamen aliqua, quibus hæc pœna ab alia leuiori, quam suspensionem nominamus, discernatur, & ex quibus colligatur voces illas communes ad ipsam extinctionem omnis potestatis Ecclesiasticæ extendi, non tam ex vi nominis quàm ex subiecta materia.

2. ostenditur hæc pars nostræ Regulæ percur- 7.
rendo ea à quibus clerici suspenduntur per suspensionem ab officio, cùm enim hæc vox significet ordinem, Iurisdictionem & omnem functionem atque administrationem Ecclesiasticam statim apparet non tolli ordinis potestatem, neque eradi ipsum

chara

characterem, qui indelebilis est, diximusque alias Ecclesiam nihil posse circa ordinem & potestatem ex illa profluentem, sed solum circa illius vsum impediendum & prohibendum. Iurisdictio verò vel ordinaria est & annexa alicui dignitati, vel tantum delegata, quod idem dico de functionibus variis & ministeriis, nam vel certis muneribus, quæ etiam officia dicimus, alligantur ex Ecclesiastica institutione, vel clericis à Prælato, aut aliis potestate pollentibus quotidiè committuntur. Quoties igitur iurisdictio & potestas exercendi aliquam functionem Ecclesiasticam alicui dignitati vel muneri Ecclesiastico annectitur, cùm per suspensionem quis non priuetur dignitate, neque officio, quod prius gerebat; neque enim desinit Episcopus aut cantor, aut thesaurarius, esse Episcopus, aut cantor, aut thesaurarius, quod idem de cæteris similibus dicendum est, non priuabitur etiam potestate, neque iurisdictione illi dignitati & officio connexa ex iure ordinario & communi institutione, sed illius duntaxat vsu prohibebitur, ita vt si quidpiam durante suspensione ab officio gerat non modo illicitè sed etiam sæpiùs inualidè gerat, vti explicuimus alibi.

Quando verò iurisdictio delegata duntaxat est, & functio siue administratio quæpiam Ecclesiastica commissa alicui clerico, cui ex munere, quod gerit, non competebat, maior videtur difficultas; hi enim cùm nullum gerant officium nisi ratione iurisdictionis sibi delegatæ, aut administrationis sibi commissæ non possunt intelligi priuari officio per suspensionem ab illo, nisi tota ea iurisdictione & administratione priuentur, cùm eo casu iurisdictio, & eius vsus vix distingui valeant; alioquin quæ ille Clericus post suspensionem ab officio gereret, valerent, quamuis illicitè facta fuissent, quod tamen nemo dixerit: verùm etiam in iurisdictione delegata distinguenda est potestas ab vsu, quo solùm priuat suspensio ab officio, manet enim ille Clericus semper instructus potestate sibi delegata, quamuis sit ipsi prohibitus eius vsus: vnde fit, vt sublata suspensione non opus habeat noua delegatione, sed statim possit vti iurisdictione sibi commissa, neque enim ea iurisdictio restituitur per absolutionem à censura suspensionis, cùm ille qui absoluit, sæpissimè nequeat conferre iurisdictionem, quæ ligata fuerat per suspensionem: quod idem dicendum est de officiis, quibus simplex & nuda administratio competit, neque enim qui absoluit à suspensione confert de nouo officium custodis aut Sacristæ, aut aliud quodpiam, vt patet.

SECVNDA PARS

REGVLAE.

Quid singillatim tollat suspensio ab officio.

8 Dixi 2. Hanc suspensionem ab officio integram & vniuersalem priuare vsu ordinis, iurisdictionis & administrationis Ecclesiasticæ, quia, vt initio monui, hæc tria comprehenduntur nomine officij Ecclesiastici.

Et de ordinum vsu patet ex cap. 1. de sentent. & re iudicata in 6. vbi suspensus ab officio, *damnabiliter ingerens se diuinis, irregularitatis laqueo se inuoluit secundùm canonicas sanctiones.* Quod idem dicitur. cap. caueat. de sentent. excomm. in 6. Non incurritur autem irregularitas propter violatam suspensionem, nisi ea suspensio fuerit ab vsu ordinum, vt dixi latiùs lib. de irregularitate.

De vsu quoque iurisdictionis dubitari nequit ex eod. cap. 1. de re iudicata. in 6. & ex iis, dum per suspensionem ligari iurisdictionem dicebamus, & cùm non exprimitur à qua parte iurisdictionis fiat suspensio, ab omni omninò fieri censendum esse. Nam alioquin solent Pontifices in suis rescriptis limitare, vt in extrau. ambitiosè de rebus Ecclesiæ non alienand. inter comm. suspenditur Prælatus à regimine suæ Ecclesiæ vel Monasterij in temporalibus & spiritualibus; Quarè vi illius suspensionis non prohibetur regere alias Ecclesias, si quas habeat suæ curæ commissas. Itaque reiicio glossam in cap. audiuimus. ℣. excommunicatus. 24. q. 1. ait enim suspensum ab officio posse adhuc quæ sunt iurisdictionis vt excommunicare, beneficia conferre, & alia eiusmodi exercere, cùm tamen eadem glossa in cap. cùm dilectus de consuetudine. ℣. à suspensis, cui subscribunt passim DD. asserat suspensum absolutè ab officio, ab vsu quoque iurisdictionis prohibitum esse, & sanè illo cap. cùm dilectus. Pontifex declarat nullam fuisse electionem factam à suspensis, atqui electio est actus iurisdictionis: ergò si suspensus inualidè eligit, suspensus est à iurisdictione: præterquam quod nulla ratio affertur, cur suspensio ab officio amplietur potius ad vsum ordinum, etiam vbi agitur de iurisdictione, quàm ad iurisdictionem vbi simpliciter ponitur ea vox, & per nullam additam particulam, aut ex subiecta materia restringatur potiùs ad ordinem, quàm ad iurisdictionem, tunc enim maximè in sua totali significatione sumenda est, atqui in cap. 1. de re iudicata in 6. suspensio ab officio extenditur ad ordines, vti ostendi ex pœna irregularitatis apposita violanti talem suspensionem, & tamen eo loco agebatur tantùm de Iudice, qui contra conscientiam & iustitiam in grauamen alterius partis, quidpiam in iudicio fecerat, is enim suspenditur per annum ab exequutione officij, quæ verba videntur loqui de iurisdictione tantùm iudiciali, à qua suspendatur iniquus ille Iudex, & tamen, vt dixi, ad suspensionem ab ordine extenduntur. Vnde refutes eos, qui negant suspensionem ab officio includere totum officium Ecclesiasticum, sed aliquam tantùm eius partem, quæ ex subiecta materia, aut causa propter quam fertur suspensio determinanda erit; qui omnes, vt dixi, confutantur ex allato cap. 1. Si enim vera esset Regula ab aduersariis tradita limitanda esset suspensio illius capitis ad suspensionem à iurisdictione in foro iudiciali & contentioso, quia non fertur nisi in Iudices iniquos, qui iurisdictione sibi collata ab Ecclesia, abutebantur in foro contentioso, & tamen etiam ad ordinem ampliatur, vti ostendimus, & multò magis ad omnem aliam iurisdictionem. Ratio est, quia quamuis propter vnum aliquod tantum delictum, & in certa materia commissum feratur suspensio ab officio, potuit tamen illud esse ita graue vt suspensionem ab officio totali, & non tantùm circa illam materiam mereatur; quarè nisi Pontifex limitet suam censuram, si vtatur verbis vniuersalibus, secũdum totam suam propriam significationem accipienda erit: exempla verò, quæ ex cap. 2. de solutionib. & aliis locis proferunt aduersarij, nihil probant, quia in illis suspensionem ad certum aliquod officium restringunt iura.

Atque ex his omnibus manet quoque probatum illam suspensionem totalem & vniuersalem cõprehẽdere prohibitionẽ õnis administrationis Ecclesi-

sticæ, quia etiamsi ea aliquando exprimatur, vt in cap. illo. 2. de solutionib. & Extrau. ambitiose de rebus Eccles. non alien. quando tamen non exprimitur subintelligenda est in voce vniuersali officij, quæ, vt sæpius dixi non tantùm munus, cui est annexa Iurisdictio, sed etiam illud cui competit nuda & simplex administratio complectitur ex vsu communi DD. vt ex Abbate monet Alteri. disp. 4. de suspens. c. 1. initio & sub fin. & nos in principio Regulæ diximus.

TERTIA PARS REGVLÆ.

Suspensus ab officio, non est eo ipso suspensus à beneficio, ab illo tamē accipiendo impeditur.

Dixi 3. suspensionem ab officio non inuehere suspensionem à beneficio contra glossam in c. latores. de Clerico excomm. ministr. vbi contrarium simpliciter affirmat, & contra varias distinctiones aut limitationes, quas tum glossa in Clem. Cupientes. de pœnis. ✠. suspensi, tum DD. afferunt apud Sylu. ✠. suspensio. num. 5. Alteri. disp. 4. de suspensis c. 3. Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 5 1. & alios; Nam Couarru. in 4. Decretal. 2. p. cap. 6. n. 14. vult suspensum ab officio propter crimen graue suspensum quoque esse à beneficio, quod non contingit, quando fuerat suspensus ab officio propter contumaciam, aut leue aliquod crimen; quæ fuit etiam mens Petri de Auila. in Clem. cupientes de pœnis, vt Couarru. & alij referunt, in eamque inclinat Valent. tomo 4. disp. 7. q. 18. p. 1. Alij cum Hostiensi in summ. tit. de verborum significatione. §. vlt. distinguunt inter suspensionem, quæ fertur à iure, & eam quæ fertur ab homine, prior enim illa non extenditur ab beneficium eo quod statutum pœnale restringendum sit; at verò suspensio eadem lata ab homine comprehendit etiam suspensionem à beneficio, quia hominis sententia restringenda non est, sicut lex pœnalis, vt pluribus confirmat glossa in Clem. Cupientes. de pœnis; hanc tamen distinctionem suspensionis à iure & ab homine aliter accipiunt nonnulli, Ioann. enim Andr. in citatam Clem. Cupientes, suspensionem ab officio per legem extendit ad suspensionē à beneficio, quod negat quando suspensio fit per sententiā hominis.

Quibus omnibus aliisque distinctionibus reiectis assero in vniuersum suspensionē ab officio propter quamcunque causam, aut crimen, & à quocunque feratur, non suspendere à beneficio, neque eius propriis fructibus priuare suspensum, quod postremum addo, quia certum est cottidianas distributiones, quæ solùm dantur præsentibus, non competere illi, qui sua culpa & propter censuram, quam contraxit, prohibetur diuinis officiis interesse, si reuerà non interfit, nam si interesset, quamuis non sine peccato, faceret tamen distributiones suas, vti docent Petrus Toletan. lib. 2. de Restitut. cap. 1. p. 2. diffic. 4. n. 137. Henriq. lib. 13. c. 13. n. 3. & c. 14. n. 3. & c. 14. n. 3. & c. 3 1. n. 3. litt. X. Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 5 1. n. 1 2. & Alteri. disp. 4. cap. 3. quia ministerium illud præstitum à suspenso, quamuis illicitè, tam vtile est Ecclesiæ, quàm si fuisset à non suspenso & proindè licitè exhibitum

Quoad nostram autem principalem assertionem sequitur Nau. cap. 27. num. 160. Henriq. lib. 13. cap. 3 1. §. 3. Vgolin. tab. 4. cap. 6. §. 3. Phila. 1. P. de officio sacerd. cap. 1. Sà. ✠. suspensio. n. 1. Sayr. lib. 4. Thesau. cap. 5. n. 16. Suar. disput. 26. s. 3. n. 4. Auila. 3. p. disp. 2. dub. 2. con. 6. Sanch. disp. 5 1. cit. n. 1 2. Toletus. lib. 1. cap. 43. Hurtad. tract. de suspens. n. 7. diffic. 4. Kon. disp. 15. n. 6. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 1. n. 3. Bonac. disp. 3. de censu. p. 2. 10. 10. qui Fillucium & Reginald. dabit, quibus accedit Villalob. 1. tom tract. 18. diffic. 3. n. 6. Probaturque euidenter, quia hæ pœnæ sunt distinctæ, vt ex earum definitionibus & effectibus patet, vnde sæpiùs seorsim feruntur, quod ex innumeris locis apparet, neque vna necessario aliam includit, quandoquidem qui est suspensus ab officio, potest adhuc multa circa suum beneficium præstare, eiusque curam gerere, atque onus ad quod vi illius tenetur per vicarium implere. Et sanè si vna ex his suspensionibus aliam inferret, frustra ferretur suspensio ab officio & beneficio simul, quia suspensio ab officio, excluderet quoque à beneficio, cùm tamen singula verba legis debeant aliquid operari. Neque est quod reponas, frustrà addi particulam exclusiuam, per quam aliquis suspenditur tantùm ab officio, si ea suspensio absolutè prolata, & sine particula excludente, aut limitante, non contineat etiam suspensionem à beneficio. Respondeo enim ad maiorem cautelam addi eam particulam, licet idem operetur forma verborum cui ea exclusiua non adiicitur, nam hæ propositiones, lego centum Titio, & lego tantùm centum Titio, idem efficiunt, neque plus in vna, quàm in altera legatur. Ratio est, quia propositio non potest plus operari, quam verbis exprimatur, cùm igitur tantùm exprimantur centum, non nisi centum legantur. Quod idem in sententia iudicis contingit quæ cùm in nostro casu non exprimat nisi suspensionem ab officio, etiamsi non neget suspensionem à beneficio non operabitur, nisi suspensionem ab officio, quam solam exprimit, immò etiamsi iudex intenderet infligere vtramque suspensionem, si vnam tantùm exprimit, illam solùm infligit, quia intentio non operatur nisi prout exteriùs significatur & quantum significatur. Denique si suspensio totalis ab officio contineat suspensionem à beneficio, suspensio etiam ab officio determinato, suspenderet ab aliqua parte beneficij, cùm eadem videatur esse ratio, quod tamen nemo dixerit, & denique manifestè traditur nostra sententia cap. inter. de purgatio. Canonica. Ibi enim Innoc. III. probat suspensionem tum ab officio, tum à beneficio, qua Archiepiscopus Senonensis eiusdem Ecclesiæ Decanum de hæresi infamatum percusserat, *Licet*, inquit, *Ecclesiastica constitutio tales ab officio tantum vsque ad purgationem Canonicam doceat suspendēdos.* Ex quibus liquido colligitur suspensionem ab officio non comprehendere suspensionem à beneficio, quam adiecerat iste Archiepiscopus præter legem Ecclesiasticam, quæ solam suspensionem ab Officio iudicebat, & quam pœnæ adiectionem ait Pontifex se non improbare propter immanitatem criminis.

Distinctiones verò & limitationes, quas addebant aliarum sententiarum authores inutiles omninò sunt, cùm author censuræ, siue sit ius, siue homo, & culpa propter quam impositur, non mutet eius naturam, aut effectus, quoties iisdem omninò verbis exprimitur, quamuis enim culpæ admetienda sit pœna, non propterea tamen semper Iudex æquali pœna plectit crimen, sed aliquando minori, exigit enim tantùm æquitas, ne pœna excedat culpam, non autem vt semper ipsi ex æquo respondeat

pondeat, certis enim ex causis illam minuere quandoque licet.

Neque placet, quod addebat Nau. cap. 27. n. 560. & sequitur Lopez. 2. p. Instruct. cap. 31. de suspens. tit. quis possit suspendere. Corona. confesso. tit. de suspens. n. 6. de Graffiis lib. 4. decisio. cap. 25. num. 7. à quibus vix abest Auila. conc. 6. cit. nimirum quando suspensio ab officio est perpetua, aut diuturna priuare quoque beneficij fructibus, quia æquiualet tacitæ priuationi beneficij; non placet, inquam, hæc limitatio, neque placuit Sayr. lib. 4. Thesau. cap. 5. n. 17. quia diuturnitas non mutat naturam suspensionis, neque facit illam esse depositionem aut priuationem officij & beneficij; neque præcisè ratione suspensionis ab officio, priuari quis potest à beneficio, ratione tamen contumaciæ, quam aliquis committit, dum in suspensione perseuerat volens aut ratione criminis attocioris, ob quod fuit suspensus posset etiam priuari beneficij sui fructibus, immò & ipso beneficio, quod resignare alteri tenebitur, si qui in perpetuum fuerit suspensus, neque spem obtinendæ absolutionis habeat, eo quod nonquàm licitè exercere possit officium, propter quod duntaxat datur beneficium, atque ita Nauarri doctrinam explicant tandem Auila, Henriq. Lyman, Sanch. Kon. Sayr. locis citatis.

Illud porrò vnicum argumentum, quo ducebantur aduersarij, nempe accessorium sequi principale, beneficium autem esse quiddam tantùm officij accessorium, cùm propter illud, vt dixi, conferatur, ac proinde sublato officio, seu eius exercitio impedito tolli quoque beneficium, aut saltem eius fructus, qui præstantur tanquam merces exequenti officium Ecclesiasticum. Hoc, inquam, argumentum admodum debile, est, quia officium & beneficium non sunt necessariò connexa, neque vnum necessariò sequitur aliud, cum plurimi, qui officiis Ecclesiasticis defunguntur, careant beneficiis: Deinde qui habet beneficium non semper tenetur per seipsum exequi officium, sed potest per vicarium, quod æque poterit, vbi fuerit suspensus, præterquàm quod semper tenetur priuatim recitare officium, quæ est præcipua pars impositi sibi oneris.

10 Hinc tamen probatur, quod addideram suspensionem ab officio impedire ab acquisitione noui beneficij, quia ex generali Regula, quam pluribus stabiliuimus q. 7. ex cap. vlt de Clerico excomm. ministr. prohibita alicuius actus exequutione, prohibetur id omne, per quod ad illam exequutionem perueniatur; quarè cum officium Ecclesiasticum prohibeatur suspenso, prohibetur quoque acquisitio beneficij, quod non nisi propter illud officium confertur, atque ita sentiunt DD. omnes quos dabit Garc. 7. P. de benefic. cap. 14. num. 1. Existimo tamen non esse inualidam prorsùs & irritam collationem beneficij factam suspenso ab officio, sed irritandam dumtaxat, & eiusmodi suspensum non esse inhabilem, & incapacem noui beneficij, quare tum collatio, tum præsentatio, tum prouisio in fauorem suspensi subsistent, nisi infirmentur; vti dicebamus de excommunicato non vitando. Ita Suar. disp. 26. s. 3. n. 8. Kon. disp. 15. dub. 2. con. 3. Layman l. c. Villalob. tom. 1. tract. 18. diff. 3. num. 4. Alteri disp. 4. de suspens. cap. 3. Con. 3. cum aliis de excommunicatione relatis contra Garc. cap. 14. cit. vbi & aliquot Rotæ decisiones refert, & contra Bonac. disp. 3. de Censu. punct. 2. num. 11. qui dabit alios, quia hic effectus suspēsionis nullibi exprimitur in iure, nam c. vel non est compos. de temporibus ordinat. vbi Pontifex mandat denuò prouideri de beneficio Ecclesiastico, puero suspenso propter receptos ordines ante legitimam ætatem, non dicit dispēsatione fuisse opus neque personam, fuisse inhabilē sed iubet Episcopum, qui puerum illū ordinauerat, & quem, donec vsque ad legitimam ætatem peruenerit suspensum manere vult, donet competenti aliquo beneficio Ecclesiastico, ne videlicet mendicare cogatur; Itaque pœna est, quam ordinanti Episcopo infligit, illum enim imprimis suspendit à collatione Ordinum, & deinde interminatis censuris compellit prouidere de beneficio Ecclesiastico ita à se ordinato, quia vt ibidem aduertit gloss. illum sine sufficienti titulo in ludibrium ordinis Clericalis ordinauerat, vnde sequitur suspensum ab Ordine esse incapacem beneficij neque posse illud absque Pontificia dispensatione validè obtinere, vt ibi notauit Panormit.

CONSECTARIVM I.

An suspensio vniuersalis ab officio sit eadem in omnibus.

℞. nō esse, sed diuersos effectus in diuersis personis 11
operari, quia ista suspensio priuat executione officij, cuius persona Ecclesiastica capax est, vti diximus in Regula nostra; quare supponit capacitatem in subiecto, vnde si clericus habeat solum ordines, & non Iurisdictionem, per suspensionem ab officio carebit tantùm vsu ordinum, & non Iurisdictionis, quam non habet, cùm è contrario, si polleat Iurisdictione, & non ordinibus, vti contingit in Episcopo nondum consecrato, suspensio priuabit illum vsu Iurisdictionis & non ordinum, quibus caret: vnde si plures suspendantur ob idem delictum, & alij instructi sint sola Iurisdictone, alij solis ordinibus initiati, alij ordinibus simul & Iurisdictione diuersos in istis Reis eadem pœna suspensionis ab officio habebit effectus, quod oritur ex diuersitate & capacitate subiecti, in quod cadit, non ex causa siue effectiua, siue materiali, propter quam fertur. Monet tamen Alteri. disp. 4. de susp. cap Iudicis esse eo casu compensare aliis pœnis, quod respectu alicuios Rei desit huic suspensioni, quæ propter incapacitatem subiecti in aliquo leuis erit, cum in alio eiusdem criminis Reo sit multò grauior.

CONSECTARIVM II.

An alicubi suspensus ab officio, sit vbique suspensus?

℞. Vbique suspensum esse nisi in forma sus- 12
pensionis siue à iure, siue ab homine determinetur locus, quod docet glossa in cap. pastoralis. de Appellationib. §. verum ℣. subtrahuntur. & in cap. si quis presbyter. 7. qu. 1. ℣. alius Episcopus, & in cap. 2. 11. qu. 3. ℣. ab aliis, & in cap. cupientes. de Electio. in 6. ℣. in ipsa Ecclesia Panorm. in cap. Pastoralis. de Appellation. n. 20. Vbi Ioan. Andr. allegat, Vgolin. tab. 4. cap. 6. §. 2. num. 4. Layman. lib. 1. tract. 5. Pa. 3. cap. 1. num. 7. Sayr. lib. 4. cap. 5. num. 7. Alteri. disp. 4. cit. cap. 5. Suar. disp. 26. S. 1. num. 9. Villalob. diff. 3. cit. num. 3. Filluc. tract. 17. cap. 2. qu. 2.

Bonac. disp. 3. de Censu. P. 3. num. 7. cuius tamen doctrinæ rationem idoneam vix reddunt DD. eo quod priuatus Episcopus non possit extra suum territorium ius dicere, verùm ex ijs quæ diximus disq. 3. de causa effectiua Censurarum & ex natura huius suspensionis manifestata fit nostra assertio, cùm enim Censuræ suos effectus habeant non ex voluntate illas ferentis, sed ex institutione Ecclesiæ vbique illos obtinent; vnde inferebamus alicubi excommunicatum, vbique excommunicatum esse & vitandum; quarè cùm suspensio ab officio habeat ex institutione sua, quæ non pendet ab Episcopo illam imponente vim priuandi officio, id est omni clericali ministerio, vbique retinet illam vim. Dein suspensio ista non est præceptum tantùm aliquod, & prohibitio quanquam possit dari præceptum personale, quod territorio affigatur, vti diximus alibi, sed est inhabilitas quædam ad officia Ecclesiastica, inhabilitates autem vbique inhærent personis, & qui semel alicubi factus est inhabilis, manet vbique inhabilis, nisi denuò restituatur pristinæ habilitati.

Dixi tamen aliquando determinari locum suspẽsionis, vt in Extrau. Ambitiosæ. de rebus Ecclesiæ non alien. vbi Prælatus suspenditur à regimine Ecclesiæ, vel Monasterij, cuius res alienauit, atque in eo differt suspensio ab excommunicatione, quæ omnes suos effectus semper & vbique producit, neque pendet ea in parte à determinatione ipsam ferentis, vti contingit in suspensione, cùm enim alia sit vniuersalis, alia partialis, tum quoad obiectum, tum quoad locum, tempus & alias circumstantias, vti euidenter habetur in Iure, ea determinatio aliunde peti non potuit, quam à ferente, quando autem non limitantur, sed absolute fertur, vniuersalis erit vndequaque, & omnem effectum atque locum complectetur.

Vt verò hæc determinatio magis explicetur, obseruandum est inter officia Ecclesiastica alia esse annexa ordini, alia verò ab illo prorsus esse independentia, cuiusmodi sunt, quæ in nuda & simplici administratione consistunt, vt officium custodis, Sacristæ, Thesaurarij & alia similia, quæ etiam solent esse affixa loco cuipiam, cum ordines nullum locum determinatum respiciant, vnde fit, vt suspensio ab officio nunquam determinetur circa aliquem locum ratione vsus ordinum, vti fit respectu aliorum officiorum quæ in administratione circa res particulares alicuius loci consistunt; idcircò dixerunt aliqui cum Vgolin. loco cit. suspensionem ab officio vbique habere suum effectum ratione vsus ordinum, & eorum quæ ab eo dependent, at verò ratione aliorum officiorum non obligare extra territorium suspendentis, quod probabile quoque dicunt Suar. Alteri. Sayr. & alij adducti, licet probabilius existiment, hanc quoque suspensionem ab officio vniuersalem esse ratione loci, & extra territorium suspendentis valere, etiamsi restringatur ad certum territorium & locum ab ipso ferente. Ego ita controuersiam compono, vt dicam limitationem ratione loci nunquam apponi circa vsum ordinum, neque fortassis apponi posse, cùm enim sit inhabilitas quædam exercendi ordines, qui per illam inhabilis sit illius vsus & exercitij ordinum vbique inhabilis erit. Circa verò alia officia non modò possit limitatio apponi ratione loci, sed etiam soleat tum à Iure, tum ab homine ordinarie ita fieri Quarè poterit ex communi stylo ita intelligi suspensio, nisi quidpiam aliud contrarium suadeat; eoque sensu vera erit sententia Vgolini, non quod ita ferat natura suspensionis ab officio, cùm potiùs ex ea colligatur contrarium, cùm enim sit inhabilitas instituta ab Ecclesia, vbique eadem perseuerabit semel in aliquo posita, sed quia vsus communis & Stylus Curiæ induxit eam limitationem localem ratione officiorum, quorum exercitium alicui certo loco ex se affixum est, & non respicit indifferenter omnem locum, sicut respicit exercitium ordinum, quod nulli Ecclesiæ, aut Monasterio, aut regioni alligatur.

CONSECTARIVM III.

An possit communicari cum suspenso ab Officio.

℞. 1. communicari cum illo posse quoad omnia ciuilia & diuina, quia contrarium nullo iure cautum est neque enim suspensio est ejectio extra cœtum fidelium, quare non teneor discedere à missa quam suspensus celebrat etiam si ille peccet celebrando. 14

Secundo quoties suspensus non est denuntiatus nominatim, licet ab illo tum sacramenta tum cætera omnia quæ vel ab vsu ordinis, vel abusu iurisdictonis pendent petere ex fauore Concilij Constantiensis, neque enim is suspensus iurisdictione caret, neque ea attendo peccat quoties ab alio fide præuenitur siue ad eum actũ inuitatur, vt quæstione prima fusè fuit explicatum.

CONSECTARIVM IV.

An suspensus ab Officio nulla diuina attingere & exercere possit.

℞. Hunc suspensum posse omnia siue ciuilia, siue diuina exercere quatenus non sunt officia Clericalia, sed Officia quædam Christiana. Ratio est quia suspensio ista est tantùm ab officiis Ecclesiasticis, vne & in solas personas Ecclesiasticas cadit, quamdiu igitur Clericus suspensus ab officio, reuerà non aget in aliquo officio Clericum, sed tantùm id præstabit, quod laicus aut eo modo, quo Laicus præstaret, non violabit suspensionem, vti manifestum est. 15

Hinc fit 1. vt possit ingredi Ecclesiam, nisi ille ingressus fuerit nominatim interdictus, vt dicam in sequenti Regula.

2. Quamuis nequeat celebrare missam, celebranti tamen inseruire, diuinis officijs interesse, Litanias, Responsoria, Officium defunctorum, Horas Canonicas cum alijs in choro recitare, Epistolam sine vestibus sacris cantare, & alia omnia, quæ laicis licita sunt, vt Vgolin tab. 4. cap. 5. §. 3. num. 2. & 6. Henriq. lib. 13. cap. 32. n. 1. Sayr. lib. 4. cap. 5. num. 2. & alij tradunt.

3. suspensus à collatione sacramentorum non peccat, neque fit irregularis, si aliqua, quæ non requirunt Ordinem in ministrante, conferat tanquam Laicus sine solemnitate, baptizet verbi gratia aut Eucharistiam porrigat, vti quondam laicis illam manu capere licebat, & quidem non fieri Irregularem defectu solemnitatis, & quia ista non facit ex officio, sed tanquam laicus, communis est sententia apud Maiol. lib. 3. c. de Irregul. cap. 19. num. 16. & Couarr. in Clem. si furiosus. 1. P. §. 1. num. 1. & alios. Quoad peccatum, dico non peccare, nisi eo casu, quo peccaret,

ret laicus vel defectu reuerentiæ vel extra necessitatem id munus sibi sumens. Ita Sayr.lib.4.cap.7. num. 10.

4. Eum in loco sacro sepeliri & Indulgentias obtinere nihil prohibebit. Ita Sayr. 16.n.26.

5. Tenetur horas Canonicas priuatim eodem modò atque ante Suspensionem recitare, vti etiam dicebamus de excommunicato, aliòquin subiacebit omnibus pœnis, quibus alij clerici non recitantes obnoxij sunt, non enim debet quis ex sua pœna & malitia reportare commodum.

6. Episcopus suspensus ab officio potest nihilominus incedere cum apparatu & vestitu Pontificali, quando nullum propterea actum Pontificalem exercet, vt si Romæ aut alibi extra suam diœcesim ita prodeat in aliquo consessu, quia vix in sua diœcesi ita incedere posset, quin populum benedicat, aut eiusmodi aliquem alium actum exerceat, à quo tamen, si velit, omninò abstinere, nihil impediet quominus hæc sibi inducat ornamenta. Ita Sayr. cap. 5. cit.numer.5. quia in hac re non exercet actum officij Pontificalis à quo suspensus est.

7. Priuatur suffragio in Electione, quia Electio est officium quoddam, quod Clericis tantùm, aut personis Ecclesiasticis conuenit. Ita Vgolin. tab.4. cap.7.§.3.&cap.8.§.9.n.2.

8. Quoties ius suffragij, seu, vt loquuntur, vox in Capitulo pendet à beneficio, ratione cuius competit illud ius, non amittitur per suspensionem ab officio, cùm enim illa non comprehendat suspensionem à beneficio neque etiam comprehendet ea, quæ illi ratione solius beneficij conueniunt.

9. Vox in capitulo, quando non pendet à beneficio cessat per suspensionem ab officio, quia etiamsi illa non sit adnexa ordini, vt patet in conuersis laicis, cui illa competit ex consuetudine, teste Innoc. in cap. 2. de Institution. & glossa in cap. ex eo. de electionib. in 6. ỿ. electionibus. & in monialibus, pertinet tamen ad aliquod officium Ecclesiasticum, atque ita suspensio ab officio, cùm prohibeat omne officium Ecclesiasticum, istud etiam, quod in consessu & voce capitulari exercetur, prohibebit, & moniales eo ex capite capaces erunt suspensionis. Præterquam quod fortassis aliquam ea in re iurisdictionis partem delegatam habent; qua de re disputauimus 1. Vbi de subiecto Iurisdictionis Ecclesiasticæ. Nostram porrò sententiam de priuatione vocis capitularis per suspensionem ab officio latè docet Felin. in cap. Apostolicæ de Exceptionib.num.16. Verum tamen est, eum qui tantùm ab ordine suspensus foret, non amittere vocem in Capitulo, quia illa non est actus ordinis, & quamuis in Clem. vt ij. de ætate & qualit. dicatur Canonicum nullo sacro ordine initiatum carere voce capitulari; inde tamen non existimarem Canonicum suspensum ab ordine priuari voce capitulari, quia ordo quidem requiritur, vt obtineatur Ius dicendi in capitulo, ne Canonici negligant promoueri ad ordines, non propterea tamen fit vt ea vox sit exercitium ordinis etiam in Canonico; Quarè si tantùm suspendatur ab exercitio ordinis sui, non propterea suspenditur à voce capitulari.

CONSECTARIVM V.

An suspensus ab officio possit suscipere Sacramenta, & maximè Ordines & Eucharistiam?

Hæc Quæstio soluta manet ex superiori Con- 16
sectario, cùm enim receptio sacramentorum sit officium Christianum & non Ecclesiasticum, à quo solo suspendit censura ista, vti diximus, liquidò sequitur illam minimè impedire receptionem sacramentorum.

Difficultas nihilominus est de Ordinibus, cùm 17
enim eorum actiones exercere nequeat suspensus ab Officio, videtur etiam Ordines suscipere licitè non posse, quia ex sæpiùs tradita Regula, prohibito alicuius vsu prohibetur id per quod ad illud peruenitur; itaque peccatum in ea Ordinum susceptione agnoscunt Sayr. lib.4. cap.5. numer. 25. Vgolin. tab.4. capit. 5. §. 3. Alij verò. cum Suar. disput. 26.s.3. num.11.& Alteri disput.4. cit. numer.2. distinguunt, negant enim illam ordinis receptionem prohibitam esse formaliter, quatenus est sacramenti receptio, sed quatenus est via siue principium peragendæ functionis Ecclesiasticę prohibitæ. Deinde cùm nemo suspendatur propriè nisi ab ordine iam suscepto, suspensio nunquàm impedit susceptionem Ordinis per se primò, sed tantùm consequenter, sicut enim prohibetur suspensus ab vsu ordinum, si quos habet, ita si non habeat, ne ad illos promoueatur, atque adeo radicaliter quodammodo prohibetur ab vsu etiam illorum ordinum quos non habet.

Mihi tamen perstandum videtur in Regula posita, dicendumque cum Bonac. disputat. 3. de censu. p. 2. num. 15. nullum in hac suspensione ordinum à suspenso ab officio, aut ab ordine culpam admitti siuè primo, siue consequenter; quia, vt dixi, hæc receptio ordinum neque est actus ordinis, neque Iurisdictionis, qui soli per eam suspensionem prohibentur. Quarè non peccat contra suspensionem, qui illos recipit, nisi animum habeat illos exercendi durante suspensione: non est autem considerandus tantùm status, in quo ordines recipit, quod attinet ad eorum vsum, sed tempus quo vsurus est suis ordinibus, cùm enim non suspendatur nisi ab vsu ordinum & non ab ipso ordine, quem Aduersarij dicunt consequenter prohiberi, quia est principium actus prohibiti, si ille actus non sit exercendus nisi eo tempore, quo non est ampliùs prohibitus, non prohibebitur acquisitio principij, quod nunquam exibit in actum prohibitum, atque ita non peccatur contra Regulam sæpiùs allatam, & neque per se primò, neque consequenter illicita erit susceptio ordinum propter suspensionem ab officio, quia reuerà non suscipitur principium actus prohibiti pro eo tempore, quo ponendus est.

Restat Eucharistiæ sacramentum, cuius suscep- 18
tioné extra Missæ celebrationem & laicorum more permissam esse clerico suspenso omnes æque consentiunt, cùm ea communio sit omnibus Christianis communis & non clericis propria; vnde frequentiùs PP. in variis Conciliis ita limitant sententias, quibus Reos aliquos siue Episcopos, siue presbyteros, aut etiam inferiores clericos suspendunt, aut quod grauius est, deponunt ab omni officio & gradu clericali, vt communionem solam ipsis concedant, aut ab illa repelli minimè

velint;

velint; vt in Conc. Aurelianen. 3. c. 7. de eo qui cum invitus & reclamans fuisset ordinatus, deinde Coniugium ambiuerat, & can. 26. eos qui vsuras aliaque negotia exercent, & quæ circa illa statuta sunt, violant *ab ordine degradari* iubet *communione concessa*. In Conc. item Aurelian. V. cap. 4. clericum, qui ad thorum coniugalem sibi deinceps illicitum redierat, volunt PP. ex antiquorum Canonibus *ab Officio deponi ei tantummodò communione concessa*. Gregor. lib. 2. Ep. 14. Natalem episcopum Salonitanum, nisi Honoratum Archidiaconum, quem iniustè suo gradu mouerat, restituat, vsu Pallij priuat, tum si contumax esse pergat, Dominici corporis ac sanguinis participatione; Eum verò qui contra Iustitiæ Regulam in Archidiaconatum alterius se proueht consensit, ab Archidiaconatus honore deponit, & si ministrare nihilominus pergat communionis sacræ participatione abstinet. Ex quibus apertè vides priuationem communionis fuisse pœnam distinctam à suspensione & depositione, quibus crescente Rei pertinacia solebat addici. Petrus quoque Alexandrin. can. 10. pœnitent. Clericos, qui postquàm temerè se tormentis obiecissent, lapsi erant, nō vult amplius sacra ministeria, quæ nomine λειτουργίας comprehendit, obire, eis tamen communionem κοινωνίαν concedit, ne & nimia molestia affecti, vt quadam dissolutionem quærant, & ne alij eodem casu præcipites facti, seriùs cogitent ad officium redire, cum viderint etiam post reditum se communionis extortes futuros, & quamuis hæc communio κοινωνία de communicatione cum fidelibus exponenda sit interprete etiam Balsamone, est tamen maximè de communione Eucharistica, in qua præcipua Christianorum communicatio existit, accipienda.

Rationem vero propter quam non placuerit suspensionem & depositionem secum semper & ex primaria institutione priuationem Eucharistiæ afferre reddunt Apostoli can. 25. de Clericis omnibus fornicatoribus statuentes vt deponantur & non segregentur, ne bis in idem crimen vindicetur contra scripturam. Ad quem Canon. alludit omninò Basil. Ep. ad Amphiloch. can. 3. de Diaconis fornicatione lapsis agens; Vbi eandem rationem affert, propter quam depositioni non iungeretur excommunicatio, ne bis idem crimen puniatur; cùm enim in Laicis plectatur excommunicatione siue priuatione communionis, si in Clericis ἀκοινωνία & priuatione communionis, ac prætérea depositione puniretur, reuerà duplici pœna puniretur. Præterquam quod, vt ait ibidem Basil. Laici per pœnitentiam redeunt ad fidelium Congregationem & Communionem; Clerici autem siue sacri homines ἱερωμένοι non redeunt ad sacerdotium εἰς τὴν ἱερωσύνην, à quo exciderunt. Quarè si illi pœnæ accederet priuatio Eucharistiæ & communionis grauissima omninò foret, & multum superaret illam, quæ propter idem crimen Laicis infligitur. eadem de duplici vindicta non iteranda, & proinde seiungenda depositione Clerici à priuatione Eucharistiæ repetit Basili. ibid. can. 32. Clericum enim committentem peccatum ad mortem πρὸς θάνατον ἁμαρτίᾳ iubet à gradu deiici, sed non à laicorum communione arceri, quia non est vindicandum bis in id ipsum; quo loco peccatum ad mortem non quoduis peccatum mortale, sed illud quod meretur capitale & extremum supplicium, interpretatur optimè Balsamon; agit enim Basilius contra eos qui volebant quidem propter fornicationem, furtum, & alia quædam peccata, quæ licet mortalia, leuiora tamen videntur, Clericū deponi, sed non segregari, vtrumque tamen illud supplicium simul propter cædem & alia grauiora peccata infligi volebant. At verò è contrario Basilius nimium illum rigorem molliens, statuit, vt etiam grauia crimina, quæ morte puniri solent sola depositione Clerici mulctarentur, tam atrox enim existimauit depositionis supplicium, vt morti Laicorum coæquari posset. Quanquam non diffiteamur aliqua crimina, quæ capitalia dixit Pacian. in parænesi, punita fuisse depositione simul, & segregatione à communione atque omnimoda excommunicatione, vt in can. 28. 29. 30. & 64. Apostolorum habetur; id tamen factum est propter grauitatem commissi sceleris, quod leuiori pœna expiandum non est. Deinde licet ita aliquando à lege sancitum sit, negat tamen Balsam. in cit. can. 32. Basilij, illud in exemplum esse trahendum, id est, vt ego interpretor, non licuisse iudicibus Ecclesiasticis geminam illam pœnam aliis criminibus infligere, quàm iis, quibus à iure & lege Ecclesiastica statuta erat, vt illam hæreticis synodi omnes magno consensu decreuerunt.

CONSECTARIVM VI.

Quid sit Communio Laica, ad quam Clerici suspensi vel depositi aliquando damnabantur?

19 Vidimus proximo consectario Clericis suspensis atque etiam depositis permitti vsum Eucharistiæ, non modò ex nouo, sed ex veteri quoque ritu, nisi propter grauitatem criminis adderetur depositioni excommunicatio & eiectio ex cœtu fidelium, aut priuatio Eucharistiæ, vti à Gregorio factum referebamus, atque hanc communionis & Eucharistiæ participationem permissam Clericis suspensis existimant passim DD. esse communionem Laicam, quam PP. & Concilia sæpius dicunt se concedere eiusmodi Clericis depositis, quorum loca diligenter in vnum fascem congessit Durantus lib. 2. de Ritibus cap. 55. num. 7. Albaspinæ. lib. 2. obseruat. 4. & Pamel. ad Ep. 52. Cypriani. n. 37. verùm quid sit ista communio Laica & quis veterum Canonum legitimus sensus, qui communionem concedunt, aut negant aliquando ante depositionem, aliàs post illam, aliquando in exitu permittunt alias ne tunc quidem restitui volunt, lis non modica existit.

20 Alij enim volunt esse communionem sub sola specie panis, quæ laicis dabatur domum asportanda si voluissent, Licet enim permitteretur participatio sanguinis, non tamen nisi in Ecclesia, neque domum calicem deferre aut illum etiam contingere, fas erat. Ita Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 24. §. Quintus ritus erat. Idem fuit doctissimorum hominum sensus apud Lindan. lib. 4. Panopliæ. cap. 58. vbi eos accuratè refellit, quod & fusiùs præstitit Albaspin. obseruat. 4. cit. Quia tunc laicis licita erat vtriusque speciei communio, quod autem vna tantùm species asseruari posset & domum auferri nullo antiquo testimonio docetur; falsum etiam est non licuisse Laico tangere calicem, cùm ipsam speciem panis consecratam

consecratam manu exciperent, vt constat, quod longè maius erat, quàm calicem, quo sanguis CHRISTI continebatur, contrectare. Deinde liquet ex Cyrill. catech. 5. ipsum etiam vinum consecratum tangi potuisse, hortatur enim, vt si quæ hausto calice humiditas labris inhæreat, illa frontem & oculos & reliqua sensuum organa consecremus: Præterquàm, quod quamuis daremus vetitum fuisse calicis sacri contactum, & domum asportationem, non inde tamen ea communio diceretur laica, nisi clericalis ipsi opposita haberet ea omnia, quæ laicæ negantur, nimirum vt semper foret sub vtraque specie cum contactu calicis, & vtriusque speciei asportatione domum, aut certè vt neutram speciem Clerico asportare liceret, quæ ex antiquis ritibus doceri minimè possunt. Adde æquè potuisse Laicos puniri hac pœna, atque Clericos, quod tamen nusquam factum fuisse legitur, quia cùm æquè Laici communicarent sub gemina specie atque Clerici, sicut Clerici plectebantur, cùm vnica specie iuberentur esse contenti, eadem ratione Laici puniri aliquando potuissent, præterquàm quod cum Laicis permitteretur vsus vtriusque speciei, non satis liquet, quomodo Clerici non Sacerdotes, de iis enim tantùm ago, punirentur, eo quod ad laicam communionem redigerentur, nam etiam tunc illis sicut cæteris laicis permittebatur communio sub vtraque specie, nihil igitur minùs tunc habebant, quàm anteà, nisi fortassis quod non possent ipsi contingere calicem, sicut neque Laicis id fas erat; quæ exigua omninò pœna fuisset.

Alij itaque dixerunt Laicam communionem esse eam, quæ sumebatur inter Laicos extra Cancellos & altaris septum, vbi Sacerdos & Ministri communicabant, solis enim sacratis & clericis *iperatiosis* licebat ad altare accedere & ibi communicare ex Can. 19. Laodicæn. cuius etiam titus vetustiora vestigia in Dionysio licebit obseruare: Can. 69. Synod. Trull. soli Imperatori permittit ingredi ad altare, quamuis contrarium seruatum fuisse suo tempore in Ecclesia Chalcedon. atque inter Latinos obseruat Ballam. in eundem can. Quod ad Latinos tamen attinet, viguit etiam apud illos idem vsus, nam eadem destinatio locorum seruanda præscribitur in communione à Concil. Toletan. 4. cap. 17. & Bracha. cap. 31. Laicam itaque communionem interpretantur ratione loci Durant. & Pameli. locis cit. sed omninò parùm commodè, non enim quadrare potest ea expositio cum his quæ de ista communione tradunt veteres Canones, nam Fœlix III. ep. 7. cap. 2. quibusdam clericis in finem reddi communionem laicam præcipit, aliis verò quorum erant grauiora crimina ne in morte quidem restitui vult Conc. Sardic. Can. 2. Quomodo autem communio laica datur aut negatur moribundo, si ratio communionis Laicæ petatur ex certo loco, in quo suscipiatur Eucharistia. Idem dicendum est de tempore, ex quo alij petunt hanc denominationem laicæ communionis eo quod susciperetur à Laicis postquam clerici communicassent, vt dixit Turrecremat. in d. 55. hoc enim non conueniet illi communioni, quæ datur ægroto. Insulsius autem multò est, quod ibidem addit, eam communionem dici laicam, quæ fit laico more tantùm ter in anno, in Natiuitate Domini nimirùm, Paschate & Pentecoste: vt videas quàm in omni genere eruditionis, atque ipsius veteris Ecclesiasticæ disciplinæ imperiti & infantes fuerint boni Canonistæ, ex quibus etiam aliqui dixerunt, communionem de qua agimus, nominari laicam, quia extra sacrificium, & non in ipso sacrificio fiebat, quo sensu omnes non Sacerdotes sola communione laica vsi fuerint, cùm tamen Conc. Eliberitan. can. 76. Diaconos ad communionem laicam redigat, quod ab aliis Conciliis sæpiùs de cæteris inferioribus omnibus Clericis statuitur.

Vt porrò aliquam lucem huic difficultati affundamus,

NOTATIO PRIMA.

Quid significet communio in vsu Eucharistico.

Obseruandum imprimis est communionem vsu Ecclesiastico non significare duntaxat sumptionem 21 Eucharistiæ sed societatem, quæ inter fideles in omni vitæ commercio & rerum sacrarum imprimis intercedit, quod pluribus confirmat Albaspin. lib. 1. obseruat. sacra. obseruat. 1. & satis liquet ex opposita voce excommunicationis, quæ non solam Eucharistiæ priuationem significat, sed eiectionem ab omni fidelium societate & communione aut communicatione tum sacra tum prophana, vti fuse superiùs ostensum explicando effectus & priuationes, quas affert excommunicatio: præterea poterat quis restitui communioni, etiamsi non participaret Eucharistiam, nam Conc. Arelatens. 2. Can. 12. iubet mortuos pœnitentes recipi in communionem Ecclesiæ receptis eorum oblationibus, quod idem ab aliis quoque Synodis sæpiùs statutum fuisse constat.

Quia tamen præcipua pars Christianæ societatis consistit in eorundem Sacramentorum participatione, vt aliàs dixisse me memini, & præsertim in eiusdem cibi Eucharistici sumptione, idcircò factum est, vt Eucharistiæ sumptio diceretur antonomasticè communio, quanquàm sint & aliæ causæ, propter quas hæc vox ad Eucharistiam restricta est, quas enumerat Baius lib. 2. de Enchar. cap. 18. sed quia minus ad institutum faciunt, illas omitto, hæreoque in ea primaria societate Sacramentorum & fidei quæ per Eucharistiæ sumptionem designatur, cùm vti diximus aliàs, illa sit præcipuum symbolum vnitatis corporis Christi. Hinc fuit in more quondam positum vt in signum & tesseram communionis fidei mitteretur Eucharistia externis Episcopis, quod colliges ex Irenæo ep. ad Victorem R. P. cuius fragmenta refert Euseb. lib. 5. cap. 24. de obseruat. Baron. an. 198. n. 13. Huc etiam non ineptè quis referat peruetustum vsum in Africa, Gallia & oriente ministrandi mortuis Eucharistiam, vti ex Conc. III. Carthagin. cap. 6. Conc. Hippon. c. 5. Altissiodor. c. 12. & Synod. Trulla. c. 83. quæ id fieri prohibent, manifestò colligitur; & quamuis hunc fuisse abusum quendam asserant Basil. Ponc. q. 2. scholastica, & Epencæ lib. 2. de Enchar. cap. 7. Id tamen non improbabiliter negat Ferdinand. Mendosa. lib. 2. pro Conc. Eliberita. cap. 38. licet iustis de causis id prohiberint Concilia eo quod Eucharistia sit instituta per modum cibi, quem cadauera non sumunt, vt Carthaginenses & Trullani PP. ratiocinantur: Inde tamen colligimus

non

non damnari illum alium morem consepeliendi Eucharistiam mortuis, quod erat logè aliud, quàm ministrare mortuis Eucharistiam per modum cibi, siue potius Potus, nam sola species vini infundebatur ori defuncti vt ex Beda & Iuone obseruat Henriq. lib. 1. cap. 21. littera G. Panem autem Eucharisticum consepultum fuisse Antistitibus suo quoque sæculo obseruat Balsam in illum canon. 83. Trullan. ait enim tradi in manibus post mortem χειρίζεσθαι ad fugandos & auertendos dæmones εἰς ἀποτροπὴν τῶν δαιμόνων, & vt esset loco viatici in cælum illi, qui Apostolica professione fuisset dignus.

Existimarem potiùs fuisse notam vnitatis fidei & communionis cum Ecclesia, quaè obseruat Albaspin. lib. 1. obseruation. obseruat. 9. solis excommunicatis, qui sine communione Eucharistica decesserant, datam fuisse Eucharistiam, vt enim testarentur ipsos saltem post mortem fuisse fidelium communioni restitutos, impertiebant eos Eucharistia atque ita iuuari posse omnium suffragiis declarabant; & quanquàm apertè constet ex Balsamone, non solis excommunicatis defunctis datum fuisse in manus panem Eucharisticum cum ipsis Antistitibus tanquam priuilegij iure ita porrigeretur: Placet tamen id factum in notam vnitatis siue communionis fidelium, quod verò de excommunicatis, qui eo symbolo porrectæ Eucharistiæ redditi Ecclesiæ communioni designarentur contendebat Albaspin. confirmari potest illustri facto S. Benedicti apud Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 24. iussit enim supra cadauer pueruli Monachi, quod sæpiùs terra eiecerat propter inobedientiam, atque ita in Excommunicatione, vt videbatur, defuncti, *Dominicum Corpus poni cum magna reuerentia*, atque ita terræ mandari, neque deinde vltrà proiectum est eiusmodi cadauer. Ex quibus omnibus tandem habes communionis vocem significare societatem fidelium in sacris & prophanis, quæ societas, quia maximè in eorundem sacramentorum, ac præsertim Eucharistiæ perceptione, designatur, idcircò & Eucharistiæ sumptio communio dicitur strictiori quadam significatione; quare in exponendis antiquis Canonibus videndum erit, an communicatio in sua vniuersali significatione, an in ista strictiori vsurpetur.

NOTATIO SECVNDA.

Gemina fidelium communio Christiana & Ecclesiastica.

22 Obseruandum 2. est, geminam esse inter fideles communionem, vnam communem, quæ Christiana dicitur, quam hactenus descripsimus & quæ vniuersos fideles, qui inter sese communicant in quacunque ciuili & sacra consuetudine complectitur. Altera nominatur Ecclesiastica siue sacerdotalis aut Clericalis per quam personæ Ecclesiasticæ siue sacratæ inter sese communicant, tum præcipuè in functionibus sacris sibi propriis, tum etiam in communi vitæ consuetudine. Quæ gemina communicatio in omnibus veterum scriptis & Synodorum Canonibus vbique occurrit, cum vel omnem communionem Ecclesiasticam, vel eius aliquam partem prohibeant Reis Clericis in pœnam admissi criminis, permissa tamen communione Christiana tam cum aliis fidelibus, quàm cum personis Ecclesiasticis, vt in Conc. II. Arelat. c. 30. & V. Aurelian. c. 17. atque aliis suo loco adducendis videre est: Et sanè cùm ab ipsis Ecclesiæ primis cunabulis distincti fuerint fideles à clero, siue à personis consecratis, & diuino ministerio addictis ad Hierarchiam pertinentibus, quod in Dionysio & aliis veteribus obseruamus, necesse fuit aliam esse communionem fidelium inter se, aliam personarum consecratarum, cùm inter has omnes diuersa sit habitudo, vt patet; quia porrò tota distinctio populi & sacrorum ministeriorum, atque concinna eorumdem Ministeriorum diuersitas sumitur a diuerso respectu ad Eucharistiam & sacrificium, quod disputantes de Ordinis sacramento & Initiatione sacra aliquando fusè docebimus, factum est, vt communio etiam in sua strictiore significatione pro participatione Eucharistiæ, & varia ad illam comparatione, gemina quoque statui possit, & in Christianam atque Ecclesiasticam diuidi, licet passim in illa diuisione communio vsurpetur in sua ampliori significatione pro communi societate, sed præsertim sacra, quæ in omnium quidem sacrorum, sed maximè in Eucharistiæ perceptione aut administratione continetur.

Vtraque porro hæc communicatio tum Christiana, tum Ecclesiastica amplissima est, & pro diuersitate eorum in quibus fit communicatio secari facilè poterit in varia membra, alia enim est communicatio in ciuilibus, alia in forensibus, alia in diuinis, atque hæc posterior diuiditur in communicationem quoad sacramẽta tum percipienda tum administranda, & in communionem quoad alia diuina, vt sepulturam, ingressum Ecclesiæ, diuina officia & cætera eiusmodi, quæ superiùs explicata sunt: vnde nata est diuisio Excommunicationis in maiorem & minorem, prior illa priuat omni prorsùs Christiana communione tum sacra, tum prophana, vnde est eiectio, siue exeratio, vti ex Tertulliano monuimus ab Ecclesia: Minor autem Excommunicatio priuat tantùm parte aliqua communionis Christianæ, atque ex hodierno quidem vsu sola participatione passiua sacramentorum, aliàs enim sola quandoque participatione Eucharistiæ, aut solo Ecclesiæ ingressu, aut alia simili communicationis parte mulctabat ad aliquod tempus, quamuis ea tunc minor siue partialis excommunicatio non foret propria censura, quod disq. 1. docui, sed pœna quædam, quod ad præsens Institutum nihil moramur, attendimus enim tantùm diuersos gradus huius communionis Christianæ, quos colligimus ex gradibus priuationis illius, quã Excommunicationem nominare licet in ampliori quadam significatione, quam dum est censura propria & à pœna distincta, cùm enim essent quinque pœnitentiæ gradus, de quibus suo loco plura dicturi sumus, fletus, auditio, substractio, consistentia & communicatio siue participatio. Flentes ingressu Ecclesiæ prohibebatur, Audientes omni manuum impositione & precibus expiatoriis, siue deprecatoria benedictione mulctabantur. Substrati arcebantur ab omni sacrificio & liturgia, cui omninò non poterant interesse. Consistentes à sola Eucharistia remouebantur, postquam enim quis defunctus erat hoc gradu pœnitentiæ, admittebatur ad participationem Eucharistię & mysteriorum; quæ omnia alibi commodius exponentur, vides tamen hos omnes pœnitentiæ gradus complecti aliquam priuationem sacrę communionis Christianæ,

&

& potuisse dici excommunicationes quasdam partiales, aut minores. Aliquando verò tanta erat admissi facinoris turpitudo, vt omninò extra fidelium cœtum Rei eiicerentur, & ipsis communi etiam consortio interdiceretur, quæ erat maxima excommunicatio, quam nos modò maiorem vocamus, quàmque iterum patriri liceret ex nouo iure Extrauag. Ad Euitanda. quæst. 1. explicato, in omnimodam & reciprocam, in qua non modo excommunicato & extorri ab Ecclesia prohibetur omnis communicatio sacra & prophana cum cęteris fidelibus, sed ipsis quoque fidelibus cum ita excommunicatis communicare non licet; altera diceretur imperfecta excommunicatio, quæ licet inhibeat Excommunicato aliquid habere commercij cum fidelibus, nisi ab illis præueniatur, non impedit tamen, quominus fideles communicent cum his excommunicatis siue in sacris, siue in ciuilibus, quoties id ipsis commodum fuerit; atque ita maxime excommunicationis antiquus rigor mollitus fuit in fauorem fidelium per ius nouum de excommunicatis vitandis & non vitandis.

Communio Ecclesiastica suos quoque gradus habet, prout sunt varij gradus personarum sacrarum, quæ inter se communicant in conficiendis sacramentis & in aliis rebus sacris atque Ecclesiasticis pertractandis, atque ita ea communicatione, quam inter sese habent, priuati vel omnimodè, vel partialiter possunt, vel enim clerici à clericorum & collegarum consortio arcentur, vel tantum ab exercitio sui gradus & ministerij prohibentur, nefasque ipsis est cum aliis in eo ministerio communicare, vel permisso sacri ministerij vsu remouentur ab alio quopiam officio Ecclesiastico, cui aliquando est annexa iurisdictio, quæ iners & inutilis manet, cùm in actum exire nequeat durante prohibitione; alias est simplex administratio, seu functio ad res Ecclesiæ aliquo modo pertinens & personæ Ecclesiasticę propria; alias denique tum ab omni suo ministerio, tum à communione omnium collegarum & clericorum reiiciuntur. Ea quibus nata est suspensionis in partialem & totalem frequens distinctio, & cuius plurima exempla dabimus in sequentibus. Hinc factum quoque est vt has suspensiones & depositiones aliquando excommunicationes appellatas fuisse legamus, vti ostendit Morin. lib. 2. exercit. 16. Vbi triplicem clericorum excommunicationem facit, minimam, maiorem, & maximam. Prima clericum à collegarum duntaxat commercio & consuetudine eiiciebat cæteris omnibus ipsi concessis. Maior Excommunicatio clericorum dicitur ea, qua clericus ab omni officio depositus priuabatur omni participatione sacramentorum, & ad pœnitentiam iam laicus factus amandabatur, & cum illis pœnitentibus Eucharistię participatione priuabatur, quod quomodo fieret, docet idem Morin. exerc. 20.

Maxima denique excommunicatio erat, qua demum clericus ab omni tum laica, tum Ecclesiastica communione eiiciebatur.

NOTATIO TERTIA.

Clerici nunquàm damnati sunt ad communionem laicam nisi vbi suo gradu moti fuissent.

Obseruandum denique est nunquàm clericos damnatos fuisse communione laica, nisi vbi suo gradu moti, & vt loquimur, depositi fuissent.

Quod probatur 5. ex omnibus Canonibus, in quibus imponitur hęc pœna, quos congessit Albaspinę. lib. 1. obseruat. 4. Sic etiam Conc. Ephesin. c. 1. depositionem Episcoporum, qui Cœlestio inhæsissent, describit, vt ab omni communione Ecclesiastica eiiciantur, & ad nullum officium exercendum sint idonei. Et 2. p. eiusd. Conc. in Relatione missa ad Imperato. P P. Ioannem Antiochenum Apostatici cōciliabuli authorem & ei adhærentes ab omni Ecclesiastica communione alienos esse censent, & omnem Sacerdotalem functionem ipsi adimunt: Syric. Ep. ad Episcopos Tarracon. cap. 11. clericum, qui viduam aut secundam Coniugem duxerit omni Ecclesiasticæ dignitatis priuilegio nudat, laica tantùm communione concessa. Conc. Toletan. 1. cap. 4. subdiaconum qui propria vxore defuncta secundam acceperit ab officio deponit & inter ostiarios, vel lectorem reiicit, quod si deinde tertiam duxerit vult *biennio abstentum, postea inter laicos reconciliatos per pœnitentiam communicare.* Innoc. Ep. ad Exuperi. cap. 2. hanc esse Romanæ Ecclesiæ legem testatur, vt resipiscentibus hæreticis laicam tantùm communionem per manus impositionem tribueret, in nullum tamen vel exiguum clericatus honorem subrogarent. Similia colliges ex Basil. ad Amphiloch. can. 3. Cyprian. Ep. 52. de Trophimo ita post lapsum admisso, vt laicus tantùm communicet, non quasi locum aliquem Sacerdotis vsurpet. Similia colliges ex Guillelmo Bibliotheca. in Adrian. II. de Anastasio, qui presbyterio denudatus inter laicos communicare solitus erat. Aimon. de gestis Franco. lib. 5. cap. 59. apud quem Carolomannus Ecclesię Senonensis Diaconus, vbi vidit se Episcoporum iudicio propter perduellionem in patrem Carolum Caluum omni Ecclesiastico gradu pulsum fuisse, laica tantùm communione seruata sperauit faciliùs multò cœpta posse perficere, & Regiam dignitatem ambire, eo quod iam indicio Episcopali gradum omnem Ecclesiasticum amisisset. Ex quibus aliisque permultis certò conicias clericum donari laica communione, esse priuati omnibus officiis Ecclesiasticis.

Hinc colligit Albaspin. obseruat. 4. cit. hanc pœnam communicandi inter laicos perpetuam fuisse, eo quod non nisi perpetuo depositis iniungeretur, & sanè si ad tempus tantùm Ecclesiastica communione suspensus aliquis erat, non videbatur sufficiens ratio illum redigendi in ordinem laicorum, quandoquidem manebat semper in ordine sacerdotali, quamuis per aliquod tempus eius munera exercere, & cum Collegis consuescere vetaretur. Sunt tamen veteres Canones, qui suspensioni, siue temporariæ depositioni hanc pœnam adiunctam fuisse non obscurè significent. Nam Aurelian. V. cap. 17. Eos qui iniustè interpellarunt & fatigarunt Episcopum in Iudicio anni spatio à communione Ecclesiastica suspendit; & Turon. II. cap. 20. de presbytero, diacono & subdiacono, qui ad suam coniugem redierit, sic statuit, *annum integrum excommunicatus habeatur, & depositus ab omni officio clericali inter laicos se obseruare cognoscat.* Quarè dicendum est, varios fuisse diuersis sæculis mores, & depositionem aliquando temporariam fuisse, atque patuisse reditum ad aliquem gradum clericalem omnimodè depositis, quod q. seq. inquiremus. Satis mihi est laicam communionem nunquàm datam fuisse in pœnam nisi clericis omnimodè depositis siue

in perpetuum, siue ad tempus tantùm aliquod depositi fuissent, & sanè si aliqua temporaria tantùm depositio admittatur, debuit illi connecti pœna laicæ communionis, cùm enim toto illo tempore non haberentur pro Clericis ipsi depositi, non poterant etiam communione ecclesiastica gaudere. Quod confirmatur 2. ex eo quod quoties in veteribus fit mentio laicæ communionis, ea semper opponatur functionibus Ecclesiasticis, debuit igitur illis priuari, qui ad laicam communionem damnabatur. 3. Denique non poterat censeri inter Laicos, qui adhuc inter Ecclesiasticos perseuerabat, ab illo igitur gradu moueri oportuit, antequam tanquàm Laicus haberetur & communicaret cum Laicis.

Solutio Quæstionis Consectarij.

Ex his paulò fusiùs annotatis non modò laicæ communionis naturam eruemus, sed & plurima circa veterem disciplinam in castigandis Clericorum delictis colligemus, ex quibus priscorum canonum sententia alioquin admodum obscura lucem accipiat.

Est igitur laica communio societas fidelium Laicorum inter se & cum Ecclesiasticis ministris, tum in communi vitæ consuetudine & conuictu politico quocunque tū in participatione sacrorū, ad quam communionem damnati dicebantur Clerici, quoties sui ministerij functionibus priuati & suo gradu moti redigebantur in ordinem plebis, vt promiscuè cum Laicis & seorsim à Clericis consuescerent, & cum iisdem Laicis promiscuè Sacramenta perciperent, atque etiam ad communionem Eucharisticam siue vnius, siue vtriusque speciei venirent. Quarè laica communio est communio cum Laicis, inquit Lindanus, Clericorum excommunicatorum propria; sicuti enim suo gradu & dignitate exciderant, ita nec communione siue communicatione & consuetudine Clericorum sacra aut politica fruebantur, sed intereà ad societatem laicam adiungebantur, dum sacris expiationibus, atque saluberrimæ pœnitentiæ castigatione emendati amissam dignitatem, & vnà cum Clero communionem recuperarent, si tamen aliquando pristinæ dignitati semel depositi restituebantur, quod inferiùs inquiram. Atque ita explicata natura communionis laicæ colligitur ex prænotatis & traditur à Lindan. lib. 4. Panopl. cap. 58. Dexaintes repetit. 10. de Euchar. cap. 2. Albaspin. lib. 1. obseruat. 4. Raynaud. par. 2. de monitoriis. cap. 2. o. 1. Morin. lib. 2. exercit. t. 4. 8. 9. & alibi sæpius; neque aliunde confirmari melius potest, quàm ex eius cum Ecclesiastica communione, & cum omnibus Ecclesiasticis functionibus, quibus priuabantur Clerici, qui illa mulctabantur oppositione, quam in allatis superius antiquis Canonibus obseruauimus. Clerico igitur deposito prohibebatur vita omnis clericalis, & in Laicorum numerum detrudebatur, atque deinceps si peccare pergeret, aut esse contumax, tanquàm laicus excipiebatur, & vel in publicorum pœnitentium ordinem communione quoque Eucharistiæ negata amandabatur, vel etiam si sceleris grauitas ita ferret, ex Ecclesia omninò eiiciebatur, & omni communione fidelium prohibebatur, quæ erat maxima excommunicatio, vti iam monui, & iterum post paulo monebo

CONSECTARIVM VII.

Quid sit Clericum ad Communionem peregrinam damnari?

Venio ad communionem peregrinam, cuius 25
meminit Conc. Agathen. cap. 5. Ilerdense. c. 16. quam eandem faciunt cum laica, glossa in c. contumaces. dist. 50. & Vasq. 3. P. disp. 216. num. 37. qui ita appellatam dicit quod peregrina siue extranea esset à Clerico, vtpote Laicorum propria Durant. verò lib. 2. de Ritibus. cap. 55. n. 8. ex eo probat laicæ & peregrinæ communionis identitatem, quod quædam concilia cōmunione peregrina plectant ea ipsa scelera, quæ alia Concilia puniunt communione laica, nā schismaticos & hæreticos ad mentem redeuntes sola peregrina communione donat Conc. Regense c. 3. Cyprian. verò lib. 1. Ep. 4. & lib. 2. ep. 1. & lib. 4. Ep. 2. iisdem communionem Laicam impertit. Con. Ilerden. c. 16. communionem peregrinam indulget sacrilego, cui etiam laicam communionem permitti ab aliis Conciliis certum est. Laicam autem communionem fuisse dictam peregrinam ex improprio quodam vsu existimat Durant.

Alij verò distinguunt has duas communiones, & quidem Dexaintes Repetit. 10. de Euchar. c. 2. vult esse pœnam grauiorem, quàm sit Laica communio, quando enim Clerici suo loco moti erant, gaudebāt adhuc communione laica, quæ ipsis vnà cum reliquo populo ministrabatur, at verò quando sola peregrina Communione donabantur, non modò suspendebantur à proprio ministerio, sed etiam à reliquis publicis Ecclesiæ sacris, extra quæ priuatim dabatur peregrinis Eucharistia: verum præterquam quod tum laicam, tum peregrinam communionem ad solam Eucharistiæ perceptionem restringit Xantesi. contra veterum Canonum sensum nullo antiquorum testimonio docet extra publica Ecclesiæ sacra fuisse asseruatam Eucharistiam in vsum peregrinorum, quibus non licuerit publice eam sumere. Lindan. lib. 4. panop. cap. 58. quamuis nomen communionis ad societatem, communicationem & commercium in sacris ac ciuilibus referat, tamen, communionem peregrinā multò abiectiorem laica dicit, & quæ clerico iam damnato ad laicam communionem aliquando imponeretur eo quod laica coniunctū habeat vsū Eucharistiæ, qui relinquebatur clerico exauthorato, non verò iis, qui sola cōmunione peregrina donabantur; quod confirmat ex antiquo vsu, peregrini enim nisi nota esset eorum probitas, & omnis de excōmunicatione contracta suspicio prorsus abstersa foret, non admittebantur ad vsum Eucharistiæ & sacramentorū, sed tantùm ad societatem precum. Albasp. lib. 1. obsernat. 3. existimat peregrinā communionem fuisse mediam inter Laicam & Ecclesiasticā, cuius erat tantùm diminutio quędā, quia communio laica summouebat à clero absq; vllo regressu in antiquum ordinem; communio verò peregrina suspendebat munere ordinis, sed clericum non abdicabat, quia etiamsi eiusmodi clericus careret omni communione Ecclesiastica, nihilominus alebatur sumptibus Ecclesiæ, & restitutionem in suum ordinem sperare poterat.

Duo mihi videntur cum Albaspin. & Lindan. 2
attendenda esse hoc loco. Primum est quænam esset communio, quæ peregrinis clericis indulgebatur, inde enim videtur desumpta communionis peregrinæ vox & natura. 2. expendendi sunt

Canones, in quibus hæc communio Clericis non peregrinis à quibusdam Synodis concedi dicitur.

Quod attinet ad primum. Canon 32. Apostolorum iubet nullum Clericum peregrinũ sine commendatitiis litteris suscipi, & si illis careant, prohibet ad communionem admitti, illis tamen omnia necessaria suppeditari mandat, & ne qua in eiusmodi litteris fraus subreperet, edita est deinde à Conc. Nicæno, aut potiùs ab Attico Constantinopolitano, forma litterarum, quas formatas appellabant, quibus qui caruissent Clerici, non admittebantur in externa diœcesi ad sacra, aliamue vllam communionem Ecclesiasticam, ne tamen peccaretur in Christianam Charitatem omnia ad victum necessaria ipsis suppeditabãtur, idque factum à Chrysostomo circa Nitriæ Monachos duce Isidoro aduersus Theophilum Alexandrinum expostulantes, habẽt eius acta, nam ita *illos excepit, vt illos*, quamuis omnia humanitatis officia illis exhibuerit, ad communionem tamen non adhibuerit. Hic igitur erat modus communicandi cum Clericis peregrinis absque formatis suorum Episcoporum aliquò venientibus, vt illis sola ad victum necessaria suppeditarentur à Clero, cæterùm nullum aliud cum ipsis consortium haberetur maximè in sacris. Posterioribus tamen sæculis poterant Episcopi cum eiusmodi Clericis, maximè vbi eorum mores aliquamdiu probati fuissent, dispensare, vt Alexand. III. ad Episcopum Cenomanensem scribit circa transmarinos Clericos, qui quinque Episcoporum sigillis suam ordinationem non probarint, illos enim in suspensione haberi mandat. Quod idem circa Ordinationem eorundem trans-marinorum non faciendam iam olim à Syluestro, Anastasio, aliisque PP. Romanis atque Concilio Eliberitano statutum fuisse refertur 98. dist. Perspectis tamen ipsorum actibus cum iis dispensari permittit Alexander, quod ita interpretatur glossa in cap. 1. de Cleric. peregrin. vt possint ex benignitate recipi, suspensione autem ea prohiberi, ne admittantur in numerum Clericorum illius Ecclesiæ, si tamen velint secretò tanquam viatores celebrare, id ipsis permitti poterit, vt statuit Innoc. III. cap. Tuæ. eod. tit. de clericis peregrinis, & argumentatur glossa ex capite. Non prohibeat, de Consecrat. dist. 2. vbi dicitur non debere prohiberi à dispensatore diuini mysterij, pingues terræ, id est, peccatores ne manducent in mensa domini, sed exigentem importunè eam participationem moneri vt timeat Domini Iudicium, si in conscientia nimirum peccat, ita hunc clericum, qui talem se dicit, poterit Episcopus suæ conscientiæ relinquere, & permittere, vt secretò celebret. Episcopi vero & clerici cæteri, de quorum ordinatione & fide suspicio non erat, si ad alterius Ecclesiam visitandi causa accederent in gradu suo suscipiebantur, & tam ad verbum, quàm ad oblationem consecrandam inuitabantur ex decreto Conc. IV. Carthagin. c. 33. Non inuitati autem nihil horum præstare poterant, vt habetur tota ferè 9. q. 2.

27 Quod attinet ad illud quod 2. loco attendendum esse monebam, non videtur peregrina communio semper eodem modo accipi in antiquis canonibus, nam Conc. Regiense siue potiùs ex veteri Nomenclatura Regense aut Reiense Armentarium, qui à duobus Episcopis tantùm absque Comprouincialium litteris & Metropolitani authoritate contra antiquos canones Ebreduneosis Episcopus consecratus fuerat, ita tandem facti pœnitentem admittit vt liceat & in aliqua Parochia eaque ignobili tantùm Chor-Episcopum agere, aut vt peregrina communione foueatur, siue, vti restituit Fronto Ducæus ex Ms. cod. fruatur, quod se statuere PP. asserunt consentaneè Conc. Nicæno, quod ita receperat quosdam schismaticos magis quam hæreticos, vt dempto illis Episcopatus honore, vellet agere tantùm Chor-Episcopos. est ille canon VIII. inter Nicænos in quo PP. ita Catharos, qui Nouati errorem sectati, recusabant cum lapsis pœnitentibus & digamis communicare, admittunt, vt eiurata illa hæresi & fide de seruandis Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ decretis scripto obligata post acceptam manuum impositionem, hoc est, vt interpretatur Tarasius Constantinopolitanus in actis secundæ Synodi Nicænæ, benedictionem, in clero maneat, hac lege, vt si in eo loco, in quo viuunt nulli alij clerici sacris initiati χειροτονηθέντες reperiantur, ipsi in suo priori ordine & gradu maneant ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι, quod si alij Episcopi existant in illa regione, nihil Episcopalis muneris isti Cathari exercebunt, sed habebunt presbyteri honorem, & ne nominis quidem honorem retinebunt, nisi annuente Catholico Episcopo, qui si malit Chorepiscopi tantùm aut presbyteri locum illis assignabit quæ leuior pœna idcircò à Synodo imposita est, quia non tam fide deliquerint, quàm odio in fratres, vti interpretatur Balsamon. Quos PP. Regenses dixerunt fuisse potiùs schismaticos, quàm hæreticos, eo quod schisma charitatem non fidem primo & per se oppugnet. Imitata igitur PP. Nicænos Synodus Regensis hunc Armentarium agere Chor-Episcopum in ignobili aliqua parœcia concedit, & frui communione peregrina. Vnde liquidò constat hanc communionem non supponere deturbationem à clero, quandoquidem Nicænum Concilium, quod sequitur iste canon Regensis vult manere in clero istos clericos schismaticos accepta benedictione, & manuum impositione; deinde quia cætera Chor-Episcopi non sunt extra clerum, & huic Armentario conceditur in Ecclesia, in qua Chor-Episcopum aget, Neophytos confirmare & ante presbyterum offerre; quare falsò dixit Xantesi. omnibus publicis sacris exclusos fuisse qui ad communionem peregrinam damnabantur: falsum quoque est communionem peregrinam fuisse pœnam prohibentem clericum ab vsu Eucharistiæ, atque ita durius fuisse mulctatum illum clericum, quàm qui ad laicam communionem redactus erat, nam licebat huic Armentario etiam sacrificium offerre ante presbyteros, quos etiam honore præcedebat. Quarè erat tantùm imminutio quædam honoris & dignitatis Episcopalis, imprimis quia non licebat ipsi quidquam de Episcopalibus officiis vsurpare præter confirmationem Neophytorum in Ecclesia sibi assignata, in qua nequidem vltimum clericum ordinare fas erat, immò neque præsente Episcopo offerre, & loco cedere omnibus Episcopis etiam recens ordinatis tenebatur. In Concilio tamen Agathensi Can. 2. peregrina communio videtur inferre deturbationem à Clero ad aliquod tempus, contumaces enim Clerici, qui Episcopi correctione contempta communionem quoque contemnunt, ecclesiam frequentare, atque officium suum implere negligunt peregrina communione damnantur, *ita vt cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatemque recipiant*, quæ postrema verba omninò significant eos Clericos ex

albo cæterorum erasos fuisse, atque pristino gradu & dignitate excidisse. Canonone verò V. Clericus, qui quidpiam à sua Ecclesia subripuerit, mulctatur communione peregrina.

Immò verò Concil. Ilerdense c. 16. videtur hãc pœnam multò grauiorem facere, atque priuationem Eucharistiæ ipsi adiungere, vt volebat Lindan. Nam statuit, vt Clericus, qui res defuncti Pontificis sacrilegè subripuerit, *prolixiori anathemate condemnetur, & vix quoque peregrina ei communio concedatur.* Vbi vides communionem peregrinam apponi tanquam Corollarium anathematis, quod excommunicationem & exclusionem ab Eucharistiæ perceptione sonat, & sanè ita agnoscit Albasp. obseruat. citat. saltem in aliqua specie communionis peregrinæ.

Mihi in tanta priscorum Ecclesiæ rituum, à quibus hæc pœna desumpta est, obscuritate statuendum videtur, hanc pœnam, quam solis Clericis indictam fuisse ex omnibus locis, in quibus eius mentio fit, apertè colligitur, nihil aliud ferre, quàm vt eodem modo habetentur illi Clerici, atque si extranei & peregrini forent, & non reuerà illius Ecclesiæ Clerici, sed tamquam ex eius matricula & albo expuncti, ac proinde non esse cõmunicandum cum illis deinceps nisi communione peregrina, vnde fiebat, vt negotiis illius Ecclesiæ non se immiscerent, in rogandis suffragiis & sententiis nulla ipsorum ratio haberetur, neque in assignandis aut describendis sacris ministeriis; immò neque aut sacris, aut aliis rebus publicis poterant se ipsi ingerere, aut palam vllum ministerium præstare, nisi rogati, aut ex peculiari dispensatione, quia amiserant jus illius Ecclesiæ, quæ pœna non exigua erat, quamuis neque è Clero eiecti essent, aut inter Laicos reiecti, neque vsu Eucharistiæ, aut celebratione priuata carerent, contra quam voluerint aliæ sententiæ, quæ hanc pœnam rigidiorem faciunt, quam par sit, volumus enim fuisse tantùm eiectionem ex propria Ecclesia, non ex Ordine Clericali, & multò minus ex ordine fidelium, aut à Sacra Eucharistia sacrisue ministeriis exclusionem. Supponimus vero omnes quondam Clericos fuisse locales, vt loquitur Conc. Valentin. in Hispan. c. 6. hoc est certæ cuidam Ecclesiæ addictos, vnde in Clericos vagos & acephalos iouehitur Mogunt. c. 22. probatur autem nostra assertio ex ipsis Canonibus, qui hanc mulctam clericis peccantibus infligunt, nam sicut laica communio erat, vti diximus ea per quam cum laicis communicabatur & laici ipsi inter se communicabant, illáque damnatus clericus communicabat deinceps vt laicus, atque in ordinem laicorum redactus erat Ita etiam peregrina communio ea erat, qua cum Clericis peregrinis communicabatur, & per quam Clericus ad illam damnatus iam inter peregrinos numerabatur, & extraneus habebatur, ac non ampliùs Clericus illius Ecclesiæ, à qua per hanc eiiciebatur. Quarè nullum ampliùs in ea ius retinebat, neque ad illius aut officia aut ministeria aspirare poterat, aut vlli functioni Ecclesiasticæ se ingerere, immò neque Ius vllum retinebat, aut ad conuictum cum aliis Clericis, aut ad petenda alimenta quæ non nisi ex charitate tanquam aduenæ & extraneo ministrabantur. Qua ratione dicebatur peregrinus, qui Ciuis Romanos non erat, & ad quem Ius Quiritium non pertinebat, siue nunquam Ciuis fuisset, siue ciuitatem amisisset. Quarè *qui deportantur, si heredes scribantur, tanquam peregrini capere non possunt*, inquit Imperator l. 1. C. de hæred. instituend. aliud enim Ius erat aduenarum Romæ, aliud Ciuium, & peregrinitas erat conditio aduenarum, vnde Vlpian. l. 10. ff. de in Ius vocando. §. 6. *si per pœnam deportationis ad peregrinitatem redactus sit patronus, putat Pomponius eum amisisse honorem, sed si fuerit restitutus, erit ei etiam huius edicti commodum saluum.* Vides itaque non eandem esse conditionem peregrinorum & Ciuium, quando quidem peregrinus carebat honore patronatus, & in Ius vocari poterat, vides quoque Ciues aliquando damnatos fuisse peregrinitate, siue redactos ad statum peregrinorum, quod non modò fiebat per deportationem, vt referebamus ex Vlpiano, sed etiam absque ea, quod testatur Suetonius in Claudio, qui, *splendidum virum, Græciæque prouinciæ principem, verum latini sermonis ignarum non modo albo iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit.* Ex hoc prisco more inoleuit vsus in Ecclesia occidentali, nullum enim eius vestigium in synodis Orientalibus legimos, vt Clerici aliquando ad peregrinitatem damnarentur, hoc est Ius propriæ Ecclesiæ amitterent; neque aliud fert vox peregrinæ Communionis, quam vt cum istis Clericis tanquàm cum peregrinis tantum communicaretur. Non distinguunt autem Canones, neque ex illis certò colligi potest, an hæc communicatio futura esset tanquam cum Clericis externis, qui formatis suorum Episcoporum destituebantur, an tanquam cum iis, qui eiusmodi litteris communiebantur; quare cùm non solerent Clerici absque ea suorum Episcoporum testificatione peregrinari, existimo, quoties absolute agitur de Clericis peregrinis, & de communione, quæ illis impertiebatur, sermonẽ esse de ijs, qui formatis & commendatitijs suorum Pontificum instructi erant, cæteri vagi & errones potius quam peregrini dicebantur, & non est vlla ratio propter quam hanc Clericorum pœnam rigidiùs accipiamus, aut cur geminam statuamus, vnam duriorem, mitiorem alteram, vti contendebat Albaspiox, cùm Canones, qui de illa agunt, id minimè ferant, vt statim patebit.

Communiò igitur peregrina, nullam depositionem sine perpetuam siue temporariam à gradu Clericali includebat, sed tantùm expunctionem à matricula & albo certæ alicuius Ecclesiæ, ad quam anteà ascripti erant, qui illa damnabantur, atque ita minor & leuior est pœna communionis laicæ, quæ vti ostendimus, eiusmodi depositionem & exauthorationem à gradu clericali supponebat. Non inferebat etiam hæc pœna suspensionem à diuinis officiis, si propriè loquamor, sed solùm in tali Ecclesia, in qua nullum ministerium sacrum exercere amplios pro iure suo vti prius poterant, sed tanquam externi tantùm, si inuitarentur interesse, aut forsasis non nisi secretò celebrare; qua de causa dicebat nuper Alexand. III. Clericos transmarinos habendos esse in suspensione, donec de eorum actibus cognosceretur, hoc est, vt interpretabatur glossa, nihil ipsis nisi priuatim & secretò circa diuina officia celebranda maximè circa sacrificium permittendum esse.

Denique suspendebantur ab omni Iurisdictione, si quam ratione sui ministerij aut officij, quod illa Ecclesia gerebant, haberent; carebant quoque omnibus priuilegiis & Iuribus, quibus gaudebant cæteri illius Ecclesiæ Clerici, neque in eorum consessum & Capitula veniebant, aut in illis suffragium dicebant, nam reuerà iis omnibus carent peregrini, quamuis ad sacra officia admittantur, & cum illis communicetur in omnibus neque

neque quidquam aliud colligitur ex canonibus citat. Nam Canon Regensis leuiori pœna punit Armentarium contra Patrum Regulas in Episcopum Ebredunensem consecratum, multas enim ob caussas se misericorditer cum illo agere faterur, synod. cap. 2. vult itaque illum imprimis ab Episcopatu amoueri, & tantum Chor-Episcopum agere in vna aliqua Parochia, si quis Episcopus ipsi eam concedere velit, toto deinde suo antiquo Episcopatu, atque alibi præterquam in Parochia illi concessa frui tantum communione peregrina, & nullum ius alicuius sacri ministerij in vlla alia Ecclesia obtinere; præterquam in exigua sibi assignata, in qua tamen Pontificalia munia non exerceret, sed ea tantùm, quæ pertinerent ad Chor-Episcopum, quænam vero ea forent alibi excutimus.

In Canone verò 2. Agathensi non habetur degradatio à Clero cum spe restitutionis, vti colligebat Albaspinæ, qui ea tantum de caussa Communionem peregrinam leuiorem esse dicebat communione laica, quod ista importaret perpetuam depositionem sine vlla spe pristinum gradum vnquam recuperandi, nam præterquam quod illud non esse perpetuo verum docuimus in illo Canone PP. tantùm illum Clericum sacrilegum ex matricula Clericorum illius Ecclesiæ, cui iniuriam fecerat, expungunt, non autem ex ordine Clericali in laicum amandant, vnde enim hoc habent aduersarij?

Asserui prætereà hanc communionem peregrinam non excludere Clericum ad eam damnatum vsu Eucharistiæ, vti contendit Albaspin. de seueriori aliqua, quia vt iam ostendi, nequidem à diuinis officiis, aut etiam à sacrificio nisi in ea Ecclesia, à qua eiectus erat, impediebat, & cùm idipsum ipsi permitteretur, quod peregrinis indulgebatur, poterat aut secreto, aut etiam palam, si rogaretur, sacrificio interesse, vti diffiniebat Conc. IV. Carthagin. C. 33. & licet formatis careret, vti tamen aliquandiu probatus fuisset, poterat cum illo dispensari ex mente Alexand. III. qui antiquos Canones relatos d. 98. de non ordinandis transmarinis interpretatur. Deinde non probat Albaspinæ. Clericis peregrinis nullis formatis communitis denegatam fuisse Participationem Eucharistiæ saltem priuatam, quamuis in suo ordine & gradu nondum susciperentur, quia quamuis Clerici, qui sine formata voluerunt pergere à communione habeantur alieni ex Conc. Mileuit. C 20. Africa. c. 73. Venet. c. 59. Turon. 1. c. 11. Hippalen, 2. c. 3. in his tamen locis communio non significat priuationem Euchatistiæ, sed solius communionis Ecclesiasticæ suspensionem. Immò Xantesi. Repet. 10. de Euchar. cap. 2. illam pro peregrinis asseruatam fuisse ex quibusdam antiquorum testimoniis colligere sibi videtur, quamuis mihi non persuadeat eam in publico negatam fuisse; præterquam quod gratis omninò Albaspinæ, quod iam monui superiùs, communionem peregrinam exponit de ea duntaxat, quæ côcedebatur Clericis absque formatis peregrinantibus. Quod verò obiicit, non videri consentaneum Eucharistiam concessam fuisse Clericis sacrilegis, quales communione peregrina punit Concil. Agathens. cap. 5. & 2. imbelle profectò est, simili enim ratiocinatione conficerem neque Communionem laicam habuisse adiunctum vsum Eucharistiæ, quod non videatur rationi consentaneum facinorosis Clericis, quales ad laicam communionem dânabantur, ministratam fuisse Eucharistiam, non illis igitur impertiebantur nisi pœnitentibus, quamuis adhuc pœna Ecclesiastica per quam Clericorum communicatione excludebantur, innodati tenerentur, sicut etiam diximus suspensionem non impedire perceptionem sacramentorum aut ipsius Eucharistiæ.

Denique obiicit c. 16. Conc. Ilerdensis vbi sacrilegij Reus prolixiori anathemate condemnatur vix communione peregrina ipsi concessa, cùm tamen anathema non nisi de eo qui omnibus sacris & maximè Eucharistia prohibetur, dici soleat, verùm quamuis sæpiùs anathema significet omnimodam à Christo abscissionem vt loquitur Chrysost. homil. de Anathemate, vbi, inquit, ἀνάθεμα παντελῶς τοῦ χριστοῦ ἀποκοπὴν, aliquando tamen pro quacunque leuiori exclusione sumitur, & sanè cùm PP. Ilerdenses in canone citat. agnoscant prolixius quoddam anathema, necesse est vnum leuius, aliud durius, aut vnum breuius, aliud diuturnius admittant. Itaque anathema significat eo loco abiectionem ab Ecclesia, cuius erant matriculæ accensi. Neque enim insolens est eam vocem pro depositione à Clero & sacerdotij exauthoratione vsurpari, nam PP. Trullan. can. 82. Vbi eos qui additamentum Petri Fullonis assuerent hymno trisagio anathematizarunt, ita id deinceps explicant, vt velint laicos & monachos segregari ἀφορίζεσθαι, abstineri nimirum & excommunicari, sacratos autem ἱερατικοὺς, siue Clericos omni sacerdotali honore priuari ἀπογυμνοῦσθαι τῆς ἱερατικῆς ἀξίας, quod Balsamon καθαιρεῖσθαι exponit, miraturque anathema explicari per καθαίρεσιν siue depositionem, eo quod anathema omni etiam ciuili consuetudine excludat, putatque relictum prudentiæ Episcoporum, vt qui hanc noxam admiserit, si facilè resipiscat, deponatur, si verò adhæserit illi obstinato animo, anathematizetur, quæ expositio est apertissimè contra mentem illorum Patrum, qui r. infligunt anathema adiicientibus eiusmodi additamentum; deinde quid nomine anathematis significare voluerint, exponunt, nimirum depositionem Clericorum, Laicorum, & Monachorum segregationem si igitur anathema vsurpatum aliquando est, vt vides, pro depositione à gradu sacerdotali, quidni etiam Partiale anathema, cuius Conc. Ilerdense meminit, quando facit vnum aliquod prolixius, sumi poterit pro depositione, vel potiùs suspensione ab officiis & ministeriis in aliqua Ecclesia, in quam asciti fuerant aliqui; quod anathema hi PP. volunt esse diuturnius siue prolixius, ne facile in pristinũ locum hi Clerici restituantur & vt ab Ecclesia, cui immani sacrilegio iniuriã intulerant, diutius extorres maneant vixque communione peregrina donentur, id est, vt vix cum illis tanquam cum peregrinis & externis communicetur, quæ particula ostendit immanitatem sceleris, cui PP. pœnam non adæquarent, sed aliquid de suo rigore remitterent, dum illis sacrilegis Clericis communionem peregrinam adhuc indulgerẽt.

29 Ex hac laicæ & peregrinæ Communionis expositione vides suspensionem ab officio non includere priuationem Eucharistiæ, quod in nostris Corollarijs ex Regula superiùs posita eruebamus.

30 Vides 2. varios suspensionum modos, de quibus iterum seq. Regula.

Varii gradus in puniendis Clericorum criminibus.

Vides 3. Quinam fuerint veluti gradus in puniendis Clericis pro varia delictorum grauitate, vel leuitate. 2. enim Episcopi, qui leuiùs deli-

quetant, priuabantur communione cum suis collegis, siue vt loquuntur, plurimi Canones *Charitate fratrum, charitatis communione, à charitate & communione fraterna fiebant alieni, à fratribus & Comprouincialibus manebant excommunicati, Ecclesiæ sua communione iubebantur esse contenti*; Quæ pœna omni commercio sui Metropolitani & Coëpiscoporum eiusdem Prouinciæ interdicebat Episcopo ita excommunicato, quare mutua visitatione, solemni celebratione in aliena diœcesi, aut in sua etiam præsente Collega, reciproca missitatione formatarum, suffragio ac consessu in synodis prohibebat, quod disq. 1. q. 2. nu. 6. monuisse me memini & latè probat Morin. lib. 2. ex. 18. immò aliquando hæc pœna non tantùm priuabat Charitate & communione Comprouincialium Episcoporum sed etiam omnium aliorum, vt habetur in Conc. Turon. 11. cap. 9. quod tamen qua authoritate fieret, ambigi iure posset; synodus enim in qua statuebatur eiusmodi pœna, vt illa Turonensis, non erat nisi Prouincialis, quæ proinde obligare nequibat Episcopos alterius prouinciæ, ne cum aliquo Episcopo communicarent, quamuis prohibere facilè posset eiusdem Prouinciæ Episcopo, ne cum vllo alio etiam extra Prouinciam communicaret. Neque dicas excommunicationem ab vno Episcopo latam vbique obligare; vti enim aliàs ostendimus, ea est institutio Censuræ & Excommunicationis natura atque efficacitas ex eius primaria institutione, vt nullo certo loco circumscribatur, & non pendeat à voluntate illam ferentis; at verò hæc excommunicatio, sic enim eam appellat Toletan. 11. cap. 15. Toletan. 12. cap. 12. & Emeritan. cap. 7. censura non erat, sed pœna quædam, neque propriè dicta excommunicatio. Itaque existimarim ipso vsu & tacito omnium consensu, quibus idem quoque ius permittebatur, inductum fuisse hunc morem, vt in simili causa, singuli synodorum etiam extranearum iudiciis plurimùm deferrent, donec conuenirent, vt ibidem loquitur Turon. 2. cap. 9. citato, ad maiorem synodum, quæ ex pluribus prouinciis cogebatur, & quam vniuersalem appellat Matiscon. 2. cap. 20. & plenarium Concilium sæpiùs S. August.

Hæc porrò Excommunicatio siue priuatio communionis fraternæ non prohibebat Episcopum communione & gubernatione suæ Ecclesiæ, tum quia iubebatur sæpè suæ Ecclesiæ communione esse contentus, vt in Conc. V. Carthagin. c. 13. in Africano. cap. 47. & à Leon. Ep. ad Anatolium 36. tum quia licet ea verba sæpius non adiicerentur, sed simpliciter pronuntiaretur quis à Charitate fratrum alienus, cùm hæc priuatio disertè Comprouincialium Episcoporum communionem explicaret, non erat ad communionem propriæ Ecclesiæ amplianda, quandoquidem hæ duæ communiones diuersæ sunt, neque vna necessariò supponit aliam & sanè si quando vtramque priuationem infligebant PP. vtramque etiam exprimebant, & Ecclesiam; cui suo Episcopo amplius communicare nefas erat, regendam intereà alicui œconomo, aut ipsi Metropolitano credebant, vt factum videmus ab Emerit. Concilio. c. 7. citat. Ea etiam causa fuit, cur Balsam. in can. 79. synod. Carthagin. hanc excommunicationem nouam vocâtit καινότερον ἀφορισμόν, quæ licet separet à communione fratrum, non impediret tamen à sacro ministerio, quòd genus pœnæ in vsu non erat apud suos Orientales.

2. Episcopus delinquens præter eam priuationem communionis cum Collegis mulctabatur aliqua parte sui ministerij pro grauitate criminis, siue post priorem pœnam inflictam, siue vnà cum illa & per eandem sententiam vt videbis in Aurelian. IV. c. 10. Aurelian. III. c. 6. Aureliâ. V. c. 9. Melden. c. 10.

3. Clerici inferiores leuiùs peccantes suspendebantur partiali aliqua suspensione, quæ etiam dicitur aliquando Excommunicatio, vti contendit Morin. Ex. 5. ita enim intelligit, quod imponatur quandoque excommunicatio sine priuatio communionis ante depositionem, id enim neque de priuatione Eucharistiæ, quandoquidem nequidem depositio ea priuabat, neque de omni priuatione Eucharisticæ communionis, quæ erat ipsa depositio & exauthoratio exponi potest; quare de suspensione à sacro ministerio, aut eius aliqua parte intelligi debebit.

4. Clericus grauius peccans à fratrum quoque communione, hoc est, à sacro & ciuili inuicem communicatione prohibebatur, sic Conc. Toletan. 5. cap. 15. Clericum abstentum, id est, vt ex ipso contextu & genere pœnæ ibi appositæ constat, suspensum à Clericis cæteris vitari voluit, atque hanc suspicor fuisse communionem peregrinam, quandoquidem non licebat cum cæteris Clericis communicare, Ecclesiastico videlicet more, aut cum tanquam Clericis illius Ecclesiæ; & hæc excommunicatio siue priuatio communionis cum Clericis supponebat suspensionem totalem quidem ratione ministeriorum sacrorum, sed non ratione loci, quando in ea tantùm Ecclesia, cuius erant Clerici vetabantur ministrare, vti fuit Superiùs explicatum, sed non prohibebantur alibi sacra peragere, nisi consequenter & indirectè, quatenùs non poterant in aliena Ecclesia admitti absque consensu illius, cuius erant partes & membra, neque Episcopus, qui iam illos ex albo suæ Ecclesiæ induxerat, daturus erat formatas aut commendatitias, quibus in aliena Ecclesia ministrarent; & quamuis si quis absque tali licentia alibi sacra dixisset, peccasset & variis pœnis obnoxius fuisset, non tamen peccasset in priorem suspensionem per quam suspensus erat à sacris ministeriis in sua Ecclesia peragendis, quia ea suspensio non extendebatur directè ad alias Ecclesias.

5. Crescente peccato suspendebatur totaliter Clericus omni, vt ita dicam totalitate, & ratione ministeriorum & ratione loci, quam nos suspensionem integram ab officio & à beneficio vocamus.

6. Deponebatur siue amouebatur ab ordine clericali, & inter laicos redigebatur, atque ad laicam communionem, vti fuit explicatum, quæ depositio solebat esse perpetua, & sine spe restitutionis.

7. Clericis ita depositis etiam laica communio negabatur, vt in Conc. Sardic. cap. 1. quia in pœnitentium ordinem & inter consistentes, quibus participatio Eucharistiæ negabatur, reducebantur, & siue vna eademque sententia deponerentur, & ad pœnitentium classem negata Eucharistia, amandarentur, siue vna pœna aliam subsequeretur, nunquam tamen Clericus ad pœnitentiam publicam abiiciebatur, quod prisco iure vetitum fuisse docebimus alibi, sed Clericus prius tempore vel natura depositus & inter laicos census ad pœnitentiam præterea reiiciebatur, quod à Cyprian. lib. 1. Ep. 4. de Basilide & Martiale Episcopis lapsis statutum fuit, & à conc. Neocæsa. cap. 1. de Clerico fornicante vel adulterante, à conc. verò Elibertano cap. 76. de eo qui Reus criminis mortis, id est, quod mortem meruissat, & quod Pacianus & alij

alij capitale vocant, passus se fuerat ordinari vt post triennalem pœnitentiam communionem accipiat. Huius quidem pœnitentiæ tempus fore definiunt Synodi posteriores, quas collegit Morin. lib. 2. ex. 20.

8. Denique Clericus: qui grauissimè deliquerat extra Ecclesiam & cœtum fidelium eiiciebatur per excommunicationem illam proprijssimè dictam, quàm fusissimè prioribus quæstionibus exposuimus, illa verò suspensionem quoque continebat, atque vt illius æui mores ferebant, dispositionem, & sanè eiectio ex Ecclesia, vti appellatur hæc excõmunicatio can. 51. Apostol. & can. 19. Laodic. atq; alibi sæpiùs non videtur posse cohærere cum sola suspensione, quando enim in ordine Clericali adhuc manere dicitur qui extra Ecclesiam constituitur? quia tamen posterior disciplina excommunicatis Clericis reditum ad priorem dignitatem peracta pœnitentia permittit, quem ex communi & magis vsitata acceptione depositis negat, idcircò non infert necessariò depositionem hodierna Clericorum excommunicatio etiam maxima.

Ex hac porrò distinctione pœnarum interpretari licebit veteres Canones, quorum aliqui negant Clericis laicam communionem. In Conc. enim Sardic. can. 1. dixit Hosius Episcopos maiores Ciuitates ambientes, ne laica quidem communione dignos esse, & Can. 2. Eos qui per fraudes ad eam mutationem sedis perueniunt, ne in fine quidem laica communione dignos fuisse existimat, hoc est eiusmodi ambitiosos Episcopos non tantùm è gradu deponendos esse & in Laicorum numerum cogendos, sed etiam in pœnitentium classes vbi participatione Eucharistiæ careant, & ne cum Laicis quidem in Sacramentis, & præcipuè in Eucharistia communicent; quod ne quidem ipsis in extremo vitæ exitu concedi vult, si per fraudes & seditiones eiusmodi nobiliores sedes obtinuerint; an verò aliquando propter grauia quædam crimina negaretur etiam in articulo mortis communio Eucharistica disquiremus alibi. Fœlix verò III. Epist. 7. Eos Episcopos, Presbyteros & Diaconos, qui secundo lauacro se tingi & baptizari permiserant ad exitus sui diem *in pœnitentia iacere* præcipit, *nec orationi non modò fidelium, sed ne Catechumenorum omnimodis interesse*, *quibus Communio laica tantùm in morte reddenda est*, tunc enim in fratrum societatem admittentes & ritu Laico, siue tanquam vnus de plebe communionem accipient; Dixi enim communionem etiam quando Laica vox illi adiungitur, aliquando significare participationem Eucharistiæ, in qua est præcipua fidelium vnio, & per quam Laici inter se quoque in eiusdem cibi sumptione communicare dicuntur. Denique post mortem redditur communio, vt dixi initio, quia recipiuntur oblationes pro defuncto, sicut & aliorum, quibuscum fuerat communicatum, dum viuerent. Itáque orationibus Ecclesiæ iuuantur.

REGVLA TERTIA.

De suspensione partiali ab officio.

Suspensio partialis ab officio, ab ea tantùm parte
31 officij Ecclesiastici suspendit, quam verbia exprimit, neque ad vllam aliam extenditur nisi ita necessariò connexam, vt inutilis futura sit suspensio, nisi intelligatur illam quoque partem quamuis non expressam comprehendere.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO REGVLAE.

Hæc Regula vniuersalissima est, redditurque per- 32
spicua ex communi omnium sensu, cùm enim censura efficiat illud, quod significat, vti aliàs exposuimus, non est extendenda vltra effectum, quem verba, per quam fertur, significant, quod in omnibus legibus & sententiis contingit, quæ nunquàm operantur vltra intentionem & voluntatem legislatoris vel Iudicis, non quidem in animo latentem, sed verbis aut aliquo alio externo signo proditam: quarè cùm verba suspensionis huius partialis non contineant nisi determinatam aliquam partem officij Ecclesiastici, ab illa tantùm suspendet, alioquin inutiliter in ea sententia adiiceretur determinatio ad effectum particularem, si omnes alios æquè complecteretur, & quælibet suspensio foret totalis, aut si partialem nihilominùs esse velis, debes assignare Regulam, ex qua dignoscamus à qua parte officij Ecclesiastici ea suspensio prohibeat, & cur potiùs vnam, quàm alteram excludat, atqui nullum huius distinctionis certius indicium habere possumus, quàm propriam significationem verborum, quibus exprimitur suspensio, quæ non extenditur nisi ad illam functionem & officium Ecclesiasticum quod verba significãt, nisi sit cum illo ita connexum, vt non possit fieri suspensio ab vno, quin fiat consequenter ab alio, tunc enim necessario ad illud erit extendenda, quæ limitatio nostræ Regulæ per se patet, quando autem munia Ecclesiastica disparata sunt, & ita inuicem distincta, vt vnius exequutio, alterius exequutionem non includat, aut supponat, poterit manere tota suspensio ab vno, etiamsi non extendatur ad aliud disparatum.

CONSECTARIVM I.

An suspensio ab Ordine & suspensio à iurisdictione sese mutuò includant?

Sensus Consectarij est, an suspensus ab Ordine 33
eo ipso maneat suspensus à iurisdictione & vicissim suspensus à iurisdictione sit quoque suspensus ab ordine.

℞. Neutram suspensionem includere necessariò alteram, quia neque ordo requirit iurisdictionem, neque iurisdictio ordinem, ac proinde poterit manere suspensio ab ordine manente integra iurisdictione, & seruato ordinum vsu prohibebitur iurisdictio ex regula sæpiùs posita, sed vtramque huius Consectarij partem probemus oportet.

Et 1. quidem suspensum ab ordine non esse suspensum à iurisdictione contra Panorm. in cap. cum dilectus. de consuetudine. num. 29. Sylu. ℣. suspensio. num. 5. Angel. eod. ℣. 3. num. 3. Tabien. ibid. num. 4. Tolet. lib. 1. cap. 43. num. 2. iure affirmauimus cum Nau. cap. 27. num. 160. Caietan. ℣. suspensio Philiar. de officio Sacerdo. p. 1. lib. 4. cap. 1. Vgolin. tab. 4. cap. 6. §. 1. Auila. 3. p. disp. 1. dub. 1. con. 3. Sayr. lib. 4. cap. 4. num. 6. Suar. disp. 26. s. 4. num. 3. Laym. lib. 1. tract. 5. 3. p. cap. 1. num. 5. Alteri. disp. 4. de suspens. cap. 4. Villalob. 1. tom. tract. 15. diff. 3. n. 6. quia ordo & iurisdictio sunt distinctæ species, vnde Episcopus electus nondum confirmatus potest ea quæ sunt iurisdictionis, non ordinis, vt annotat glossa in c. trasmiss. de electione, ℣. de talibus, immò sæpius iurisdict. Episcopalis cõmittitur

Abbatibus, aliisque qui Episcopalem Ordinem non habent, & quamuis requiratur Clericatus & prima tonsura ad acquirendam iurisdictionem spiritualem, tonsura tamen ordo non est, sed rudimentum quoddam ordinis, quarè falsum est quod asserebat Panormit.& alij eum sequuti ordinem esse fundamentum iurisdictionis cùm etiam de plenitudine potestatis laico talis Iurisdictio conferri queat. Et quamuis concederemus, quod volunt aduersarij, iurisdictionem fundari in ordine siue ex Christi institutione, siue ex lege Ecclesiastica, quæ prohiberet quemquam nisi Ordine sacro insignitum obtinere iurisdictionem spiritualem, inde tamen non efficeretur, quod ipsi contendebant, suspensum ab ordine suspensum quoque esse à iurisdictione in eo Ordine fundata, quia vsus vnius istorum non requiretet per se vsum alterius, quandoquidem, vt vidimus, vsus iurisdictionis fit absque exercitio & actu vllius Ordinis, quisnam enim actus ordinis exercetur, quando quis excommunicatur, aut eligitur, aut in foro externo absoluitur; atqui suspensio ab ordine non suspendit nisi ab vsu ordinis, siue ab exercitio & vsu Ordinis & non ab vllo alio actu, qui non est actus ordinis, quamuis ordinem tanquam Conditionem quandam requirat in agente; neque enim suspensio ab ordine tollit ordinem; sed eius functiones, quæ cùm non requirantur in exercitio iurisdictionis, ordinis functionibus prohibitis non prohibentur necessariò actus Iurisdictionis, qui non sunt simul actiones ordinis; quarè ad illam communem obiectionem aduersariorum, sublato fundamento perire quæ ipsi superstructa fuerant, & suspensionem ab aliquo inuehere suspensionem illorum, quæ in eo fundantur, respondendum est id verum existere, quando suspensio fit ab ipso fundamento, non autem quando suspensio versatur tantùm circa vsum fundamenti, tunc enim ea quæ non pertinent ad talem vsum, aut quæ non sunt ille vsus non prohibentur vna cum illo vsu. Quarè si Ecclesia statuisset, vt nemo posset vti sua iurisdictione nisi ordine sacro initiarus esset, eiusque vsum seu exercitium liberum & expeditum habere, reuerà suspensio ab ordine includeret quoque suspensionem à Iurisdictione.

Quæ omnia nullam possunt pati difficultatem circa iurisdictionem in foro contentioso, in qua nullum ordinis actum reperiri certum est, quia tamen vsus Iurisdictionis in foro conscientiæ, vt in pœnitentiæ sacramento pendet ab actu ordinis videtur saltem ea iurisdictio suspendi per suspensionem ab ordine. ℟. tamen neque ommem vsum huiusce potestatis pendere ab actu ordinis, qui nullus omninò est in delegatione talis potestatis, quam idcircò non Sacerdos alteri conferre aut delegare poterit, vsus quidem immediatus siue actualis eius applicatio in sacramento pœnitentiæ necessariò coniuncta est cum actu Sacerdotij, & idcircò quoties per suspensionem actus Sacerdotalis ordinis prohibetur, sacramentalis etiam absolutio eidem vetatur; Vnde magis confirmatur Regula tum vniuersalis superius posita, tum sententia nostri Consectarij, nimirum suspensionem partialem extendi ad effectum non expressum propter necessariam connexionem cum actu, quem verba suspensionis significabant, vbi autem non reperitur eiusmodi connexio, nullam faciendam esse ampliationem suspensionis ab vno effectu ad alium disparatum.

Hinc verò fit 1. vt Sacerdos suspensus à solo ordine possit nihilominus absoluere ab excommunicatione absque solemnibus precibus adhibitis quia illa absolutio est actus Iurisdictionis & non Ordinis. Ita Vgolin. & Sayr. locis citatis.

2. Episcopus qui suspensus est ab ordine Pontificali, aut à Pontificalibus retinet integrum & liberum vsum iurisdictionis Episcopalis, quarè indicare, corrigere, excommunicare, absoluere, & alia similia, quæ neque ad ordinem, neque ad apparatum pontificalem designatum per pontificalia pertinent, facere ipsi licebit.

3. Hi suspensi ab ordine non priuantur iure eligendi, quia siue illud ius pertineat ad iurisdictionem, siue non pertineat, quandoquidem ipsis etiam monialibus conceditur, certè non est vsus ordinis.

4. Nullum officium aut administratio impeditur per suspensionem ab ordine, quia horum functiones non sunt necessariò connexæ.

Iam verò 2. pars Consectarij suspensionem nimirum à iurisdictione non inferre suspensionem ab ordine traditur ab iisdem DD. qui primum docuerunt, & Confirmatur iisdem rationibus petitis ex distinctione & separatione istarum actionum; quarè poterit ille sacrificium offerre, Choro & diuinis officiis assistere, omniaque alia diuina in quibus non erit exercenda iurisdictio, præstare; quæ verò eam iurisdictionem requirunt, non poterit exercere, v.gr. absoluere pœnitentem, ordines conferre suis subditis, aut dimissorias, vt ab alio Episcopo ordinentur, immò Suar. existimat s. 4. cit. num. 16. Parochum nulla sacramenta licitè ministrare posse ouibus suis tanquam ouibus, quia tunc in ea administratione includitur actus iurisdictionis, neque consequenter dabit facultatem eadem sacramenta ministrandi illi, qui ea facultate ad obtinendam iurisdictionem in eo exercitio necessariam indigebit, si enim requiratur tantùm consensus Parochi, aut alterius cuiusquam cùm iam aliunde habeatur tota iurisdictio necessaria, poterit ille consensus validè & licitè præstari à suspenso à iurisdictione, qui etiam poterit officia Custodis, Thesaurarij, aliaque similia in quibus est simplex tantùm & nuda administratio, non autem iurisdictio exercere, quia suspensio à iurisdictione extendi non deberad administrationem nudam, quę est aliquid omninò distinctum & inconnexum; qui tamen ab administratione simpliciter suspenderetur, ab omni administratione etiam cum iurisdictione coniuncta prohiberetur, quia ea administratio est vera administratio, æquiualeretque illa suspensio, isti, *suspendimus te ab omni administratione tum in spiritualibus, tum in temporalibus*, & quia iurisdictio omnis est quædam administratio, idcircò illa propositione generali & indefinita comprehenditur, quandoquidem per eam extensionem non impropriantur voces propositionis. 34

CONSECTARIVM II.

An Parochus suspensus ab ordine, vel à iurisdictione possit assistere matrimonio aut alteri licentiam assistendi facere?

℟. Hanc præsentiam, quam Parochus iussu Tridentini Concilij exhibet matrimonio, vt vitetur illius clandestinitas, neque ordinis, neque iurisdictionis actum esse, non ordinis quidem quia Parochus non Sacerdos nullove alio ordine 35

sacro

sacro initiatus validè illi assistit; neque etiā exercitium est iurisdictionis, quandoquidem inuitus licet validè tamen assistit, vt fusius probat Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 39. n. 9. cùm reuerà vis illa non impediat præsentiam, & constet Ecclesiæ de consensu contrahentium, ne deinde resilire possint: atqui actus tum iurisdictionis, tum ordinis nunquàm ab inuito & habente contrariam intentionem exerceri possunt, cùm actus agentium non operentur vltra eorum intentionem ex communi Regula. l. non omnis. ff. de rebus credit. deinde quia non assistit Parochus matrimonio tanquàm minister, sed tanquàm testis legitimus & publicus, qua in re neque ordine, neque iurisdictionis actu opus est. Placuit quidem Tridentino soli Parocho authoritatem legitimi testis in hoc negotio alligare cum potestate sui loco substituendi Sacerdotem, non inde tamen sequitur, hanc assistentiam seu testimonium esse actum iurisdictionis parochialis, quamuis supponat in teste iurisdictionem parochialem habitualem; vt ita dicam eo ipso quod supponat illum esse Parochum; vnde etiam fit, vt neque delegatio Sacerdotis, qui loco Parochi assistat, sit actus iurisdictionis: sicut enim qui haberet mandatum contrahendi nomine alterius cum potestate substituendi alium suo loco, non diceretur exercere actum iurisdictionis, alium qui suas vices ageret ex potestate sibi facta substituendo; Ita neque qui legitimus testis est, quando substituit alium, qui suo loco tanquam testis adsit, faciet actum iurisdictionis, etiamsi nequeat alium substituere ad ferendum eiusmodi legitimum testimonium, nisi ex potestate à lege sibi facta & sanè vix intelligi potest, quomodo assistentia, quam præstat matrimonio Parochus, non sit actus iurisdictionis, & tamen illius substitutio sit actus iurisdictionis, quandoquidem delegatur tantùm facultas assistendi instar legitimi testis, quæ facultas nulla ratione pertinet ad iurisdictionem. Itaque dicendum est hanc præsentiam non esse actum Parochi formaliter, vt habet iurisdictionem, sed vt est testis legitimus cum facultate sibi substituendi, quam authoritatem legitimi testis alligauit Ecclesia Parocho, non quia habet iurisdictionem in subditos, aut quia ipsius est Sacramenta ministrare, id enim minimè agit in hoc casu, sed quia cum omnia, quæ sunt suæ parochiæ nouerit, idoneus visus est, cui potiùs, quàm vlli alteri personæ Ecclesiasticæ committeretur hæc cura, præterquam quod cum nomine Ecclesiæ assistat, nullique potiori iure debebatur ea authoritas, quàm illi qui primas in illa Ecclesia gerit.

Ex his soluitur quæstio nostri consectarij, dicendum enim est hunc Parochum suspensum ab ordine, aut à iurisdictione, aut qualibet alia censura innodatum, modò non priuetur suo officio, maneatque verè Parochus, validè assistere matrimonio. Ita Basil. lib. 5. de matrim. cap. 7. §. vni. num. 6. num. autem 7. affert ex Farinac. declarationem Cardinalium in hanc rem Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 21. n. 4. Gutierres. eod. opere cap. 62. n. 24. Vasq. dub. 4. de excomm. Nauar. cons. 52. de sponsalibus. Henriq. lib. 11. qui est de matrim. cap. 3. n. 4. & 5. Kon. disp. 27. de Sacram. dub. 2. n. 24. Hurtad. disp. 5. de matrim. diffic. 8. Reginald. lib. 3. n. 177. Filliuc. tract. 10. cap. 6. n. 104. Rebell. lib. 2. partis 2. de obligation. iustitiæ, q. 9. n. 9. Bonac. q. 2. de matrim. p. 8. n. 21. qui omnes de suspenso excommunicato etiam non tolerato, & de irregulari loquuntur contra Auil. 2. p. de censu. cap. 6. disp. 3. dub. 1. id de excommunicato non tolerato negantem: probatur tamen, quia hæc assistentia, vt diximus, neque est actus iurisdictionis neque ordinis, quarè neque per irregularitatem, neque per suspensionem, neque per excommunicationem quamuis publicam & nominatim denunciatam, neque per quamcunque aliam censuram aut prohibitionem administrandi Sacramenta, vtendi ordine vel iurisdictione Ecclesiastica impediri aut aut annullari potest, quod postremum addidi de prohibitione facta Parocho, siue in vniuersum, ne aut vlla Sacramenta ministret, aut vlli assistat matrimonio, siue specialiter ne tali matrimonio suam exhibeat præsentiam declarauit Congregatio Cardinalium apud Farinacium de Vicario ad nutum amouibili, modò maneat adhuc Vicarius facta illi prohibitione, & tefert Basil. §. cit. num. 13. sequiturque Sanch. disp. 21. superiùs allata num. 12. Henriq. lib. 11. cap. 3. num. 4. Hurtad. diffic. 8. cit. n. 28. Gutierr. n. 25. Roderiq. tom. 1. Summ. cap. 218. n. 10. quia per simplicem eam prohibitionem non priuatur potestate assistendi matrimonio, immò neque quandiu manebit Parochus ea priuari potest ab alio, quàm à Pontifice, aut à Concilio generali, à quibus illam accipit, neque in eius vsu validè subiicitur Episcopo, quamuis non negent hi DD. talem Parochum peccaturum contra præceptum Episcopi prohibentis, ne aliquos coniungat matrimonio, si possunt graues causæ id præceptum exigere, si tamen solum fuisset prohibitus Sacramenta ministrare, non peccaret assistendo matrimonio, quia reuerà tunc non ministraret Sacramentum.

Obiicit Auila Parochum assistere matrimonio ratione publici officij & potestatis, actus autem ab excommunicato vitando nulli sunt, quoties agit ex officio publico, vt tradit Nau. cap. 27. quarè contractus, in quibus substantialiter requiritur præsentia tabellionis sunt inualidi, si tabellio sit excommunicatus vitandus ex glossa in cap. decernimus de sententia excomm. in 6.

2. Cùm ex Trident. quod hanc præsentiam Parochi voluit esse essentialem matrimonio, colligi nequeat excommunicationem aliamve censuram reddere hanc assistentiam Parochi nullam, siue inualidam non possumus, hunc nouum effectum tribuere excommunicationi, & aliis censuris. Antiqua siquidem iura, quæ censuris suos effectus assignarunt, non potuerunt comprehendere hanc Parochi præsentiam, quæ nondum necessaria erat ad valorem matrimonij, argumento l. Si quis ita. ff. de testamentaria tutela; neque agit ex officio publico Parochus aliter, quàm quia illius testimonium requirit Ecclesia ad valorem matrimonij, actus autem Tabellionis & testis excommunicati non tolerati validi sunt saltem in foro interno, & de rigore iuris, vt diximus superiùs cum Suar. disp. 16. f. 5. quidquid communis Canonistarum in contrarium nitatur.

Peccare quidem hunc Parochum excommunicatum non toleratum existimat Sanch. eo quod communicet in re aliqua sacra, excusant tamen Sanch. Gutierres, Hurtadus & alij, eo quod vtilitas & necessitas contrahentium eum cogat, non est tamen vulgò res ista necessaria, si tamen reuera ea esset necessitas, quia v. gr. in articulo mortis est contrahendum matrimonium, aut quia graue damnum vel periculum imminet contrahentibus, si aliquandiu differatur, aut quia minæ intentantur

tur Parocho procrastinanti, aliaque eiusmodi occurrerent, necessitas tum propria, tum proximi hanc communicationem Parochi in re sacra, immò & in Sacramentis licitam reddere, sed ea extraordinaria necessitate sublata rectè statuit Basil. hunc Parochum non esse immunem omnis culpæ.

Non fiet tamen irregularis, cùm nullum actum ordinis sacri exerceat, quod etiam dicendum esset de Sacerdote cui suas vices delegasset Parochus, etsi enim debeat ille Sacerdos esse ex Tridentino, si tamen esset excommunicatus aut suspensus, tali enim posse delegari hanc facultatem rectè vidit Bonac. non incurreret irregularitatem, ita assistendo matrimonio, quia Sacerdotium non idcircò requiritur à Tridentino in eo substituto, quod eius assistentia sit exercitium ordinis, sed tantùm vt propter dignitatem testis, maior fides eius assertioni habeatur.

Quod dixi de assistentia Parochi suspensi aliave censura innodato, idem dico de facultate sibi alium substituendi, posse nimirùm validè sibi alium sufficere, contra Konine & paucos alios, qui falsò existimant, eam substitutionem esse actum iurisdictionis ac proindè inualidè fieri ab excommunicato vitando, & à suspenso à iurisdictione, ostendimus enim non magis in eo esse iurisdictionem, quam cum quis, qui contrahebat nomine alterius, alium sibi substituit ex concessione sibi facta ab illo, à quo ipse substitutus fuerat: quarè malè argumentantur aduersarij ex facultate, quam Parochus facit administrandi alia Sacramenta, quam fatemur pertinere ad iurisdictionem, cùm in nostro casu sit simplex quædam concessio vt in innumeris aliis contingit, in quibus nullus vnquàm agnouit exerceri iurisdictionem.

Vnde sequitur vlterius, vt quamuis non liceat extra grauem necessitatem petere à Parocho excommunicato vitando, vt assistat matrimonio, eo quod ea communicatio in Sacris seclusa necessitate mala sit, licebit tamen ab illo petere, vt faciat alteri veniam assistendi suo nomine, quia in ea petitione nulla est communicatio in Sacris.

Egimus Porrò hactenus de nuda assistentia Parochi, si enim coniuncta esset cum solemnibus benedictionibus nefas esset Parocho suspenso & excommunicato non tolerato illas impartiri, quia pertinent ad vsum ordinis, cum solus sacerdos illas dare possit, quãuis ex institutione Ecclesiastica, vt docet Suar. disp. 11. de censu. sect. 2. n. 9.

CONSECTARIVM III.

An suspensus ab ordine suspendatur ab omni officio clericali?

36 Certum quidem est, hanc suspensionem prohibere actũ cuiuscumq; Ordinis, siue diuino, siue Ecclesiastico tantũ iure ad Ordinis exercitiũ pertineat, itaque neque fungi munere solemni Acholyti, neque lectoris aut exorcistæ ille poterit, nisi more laicali, si aliqui ex his actibus aliquando à Laicis exerceri soleant. Ratio est euidens; quia nomen ordinis tum maiores, tum minores proprè significat, siue minores sint Sacramenta, siue non sint quod modò non disputo, & propositio indefinita æquiualet vniuersali, neque enim vllum alium sensum legitimum habere poterit ea propositio, cur enim potius ad vnum ordinem, quàm ad alium restringetur; atque ita censent Henriq. lib. 13. capite 32. numero 2. Sylu. v. suspensio. numero 5. Suar. disp. 26. s. 4. num. 2. Sayr. lib. 4. cap. 4. num. 5.

An verò ea suspensio prohibeat ab actu clericali, qui nullo iure siue Ecclesiastico, siue diuino annexus est ordini, si detur eiusmodi aliquis dubitari potest, quia cùm Clericus talis constituatur per primam tonsuram, quàm idcircò clericalem characterem appellat Sixtus V. in Bulla contra malè promotos an. 1588. & tonsura nominatur ordo in iure, atque adeò proprius ordo dicitur communiter à Canonistis in cap. cum contingat de ætate & qualitate ordinandor. teste Couarruu. in cap. Quia nos de testamentis. n. 4. & Marchino, qui part. 1. tract. 1. de Sacram. ordinis. cap. 7. n. 1. diligenter eos DD. collegit, sequitur, ab omni prorsùs actu clericali suspendi illum, qui suspenditur ab ordine.

Quia tamen verior est sententia Theologorum negantium tonsuram esse ordinem, sed dispositionem tantùm & veluti capacitatem suscipiendi ordines, vt fusiùs diximus in 3. p. S. Thomæ, idcircò non extenditur ad illam suspensio ab ordine, vti dixit quoque Sayr. cap. 4. cit. n. 9. neque actus, qui fiunt vi primæ tonsuræ sunt necessariò connexi cum exercitio ordinis, ac proinde non necessariò simul cum illo prohibentur; quanquam pauci omninò sint actus clericales, qui soli tonsuræ sint alligati, & non pertineant ad vllum ordinem siue maiorem, siue minorem. Itaque munus tantùm in choro aut in Ecclesia canendi, vnde & Psalmista dicitur, assignat Homobon. 1. par. de statibus. cap. 20. id munus itaque exequi adhuc poterit suspensus ab ordine.

Inde etiam fit, vt suspensus ab ordinum collatione, possit nihilominus conferre primam tonsuram, quia illa reuerà non est ordo, vt ait ibid. Sayr. n. 18. & Bonac. disp. de suspension. punct. 2. n. 6.

CONSECTARIVM IV.

Suspensus ab vno ordine determinato, à nullo alio siue superiori, siue inferiori suspensus est, nisi secundum actus necessariò connexos cum actibus ordinis prohibiti.

Communis Regula Canonistarum est suspensum ab ordine inferiori prohiberi quoque ab exercitio omnium ordinum superiorum, quarè suspensus à Diaconatu nullum sacerdotij munus præstare poterit, suspensus tamen ab ordine superiori nullo modo suspensus censetur ab inferiori. 37

Et quidem primam huius Regulæ partem probant magno consensu Canonistæ & summistæ, quos indicabit Sayr lib. 4. cap. 3. n. 5. ex eo quod ridiculum sit, vt ait Vlpian. l. relegatorum §. finali. ff. de interdi. *Eum qui minoribus* (honoribus) *pœna causa prohibitus sit ad maiores aspirare*, & cap. cum illorum de senten. excomm. maiora intelliguntur illis prohibita, quibus vetita sunt minora, & Greg. lib. 1. Reg. Ep. 19. quæritur apud Episcopum Salonitanum, quod in eius concilij actis aliquem ad Sacerdotij honorem promouerit, qui tanquam indignus ab ordine diaconatus remotus fuerat, accedit cap. cui licet de Regulis iuris in 6.

Ex contraria verò ratione probatur 2. pars huiusce

iustæ Regulæ, quia minimè dedecet eum, qui à maiori ordine repulsus est ad minorem & inferiorem admitti, neque qui amisit potestatem circa maiora, propterea eandem amisit circa minora, à maiori enim ad minus vnquàm valet argumentum negatiuè. Titius v.gr.non potest maius, ergo neque minus. Itaque Alteri. disp. 4. de suspension. cap. 4. vbi communi sententiæ adhæsit, ait suspensionem à minoribus ordinibus extendi ad maiores, non ex vi sententiæ, aut legis peculiaris illam ferentis, sed ex iure communi & naturali æquitate, cui repugnat, eum, qui censetur indignus minora quædam munia exercere, defungi maioribus & nobilioribus, quarè glossa in cap. eos. de temporib.ordinand. in 6. ℣. ordinum, ait iure minime frui posse maioribus, qui minoribus caret, allegans l.cui pacto.ff. de seru. exportan.& cap. 1.de ordin. ab Episcop. Eandem indecentiam vrget Koninc disp. 15. n. 10. pro communi sententia, in quam etiam abeunt plerique recentiores, quos dabit ipsos sequutus Bonac. disp. 3. p. 2. n. 7. Quarè cum ea, vt dixi, indecentia non sit in vsu ordinis inferioris, si permittatur illi, qui prohibetur exercere superiorem, non debemus suspensionem ordinis superioris ad inferiorem ampliare, nam neque rationabilis, neque ex mente iuris esset illa ampliatio: non rationabilis quidem, quia sicut potest quis habere ordinem inferiorem, atque eius vsum, licet non habeat ordinem superiorem neque consequenter eius vsum, poterit etiam retinere tum eundem ordinem inferiorem, tum eius vsum, etiamsi amitteret ordinem superiorem, si tolli posset ab Ecclesia, cùm non magis inferior ordo pendeat à Superiori in sui conseruatione & exercitio, quàm in prima acquisitione, quod non contingit in prima parte Regulæ communis & in comparatione ordinis inferioris cum superiori, superior enim acquiri nequit sine inferiori, cuius character est dispositio afferens capacitatem moralem, vt quis superiorem recipere possit; sicut igitur non potest acquirere superiorem ordinem sine inferiori, ita neque vsum eiusdem superioris ordinis habere poterit, nisi liberum vsum habeat inferioris, vt enim est connexio inter ipsos ordines, ita est & inter illorum vsum. Quarè ratio quæ cogit negare vsum superioris ordinis suspenso ab vsu inferioris non valet in suspenso ab ordine superiori respectu inferioris, ad quem proinde irrationabiliter extenderetur ea suspensio & prohibitio; quod etiam dixi fore contra mentem Canonum, aut Iudicis ferentis talem suspensionem, cùm enim intendant tantùm ferre suspensionem partialem, ferrent tamen vniuersalem, suspenderent enim ab omnibus inferioribus ordinibus, atque etiam à superiori ex prima parte huius Regulæ, ergo esset vniuersalis suspensio & determinatio certi ordinis adhibita in ea sententia aut lege superflua esset, quia nihil omninò operaretur, quod est absurdum.

Standum nihilominùs est in Regula à nobis posita illique aptanda est doctrina communis Canonistarum relata, quæ alioquin plurimùm nutat, vt videbis statim.

Aio itaque suspensum ab vno ordine determinato à nullo alio siue superiori siue inferiori suspendi nisi circa illos actus, qui ita connexi sunt cùm actibus ordinis prohibiti, vt sine illis legitimè secundùm Ecclesiæ ritum exerceri nequeant, tunc enim ratione connexionis suspensio ab vno ordine, aut ab vno actu particulari ad alium ordinem aut actum extendenda erit. Ita Sayr. lib. 4. cap. 3. num. 10. quatenus, etiamsi admittat aliquam culpam indecentiæ in eo qui suspensus ab inferiori superiorem exercet, negat tamen illum incurrere irregularitatem, quia reuerà non violat suspensionem quæ non extenditur ad superiorem ordinem quem exercet. Quod idem quoque tradidit Kon. disp. 15. n. 10. Layman lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 1. num. 6. & tandem Suar. disp. 26. s. 4. n. 14. Etsi enim existimet per suspensionem ab ordine inferiori prohiberi vsum superioris, id tamen ita censet, quia putat se in eo vsu reperire sufficientem connexionem, propter quam prohibito actu inferioris ordinis censeatur prohiberi actus superioris. Sayr ℣. suspensio. n. 8. absolutè pronuntiat suspensum ab vno posse exercere alium non connexum, & Hurtad. tract. de suspens. diffi. 9. num. 9. negat suspensum ab ordine inferiore esse prohibitum exercere actum superioris non includentem actum inferioris. Poterit itaque Sacerdos suspensus à Diaconatu audire confessiones, non tamen missam facere, quia missa nequit celebrari, quin recitetur Euangelium, atque ita Diaconi officio fungatur Sacerdos. Denique hanc eandem doctrinam sequuntur ij omnes, qui negant prohibitionem siue suspensionem partialem ab vno ordine ad reliquos eiusdem ordinis actus porrigi, nisi sint necessariò inter se connexi, id enim multò magis asserere debent de extensione suspensionis ab vno ordine ad alium ordinem, quàm de suspensione ab actibus vnius ordinis ad alios eiusdem ordinis.

Iam verò probatur hoc Consectarium quod sequitur ex vniuersali nostra Regula, in qua diximus censuram, & aliam quancunque sententiam maximè pœnalem non esse extendendam vltra id quod significat, alioquin frustrà adhiberetur determinatio ad vnũ effectũ particularẽ, si æq; alios complecteretur; quarè si ad quosdam præterquam ad expressos verbis ipsius censuræ porrigatur, id fiet ratione connexionis ipsorum, eo quod non potuerit prohiberi vnus actus, quin per necessariam consequutionem alter cum ipso connexus prohibeatur; quod verò vnus actus sit nobilior aut ignobilior & alium præsupponat veluti fundamentum, aut non præsupponat, non facit eam connexionem, quæ necessaria est vt vno actu prohibito necessariò prohibeatur & alius; connexio enim ad hoc requisita eiusmodi est, vt vnus actus sine alio prohibito exerceri nequeat, tunc enim simul prohibeantur oportet; si verò separabiles sint, ita vt vnus aliũ nõ includat, quia vterq; potest poni altero non posito, nihil omninò cogit simul vetari aut permitti. Quarè quoties actus vel eiusdem ordinis, vel diuersorum ita inuicem comparabuntur, vt vnus possit præstari sine alio, prohibitio vnius non erit extendenda ad alterum, siue pertineant, vt dixi, ad eundem ordinem siue ad diuersos, & actus prohibitus sit ordinis superioris, quidquid in contrarium nitantur Canonistæ: è contrario verò si actus ordinis superioris prohibitus includat actus ordinis inferioris & simul vna cum illo exerceri debeat, ad illum actum ordinis inferioris extendenda erit prohibitio, atque ita suspensio ab ordine superiori includet suspensionem ab ordine inferiori contra communem Canonistarum, vt exemplis posteà patebit; nunc enim placet tantùm in vniuersum assertionem nostri Consectarij quamuis euidenter ex Regula generali deductam, ampliùs tum ratione tum ex ipso iure confirmare. 19

Et

Et ratio quidem manifeste ostendit falso ex negatione potentiæ circa actum inferiorem colligi eandem negationem circa actum superiorem, nam Angelus caret virtute sensitiua, & tamen habet virtutem intellectiuam multò nobiliorem,& plures obruso visu sunt, aut infœlici memoria,qui tamen ingenij sagacitate & iudicij firmitate pollent;sæpè qui 'caret pecunia , boni nominis fama, quod in moralibus maximum bonum existimatur,diues est. Deinde ex falso illo principio , falso quoque colligunt aduersarij eum qui priuatur morali aliqua facultate circa actum nobiliorem, priuari quoque circa actum inferiorem,vel enim hæc priuatio naturalis & physica est, vel moralis:& priuatio quidem naturalis sic fingi vix potest,cùm priuatio naturalis cadat in formam naturalem , non moralem, nisi quis dicat eam potentiam moralem, esse entitatem quandam physicam, quamuis autem respectu ad mores & libertatem in sua actione denominetur moralis , quo casu liquet totam eam formam & entitatem tolli posse, remanente alia facultate, nobiliori, ea ratione qua perit facultas visiua, manente æstimatiua , aut intellectiua , quod si priuatio ista omnino moralis sit tendens ad formam moralem, vti reuera est, apparet etiam facultates ad diuersos actus morales non tolli simul necessario nisi propter connexionem, quam inter se habent, pendet enim ex arbitrio eius qui vtramque eam facultatem concessit , vel vtramque reuocare , vel alteram tantum,cur enim cogetur vtramque simul destruere, si connexæ essentialiter non sunt & sanè si propter culpam aliquam Princeps priuet Reum aliqua eiusmodi facultate , aut alio quopiam bono, quis neget eam posse esse culpam , quæ postulet priuationem minoris alicuius boni aut ignobilioris facultatis & non maioris ; Denique cùm hæ omnes facultates faciunt vnam tantùm potentiam ad diuersos actus porrectam , vt fit in ordine, cuius sunt diuersa munia, quarè non poterit ea facultas minui aut ligari circa vnum actum, & non circa omnes alios, atque ita Sacerdos suspenditur à celebratione sacri,& non ab audiendis confessionibus aut vice versa , quod idem de diuersis facultatibus v. gr. diuersis ordinibus dicendum fuerit , quoties non erit inter ipsorum actus ea connexio , quæ faciat vt vnus inutiliter prohibeatur alio permisso, eo quod illum essentialiter includat,& sine eo exerceri nequeat.

Atque hæc omnia confirmantur ex iure, nam in cap. vlt. de temporib. Ordina. in 6. Episcopus suspenditur à collatione tonsuræ , & non à collatione cæterorum Ordinum, vt fatentur communiter Canonistæ, & constat ex particula exclusiua duntaxat ; ergo prohibito actu inferiori non prohibetur superior neque satisfaciunt aduersarij, respondent enim hunc esse casum particularem & adhiberi particulam exclusiuam, quæ indicat suspensionem ad actus superiores extendi non posse contra intentionem illam ferentis,quod etiam contingit quando aliunde limitatur suspensio ex assignatione particularis causæ v. g. vt quis puniatur in eo , in quo peccauit, tunc enim ex proportione ad delictum restringenda erit suspensio , quare si Episcopus suspendatur ab Ordinum collatione propter malè collatum diaconatum, non suspendetur nisi à suspensione diaconatus ; non satisfacit inquam hæc responsio 1. quia vndecùmque oafcatur restrictio suspensionis ad actum inferiorem, habemus semper idipsum quod ostendere intendimus , nimirùm actum inferiorem prohiberi posse permisso superiori,& quod ex paritate rationis colligimus suspensionem ab ordine inferiori non necessariò inochere secum suspensionem à superiori, sed has suspensiones separari posse ex arbitrio illas ferentis , cuius erit pœnam commensurare culpæ; idcircò dicunt aduersarij adhiberi particulas exclusiuas aut determinatiuas :si igitur potest prælatus suspendere ab ordine inferiori & non à superiori, idque reuera aliquando facit adhibita particula exclusiua, nunquàm debemus suspensionem ab vno ordine determinato ad alium siue superiorem siue inferiorem extendere , nisi id persuadeat intentio ferentis eiusmodi suspensionem ; illam porrò intentionem colligere non possumus nisi vel ex verbis ipsis, quæ profectò non ferunt eam ampliationem, quandoquidem sunt determinatiua vnius ordinis , vel ex connexione actuum eiusmodi ordinum, quorum vnus exerceri non potest sine vsu alterius,neque dicas eo ipso,quod non fuerit adhibita particula exclusiua , intentionem ferentis suspensionem esse vt ad ordinem superiorem extendatur, idem enim ego dicam de extensione ad ordinem inferiorem , quod negant aduersarij , cùm ex vi verborum determinatio vnius Ordinis non magis excludat superiorem, quàm inferiorem , ratio autem indecentiæ nulla sit, secluso scandalo,immò sæpè ratio postulet, vt qui suspenditur ab actu aliquo inferioris ordinis non suspendatur ab actu superioris propter leuitatem culpæ. Deinde particulæ præcisiuæ sæpè æquiualent exclusiuis, atque ita dicebamus Regula 2. parte 3. suspensionem ab officio non includere suspensionem à beneficio,etiãsi non addatur *tantùm* aut aliud illi æquiualens. §. denique falsum est ex eo quod in aliquo actu peculiari aliquis peccauerit , rectè colligi suspensionem non extendi,nisi ad actum similem,nam Episcopus qui peccaret in collatione Diaconatus suspenditur absolutè à collatione Ordinum cap. vel non est compos. de temporib. ordinario. quod de collatione omnium ordinum interpretatur glossa in cap. Eos qui eod. tit. in 6. ỹ. ordinum : quia Pontifex loquitur indefinite,& si voluisset tantùm ordinis collatione priuare voluisset illum expressisset, & vnde argumentor à contrario,quando vnum certum ordinem, aut actum expressit, Pontifex , alios non comprehendit nisi ex connexione materiæ id necessarium sit.

Prætereà Innocent. I I I. cap. Ex litteris. de excessibus Prælatorum mandat Episcopum Albiganensem , quem altaris ministerio propter crimen admissum submoneat cedere Episcopatui , quia Pontificale officium sine altaris ministerio implere non poterat ; ratio igitur propter quam suspensus ab altari & à Sacerdotio, iubetur dimittere Episcopatum , non est , quia prohibito inferioris ordinis vsu, prohibetur vsus superioris , sed quia Pontificatus nequit sine sacerdotij vsu exerceri : quando igitur aliqui actus superioris ordinis fieri poterunt sine actibus inferioris ordinis, reuera suspensio ab ordine inferiori non erit extendenda ad eiusmodi actus superioris ordinis, nisi id sententia exprimat, vt in illo Episcopo Albaganensi contigit , quia enim ea suspensio ab altaris ministerio perpetua videbatur , & non decebat Pontificem ab altari summoueri, iubetur ille renuntiare Episcopatui, existimo tamen donec renuntiauit, aut renuntiare iussus est , potuisse actus, qui altaris ministerium, à quo fuerat repulsus,non continebant, obire , neque idcircò violasse censuram,aut incurrisse irregularitatem etsi fortassis ob scandalum peccauerit.

Quæ

Quæ portò in contrarium afferebant aduersarij ex Iure illum qui indignus est minoribus honoribus indignum quoque esse maioribus, & cui sunt minora prohibita illi quoque maiora prohiberi, intelligenda sunt de absoluta incapacitate ad illa minora, quæ sunt gradus ad maiora quæ illis tanquam fundamento superstruuntur aut illa minora tanquam præuias quasdam dispositiones requirunt, æquiualentque eæ propositiones licet definitæ videantur, vniuersalibus nempè remouentur illi etiá à minimis honoribus Reipubl. aut indigni existimantur etiam minimo munere, atque ita improbat Gregor. illum qui indignus fuerat habitus Diaconatu, promoueri ad sacerdotium. Cum enim dignitas siue capacitas ad gradum aliquem inferiorem sit dispositio ad gradum superiorem, sanè qui inferiori indignus est erit quoque indignus superiori; secus verò quando sunt gradus veluti disparati, & nullam inter se connexionem habent, aut quando comparantur actus, qui connexi non sunt quoad exercitium etiási procedant à potentiis, quarum vna supponit aliam; tunc enim licet non possit acquiri capacitas, aut potentia superior sine inferiori, quam præsupponit, potest tamen exerceri actus potentiæ superioris absque actu potentiæ inferioris, & impedito actu inferiori non impeditur superior; quod videmus in physicis, etsi enim non possit, haberi anima sensitiua absque vegetatiua, poterit tamè impediri aliquis actus potétiæ vegetantis, licet non impediatur sensatio, neque benè colligeretur sensationem esse impossibilem, quia læsa est potentia vegetans, & in suis actionibus laborat.

Sed placet ampliùs hanc suspensionem siue prohibitioné ab inferiori actu concesso superiori, aut è contrario ex antiquis Ecclesiæ moribus illustrare.

Nam I. Episcopis aliquando prohibebatur sola celebratio Missarum, quæ communis est Sacerdotibus, omnia verò Pontificalia, & quæ ad Episcopatum, Ordinem profectò superiorem sacerdotio pertinent integra illis manebant, nam in Conc. III. Aurelian. c. 6. Episcopus pro ordinationis contra Canones factæ temeritate sex mensibus à celebrandis officiis sequestratur. Atque vt videas cætera omnia Pontificalia (celebratio enim diuinorum officiorum & missæ cæteris inferioribus communis est, vt iam monui) libera illi fuisse, addit, quod si missas intra statutum tempus facere præsumpserit, anno integro omnium fratrum charitate privetur, quæ pœna, vt dixi superius, propria erat Episcoporum. Eandem celebrandæ missæ prohibitionem facit idem Concil. C. 15. Episcopo, qui in aliena diœcesi clericos alienos, vel altaria consecrauit, & cap. 25. idem statuitur aduersus Episcopum ordinantem seruilibus & colonariis conditionibus obligatum; & Conc. item Aurelian. IV. c. 10. Episcopum qui bigamum, aut internuptæ maritum ordinauerit, anni spatio ab omni sacerdotij officio iubet esse suspensum, quod si eam pœnam contempserit ab eius communione vsque ad magnam synodum se fraternitas vniuersa suspendat, ex qua adiectione pœnæ colligimus post illam suspensionem ab officio Sacerdotij Pontificalia ratione quorum agebat cum Coepiscopis, illi fuisse relicta vnà cum tota authoritate & distinctione Episcopali.

II. Aliquando Episcopus sola ordinandi potestate priuabatur cœteris omnibus Episcopalibus retentis, vt habetur Conc. 4. Carthagin. c. 68. & 69. aduersus ordinantem pœnitentem, aut qui viduam vel repudiatam duxerat, ibique habetur particula exclusiua. Taurin. verò Conc. c. 2. ordinantem contra statuta majorum, majori quodam pœna plectit, ná priuat authoritate in ordinationibus & in Conciliis, Denique Leo Epist. 87. cap. 2. illicitè ordinátes etiási damnum proprij honoris euaserint, ordinationis tamen ius vlterius non habere vult.

III. Aliquando Episcopum priuabant in propriam siue principem Ecclesiam authoritate, quam in reliquam diœcesim retinebat, aut è contrario, Dempta in totam diœcesim authoritate, relinquebatur iurisdictio in solam Ecclesiam principem, aliquando tota ea iurisdictione excidebat, quod ex conc. 3. Carthagin. c. 43. manifestè colligitur & ex Conc. African. c. 10. iisdem ferè verbis circa Episcopos, qui ad Concilia venire negligebant, & in suis plebibus tyrannidé quádam exercebant, eas fraudibus & subdolis blanditiis deliníentes. Non absimili ratione corripuit Augustinus presbyterum Fossalconsem imminuta aliqua ex parte eius potestate, seruato tamen honore integro, vt ait Epist. 261.

IV. Aliàs sublata omni iurisdictione & muneris exercitio nudú nomen honoris & dignitatis retinebatur ψιλὴν τὸ ὀνόματος τιμῆς, vt de Meletio statutú fuisse à PP. Nicænis legimus apud Theodo. lib. 1. c. 9. & 10 historia Tripart. lib. 2. cap. 12. quibusdam quoque presbyteris & Diaconis, qui vbi lapsi fuissent in persequutione, pœnitentia ducti fortiter deinde dimicarent Cathedræ honorem, interdicto omni munere sacerdotali permittit Cóc. Ancyran. c. 1. & 2. de Eustathio simile qui decernunt PP. Ephesini Act. 10. 7. Ep. ad Concili. Pamphiliæ, & de quodam presbytero Basil. Ep. ad Amphiloch. cap. 27.

V. à gradu superiori ad inferiorem fuisse deiectos Clericos tritum est apud veteres authores, & aliquot dabimus q. seq. exempla in hanc rem.

Ex his aliisque similibus facilè videas, ita aliquando quædam minora fuisse prohibita, vt tamen maiora & nobiliora licerent, aliàs verò sublatam fuisse potestatem circa maiora, & relictam circa minora. Quare non sunt extendendæ prohibitiones & suspensiones partiales nisi ratione connexionis, quam habent actus prohibiti cum aliis sine quibus præstari non poterunt.

PLVRA CONSECTARIA
Ex Superiori.

Ex hoc porrò Consectario ita firmiter, nisi fallor, stabilito plura alia singillatim deducere licebit. 4

1. Suspensus ab officio prædicandi, quod est diaconatus proprium, neque à cæteris Diaconatus actibus, neque ab illis superiorum Ordinum suspenditur ex Nauar. cap. 27. n. 163. quia impedimentú prædicationis, nempe defectus doctrinæ nó impedit alios actus, qui doctrinam illam nó requirunt, quá postulat prædicatio, atque ita inter actuú illorum prohibitiones nulla est necessaria cónexio.

2. Sacerdos suspensus à diaconatu, omnia Sacerdotalia munera, & quæ non sunt Diaconi propria præstare poterit, excepta missæ celebratione, quia ista includit Diaconi officiú. Ita Sayr. lib. 4. c. 3. n. 9. similiq; ratione Episcopus suspensus à sacerdotali officio poterit alia munera Episcopalia, quæ celebrationem missæ nó includunt, exequi, vt cósecrare altaria & calices, cófirmare, minores ordines cóferre; benedictiones solénes impertiri, diuinis officiis in Pótificalibus adesse, vti diximus etiá superius, quia isti actus nó ita sunt subordinati, aut annexi cú actibus prohibitis, vt sine ipsis fieri non possint; ad eos igitur suspésio extédéda nó est, esto demus esse

indecens hæc fieri ad eo cui ministeriū altaris prohibitū esse scitur, quod tamen nōdum persuaserunt aduersarij secluso scandalo, nō idcircò diceretur ille violare cēsurā & suspensionē, neq; incurreret irregularitatē vt monebamus cum Sayro & Koninck.

Obijcit Suar. inter ordines inferiores & superiores esse subordinationē quoad ipsos characteres, cùm superior non possit cōferri, sine inferiori, inde autē sequitur esse quoq; ipsorū actus subordinatos, eos enim characteres ipsique ordines essentialiter respiciunt; cùm igitur per suspensionem fiat aliquis inhabilis ad actus ordinis eodē modo quoad æstimationem Ecclesiæ, atque si non haberet characterem, erit quoque inhabilis ad actus superioris ordinis in eadē Ecclesiæ æstimatione, & sanè suspensus ab ordine inferiori nequit suscipere ordinem superiorem, ergo neq; suspensus ab vsu ordinis inferioris poterit vti superiori, quę consequutio manifesta videtur, quod enim impedit susceptionem ordinis nondum habiti, multò magis impedit vsum ordinis iam obtenti, vt videmus in irregularitate superueniente post ordinationem, & in impedimentis, quæ diremissent matrimonium, si illud præcessissent, reddunt enim illicitum illius vsum, quoties accedunt matrimonio iam contracto.

℞. esse quidem subordinationē inter ordinē inferiorem & superiorem quoad characteres eorum, siue quoad adeptionem secundum Ecclesiæ ritum & eorum institutionem, illicita enim est promotio per saltum siue sit valida siue non, quod alibi disquiremus, nego tamen eandem esse subordinationem quoad ipsorum ordinum actus, & manifestum discrimen apparet, quia ea eo quod superior acquiri legitime non potest, nisi præsupponatur inferior tanquam dispositio, potest tamen exerceri actus ordinis superioris absque actu ordinis inferioris, & si per impossibile tolleretur character ordinis inferioris modò remaneat character superioris, quod si Deus vellet fieri, nihil repugnat, quis neget ita retinentē solùm ordinē superiorem, eius actus exequi posse; quare quamuis facultas ad aliquos actus acquiri nequeat absque alia præuia facultate, si tamen nihil aliud occurrat, non pendebit in suis actionibus ab illa priore & præsupposita facultate, & illa impedita nihilominus aget.

Concedo quidem suspensionem ab inferiori ordine impedire susceptionem superioris nondum habiti, nego tamen impedire illius iam adepti exercitium. Ratio discriminis est, quia suspensio ab ordine inferiori prohibet omnem illius vsum, atqui susceptio superioris ordinis est veluti quidam vsus inferioris, quatenus eius character est capacitas & veluti facultas moralis suscipiendi vlteriorē ordinem, cuius facultatis vsus est in ipsa susceptione, vt vides; quarè si prohibeatur omnis vsus ordinis inferioris prohibetur quoque susceptio illa superioris; at verò in exercitio ordinis superioris nullus est vsus, vt supponimus ordinis inferioris, & idcircò prohibito vsu ordinis superioris non necessariò prohibetur vsus inferioris.

Quod verò dicebatur illud quod impedit facultatis alicuius nōdum habitæ acquisitionem, impedire quoque illius iam obtentæ vsum, vt in irregularitatibus & impedimentis matrimonij dirimentibus ostendebatur. ℞. id verum esse quoties illud impedimentum directè respicit actus, & ipsorum ratione potentiam, vti contingit in istis moralibus, idcircò enim vel tollitur facultas, vel eius acquisitio impeditur, tunc enim quoties ponetur tale impedimentum impediet actus, siue obstando ne acquiratur facultas ad ipsos eliciendos, siue si iam acquisita sit, ne prorumpat in ea exercitium, & vt iners atque obstipa maneat. Ita Irregularitas cùm tendat primò ad impediendum, ne qui certas culpas admiserunt, aut quibusdam defectibus notati sunt, sacra ministeria exerceant, quod in dedecus quoddā religionis cederet, impedit tum ne acquiratur facultas ad eos sacros actus per ordinationem, tum si sit iam acquisita, ne ea vtatur, qui eos defectus contraxit. Impedimenta quoque matrimonij primò & per se ponuntur ad impediendā commixtionem, quā inter certas quasdā personas grauibus de causis minimè probat Ecclesia, & idcircò tum ne ius ad illam commixtionē acquiratur, tum ne illo iā acquisito vti liceat, efficiuntur verò quando impedimēta alicuius potentiæ acquirendæ nō ponuntur primò & per se ad illius actus impediendos, sed tātùm per accidēs ea eo quod posita tali re nō possit acquiri potentia aliqua, quamuis id quod impedit talē acquisitionē non ponatur primò & per se ad impediendā eam potentiam eiusue actus, tunc si illud quod impediuisset acquisitionem potentiæ eueniat illa iam acquisita, nō tollet eius exercitiū, neque impediet ipsius actiones qui enim prohiberet apponi alimentū potentiæ nutritiuæ, prohiberet quidē nutritionem fieri, si tamen illam ipsam vim adhiberet post appositum alimentum, non impediret actum nutritionis, quia istud posterius non pendet ex positione illius violentiæ nisi consequenter, & si per illam impediatur alimentū; atqui suspensio ab ordine inferiori nō ponitur, nisi ad impediendos illius ordinis actus, non autem ad impediendam susceptionem ordinis superioris aut eius exercitium, & qood impediat ne licitè suscipiatur ordo superior, illod est veluti per accidens, aut ea quadam necessaria consequutione ex eo quod vti dixi, in ea susceptione includatur vsus inferioris illius ordinis.

3. Suspensus ab altaris officio reliqua sacerdotij munera licitè exercebit ea cap. significauit. de corpo. vitiat. vbi vide gloss. ℣. officium & Panorm. num. 2. & Vgolin. tab. 4. cap. 6. §. 6. num. 4. quarè solemniter baptizare, pœnitentiæ sacramentum ministrare, aquam baptismalem benedicere, & alia similia præstare poterit. Vide Sayr. lib. 4. cap. 3. num. 17.

4. Suspensus ab ordine Pontificali, omnia præter ea quæ sunt propria ordinis Episcopalis, potest vsurpare quæ ad sacerdotes pertinent; atque etiam quæ ad Iurisdictionem pontificalem, ad quam non extenditur suspensio ab ordine, vti diximus superius.

5. Suspensus à Pontificalibus non potest ea, quę solemnem ornatum Pontificalem requirunt exercere, alia omnia etiam Pontificalia poterit, si quæ sint, quæ sine eo apparato præstari soleant. Sayr. cap. 4. num. 15.

6. Episcopus suspensus à collatione ordinum, reliqua omnia Pontificalia potest, vt Chrismare, tonsuram, si ordo non sit, conferre.

7. Suspensus à collatione determinati ordinis alios omnes etiam superiores dare poterit. Ita Suar. disp. 26. s. 4. num. 13. & Layman. lib. 1. tract. 3. p. 3. cap. 1. num. 6. contra Henriq. lib. 13. cap. 32. num. 2. Sylu. ℣. suspensionis. Auila. 3. p. disp. 2. dub. 2. con. 11. Vgolin. tab. 4. cap. 6. §. 6. num. 3. & Sayr cap. 4. num. 19. & alij communiter, qoia potestas illa, quæ indiuisibilis est in se, in Episcopo potest impediri quoad vnum actum collationis & relinqui libera quoad alios non connexos sed separabiles.

REGVLA QVARTA.

De suspensione à beneficio.

43 Suspensio à beneficio non priuat ipso beneficio, sed totali vel partiali duntaxat perceptione fructuum & prouentuum Ecclesiasticorum iure beneficij debitorum, pro ratione suspensionis, quæ vel totalis vel partialis duntaxat est.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

44 Quid nomine fructuum beneficij intelligatur, expositum à oobis fuit superiori q. 7. proposit. 3. nimirum omnes prouentus temporales, qui ratione alicuius beneficij, & iore illius debentur, cuiuscunque tandem rationis sint, & quocunque oomine appellentur; quarè etiam cottidianæ distributiones, quando dantur beneficiatis assistentibus choro, eo nomine comprehenduntur, quia etiamsi videantur esse quædam stipendia laboris & præsentiæ, vt dicemus alibi, quando tamen non datur nisi propter ordinarium ministerium, ad quod qois titulo sui beoeficij obligatur, pertinent omninò ad beneficij prouétus, quod inde manifestum fit, quia sola assistenria in choro non est ratio adæquata percipiendi hos fructus nisi titulus beneficij accederet, quarè vel non dantur non beneficiatis, vel non ea quantitate, v. gr. dantur solis canonicis, aut præbendariis & non aliis, quamuis sua spoore adsint; aliæ verò distributiones fiunt ratione alicuius operis personalis, vt anniuersaria, mortuaria, stipeodia missarum & alia similia, quæ ex pietate fidelium conferuntur distribuenda illi, qui sacrum aut aliud qoodpiam diuinum officium fecerit, tunc non suot fructus beneficii, quod nullo modo influit tanquam causa in eas distributionès, quamuis occasio aliqua esse possit, propter quam fideles vni potiùs, quàm alteri largiantur ista stipendia, vel ille opus pium ad quod donantur, præstet, vel alii, qui id faciat, distribuat, atque ita vel Parocho, vel sacristæ solent eleemosynas in hanc rem conferra fideles. Si tamen inductum esset in morem aut superiorum authoritate firmatum vt soli beneficiati has eleemosynas acciperent, v. gr. soli Canonici, qui soli haberent ius ad præstanda opera imposita lucrando illi stipendio, iam reuerà hæ quoque distributiones in beneficii fructibus numerarentur.

PRIMA PARS REGVLÆ.

Suspensio à beneficio non priuat ipso beneficio.

45 Dixi igitur 1. suspensum à beneficio non priuari ipsomet beneficio, quod glossa & omnes DD. fatentur in cap. cùm Vintonieosis. de electione, & sanè in cap. cupientes. de electione in 6. suspensus à beneficio per triennium, si intereà se ingesserit beneficij negotiis, ipso iure priuatus manet beneficio; supponit igitur Pontifex illum non fuisse antea priuatum beneficio per suspensionem, & probatur illis ipsis rationibus, quibus in 1. p. 2. Regulæ ostendimus, suspeosionem ab officio non priuare ipso officio, sed tantùm libero eius vsu, idem enim circa suspensionem à beneficio dicendum est; quarè cùm beneficiū sit ius clerico ratione alicuius sacri ministerij competēs ad perficiēdā aliquā certā bonorū Ecclesiasticorū partē, suspensio non extinguit illud ius, sed ne in actum exeat, impedit, quod ferre ipsa suspensionis vocem obseruabamus eo loco, retinet itaq; suspensus suom beneficiū, & integrū ius percipieodi bona Ecclesiastica, nequit tamen vti suo illo iure propter impedimentū appositū, siue priuatur sibi alioquin debitis oisi incurrisset hanc censuram, quæ omnia explicata sunt q. 7. circa similem excommunicationis effectum.

SECVNDA PARS REGVLÆ.

Suspensio à beneficio priuat beneficij fructibus.

Dixi 2. Suspensum à beneficio priuari fructibus 46 sui beneficij, qood DD. superiori assertione laudati eodem consensu traduot, & colligitur ex iisdē textibus, aliisque quos ipsi allegāt, atq; ex priori ea cōclusione manifestè sequitur, cùm enim hæc suspēsio à bebeficio nō priuet ipsomet beneficio nisi illud impediret quoad suum vsū, qui cōsistit in perceptiooe fructuū nihil planè operaretur. Neq; dicas hāc priuationē fructuū, qui sūt aliquid tēporale nō esse pœnā spiritaulem, ac proinde neq; cēsurā, quia sufficit ad pœnā spiritualē, vt priuet libero vsu iuris alicuius & potestatis spiritualis, etiamsi illa versetur circa quidpiam temporale quod per eiusmodi pœnam coosequenter tollitur.

TERTIA PARS REGVLAE.

An ea priuatio fructuum sit totalis vel partialis.

Dixi 3. Hanc priuationē fructuum beneficij esse 47 totalē vel partialem, prout ipsa suspēsio totalis vel partialis est, vtraq; enim istā suspensionem æq; agnoscendā circa beneficiū, atq; circa officium cōstat ex iure, & omnium DD. sensu atq; ipsa ratione: cùm enim potentia aliqua habet plures actus, & respicit plura obiecta partialia, impediri potest vel circa suos omnes actus, & respectu totius sui obiecti, vel tantùm circa vnā tantùm partem ipsius, & aliquos actus duntaxat, quod in facultatibos moralibus facilius multo est, quàm in Physicis: poterit igitur aliquis suspendi vel ab omnibus beneficiis, quæ possidet, vel ab vno tantùm, licet plura obtineat, aut priuari omnibus prouentibus sui beneficij, aut aliqua tantùm ipsorū parte, qui sunt duo modi huius totalitatis & partialitatis in suspēsione à beneficio, eo quod totalitas & partialitas vel comparetur cum beneficiis, quoties plura obtinet, vel cōparetur cum fructibus, siue vnius siue plurium beneficiorum, cū enim effectum habebit suspeosio, quem verbis expresserit, atq; ita vel ad plura & omnia beneficia extenditur, vel ad vnum tantum, & ad omnes fructus, vel partem duntaxat.

Difficultas tamen est vt dignoscamus, an suspensio sit totalis maximè respectu plurium beneficiorum, an partialis duotaxat, quando verba indefinita sunt neque satis determinant an de omni beneficio, an de vno solo, maximè si illud tantùm intra iurisdictionem fereotis suspensionem situm est, loquantur: omissis autem pluribus dicendi modis relatis à Sayro. lib. 4. cap. 6. o. 21. trado hanc vniuersalem Regulam.

Quoties quis suspenditur indefinitè à beneficio 48 priuatur ōnibus fructibus omniū beneficiorū, quæ obtinet, vbicūq; sita sint, nisi vel ex causa propter

quam fertur censura, vel ex consuetudine, vel ex alio quopiam adiuncto, ex quo colligatur mens ferentis, determinetur ad vnum certum beneficium ex pluribus aut ad definitum fructuum proportionem.

1. Pars huius Regulæ certissima est, cùm oratio indefinita æquiualeat vniuersali, quoties eadem ratio & causa repetitur in omnibus contentis, vt docet Bart. in l. si pluribus. ff. de legat. 2. n. 6. suspensio igitur à beneficio aut à beneficiis absolutè & indefinitè prolata, æquiualebit suspensioni ab omni beneficio, aut ab omnibus beneficiis: & prætereà cùm nulla sit ratio propter quam suspensio ad vnum potiùs beneficium ex pluribus, quàm ad aliud restringatur, omnia cõprehẽdit, ne incerta sit ac vaga, ac proinde nulla. & denique suspensio habet pro effectu priuationẽ, & idcircò includitur negatio in ea propositione, suspendo te à beneficio, id est, non potes percipere fructus beneficij tui, negatio verò distribuit terminum, cui apponitur, nisi aliunde determinetur. v. gr. Angelus non est sensitiuus, homo non est quadrupes: quarè suspensio à beneficio non facit propositionem simpliciter indefinitam & ambiguam, sed certam & vniuersalem propter inclusã negationẽ distribuentem terminũ indefinitũ quod etiam confirmatur, quia alioquin liceret hanc pœnã ad minimum beneficium è pluribus restringere, aut si vnum tantùm beneficium possideat suspensus, ad minimã fructuum portionẽ; quia in pœnalibus licita est restrictio ex Regula. in pœnis. de Regulis iuris. in 6. & in ambiguis minimum accipiendum est. l. in ambiguo. ff. de rebus dub. l. duo sunt Titij. ff. de testamẽt. tutela. & Regul. in obscuris. de Regulis iuris in 6. quarè nihil admodùm refert, si fiat suspensio à beneficio aut à beneficiis, nam vtrobique includitur negatio distribuens eos terminos secundùm omnia quæ continent, & æquiualens isti ab omni beneficio, ab omnibus beneficiis; qua ratione diximus suspensionem ab officio tam esse vniuersalem, quàm si diceretur suspensio ab officiis, non enim potiori ratione subintelligitur signum vniuersale in vna propositione, quam in alia, ita vt sit reuerà suspensio ab omni officio, sicut esset ab omnibus officiis: ita etiam suspensio à beneficio, vel à beneficiis æquiualebunt; neque interest quidpiam, an terminus sit singularis, an pluralis, quãdo vtroque modo plura complectitur, in quæ distribuitur, & reuerà distribuitur in propositione per signum vniuersale expressum, aut sub, intellectũ ratione negationis inclusæ, & illum terminũ afficientis: quãuis in iure vsurpetur suspensio à beneficiis, quàm ab officiis, quia rarius est aliquem possidere plura Ecclesiastica officia, quã beneficia: deinde quia loquutio singularis faciliùs ex subiecta materia & circũstantia determinatur ad vnum, quã loquutio pluralis, hæc enim ex sese ad plura extẽditur, quarè debet per aliquid appositum coarctari, loquutio autẽ singularis etiamsi ratione termini indefiniti sit & ipsa indefinita, non tamen postulat extendi ad plura, sed indifferens quodãmodo est & anceps, vt ad vnum vel plura porrigatur, immò nisi sit quodpiã in illa subiectũ distribuens, manebit vel determinata ad vnũ, vel saltem ambigua, eritq; prudentis eam strictius vel latius interpretari, & ferè benigniùs ipsam exponet. Deniq; DD. passim suspensionem à beneficio de omni beneficio siue simplici, siue dignitatẽ habente accipiunt, vti diximus q. 7. propos. 3. ita vt etiam ipsum Episcopatum includant, nisi quid aliud obstet, quia nimirùm sententia suspensionis vniuersaliter lata non comprehendit Episcopus, nisi exprimantur, ex cap. quia periculosum. de sententia. excommunicat. in 6. quod extendi, etiam ad suspensionem à beneficio manifestò traditur in capite, si compromissarius de elect. in 6. cuius ampliationis rationem reddet ibidem gloss. ex quibus omnibus sic colligo, qui suspendit Titium à beneficio, potest illum ab omni beneficio quod possidet, suspendere & illud omninò vult, ergò reuerà illum ab omni beneficio suspendit. Consequentia certissima est: posita enim potestate & intentione ferentis censuram; censura lata suum habet effectum. Antecedens verò facilè ostenditur, & quidem intentionem ferentis censuram istam suspensionis à beneficio complecti omnia beneficia Rei rectè colligimus ex propositione indefinita, quam vsurpat, & quæ ex sua natura æquiualet vniuersali, vti hactenùs ostendimus, neque necessè fuit illum ampliùs, aut expressiùs suam mentem declarare, quandoquidem ex verbis certò colligitur.

Quod autem attinet ad potestatẽ priuãdi omnibus beneficiis posset videri maior difficultas, eo quod aliquãdo beneficia sint extra territoriũ ferẽtis suspensionẽ, vnde ab illis non posse suspẽdere, atq; ita limitãdã esse sententiã ex subiecta materia tradit glossa in c. pastoralis. §. verum. de appellat. ✝. subtrahuntur; alij verò distinguunt inter suspensionẽ latã à iure & ab homine, priorem enim volunt cõplecti omnia beneficia, quia ius cõmune non arctatur vllo loco, sed per omnia vagatur, posterior autẽ quæ fertur ab inferiore Prælato, & non à Põtifice Romano, non comprehendit nisi beneficia existentia in loco subdito ferenti suspensionem: quia nimirùm iurisdictio & sententia hominis non se extendit extra suum territorium, & homo breuiores habet manus, quam Canon.

Verùm distinguendum est Ius percipiendi rẽ aliquã ab ipsamet re, ius enim est quidpiã incorporale & inhæret personæ, cùm res sit quidpiã extrinsecum, suspẽsio à beneficio non cadit per se & proximè in rẽ, qua priuatur clericus, sed in ius illã percipiendi, quod per hanc censuram ligatur & impeditur; quãuis igitur fructus beneficij, atque ipsum etiam beneficium sit extra territorium alicuius, qui proinde neque de illo beneficio neque de eius fructibus disponere quidquam potest, persona tamen, cui competit beneficium, siue ius ad illos fructus, est illi subdita, quarè & sibi subditum plectere, & ipsum iure inhærenti priuare poterit. Executio tamen, siue ipsa priuatio actualis rei extra Iudicis istius territorium collocatæ facienda erit per illius territorij Iudicem, quod definitur cap. postulasti de foro competente. In quem locum latè Felin. post Panormit. & nos alibi satis fusè diximus, quomodo extra territorium ius dicere liceret: prætерquàm quod Ratio propter quam censuræ suum effectum vbique obtineant, petenda non est à iurisdictione illas ferentis, sed ab ipsarum natura & institutione, vti sæpiùs monuimus.

In 2. parte nostræ Regulæ dixi, hanc vniuersalitatem suspensionis ab omni beneficio, quam alioquin ferret locutio indefinita, variis modis restringi. 49

1. per causam propter quam fertur; quando enim illa vniuersalis, vt ita dicam est, quia non respicit determinatum locum, signum est suspensionem esse quoque vniuersalem, at verò quando ea causa certam Ecclesiam, cui v. gr. facta est iniuria respicit indefinitam propositionem ad beneficia intra illã Ecclesiam existẽtia limitat. Exẽplũ habemus in

Clerico

clerico concubinario, aut vestibus clericalibus non vtente, si enim ille incideret ob illa crimina in suspensionem à beneficio, vel peculiari sententia, vel statuto sui Episcopi latam priuaretur fructibus omnium suorum beneficiorum vbique existentium, vt fatetur Vgolin. tab.4.cap.8. §.4.& 5. quia cum causa vt vides, sit generalis, non potest tollere vniuersalitatem sententiæ vel legis. Compromissarius verò in quem translata est eligendi potestas, si sciens Indignum elegerit à beneficiis Ecclesiasticis triennio suspenditur ipso Iure iuxta Lateranense Concilium, quam pœnam Bonifacius VIII. interpretatur, cap. si Compromissarius. de Electione in 6. de beneficiis, quæ obtinet in illa Ecclesia *quam taliter eligendo noscitur specialiter offendisse*, atque ita intelligendum est cap. Cùm in cunctis de Electione, vbi refertur illud decretum Lateranense suspendens à beneficiis eligentes indignum. Vnde Regulam à nobis hic traditam colligunt passim Canonistæ consentaneè ad mentem Pontificis, fauetque ratio, quam affert, nimirum ne bonis Ecclesiæ, cui fecit iniuriam, vtatur malus Elector; quod ipsum eodem modo, statuit Nicolaus III. cap. Cupientes. §. cæterum de Electione in 6. Deinde causa particularis non videtur nisi pœnam particularem parere debere.

2. Restringitur indefinita suspensio consuetudine, quæ ferè obtinuit, vt quoties fertur à particulari Episcopo & inferiore summo Pontifice, non intelligatur nisi de beneficiis, quæ sunt intra diœcesim illius, etiamsi propositio sit indefinita, & nisi ipse exprimat signum vniuersale. Itaque licet causa suspensionis fuerit generalis, poterit ita exponi sententia Iudicis, quamuis suspicio esset, ne Iudex voluerit sententiam vniuersalem pronuntiare, quia tamen id non expressit, non tenebitur Reus aut ab illo inquirere, aut abdicare se omnibus beneficiis in alieno territorio sitis, quod Sayr. cap.6. cit. num.28. docet contra Vgolin. tab.4. cap.8. §.5. numer. 1. & Suar. tandem fatetur hanc sententiam in praxi & conscientia tutam esse disput.27. s.1. num. 12.

3. Eandem suspensionis indefinitæ restrictionem faciunt aliæ quædam circumstantiæ, si enim suspendatur aliquis sub nomine beneficium significante non videtur priuari nisi in illo beneficio, sub cuius appellatione damnatur, v. gr. Canonicus aut Episcopus, qui sub nomine canonici aut Episcopi suspenditur à suo beneficio, non nisi in canonicatu, aut Episcopatu punietur, quia ea nominatio videtur sententiam determinare, vt quid enim, quandoquidem iste plura alia beneficia possidet, damnatur sub eo potius nomine quàm alio; deinde in communi loquendi vsu Episcopus priuatus beneficio intelligitur priuari Episcopatu, & Canonicus canonicatu, prætterquam quod ferè causæ harum suspensionum sunt particulares, nimirùm quod quidpiam contra dignitatem sui beneficij Episcopi v.gr. aut Canonici admiserint. Atque ita de aliis circumstantiis iudicari poterit, & ex illis sumi aliqua determinatio sententiæ indefinitæ, vt monui.

CONSECTARIVM I.

Suspensus à Beneficio tenetur implere suum officium.

50 Ex hac natura suspensionis à beneficio & Regula vniuersali à nobis tradita sequitur imprimis non modo illam non suspendere ab officio, quandoquidem distinctæ sunt istæ pœnæ, & separabiles, neque vna infert necessario aliam, vti ostendimus Regula 2. Sed etiam ita suspensum manere obligatum ad omnia officia sui beneficij exequenda, quarè tenebitur horas recitare, interesse diuinis officiis, aliaque omnia implere, atque si reuerà non foret suspensus à beneficio, nullo tamen temporali emolumento cum fructibus qui propter illud officium dantur, priuetur sua culpa. Ita glossa & DD. communiter. in cap. cum VVintoniensis. de Electione. Ratio etiam manifesta est, obligatio enim obeundi talia munera & functiones Ecclesiasticas intrinsecè connexa est beneficio, vnde vulgare illud beneficium dari propter officium, & ipsa definitio beneficij idem ostendit, est enim ius percipiendi certos prouentus Ecclesiasticos clerico competens propter sacrum ministerium, quamdiu igitur retinet beneficium, & ius illud percipiendi fructus & bona Ecclesiæ, retinet quoque obligationem exercendi sacra ministeria, propter quam datur tale beneficium, quod verò non habeat ius illud liberum, sed impeditum & reuerà non percipiat prouentus sibi debitos in pœnam sui criminis, sibi ipsi imputare debet, neque propterea exoluitur sua obligatione, alioquin commodum ex suo delicto reportaret, & censura ista instituta esset in damnum tum Ecclesiæ, tum dotantium beneficia, priuarentur enim suorum bonorum fructu & sacris ministeriis propter alienam culpam & sanè si quis fructibus iam perceptis spoliari potest in pœnam etiamsi impleuerit onera, quibus fructus tanquam stipendium quoddam redduntur, cur non poterit ab ipsa perceptione impediri, vbi delictum ita postulârit, etiamsi maneat obligatio exequendi ministeria, quibus destinari erant eiusmodi prouentus. Immò addo cum glossa in cap. Cupientes. §. cæterùm. de Elect. in 6. ℣. Beneficiis, hunc beneficiarium suspensum teneri suum onus per sese exequi, neque posse alium inuito superiori substituere, assignato illi iusto stipendio ex fructibus beneficij, quia cùm ipsemet fungi officio possit, non est cur per alium id faciat, atque ita ex suo delicto commodum reportet quarè cogi ad id poterit, interminata pœna priuationis officij, vt ex cap. peruenit. 2. de Appellationib. & cap. inter quatuor. de cleric. non residentib. colligunt Alteri disp.5. de suspens. cap.2. & Suar. disp. 27. s.1. num.6.

Neque simile est quod obiici posset ex communi sententia, quæ liberat beneficiatum omni onere, aut aliqua parte, vbi vel imminuti sunt beneficij fructus, vel omninò perierunt; nam cum nulla sit tunc beneficiarij culpa, non patietur, vt onera subeat, & emolumenta non recipiat. At verò quando aliquis reddit se suo crimine indignum commodo, minimè absurdum est, si nihilominus incommodum & onus sentiat; atque ita intelligenda est vulgaris Regula Iuris, qui sentit onus, & commodum sentire debet. de Regul. Iuris in 6. nisi sua culpa priuetur eo commodo.

Dices suspensionem à beneficio grauiorem fore suspensione ab officio simul & beneficio, quia hæc posterior tollit quidem emolumentum temporale beneficij, sed vnà quoque obligationem siue onus aufert, cum prior illa relinquat onus sublato commodo.

℞. Suspensionem ab officio imprimis non tollere omnē obligationem, quia tenetur ita suspensus ad horas canonicas priuatim, & præterea prouidere, vt officium quod gerebat per alium impleatur, nisi lu-

dex qui sententiã tulit,id iam curarit,vti cõrigit in suspensionibus satis à iure; quarè debebit sibi aliú substituere suo loco,maximè si eius officiú curatum sit, præterquàm quod officium Ecclesiasticum non est nudum quoddam onus , sed honor quidem & dignitas , quæ omnia tolluntur per suspensionem ab officio , quarè ex ea parte addit aliquid suspẽsioni à beneficio,vt patet.

CONSECTARIVM II.

Suspensus à beneficio tenetur restituere fructus beneficij quos durante suspensione percipit.

51 Ratio huius consectarij manifestissima est: cùm enim per suspẽsionem à beneficio clericus ille priuatus sit fructibus sui beneficij ipso facto, nã suspensio , sicut & aliæ censuræ fuerunt secum suam exequutionem,vt loquuntur Canonistæ, neque indigent aliena opera , vt exequutioni mandentur in Reum, quia consistunt in priuatione v. gr. in non recipiendis fructibus, reuerà si illos capiat, non facier suos , ac proinde non modò in illis percipiendis peccabit,sed etiam ad illos restituendos,tenebitur tanquam ad rem alienam reddendam domino; Ad quosnam verò pertineant hi fructus, & à quibus repeti possint, si ob iniustam suspensionem illos recuperare deberet suspensus,& quibusnam denique ille eos sit restituturus, si iniustè capiat, definiuimus q. 3. dum similem pœnam in excommunicato exponeremus.

Ibi quoque diximus, an aliquos fructus ad sui sustentationem retinere possit iste suspensus , qui alioquin indiget,cùm careat aliis bonis, & cõmunis quidem sententiæ glossæ in c.cum Vintoniensis de electione,& DD.quos dabunt Sayr lib. 4. c.6.n. 12.& 13.& Alteri.disp.5.de suspens.c.4.quibus & Ipsi adhæserunt;atq; etiam Nau.c.25.n.124.Vgol. tab.4.c.8.§.7.n.2.de Graffi.lib.4.decision.c. 25. n. 6.Suar.disp.27.de censu.s.2.n.3.Kon.disp.15.dub. 2.con.6. communis inquam istorũ sententia distinguit inter suspensionẽ inflictã ratione contumaciæ, à qua recedere potest Reus suspensus, dum libuerit, atque ita sui beneficij fructus percipere & suspensionẽ latã propter delictũ, tunc enim non est in potestate suspensi eximere se ab illa pœna , etiamsi id maximè velit,atq; iis, qui suspensi sunt propter contumaciam negant isti DD. subueniendú esse ex fructibus beneficij seclusa extrema necessitate , ne foueatur ipsorũ iniquitas,& quia reuerà non eget, cùm habeat paratissimum subsidium suæ inopiæ, si illo velit vti, nimirum absolutionẽ à censura;quia verò illi,quibus non est speranda illa absolutio & restitutio in pristinã dignitatẽ,reuerà egent, ex bonis Ecclesiæ sustẽtãdi erunt,ne in ipsius Ecclesiæ dedecus mendicare cogatur. Atque hoc communis sententiæ caput, verum esse ostendi inferius in clericis depositis & degradatis:circa priuationẽ autem & negationẽ horũ fructuum clerico ob contumaciã à qua recedere posset, si vellet , suspenso existimo quidẽ illũ,si non sit in mora obtinendæ absolutionis fructus aliquos percipere posse, quia tunc eius culpa non est,quod careat illis fructibus,& aliunde indiget:si autem in mora & culpa sit,existimo perstandum esse in distinctione fori interni & externi allata q.7.In foro enim externo non tenetur aut superior,aut Iudex illi contumaci indigẽti partẽ fructuum Ecclesiæ applicare,immò si illa sibi sumit ita suspensus,ab eo extorquere poterit, quod vnũ probat ratio à cõmuni sẽtentia adducta;at verò in foro interno si vel aliquid illi suspenso indigenti datũ sit,vel ipse sibi sumpserit,sicut alteri inopi largitus foret, non peccabit , neque ad restitutionem tenebitur, vti de excommunicato dicebamus q.7.cit.

Hinc solues præterea vulgatã quæstionẽ,an iste suspẽsus,si intersit diuinis officiis,vti obligatur, distributiones cotidianas percipere possit,posse enim affirmat glossa in Clem.2.de vita & honest. Cleric. ♃.suspensus & ibid.Cardin. Felin.in c.Apostol. de exceptionib.n.23.& alij apud Vgol.tab.4.c.8.§. 2. vbi eos sequitur , quia hæ distributiones non sunt fructus beneficij,inter quos,quia alij eas numerant, idcircò negãt capi iure à suspẽsis à beneficio. Verũ, cũ vt diximus, in expositione nostræ regulæ aliquæ distributiones donentur intuitu beneficij,non verò aliæ,priores illæ non competunt illis suspensis,posteriores verò eadem ratione capere possunt, atque eas alij clerici non beneficiati præsentes choro ipsas percipiunt,maximè si alioquin inopes sint;atq; ita sapienter distinguit Sayr.lib.4.c.6.n.9.& 14.Suar. disp.27.s.1.n.29.& 30. & eum sublegens de more Alteri.disp.5.de suspensio.cap.3.sub fin.

Obserua denique fructus anticipatos restituendos esse,si fuerant tantũ percipiendi post latam suspensionem, sicut è contrario , si fuerant iam debiti tempore præcedẽte suspensionem,poterunt post illam recuperari,vti per se notum est;quia suspensio non priuat nisi fructibus in futurum percipiendis.

CONSECTARIVM III.

Suspensio à beneficio non priuat pensione.

Suppono quæ latiùs disputata sunt q.7.de multiplici pensione,quarum alia est verum beneficium, alia quidpiam omninò temporale,alia mixtum aliquid,quia & est ius spirituale,quatenus soli Clerico conuenit & ita respicit rem temporalem, vt non sit alligatum alicui sacro ministerio,cuiusmodi sũt, ordinariæ pensiones clericales,de quibus etiam potest esse dũtaxat quæstio hoc loco. Dico autem eas non tolli per suspensionẽ à beneficio, quia,vti diximus in Regula nostra vniuersali,ea priuat solùm beneficij fructibus,atque ista pensio neq; beneficiũ est,neque aliquid debitũ titulo beneficij, igitur nõ tollitur per suspensionem, nihil enim cogit in hac pœna beneficij vocẽ impropriare;quarè Suar. disp. 27.s.1.n.15. ita docet, licet quoad excommunicationẽ aliter censuerit,quia excommunicatio vt ipse existimat, priuat omni prouentu Ecclesiastico, cuiusmodi est pensio clericalis , at verò suspensio non priuat nisi redditibus beneficij. 53

CONSECTARIVM IV.

Suspensio à beneficio illicitam facit noui beneficij acquisitionem.

Communis sententia est apud Garc. 7.p.de benefic.c.14.n.1. suspensionẽ à beneficio ita impedire acquisitionẽ noui beneficij,vt illã nullã & irritã reddat,quod intelligitur cũ proportione suspensionis totalis aut partialis,si enim sit sola suspẽsio à beneficiis, quæ quis habet in vna Ecclesia, non poterit validè in illa Ecclesia nouũ beneficiũ obtinere, sed alibi;si autẽ sit vniuersalis respectu diœcesis ferẽtis illam , inualidam reddet collationem beneficiorum intra illam diœcesim ; si denique sit omninò vniuersalis suspensio, etiam respectu lo- 54

ci

ci, nullibi poterit suspensus adipisci beneficium, nisi addita fuerit particula restrictiua ad beneficia, quæ obtinentur, v.gr. suspendo te ab omni beneficio quod obtines, aut si quod obtines.

Existimo tamen impediri quidem collationem noui beneficij per suspensionem ab illo, non tamen irritam esse, sed tantùm irritandam cum Suar. disp. 27. s. 1. n. 25. & aliis quos in 2. Regula retuli agens de suspensione ab officio, de qua eodem modo statuebam, & quidem illicitam fore hanc collationem ex eo paret quod ille, cui est vetitus aliquis actus, prohibitus est acquirere principium illius actus, hic autem suspensus est priuatus fructibus beneficij, ergo beneficium, quod aliud non est, quàm ius ad eos fructus percipiendos acquirere non potest saltem licitè, non tamen esse irritam eam acquisitionem, sed irritandam probatur ex eo quod nullo iure statuatur illa nullitas collationis, vti ostendimus loco proximè citato, & confirmatur, quia cap. per inquisitionem de electione. Qui elegerat sciens Episcopum indignum, & idcircò per triennium fuerat suspensus à beneficiis Ecclesiasticis priuari mandatur alio beneficio, ad quod ipse fuerat electus; vbi non dicitur hæc vltima electio suspensi fuisse nulla, sed iubetur cassari, quia ille de quo agitur, reddiderat se indignum beneficiis Ecclesiasticis, non aliam certè ob causam, quàm propter malam electionem, ratione cuius per triennium à beneficiis Ecclesiasticis suspendebatur, & consequenter indignus erat, cui noua conferrentur; vnde tamen non necessariò colligitur fuisse ita incapacem, vt facta ipsi collatio nullo modo subsisteret, satis enim est, si ita fuerit infirma, vt irritari deberet.

CONSECTARIVM V.

55 ***Clericus non beneficiatus suspendi potest à beneficio.***

Insolens videbitur hæc propositio cùm nemo suspendatur ab eo quod non habet; quarè si iste careat beneficio, ab eo suspendi nequibit, quia tamen effectus huius censuræ est non tantùm priuare fructibus beneficij iam obtenti, sed impedire ne nouum obtineatur ab eo, qui alioquin habet capacitatem proximam ad illud, poterit sanè Clericus nondum beneficiatus suspendi à beneficio, sicut & ab officio aut ab ordine, nam qui admisisset crimen, cui ipso iure foret annexa aliqua eiusmodi suspensio, is neque licitè ordinem suscipere, neque officium Ecclesiasticum obtinere posset. Ergo etiam neque beneficium capere posset, si suspensus esset à beneficio; neque quisquam asserit, eum, qui post commissum eiusmodi crimen, cui imposita esset hæc suspensio à beneficio, nihilominùs acquisiuisset beneficium posse percipere fructus illius durante suspensione; quia eius censuræ effectus est reddere personam inhabilem ad percipiendos sui beneficij fructus: quod verò beneficium ante vel post suspensionem possideatur, nihil omninò ad hunc effectum veluti formalem suspensionis refert; quarè non modo ita ferri posse suspensionem, sed omninò ita esse exponendas suspensiones, quæ à iure feruntur, existimat Suar. disp. 27. s. 1. n. 28. ac proinde huius censuræ subiectum non esse beneficiatos duntaxat, sed clericos omnes.

CONSECTARIVM VI.

Omnis administratio beneficij & fructuum eius prohibetur suspenso à beneficio.

Ratio huius consectarij euidens est, cùm enim iste suspensus prohibeatur fructus beneficij percipere, illos administrare non debet, quarè cap. cupientes §. cæterum. de electione in 6. priuatur beneficio ipso iure, is qui eius administrationi se ingesserit post suspensionem ab illo. Itaque fatentur DD. cum glossa in cap. Apostolicæ. de exceptionib. Panorm. ibid. n. 8. Felin. in cap. intelleximus de Iudic. n. 21. 56

Hinc fit 1. vt circa administrationem fructuum beneficij gesta ab eiusmodi suspenso sunt inualida, atque ita omnes contractus locationis arrendationis, emptionis & venditionis, nulli erunt vtpote celebrati à non habente potestatem, & quia per eos neque transferri, neque acquiri dominium potest, quandoquidem contrahens disponit de re non sua, sed aliena; debet tamen hic suspensus esse denuntiatus, alioquin enim cum illo poterit transigi validè, & cum illo contrahens, non erit in culpa, sed ipse suspensus, qui in fauorem Innoxij validè contrahet, vt obseruat Suar. & ex dictis q. 1. de fauore extrauag. Ad euitanda certum manet.

2. Debitor, qui, quæ debebat Ecclesiæ soluit beneficiario suspenso tenetur iterum soluere Ecclesiæ, quia ille beneficiarius nequit agere nomine Ecclesiæ.

3. Neque permutare, neque donare beneficium poterit, vt ait Ioan. Andr. in cap. cupientes. §. cæterum. de electione in 6. quia illa actio est perspicuus vsus ac fructus beneficij, atque actus dominij in beneficium, atqui suspensio priuat omni fructu & vsu dominij in beneficium.

4. Licebit tamen Episcopo suspenso ab Episcopatu conferre beneficium, quia collatio ista non tam est fructus beneficij, quàm actus officij & iurisdictionis, siue muneris Episcopalis, quod notat glossa in cap. transmissam. de electione. ℣. de ratibus; quia tamen ius illud collationis commodum, atque adeò vtile censetur Episcopo, idcircò vulgò inter fructus beneficij numerari solet, vti factum est à glossa in cap. cum olim. de maioritate & obediene. quæ proinde non pugnat cum aliis priùs citata inter actus officij & non beneficij fructus, hanc collationem numerante.

5. Suspensi à beneficio non priuantur iure & suffragio eligendi, quia electio neque actus, neque fructus beneficij est, sed officij spiritualis, cui tale beneficium annexum est; sicut igitur hæc suspensio non priuat aliis actibus officij, neque etiam priuabit electione, & manifestè habemus in iure priuationem iuris eligendi, & suspensionem à beneficio statui tanquàm pœnas distinctas, nam cap. cùm in Curia. §. vlt. de electione, Clerici eligentes contra formam præscriptam suspenduntur à beneficiis, & prætereà priuantur eligendi potestate pro tunc, frustrà verò distinctè hanc pœnam exposuisset Alexand. III. cuius est illud decretum in Concilio Lateran. si iam includebatur in suspensione à beneficiis, vti optime argumentatur glossa in cap. cupientes, §. cæterum. de electione in 6. ℣. beneficiis.

Neque dicas simili argumento probari posse neque suspensionem ab officio priuare electione, nam etiam Innocent. III. in Conc. Lateran. vt

refertur cap. Quisquis, de Electione, suspendit à beneficiis & officiis & prætereà potestate tunc eligendi priuat eos, qui electionem quandam irritam celebrare præsumpserant, ergo suspensio ab officio & priuatio potestatis eligendi sunt pœnæ distinctæ.

℞. hic duplicem esse pœnam, vnam imponendam per iudicem, nimirum suspensionẽ ab officiis, & beneficiis, alteram, quæ incurritur ipso facto, nempè priuationem potestatis pro tunc eligendi; quare distinctè debuit exprimi vtraque pœna; id verò apertum est ex ipsis verbis pontificis *ab officiis, inquit, & beneficiis penitùs suspendantur eligendi tunc potestate priuati*, vbi vides priuationem electionis poni in præsenti, suspensionem autem in futuro; at in decreto Alexandri vtraque pœna, suspensio nimirum à beneficiis & priuatio Electionis imponitur ipso Iure, ac proinde frustra distinguitur vna ab alia, nisi diuersæ sint. Quare nostrum Consectarium docent glossa in cap. cupientes citatum, & in cap. cum Vintoniensis. de Electione. ℣. admiserant. Panorm. ibid. n. 10. atq; alibi. Tabiena. ℣. suspensio. n. 3. Nauar. cap. 27. n. 16. Vgolin. tab. 4. cap. 8. §. 9. Henriq. lib. 13. cap. 32. n. 4. Sayr. lib. 4. cap. 6. n. 7. Quanquam Nauar. Henriq. & Sayr. malè id negant de Electione, quæ competit vi solius beneficij, atque ita frustra Sayr conatur dissidia DD. componere, nam, vt iam dixi, etiam si competat ratione beneficij Ius eligendi, non tamen est actus beneficij, sed officij, quod est illi beneficio annexum, vt dixi. Itaque absolute hanc electionem tali suspenso concedunt alij DD. & Suar. disp. 27. s. 1. n. 34. Alteri. disp. 3 de suspens. cap. 2. Kon. disp. 15. dub. 2. con. 5. Layman. lib. 1. tract. 5. pa. 3. cap. 1. n. 4.

Dices in cap. cum dilectus. de Consuetudine, Pontifex cassat electionem à suspensis, & de suspenso factam, ergo suspensus neque eligere, neque eligi potest, vt ibidem pluribus confirmat glossa. ℞. ibi non agi de suspensione à beneficio, sed de suspensione simpliciter, quæ continet quoque suspensionem ab officio, quam priuare iure eligendi, sicut & alijs officij actionibus vltrò fatemur.

QVÆSTIO DECIMA TERTIA.

De effectibus Depositionis & Degradationis.

QVOTVPLEX sit Depositio. num. 1.
Totalis & partialis à veteribus vsurpatæ ibid.
An detur depositio ab officio, & non à beneficio & vicissim. num. 2.
Effectus depositionis. num. 3.
Priuat officio & beneficio. num. 4.
Depositus retinet priuilegium Clericale. n. 5.
Effectus Degradationis. num. 6.
Vtriusque pœnæ effectus similes num. 7.
Solemnitates Depositionis: num. 9.
Consectarium 1. an depositio incurratur ipso Iure. num. 10.
Consectarium 2. An percutiens Clericum depositum incurrat Censuras. num. 11.
Consect. 3. Degradatus & Depositus non eximitur onere Clericali num. 12.
Consect. 4. Prælatus Regularis neque deponere, neque degradare potest suum subditum. num. 13.
Consect. 5. an depositus alendus sit ex bonis Ecclesiæ, num. 14.
Consect. 6. A quo in pristinum gradum restitui possit Clericus depositus. num. 15.

EXplicatis effectibus suspensionis qu. proxima, & tradita disq. 1. qu. 2. num. 18. & 19. definitione Depositionis & Degradationis eiusque cum suspensione conuenientia, nihil ferè dicendum superesse videtur circa particulares huius pœnæ effectus, cùm ex alibi disputatis facilè colligantur.

Quotuplex sit depositio.

Est igitur Depositio sicut & suspensio alia ab officio, alia à beneficio, alia ab vtroque, vna partialis ab vno officio aut beneficio, aut aliqua officij parte, altera totalis, vti de suspensione dictum fuit, & q. 2. citata ostendimus, potest que iterum ex antiquioribus Ecclesiæ moribus confirmari. 1

Nam imprimis quædam depositio totalis erat, per quam Clericus omninò remouebatur à Clero, & inter Laicos redigebatur ad laicam Communionem damnatus, vti superiori q. Regula. 2. Consect. 6. fusius ostendimus, & sane deponi siue καθαιρεῖσθαι explicant sæpiùs PP. à ministerio excidere ἐκπίπτειν τῆς ὑπηρεσίας, vt loquitur Basili. ad Amphiloch. cap. 51. aut à gradu deponi siue deturbari τοῦ βαθμοῦ κατάγεσθαι, ἐκπίπτειν Basil. ibid. c. 32. & 55. & alijs similibus vocibus, quæ in Græcis Canonibus passim occurrunt. Ex quibus facilè est aduertere καθαίρεσιν fuisse iacturam Clericatus, vt loquitur Toletan. IV. cap. 18. Ancyrani PP. can. 18. nominant abdicationem, eos enim qui cùm ordinati essent Episcopi ad aliquam Parochiam ab ea suscepti non sunt, iubent, si velint in presbyteri honore & loco residere, quòd si vim afferant Episcopis, illis auferri mandat honorẽ presbyterij ἀφαιρεῖσθαι αὐτοῖς τὴν τιμὴν τοῦ πρεσβυτερίου, & ipsos abdicatos effici γίνεσθαι ἐκκηρύκτους, & quamuis eam abdicationem Balsamon neget esse καθαίρεσιν siue depositionem, sed solam ablationem honoris ἀπόπτωσιν τῆς τιμῆς, hoc est vt ne quidem cum presbyteris deinceps sedeant; neque fortassis aliud videatur postulare hic canon, eam tamen vocem Zonaras in can. 4. Epistol. Canoni. Gregorij. Taumat. vbi eos qui captiuorum à barbaris domos inuaserant & diripuerant iubet abdicari ἐκκηρύξαι exponit, abdicatum ἐκκήρυκτον alienum & eiectum ab Ecclesia ἀπόβλητον καὶ ἀλλότριον, quia inquit, abdicari dicuntur filij, cùm ob aliquod crimen à paterna hæreditate eiiciuntur, omnique cognationis iure priuati censentur. Itaque abdicatio à Clero erit depositio totalis.

Iam verò partialis depositio vsurpata fuit quoque veteribus, quandoquidem à gradu superiori ad inferiorem in perpetuum ablegabant. Toletan. 1. c. 4. Subdiaconum, qui defuncta vxore aliam duxerat, ab officio & gradu remouet, & inter Ostiarios & Lectores haberi vult; quod idem de Presbyteris, Diaconis & subdiaconis vxores siue concubinas habentibus statuit Conc. Bituric. can. 5. Nicæn. autem c. 8. Nouatianos Episcopos

ad

ad Ecclesiam redeuntes ea conditione suscipit, vt si in eadem Ecclesia sit Episcopus Catholicus, illi solo presbyteri aut Chorespiscopi gradu contenti sint; & Can. 20. Trullano, Episcopus in aliena ciuitate docens iubetur ab Episcopatu desistere & solo munere presbyteri defungi. Obseruat autem Balsam. in illum Canonem illi videri aduersari Canon. 29. Conc. IV. siue Chalcedonensis, vbi dicitur sacrilegium esse Episcopum in gradum presbyteri deiicere, & arguitur à sedis Apostolicæ Legatis Eustatius Beriti Metropolita, qui duos Episcopos à Photio Tyri Metropolita ordinatos deposuerat & presbyteros fecerat. Verùm hanc antinomiam conciliat Balsamon eo quod aliquando fieret depositio à gradu omnino Episcopali, aliàs tantùm ab honore & munere, quæ erat potius suspensio, quàm depositio, vt patet ex dictis, ita vt licet quis retineret Episcopatum, tamen propter leuius aliquod peccatum honore & muneris Episcopalis exercitio priuaretur; quando verò deponebatur Episcopatu, si iusta erat causa hoc est enorme crimen, ne presbyter quidem esse dignus erat, vti obijciunt Legati Apostolici in synodo Chalcedon. sin verò causa fuerat iniusta, non poterant Episcopatu priuari. Fuit tamen illa priuatio munerum Episcopalium aut prioris ordinis, quem in Ecclesia Rei habebant, sæpissimè perpetua & sine vlla spe restitutionis, ac proinde depositio quædam erat, præterquam quod certum est; fuisse veram depositionem ab vno gradu superiori ad inferiorem, vti euicimus constantibus exemplis quanquàm fortassis vera depositio ab Episcopatu ad presbyteratum, non esset in vsu, eo quod crimina enormia, propter quæ priuatur aliquis Episcopatu, indignum quoque reddebant gradu presbyteri, posterioribus tamen sæculis hoc depositionis genus legimus, nam Leo IX. in Concilio Remensi annulum & pastorale pedum abstulit Nunatensi Episcopo, & illum in ordinem sacerdotum redegit. Anno verò 964. in Concil. Romano. Benedictus. V. Apostolicæ sedis inuasor depositus fuit, & in Diaconatus ordinem deturbatus à Leone VIII. teste Luitprand. lib. 6. cap. 11. verùm hanc fuisse pseudo synodum, & necdum legitimè electum Leonem, sed opera Ottonis viuâte adhuc Ioanne intrusum, videbis apud Baron. illo an. 964. vbi etiam Luitprandi historiam à cap. 6. lib. 6. corruptam fuisse iure suspicatur, nobis sufficiat modo perpetuum depositionis partialis vsum in Ecclesia ostendisse.

Maior porrò difficultas existere videtur, an sit aliqua depositio ab officio, quæ non sit simul à beneficio, & vicissim, quandoquidem enim depositio perpetua est, & sine spe restitutionis, qui ab officio deponeretur, retento beneficio, nonquàm eius munera exercere posset, quod videtur absurdum, quia beneficium datur propter officium, ergo qui perpetuò priuatus est officio, debet simul priuari beneficio. Itaque pronuntiat glossa in princip. 1. qu. 3. ℣. annexa plura iura allegans.

Dicendum tamen est distingui istas depositiones in iure, nam 1. simoniacus amittit beneficium per simoniam acquisitum, non tamen deponitur ab ordine aut officio, nisi criminis damnetur per viam acquisitionis, vt obseruat Panorm. in cap. insinuatum dè Simonia. n. 2. 2. in cap. Quod etiam. de iureiur. clericus qui per biennium non soluerat Canonem Ecclesiæ iureiurando promissum deponi iubetur à beneficio, vbi Panorm. notat periurium muniri posse depositione ab ordine & beneficio, & allegat cap. cùm nos ab homine de iudic. agnoscit igitur Panorm. geminam hanc depositionem Et sane particula illa definitiua à beneficio æquiualet exclusiuæ, nimirum tantùm à beneficio, aut tantùm ab officio, vti superiùs ostendimus; quarè cum ius meminerit depositionis à beneficio, vt vidimus, & depositionis ab officio, cap. si Episcopus 5. dist. & cap. si quis Clericus 51. dist. atque alibi sæpè, supponit has depositiones destructas esse, neque vnam necessariò includere aliam, quod confirmatur ex eo, quod aliquando vtramque coniungit, nam qui faciunt aliquem interfici per assassinos, incurrunt ipso facto depositionem ab officio & beneficio, cap. 1. de homicid. in 6. 3. nullibi cauetur in iure depositionem ab officio simpliciter latam includere depositionem à beneficio, immò potius contrarium colligitur ex eodem iure, vti vidimus cum Panorm. Neque etiam id sequitur ex propria significatione harum vocum, neque ex necessaria connexione, cùm officium sit quidpiam aliud à beneficio, & licet beneficium donetur propter officium, non sequitur statim illum, qui priuatur officio priuari beneficio, sed tantùm priuandum esse, quando præsertim priuatio officij perpetua est, donec tamen spolietur beneficio, illud retenera retinebit, cum obligatione implendi officium per alium, quandoquidem illud per se præstare non potest, aut remouendi à se illud impedimentum, vti diximus de suspēsione perpetua, quam negabamus ratione solius perpetuitatis afferre necessariò & eo ipso suspensionem a beneficio contra Hostiensem apud Panorm. illum sequutum in cap. cum Bonæ. de ætate & qualitate ordinand. n. 6. cùm igitur harum depositionum rationes formales distinctæ sint, neque essentialem connexionem dicant, atque inter sese sint separabiles, non est cur eas coniungamus, vbi lex eas imponens illas non coniungit, sed potiùs separat vti ostendebamus.

Quia tamen crimen, quod punitur depositione ab officio meretur quoque priuationem beneficij eam priuationem fieri à Iudice statuit lex, vt de iis qui inciderunt in Irregularitatem, quæ impedimentum ex se perpetuum est, iubetur in cap. Ex litteris. de Excessibus Prælatorum. & cap. fraternitate de Clerico Excomm. minist. noluit quidem lex cogere reum vt se ipsum spoliaret beneficio, durius enim videtur, vt quis pœnam in seipsum exequatur quoties illi non est nuda priuatio, sed aliquam exigit actionem, vti in spoliatione ista beneficij contingit: vnde quoties ius vtramque hanc pœnam imponit, & simul ab officio & beneficio deponit, vt de assassinis dicebamus, iudicis tamen sententia expectanda erit ad beneficij priuationem, retrotrahatur tamen ad diem commissi criminis, quia pœna incursa fuit ipso iure & ipso facto, fuerant que tantum exequutioni mandanda per Iudicem, vt fusiùs diximus de lege pœnali disputantes. Probabile tamen est nunquàm ferri depositionem à iudice per sententiam, quin simul sit ab officio & beneficio, quia cùm culpa, quæ punitur depositione ab officio punienda quoque sit depositione à beneficio per iudicem, existimandum est illum exequi, quod ius imperat, & vtramque pœnam imponere. Ita Syln. ℣. degradatio initio. Suar. disp. 30. s. 1. num. 15. Alteri disp. 2. de suspensione. cap. 5.

EFFE-

Effectus Depositionis.

3 Explicata hac gemina depositionis specie facilè fuerit ipsius effectus assignare, ex ipsius natura & definitione. Priuat itaque depositio officio & beneficio Ecclesiastico in perpetuum, & sine vlla spe restitutionis, retento priuilegio Clericali; ago autem de depositione totali, quæ & simpliciter depositio est, & ex qua licebit ad partialem facilè, quæ dicentur, trahere.

4 Hic porò effectus explicatione non indiget, manet enim perspicuus ex q. superiori, duo tantùm probanda supersunt.

1. Est Depositionem non tantùm officij vsu & beneficij, sed ipsomet officio atque titulo beneficij priuare, atque ita differre à suspensione, vt monebamus disq. 1. quæst. 2. numer. 18. & ab irregularitate, quæ etiam titulum beneficij iam quæsiti non extinguit ex Nauarr. cap. 27. num. 249. quod imprimis ipsa vox depositionis & eæ locutiones, quibus antiqui PP. eam pœnam exprimunt locis superius adductis, satis insinuant, & sanè cùm degradatio necessariò eam priuationem inferat, vti apparet, non posset enim eiici à clero, qui retinet adhuc officium & beneficium clericale, & Degradatio sit tantùm exequutio quædam depositionis sententionalis seu verbalis, eam quoque oportet includere einsmodi priuationem officij & beneficij Ecclesiastici, in quantum ab Ecclesia tolli potest, quod addo propter characterem ordinis omninò indelebilem. Accedit consensus Canonistarum, qui ita hanc pœnam interpretantur, vnde Panorm. in cap. Insinuatam. de Simon. num. 2. priuationem beneficij illam nominat, quanquam vt monui disq. 1. quæst. 2. num. 19. quælibet priuatio beneficij non sit depositio.

2. Hæc pœna perpetua est & sine spe restitutionis, vt dicitur cap. veritatis. de dolo & contumacia. cap. at si clerici de iudiciis & cap. 1. 60. dist. ex lib. 1. Epist. Gregorij. Ep. 17. & cap. Qui semel. cap. presbyterum, & cap. peruenit. dist. 50. citata. Immò in iure ciuili præcipitur ne Episcopus pulsus ab Episcopatu vnquam restituatur suo Episcopatui. l. quicunque C. de Episcop. & clerici

5 Retinet tamen ita depositus priuilegium clericale tum Canonis, tum fori, ita vt neque impunè violari, neque ad iudicium sæculare trahi possit alia ratione, quàm cæteri clerici non depositi, quia hæc priuilegia non amittuntur, nisi tollantur ab ipsa Ecclesia, quod non fit in nuda depositione verbali, de qua modò loquimur. Itaque sentiunt DD. omnes quos dabit Alteri. lib. 2. disp. 1. cap. 6. Idem de clerico excommunicato & suspenso atque deposito asserens.

Effectus Degradationis.

6 Degradatio est actualis & realis depositio, siue exequutio depositionis sententionalis, vt loquuntur, quarè non differt ab illa nisi quadam solemnitate, & in eo quod iam depositum Clericum reipsa extra clerum omnino alleget, atque adeò priuet illum omni priuilegio clericali, & si opus fuerit, ita degradatum tradat curiæ sæculari, quæ vlteriùs puniat, atque etiam necem inferat, quamuis, vt monui, eam soleat deprecari Ecclesia apud Iudicem, cuius Iurisdictioni iam reuera subiicitur Reus. Eosdem igitur habet effectus Degradatio cum depositione verbali, priuat nimitùm clericum omni officio & beneficio Ecclesiastico in perpetuum sine vlla spe restitutionis, & prætereà illi adimit clericale priuilegium, vt habetur cap. 2. de pœnis in 6.

Hinc fit vt tum depositio, tum degradatio inducant Irregularitatem, cùm neque in susceptis ordinibus ministrare, neque ad vlteriores promoueri depositus possit. Quarè presbyterum, qui post suam depositionem celebrârat, excommunicari ad finem vsque vitæ iubet Gregor. lib. 4. Ep. 5. ad Venantium Lunensem Episcopum, & refertur c. Attendens. 50. dist. 7

2. Vtraque impedit, ne nouum beneficium obtineat, & quod ad degradationem id patet, iam enim per illam omni iure & priuilegio clericali caret, igitur & bonis clericalibus, vt dicam in Consectariis. De depositione etiam probatur, quia cùm illum beneficij titulo spoliârit, non reliquit eum capacem obtinendi aliud; quamdiu enim manebit depositus, amittet beneficium, quarè neque retinere, neque possidere vllum poterit.

3. Vtraque hæc pœna tum depositionis verbalis, tum degradationis reddit depositum & degradatum infamem, omnes enim, qui suis culpis exigentibus ad Sacerdotium promoueri prohibentur, infames esse decernit Adrianus 2. q. 1. C. omnes infames, vbi etiam addit eos, quos sæculi leges infames pronnnciant, infames quoque haberi ab Ecclesia, & quamuis in eo dicto sit forrassis aliqua difficultas, quam ibidem excutit glossa, certum tamen est eos, qui ratione criminis aut pœnæ per Iudicem inflictæ existimantur infames in iure ciuili, eadem infamia notari in Ecclesia, vt alibi commodiùs dicetur; atqui miles exauthoratus detractis militiæ insignibus notatur infamia l. 2. §. Ignominiæ. ff. de his qui notantur infam. & hæc infamia iuris est, neque opus est vt per sententiam iudicis declaretur infamis, sed sufficit si depositus dicatur, quia licet ordinariè nemo ob publica crimina efficiatur infamis infamia iuris, nisi sequuta sententia, vt obseruat Abbas in cap. ex diligenti: de simonia in 6. sufficit tamen si sententia pro eiusmodi criminibus damnetur, cui enim detrahuntur insignia militaria, ea exauthoratione efficitur infamis etiamsi qui illum exauthorauit, non addiderit se ignominiæ causa illum exauthorasse, vti dicitur l. 2. citata.

Solemnitas Depositionis & Degradationis.

Diximus superius depositionem verbalem & actualem siue degradationem differre solemnitate, quare illa singillatim exponenda est. 8

Depositio itaque verbalis aliquando ad actualem in degradationē ordinatur, alias verò est absoluta, quia in pœnam delicti ita deponitur clericus, vt ad vlteriorem & actualem degradationem procedere nolit Iudex. Prior depositio certam solēnitatem requirit, non autem hæc posterior, vt vidit etiam Abbas in cap. non potest de sententia & re iudicata. n. 10. aduertit enim numerum illum Episcoporum, quem in depositione verbali requirit Bonifac. VIII. cap. 2. de pœnis in 6. non esse necessarium, quando sententia non tendit ad actualem depositionem clerici. Itaque sunt interpretenda omnia iura, quæ certam formam in depositione seruandam præscribunt; quarè quoties iura loquũtur de degradatione, & depositione, neq; agunt de trahēdo curiæ sæculari, aut carceri perpetuo mancipādo ita degradato, nũquàm solemnitatis illius & numeri Episcoporum, quem

statim

statim videbis requiri ad depositionem verbalem ordinatam ad actualem degradationem, meminere, vt cap. si quis Sacerdos. 30. quæst. 1. & cap. Dictum, & cap. si quis presbyter. 81. distinct. cap. omnis. de pœnitentia & remissionibus, quia nempe possunt Episcopi cognoscere criminaliter causas suorum clericorum, quamuis de enormibus criminibus agatur, eósque punire non vocatis in iudicium aliis Episcopis, modo non intendant illa sua sententia ad actualem degradationem procedere, quod etiam obseruat Geminian. in cap. degradatio. de pœnis in 6. num. 6. plura in eam rem allegans. Idem sentiunt in illud capit. degradatio. Ancharan. Franc. aliique ab ipsis adducti, sequunturque recentiores, Iulius Clarus, Bernard. Dias, cæterique in suis practicis criminalibus, & sanè in cap. fin. de celebratione Missarum Brixiensi Episcopo mandat Pontifex, vt sacerdotem, qui sine igne & aqua sacrificabat, aliaque plurima peccârat, officio & beneficio priuet, neque vllam aliam præscribit solemnitatem; prudenter omninò Pontifices plura requirunt ad depositionē respectiuam, quàm ad absolutam & simplicem, cùm enim agatur de pœna grauissima, & exuendo clerico omni priuilegio clericali, atque tradendo curiæ sæculari, maturo & prudenti consilio opus fuit.

Ad depositionem igitur verbalem respectiuam requiritur 1. vt fiat a proprio clerici deponendi Episcopo, vt dicitur cap. degradatio. de pœnis in 6. siue ille sit consecratus, siue non, glossa enim in capit. transmissam. de Electione ꝟ. de talibus, contrarium asserens, & Abbas in idem capit. num. 4. aliique DD. qui communiter eam sequuntur, intelligendi sunt de degradatione & reali depositione, non verbali tantùm, in qua non requiritur nisi actus iurisdictionis; quare & committi potest vicario generali, atque etiam simplici clerico, & pertinet ad capitulum sede vacante. Ita Auila 4. pag. dub. 2. conc. 4. vbi etiam addit Episcopum suspensum à Pontificalibus tantùm posse ferre eiusmodi sententiam, quia non est actus ordinis Pontificalis, cùm ipsi inquisitores eam proferant contra clericos hæreticos teste eodem. Auila.

Deinde requiritur certus numerus Episcoporum, nam causa Episcopi cognosci debet à duodecim Episcopis, causa presbyteri à sex Episcopis, diaconorum verò & subdiaconorum à tribus; Ita enim definiuit conc. Carthag. 11. cap. 10. quod seruandum insinuat Bonifacius. VIII. cap. degradatio. de pœnis in 6. vbi ad clericorum, qui minoribus tantùm initiati sunt, solius Episcopi proprij præsentiam requirit, quod etiam diffinierat Carthagin. III. cap. 8. obseruat autem Innocent. in cap. Quod sicut. de electione, & Archidiac. in capit. si quis Episcopus criminaliter. 6. quæst. 4. quod quamuis iure antiquo Metropolitanus vnà cum cæteris Prouinciæ Episcopis saltem duodecim, Episcopum damnaret, atque etiam deponeret, iure tamen nouo nequeunt nisi cognoscere causam, sententiam antem dicere, & rem totam definire solius summi Pontificis est; verùm iam olim idem definiuerat Sixtus II. Epistol. 1. & refertur cap. accusatus, 3. q. 6. & Eleutherius Epist. ad Episcop. Galliæ cap. 2. atque Leo Epistol. 82. aliàs 84. capit. 4. Quæ omnia referuntur cap. accusatus, cap. quamuis, & cap. multùm stupeo. 3. q. Quare licentia deponendi Episcopum inconsulto summo Pontifice dici potiùs debuerat ab Innoc. esse iuris noui, quàm antiqui. Verùm de tota hac re commodior erit quæstio. Vbi de iudiciis fusè disputabimus.

Moneo tantùm hoc loco, Gregorium IX. cap. 1. de Hæreticis in 6. voluisse quemcunque clericum etiam sacris ordinibus initiatum deponi posse ob crimen hæresis à suo Episcopo conuocatis Abbatibus, aliisque Prælatis & Religiosis personis ac litteratis suæ diœcesis, de quibus expedire videbitur. Denique nouissimè Trident. sess. 13. cap. 4. de Reformat. hoc Gregorij decretum ad depositionem ex quocunque crimine extendit, constituit enim, vt quoties haberi non poterit numerus Episcoporum à Canonibus definitus possit Episcopus per se, vel suum Vicarium generalem ad verbalem depositionem & per seipsum ad actualem degradationem procedere adhibitis totidem Abbatibus vsum mitthæ & baculi habentibus, aut aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graues, & iuris scientia commendabiles existant.

Quod attinet ad ipsam degradationem & actualem siue realem depositionem solemnitas in ea seruanda describitur a Bonifac. VIII. cap. 2. de pœnis in 6. nempe clerico vestes & insignia clericalia, atque ordinum, quibus initiatus est singillatim detrahuntur ab Episcopo vsque ad primam vestem quæ illi in collatione tonsuræ data fuerat, & tandem tondetur caput, ne aliquod in eo clericatus vestigium remaneat, in singulis porro vestibus & cuiusque ordinis insignibus detrahendis Episcopus vtitur verbis oppositis illis quibus vsus fuerat in eo ordine conferendo, ac demum in vltimæ vestis remotione sic loquitur. Authoritate Dei omnipotentis patris & filij & spiritus sancti, ac nostra tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus & spoliamus te omni ordine, beneficio, & priuilegio clericali.

Ex his habemus imprimis degradationem faciendam esse ab Episcop. siue proprio siue alieno, de eius licentia, cumque Episcopum debere esse consecratum, vt DD. communiter tradunt in cap. degradatio. de pœnis in 6. & in cap. transmissam de electione. cum glossa & Panor. ibid. & omnes recentiores relati à Barbos. allegat. 110. num. 7. & 14 & ideò rectè distinxit Tridentin. in decreto citato, depositionem verbalem fieri posse ab Episcopo per se, vel per suum Vicarium generalem, degradationem autem per se ipsum, & ratio est quia hæc degradatio censetur actus ordinis, sicut & ipsa collatio ordinum, non equidem ex natura rei & diuina institutione, sed ex decreto Ecclesiæ, quæ sapienter noluit aliquem posse exanthorare ab ordine Ecclesiastico, quem dare non potuit & quamuis nullibi in iure statuatur, vt Episcopus induat Pontificalia ornamenta in clerico degradando, id tamen obtinuit consuetudo, vt in cap. degradatio citat. §. actualis, obseruant Gemin. n. 7. Anchar. o. 8. Franc. n. 3. imò & in Ecclesia fieri volunt iidem Doctores eo quod in Ecclesia audiantur causæ spirituales, verùm neque iura, neque consuetudo hunc locum postulant.

Habemus 2. numerum Episcoporum aut Abbatum aliarúmue personarum in dignitate constitutarum non requiri in ipsa reali degradatione sicuti in verbali depositione sententionali, siue ad degradationem ordinata necessarij sunt, quia Bonifacius in cap. degradatio citato. manifestè id indicat, neque in cap. clericus. 3. quæst. 4. & in cap. si quis sacerdotum 11. quæst. vbi agitur de hac reali degradatione, fit vlla mentio Episcoporum. Itaque sentiunt Geminiao. Ancharan. Franc.

Ioann.

Ioann. Andr. & alij in cap. degradatio, fauetque manifesta ratio: degradatio enim est, vti diximus, exequutio depositionis verbalis, quam idcircò aliqui sententionalem nominabant, solemnitates autem requisitæ in proferenda sententia necessariæ non sunt in eius exequutione; denique idcircò ad depositionem tot Iudices in dignitate Ecclesiastica constitutos adhiberi voluit Ecclesia, vt prudenti examine grauis adeò causa discuteretur, vbi autem prolata est sententia, non est quidquam vlteriori examine inquirendum, sed exequutioni mandanda est sententia; quarè frustrà denuò fatigarentur Iudices & cogerentur, cùm ipsi, quid faciendum censerent, iam pronuntiarint.

Degradationem sequitur traditio clerici degradati curiæ sæculari, quæ fit duobus modis. 1. verbaliter, eo quod Episcopus dicat se illum omni priuilegio clericali exuere, vt habetur in cap. degradatio. 2. actualiter dum Episcopus degradatum & sacris exutum modo superiùs relato Iudici sæculari præsenti tradit, & ad eius forum pertinere affirmat; quarè apud illum pœnam deprecatur: vnde vides hanc traditionem actualem non semper fieri, neque necessariò cum degradatione, & aliquando sine degradatione contingere, potest enim Ecclesia, si velit, punitionem alicuius enormis criminis ob incorrigibilitatem rei permittere Iudici sæculari etiam ante actualem & solemnem degradationem, quæ omnia dicemus commodiùs alio loco, sicuti etiam, an debeat in degradatione procedere Iudex via solius accusationis, an via inquisitionis sufficiat, quod latè disputat Alteri. disp. 2. de suspensio. cap. 8. hæc enim pertinent ad tractationem de iudiciis.

Materia depositionis.

9 Superest tantùm materia depositionis, hoc est, crimina propter quæ depositio verbalis & actualis imponi possit. Illa enumerat Moneta 2. p. de distribut. quotid. q. 17. Alteri. disp. 2. de suspens. cap. 6. Sayr. lib. 5. cap. 21. & 22. Barbosa. allegat. 110. de potestate Episcopi. n. 10. Berthachin. de Episcopo. p. 8. lib. 4. tit. de causa materiali depositionis. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 5. Hæc mihi certa sunt. 1. nullum esse deponendum nisi ob enorme crimen illudque publicum. 2. ordinarie non esse deponendum nisi propter crimen in iure expressum, aut quod æquè graue sit. 3. neque etiam quodlibet enorme crimen, & in iure etiam expressum puniendum esse depositione, quamdiu Reus spem aliquam melioris frugis præbet; quid verò requiratur vt Reus dicatur incorrigibilis, & vtrum eo ipso tunc sit tradendus sæculari Iudici, aut ab eo etiam absque vlla alia traditione possit illum plectere disquiremus loco cit. 4. longè grauius crimen exigitur ad degradationem actualem & traditionem realem curiæ sæculari, & tria tantùm aut quatuor numerantur in iure. Addo denique cum Panorm. in cap. at si clerici. de iudiciis. n. 34. non esse hodie metiendam grauitatem criminum secundùm antiquos Canones, qui rigidiores multò erant in imponendis pœnis, quàm mollior nostra disciplina ferat.

CONSECTARIVM I.

An depositio incurratur ipso iure.

Distinguedum est de depositione absoluta, & de respectiua ad degradationem ordinata; prior incurritur aliquãdo ipso iure, quãquàm quo ad exequutionem spoliandi se beneficio ipso aut officio possit Reus expectare sententiam declaratoriam, vti superiùs diximus, atque ita in cap. 1. de homicid. in 6. per assassinos interficientibus pœna depositionis ipso facto incurrenda imponitur ab Innoc. IV. in Conc. Lugdun. & sanè nihil est in hac pœna, quod prohibeat, quin ipso iure incurratur, & cur requirat necessariò sententiam Iudicis. 10

At verò depositio verbalis ordinata ad degradationem cùm sit sententia qua iubetur aliquis excludi à clero, & certas quasdam solemnitates postulet ex definitione iuris, non poterit absque sententia contrahi, & ipso solo facto, quod etiam verius erit in ipsa actuali degradatione.

Inde etiam notauimus aliàs depositionem ferri posse in absentem, quia est sententia duntaxat, non verò degradationem, vt ex solemnitatibus in illa seruandis facilè constat.

CONSECTARIVM II.

An percutiens clericum depositum incurrat censuras.

Ex hac eadem distinctione geminæ depositionis sequitur solutio consectarij, nam depositus verbaliter tantùm nequit impunè percuti, aut à iudice sæculari damnari nisi ratione excommunicationis & incorrigibilitatis, aut alia de causa subdatur eius indicio, qua de re alibi, quia, vti diximus, iste verbaliter tantùm depositus gaudet adhuc priuilegio clericali, qui tamen ad triremes damnatus est, licet non fuerit actualiter degradatus, virga & plagis, sicut reliqui remiges excipi poterit à Remigij præside, qui exequitur tantùm sententiam Prælati, dùm enim damnatus est ad Remos, ad remigum quoque supplicium est addictus, at verò si alius cum ipso rixetur, & eum percutiat, teuerà incurret excommunicationem; quòd si realiter depositus & degradatus fuerit, impunè & sine periculo censuræ à quouis percutietur. 11

CONSECTARIVM III.

Degradatus & depositus non eximuntur onere Clericali.

Ita docent communiter omnes, quia aliqua sunt ordini annexa ex iure diuino, alia ex iure Ecclesiastico, quæ à diuino pendent, non tolluntur neque tolli possunt ab Ecclesia, quæ ordinem & characterem delere non potest, vt de potestate consecrandi in Sacerdote conceduntur omnes contra glossam in cap. Accedens. 50. dist. ℣. presbytero. Quæ verò statui clericali annexa sunt ab Ecclesia, quamuis ab eadem tolli possent, nunquàm tamen per punitionem auferuntur, commoda enim esset illa pœna, ac proinde pœna non esset; neque per degradationem clericus ita clericalem statum amittit, vt reuerà clericus non sit sed solùm priuilegiis 12

priuilegis clericalibus exuitur, quarè & Iudici sæculari subiicitur, & ab omnibus tanquam Laicus, & vnus è plebe tractari potest, premitur tamen adhuc onere clericali, sicut de Religiosis eiectis dicemus alibi eos votis adhuc Regularibus constringi.

Itaque hic degradatus, si in sacris ordinibus erat initiatus, aut si adhuc beneficium retineat, quo non debet se exuere ante sententiam, aut nisi ab eo auferatur, tenebitur ad horas canonicas, quas etiam cum aliis recitare, modo non sit excommunicatus, poterit: quod Angel. Syluest. Tabiena & alij summistæ docent ✠.degradatio. Gigas q.64.de pensionibus.& deinceps cæteri omnes recentiores contra Tolet.lib. 1.cap. 17. qui tandem suam sententiam minùs securam fatetur.

2. Adstringitur etiam hic degradatus voto castitatis & inualidè atque illicitè matrimonium contraheret Sayr.lib.5.cap.vlt.n.26.& alij.

3. Verbaliter tantùm depositus cùm adhuc gaudeat priuilegio clericali tenetur clericaliter viuere, atque ita habitum clericalem gestare. Ita Feliu. in cap.ex parte de accusat. citans glossam in cap. dudum 80. dist. at verò degradatus, cui & corona & vestis & omnia insignia clericalia detracta sunt, non potest ea iterum assumere, neque ad externas istas clericales obseruantias tenetur, sed tantùm ad illa mera superiùs allata.

CONSECTARIVM IV.

Prælatus Regularis neque deponere, neque degradare potest suum subditum.

13 Ita docent Nauarr. cons.58. de Regularibus, & Auila 4.p.disp. vnica. dub. 2. con.2. quia canones requirunt Episcopum, & quidem ad degradationem actualem, consecratum esse oportet, quia illa est actus ordinis Episcopalis ex institutione Ecclesiastica: ad depositionem verbalem requiritur etiam iurisdictio Episcopalis; quarè vel Episcopus necessarius est, vel alius qui ex eius authoritate agat, vti diximus superiùs, vbi hanc potestatem faciebamus capitulo sede vacante, vnde etiam fit, vt vel priuilegio, vel consuetudine Prælatum Regulari possit competere ius depositionis verbalis.

Quarè cùm mendicantes habeant omne ius quod habent Episcopi in subditos suos, existimat Auila illud ad depositionem quoque verbalem extendi, atque etiam in nostra Societate, cuius Præposito generali & aliis Prælatis, quibus ipse communicatum voluerit, ius omne illud concessum est, vt habetur in compendio priuilegior. ✠. Prælati §.3. potestatem esse deponendi verbaliter; quod idem de minoribus habet Portel. in dub.Regularib.✠. Prælatus.n.10.

CONSECTARIVM V.

An depositus alendus sit ex bonis Ecclesiæ.

14 Ratio dubitandi est, quia quondam clerici depositi detrudebantur in Monasteria, vt habetur cap. Sacerdos, & cap.dictum est, 81.dist.& cap. sicut dignum.§. clericos. de homicid.& cap. si Euangelica. dist.55. quamuis iusserit Gregorius lib. 1. Ep.42. lapsos ita includi, vt simul iis locis eorum bona addicantur, ne onerosi sint illis Monasteriis, quibus tradebantur & à quibus ali debebant, vnde eam in rem opulenta Monasteria quærenda esse monet Archidiac.in cap. illud. de lapsis, quem ibidem sequitur Turrecremata. in Conc. Chalcedon. Actio. 7. Domnus ab Episcopatu Antiocheno depositus rogatu Maximi successoris & Legatorum Apostolicæ sedis ex eadem Ecclesia Antiochena aliquid in alimenta permittitur accipere, & in eadem Synodo Chalcedon.act. 12. Bassianus & Stephanus ita exauthorantur Episcopatu Ephesino, quem præter regulas singuli obtinuerant, vt eidem Ephesinæ Ecclesiæ nutriendi relinquantur, aliunde tamen cùm iste depositus sit exclericus cur bonis Ecclesiæ fouebitur?

Perstandum existimo in distinctione geminæ depositionis, quam in hanc rem vsurpant Panorm. in C.pastoralis.§.verum.de appellationibus. Felin. in cap.ex parte.de accusationib. Auila 4. p. dub. 2. con. 3. Sayr lib.5.cap.vlt. n. vltimo, qui omnes volunt verbaliter tantùm depositum alendum esse ex redditibus Ecclesiæ si egeat, quia adhuc gaudet priuilegio clericali, & in dedecus Ecclesiæ cederet eius inopia. Degradatus autem realiter, cùm sit omninò extra clerum, non aliter sustentari debet bonis Ecclesiæ, quàm cæteri pauperes, nisi grauissima vrgeret necessitas, aut ex quadam pietate Ecclesiæ, quæ in suum quondam alumnum magis affici videtur, neque aliud probant, quæ afferuntur à Viuald.tit.de degradatione.n.41. & illi Clerici, qui in Monasteria detrudebantur, vel non erant realiter degradati, vel ea crimina commiserant, quæ degradatione non satis puniebantur, quarè pœna Carceris tanquam Corollarium adiiciebatur, neque illi tradebantur Monasteriis, vt eorum egestati subueniretur, sed vt grauiori pœna mulctarentur, ibique tanquam carceri perpetuò mancipati lachrymis & pœnitentia culpas abluerent, vti ex canonibus superiùs relatis apparet; Domnus autem & alij Episcopi exauthorati à Synodo Chalcedonensi non erant nisi à gradu Episcopali moti, non autem è clero eiecti præterquàm quod apertè indicat Synodus, se eiusmodi alimenta pietate quadam indulgere.

CONSECTARIVM VI.

A quo restitui possit in pristinum gradum clericus depositus.

Diximus depositionem tum verbalem, tum actualem esse pœnam ex sua institutione perpetuam, & sine vlla spe restitutionis, quam postremam particulam superfluam esse in vulgari definitione dixit Panorm.in cap.veritatis de dolo & contumacia, eo quod depositio ex sese perpetua sit; hinc sequitur à solo Pontifice restitui posse clericum depositum, quia ille solus in iure communi & totam Ecclesiam obligante dispensare potest, neque inferiores Episcopi mutare possunt effectus censurarum, aliarumue pœnarum Ecclesiasticarum, quando eos ex sua institutione sortiuntur, alioquin mutanda foret ipsa institutio; loquor autem de restitutione, quæ fit ex sola indulgentia, si enim de iure facienda sit propter nullitatem depositionis comprobatam, poterit sine dubio totum illud præstare Episcopus, vti supponit omninò Toletan. IV. cap. 27. vbi agit de restitutione Episcopi aut presbyteri, cuius innocentia probata est in secunda Synodo: vnde etiam non malè colligit Bonac. disp. 4. de censu. p. vnic. num. 19. 15

Episcopum restituentem iniustè depositum indigere præsentia eorum Episcoporum, aot aliarum personarum dignitate Ecclesiastica fulgentium, quæ priori iudicio interfuerant, cùm non possit ipse solus cassare iudicium, quod plures Episcopi prius tulerant, & sanè deposirus ab vna synodo non poterat nisi per alienam similem, aut etiam maiorem testitui, vti dicemus alibi, nunc enim agimus de restitutione, quæ ex pietate & dispensatione fit.

Existimo igitur solum Pōtificem restituere posse degradatum vel depositum in ordine ad degradationem, quod postremum addo, quia quando fuit simplex depositio, & sine vllo ordine ad actualem degradationem, conceditur Episcopo vt in illa dispenset, quando fuit lata propter adulterium, aut alia crimina minora adulterio. Itaque intelligo cap. at si clerici. de iudiciis. Et ratio huius concessionis factæ Episcopis manifesta mihi videtur ex eo quod eiusmodi depositio non sit nisi veluti quædam suspensio perpetua, & quamuis priuet tum beneficio, tum officio ipso, & non solum fructibus beneficij, & libero officij vsu sicut suspensio, quia tamen sine solemnitate facta est, & solius pœnæ locum habet, non videtur incapacitatem ad noua beneficia & officia obtinenda ita inducere, vt ab Episcopo tolli nequeat, & vt dixi cap. At si clerici, saltem id probat.

Circa aliam verò omnem depositionem & degradationem dispensationem quando ex sola indulgeotia postulatur, pertioere ad summum Pontificem existimo cum Panorm. in cap. at si clerici. n. 14. & quem allegat Specnlato. in tit. de legato. §. tunc ostendendum. n. 6. vbi fusè hanc rem disputat, Molin. tract. 3. disp. 49. n. 19. vbi dicit esse sententiam communem Alteri. disp. 2. de suspensio. cap. 9. contra Bonac. disp. cit. p. voic. n. 20. vbi falsò allegat Panorm. & Speculatorem, qui tantùm loquuntur de depositione simplici, & non ordinata ad degradationem, neque aliud ex cap. at si clerici, quod vrget Bonac. etui potest. Quarè cùm ratio allata euidenter demonstret ex ipsa natura depositionis hactenùs explicata eam restitutionem pertinere ad solum Pontificem & nullum afferatur ius, in quo ea facultas concedatur Episcopis, gratis omninò eam illis tribnit Bonac. maximè si obserues, quod iam dixi, hanc depositionem non esse simplicem priuation em officij vel beneficij, sed habere adiunctam quandam iocapacitatem; quarè in restitutione ista debet fieri tum noua collatio beneficij & officij, tum tollenda est incapacitas, vt latè ostendit glossa in cap. Quamnis de rescriptis in 6. ꝟ. cùm talis. Quæ omnia lucem accipient ex iis quæ dicemus disputaores de dispensationibus, vbi etiam videbimus an restitutus ad beneficia sit etiam ad ordines dispensatus, aut è contrario.

Moneo tantùm hoc loco restitutionem realiter degradati fieri debere eodem modo, quo ipsa degradatio, nempè vt illi clerico reddantur insignia ordinis, quæ fuerant detracta, quod Conc. Toletan. IV. cap. 27. præcipit, quæ ex Conc. Moguntino refert Gratian. 11. q. 3. C. Episcopus presbyter.

QVÆSTIO XIV.

De effectibus interdicti.

Interdicti natura & antiquus vsus. n. 1.

1. Effectus interdicti inhibitio Sacramentorum. n. 2.

Propositio. ibid.

1. Pars propositionis. Quanam Sacramenta prohibeantur aut concedantur tempore interdicti. n. 3.

Sacramenta quæ non pendent à ministris Ecclesiæ, non prohibentur in interdicto. n. 4.

Baptismus cōferri potest tēpore interdicti. n. 5.

Licita etiam tunc est confirmatio. n. 6.

Sacramentum pænitentiæ tempore interdicti conferri potest. n. 7.

Etiam benè valentibus ex iure nouo n. 8.

Conditiones requisitæ ad administrationem pænitentiæ durante interdicto. n. 9.

Licita est Eucharistiæ administratio per modum viatici. n. 10.

2. Pars. Modus administrandi Sacramenta tempore interdicti permissa, nempè cum solemni ritu. n. 11.

Et eodem quamnis interdicto. n. 12.

3. Pars. Quibusnam concessum sit suscipere Sacramenta tempore interdicti. n. 13.

4. Pars. Quinam possunt ministrare Sacramenta permissa tempore interdicti. n. 14.

2. Effectus interdicti. Prohibitio diuinorum officiorum n. 15.

Propositio. ibid.

Quid intelligatur nomine diuinorum officiorum. n. 16.

1. Pars propositionis. Interdictum locale generale diuina officia permittit cum quibusdam conditionibus. n. 17.

Conditiones seruandæ in celebrandis diuinis officiis tempore interdicti. n. 18.

Festiuitates in quibus publica diuinorum celebratio permissa est. n. 19.

2. Pars. Interdictum speciale locale omninò prohibet diuina n. 20.

3. Pars. Quodlibet interdictum personale prohibet absolute diuina officia. n. 21.

Tertius effectus interdicti prohibitio Ecclesiasticæ sepulturæ n. 22.

Propositio. ibid.

Expositio & Confirmatio propositionis. ibid.

1. Pars propositionis. De interdicto locali. n. 23.

2. Pars propositionis. Quinam excipiuntur à iure. n. 24.

Conditiones requisitæ, vt quis huius exceptionis priuilegio gaudeat. n. 25.

3. Pars propositionis. De interdicto personali. n. 26.

Quinam

INterdictum est prohibitio diuinorum. Quo nomine intelligunt DD. passim sacramentorum admiuistrationem, diuinorum officiorum, hoc est, quæ publicè nomine Ecclesiæ ab eius publicis ministris ad diuinum cultum dicuntur celebrannnem, & Ecclesiasticam sepulturam, quibus omnibus priuat interdictum, quod idcirco. Yuo Carnot Ep. III. vocauit à diuino seruitio suspensionem eo quod omnis diuinus cultus publicus ipso durante, cesset, & Synodus Bituricensis an. 1034. dixit publicam excommunicatioonem, qua voluit ligari omnem terram Lemouicēsem, eo qood omnes tota illa terra tanquam excommunicati proscriberentur à Sacris, quæ etiam tota ea regione silebant, atque vt loquitur Ademarus S. Eparchij Engolism. Monachus in suo chronico an. 994. id temporis populus quasi Paganus à diuinis Laudibus Ecclesiæ & Monasteris à diuino cultu & sancto sacrificio cessens, quam nouam obseruantiam pro nequitia populi ait constituisse Alduinum Episcopum Lemouicensem & excommunicationem nominasse. Vnde videas falli eos, qui negant huius censuræ vsum ante Alexād. III. qui an. 1160. vixit, reperiri, eo quod eius non meminerit Gratianus, nam etsi forcassis ea vox non fuerit antiquitus vsurpata, vides tamen multo ante rem ipsam in frequenti vsu fuisse; nec leue vestigium habemus Interdicti localis in Conc. II. Cabill. sub Carolo. magno coact. cap. 26. vbi propter quandam dissensionem in rebus Ecclesiæ diuidendis mandatur Episcopo, vt prohibeat in ea Ecclesia Missarum solemnia fieri, donec dissidentes in Concordia redeant, quod ipsum deinde an. 895. imperante Arnulpho decreuit Synodus Triburiens. cap. 32. iubet enim Ecclesiæ valuas claudi & sub sigillo consignari ab Episcopo, vt sacrum ministerium nullus in ea celebret. Cum igitur Interdictum ex veteri nomine & vsu excommunicatio quædam publica sit, à diuinis prohibens oportet, & cum censura sit, vti disq. 1, q. 2. stabilitum fuit eum communi sententia Et Ecclesiæ sensu in aliqua priuatione boni spiritualis consistat oportet, alia autem fingi nequit quam priuatio vsus diuinorum. Hinc vulgo factum est, vt omnes huius censuræ effectus tribus comprehenderentur nimirum priuatione Sacramentorum, prohibitione diuinorum offi-

ficiorum & sacræ sepulturæ, quibus aliqui addidêre quartū nimirum interdictionem ab ingressu Ecclesiæ: Non sunt porrò ita connexi huius censuræ effectus sicuti excommunicationis; diuidi enim possunt à ferente qui pro arbitrio potest interdicere solo vsu Sacramentorum, aut à diuinis officijs tantum, aut prohibere ingressum dumtaxat Ecclesiæ, vel solam sepulturam Ecclesiasticam, vti etiam dicebamus de effectibus suspensionis, cùm tamen excommunicatio & depositio sortiantur omnes suos effectus necessariò; neque quamdiu durant sit in potestate ferentis, vt vnum tantùm effectum, & non alium habeant, quarè non diuiditur excommunicatio in totalem & partialem, sicut diuiditur suspensio & interdictum, quod iam disq. 1. qu. 2. monueramus, & tota hac quæstione retinendum est, interdictum enim vel omnes quatuor effectus enumeratos vel aliquem tantùm, prout totale vel partiale fuerit, habebit & denique id efficiet, quod verba, quibus feretur, expriment.

PRIMVS EFFECTVS INTERDICTI.

Inhibitio vsus actiui & passiui Sacramentorum.

PROPOSITIO

2 Interdictum priuat vsu actiuo & passiuo Sacramentorum, quæ ex dispensatione & ministratione Ecclesiæ pendent, præter quàm in casibus iure exceptis, excipiuntur autem Baptismus, Confirmatio, pœnitentia, & Eucharistia per modum viatici, quæ durante interdicto siue generali siue speciali locali in loco etiam interdicto conferri possunt etiam solemniter omnibus fidelibus, qui neque directè, neque indirectè & virtualiter sunt specialiter interdicti, quibus etiam solis extra extremam necessitatem eadem sacramenta ministrare prohibitum est.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO

PROPOSITIONIS.

Quadripartita est ista propositio, 1. enim assigno Sacramenta, quorum vsus & participatio vi interdicti prohibita est. 2. modum quo sacramenta aliqua ministrare fas est. 3. personas, quibus eadem participatio vetita vel concessa est. 4. Ministros, qui durante interdicto sacramenta conferre permittuntur.

PRIMA PARS.

Quænam Sacramenta tempore interdicti prohibeantur aut concedantur?

3 Dixi igitur 1. in vniuersum vsum tum actiuum, tum passiuum Sacramentorum, quæ ab Ecclesiæ dispensatione pendent, prohiberi vi interdicti, nisi in casibus iure expressis. Ita traditur cap. si sententia de senten. Excomm. in 6. & repetitur in cap. Alma mater eod. lib. & tit. estque ille veluti primarius effectus interdicti.

Dixi verò ea tantùm sacramenta prohibet, quorum dispensatio pendet ab Ecclesia, hoc est, ad quæ conferēda opus est ministro ab Ecclesia consecrato; quia etiamsi spectato solo verborum cortice, nomine Sacramentorum significentur omnia Sacramenta, siue ministrum consecratum, siue non consecratum ex natura suæ institutionis postulent, ac proinde prohibitione aut concessione sacramentorum omnia & singula sacramenta à quocumque ministranda aut percipienda sint, intelligantur concessa aut prohibita esse, nisi excipiantur; si tamen attendatur causa huiusmodi prohibitionis non semper omnia & quæcumque sacramenta complecti potest, quamuis verbis vniuersalissimis exprimatur, quando enim ea prohibitio pœna quædam est, culpam omninò requirit eius, cui pœna est, alioquin iniqua est; quia quamuis aliquis possit pati damnum & incommodum ex aliena culpa, non tamen plecti pro illa, quarè quoties imponitur pœna alicui communitati, vel ea non afficit singulos, qui illi causam non dederant, vel respectu eorum pœna non est, sed damnum quoddam, ex eo quod priuata communitate aliquo commodo v. gr. commercio, damnum in singulos ciues necessario deriuetur; idcircò ea pœna nequit cadere nisi in bona communia toti ciuitati, aut propria illorum, qui crimen admiserunt, non verò in ea iura, quæ sunt singulorum innocentium, vti monuimus disq. 3. qu. 1. num. 3. Ex quo etiam principio dicebamus ibid. num. 8. in Consect. 4. & iam monueramus disq. 4. qu. 6. n. 3. interdictum generale ferri posse in communitatem, singulasque eius partes innodare, neque tamen iniuriam facere Innocentibus, qui eo quod sint illius Communitatis partes eadem censura implicantur, quia illud interdictum respectu innocentium non est punitio & censura, sed solùm negatio quædam ministeriorum Ecclesiæ, quæ sua solita officia iure tunc negat communitati propter crimen ab illa admissum, ex quâ negatione ministeriorum Ecclesiæ fit, vt omnes & singulæ illius communitatis partes magno commodo priuentur, atque ita damnum sentiant ex ea prohibitione, non tamen si innocentes sint, illa puniantur, quia nullo iure sibi proprio priuantur, sed tantùm ministerio illis exhiberi solito & beneficio solemni Ecclesiæ, quæ iustis de causis illud negare potest, atque ita communitatem plectere, si opus sit. Ex quibus fusè stabilitis locis citatis statim apparet Ecclesiam in interdicto generali prohibere iure posse vsum sacramentorum, quorum ministratio ab illa pendet, ea verò sacramenta, quorum dispensatio penes illum non est, eo quod non fiant ab eius ministris, immò requirant ex sua institutione ministrum non consecratum, nulli posse prohiberi in pœnā, nisi illi, qui culpam ea prohibitione dignam admiserit, alioquin innocens priuabitur iure suo, & propter culpam alienam propriè, directè, & per se punietur, atque innodabitur censura quod absurdum esse diximus locis citatis, quarè non modò dicendum est Ecclesiam in interdicto generali non priuare singulos, si innocentes sint, sacramento, cuius administratio penes ipsam non est, ne illam manifestæ iniustitiæ arguamus, sed neque eiusmodi sacramento hos innocentes priuare posse, vt de Matrimonio, quod vnicum est tale sacramentum dixit Kon. disp. 17. num. 50. de quo in consectariis fusiùs agemus; quamuis igitur nullibi in iure concedatur, durante interdicto locali, aut generali personali administratio Sacramenti, quod necessariò à singulis & non ab Ecclesiæ ministris dispensatur; ipsa tamen ratio illius sacramenti, & ius quod singuli

in

in illud ministrandum habent, satis ostendunt illud ab Ecclesia non posse per modum pœnæ & censuræ innocentibus prohiberi.

5 Recensui secundo loco sacramenta, quæ licet ab Ecclesiæ ministris saltem ordinariè conferri debeant, possunt, nihilominus durante interdicto ministrari ex eiusdem iuris Ecclesiastici, quod interdicti effectus sanciuit limitatione, oportet autem ius nouum ab antiquo ferè semper distinguere.

Atque imprimis Baptismus paruulis conferri perpetuo licuit, cap. non est vobis de sponsalibus, & cap. responso. de sentent. Excomm. Immò ex concessione Bonifacij VIII. hæc concessio etiam ad adultos extensa est in cap. Quoniam. de sentent. Excomm. in 6. Ego tamen quicquid ibidem dicat glossa, & alij communius, non existimârim quidquam hac in parte innouasse Bonifacium, sed semper licitum fuisse conferre baptismum etiam adultis; nam in antiquissimo interdicto siue publica excommunicatione terræ Lemouicensis superiùs adducta dicitur *Baptismus petentibus tribuatur*. Quæ verba magis propriè de adultis, quàm de infantibus, qui ipsi baptisma non petunt, intelliguntur. Deinde in cap. Non vobis. cap. responso superiùs relatis conceditur quidem ministrari baptismum paruulorum, non dicitur tamen paruulis tantùm ministrandum esse, sed quia ferè tantùm paruuli illud suscipiunt, desiitque iam dudum in Ecclesia consuetudo differēdi hoc sacramentum in adultam ætatem, idcircò de paruulis maximè agitur, quando sermo est de baptismo, quod etiam sacramentum paruulorum solet appellari. Porrò non modò adultis infirmis, sed etiam benè valentibus ministrari posse hoc sacramentum rectè vidit Conarr. in cap. Alma mater. 2. p. §. 2. n. 7. Henriq. lib. 13. cap. 45. n. 1. & cap. 53. nu. 4. Auila disp. 4. dub. 4. 5. pa. & alij deinceps recentiores, quia Bonifacius absolute dicit adultis, neque infirmos à benè valentibus distinguit, & quamuis dicat ministrari propter mortæ periculum, iis tamen verbis non significat in periculo tantùm mortis conferri posse durante interdicto, alioquin neque extra eam necessitatē conferri posset infantibus, sed ostendere voluit summam huius sacramenti necessitatem & periculum, quod in eo differendo contingere potest, cùm possit facilè intereà tum infans tum adultus sine eo decedere cum dispendio salutis æternæ, si vel desit, qui illud conferat, vel aquæ copia, vel repentina cædes, aut aliquid eiusmodi accidat, & quamuis adultis contritio, atque vt loquuntur baptismus flaminis vrgenti eiusmodi necessitate subsidio esse possit, quia tamen difficilè est contritionem perfectam, qualis eo casu requiritur elicere, & hominem nec opinantem intempestiua mors occupare potest, semper in ea mora & dilatione baptismi periculum esse solet, cui vt occurreret Ecclesia, voluit eius administrationem quouis tempore licitam esse.

2. Permittitur collatio Confirmationis ab Innoc. III. rescribente ad Episcopum Ferrariensem. cap. responso de sentent. Excomm. vbi Pontifex ostendit Chrismationem includi sub baptismo, & sicut durante interdicto pueri possunt baptizâri, ita & chrismate in fronte signati ab Episcopo, id est, confirmari, idem quoque definitur cap. Quoniam eod. tit. in 6. Ratio huius concessionis fuit, quia Confirmatio necessaria est, vt quis sit plenè Christianus, & Turrecremat. in cap. omnes. dist. 5. ait, baptismum esse ianuam intrantium ad fidem, Confirmationem verò primum sacramentum progredientium, neque visum fuit Ecclesiæ priuare auxiliis huis sacramenti ad vigorem fidei necessariis ipsos etiam adultos interdicto durante.

3. Sacramentum pœnitentiæ iure antiquo fuit concessum duntaxat in periculo vitæ, siue morientibus, vt disertè habetur cap. Quod in te. de pœnit. & remissionib. cap. Non est vobis. de sponsalibus. & cap. responso. de sentent. Excomm. his enim omnibus locis baptismum paruulorum & pœnitentias morientium coniungunt Pontifices propter summam nimirùm necessitatem horum sacramentorum; nomine verò morientium non sunt accipiendi illi duntaxat, qui in proximo articulo sunt constituti, sed qui in probabili mortis periculo siue ex valetudine, siue ex quapiam alia causa quantumlibet extrinseca versantur, vti Couarru. in cap. Alma mater. 2. p. §. 3. num. 1. & alij omnes docent. 7

Eodem etiam Iure cap. quod in te. de pœnit. & remissionib. Innocentius III. concedit recipiētibus signum crucis ob reuerentiam Crucifixi pœnitentiam cum illam postulauerint, hoc est, illis qui vouebant peregrinationem in Palæstinam, ad eamque se obligabant signo crucis accepto, vt habetur cap. magnæ de voto. quam concessionem factam fuisse existimat ibid. glossa propter periculum itineris, & ideò negat fuisse impertitam pœnitentiam, nisi dum se itineri accingerent; Panormitan. autem ibid. ait etiam nōdum proficiscentibus & quamdiu tenebantur rei illius voti, licuisse ipsis durante interdicto, pœnitentiæ sacramentum suscipere, quia Pontifex ait, dandum esse, *cum postulauerint*. Deinde quia non affert pro causa suę Concessionis periculum & necessitatem, sed reuerentiam Crucifixi, & nihil esset priuilegij datum his peregrinis, quia aliis quoque in probabili periculo mortis constitutis licuit conferre hoc sacramentum, vti iam monuimus, & de proficiscētibus ad bellum iustum dixit ibid. glossa. Denique addit Pontifex, idem aliis peregrinis posse misericorditer indulgeri. Itaque existimârim Ego non solam necessitatem & periculum, quod tantùm ingruebat, quando iam committebant sese viæ, fuisse causam huius veniæ, sed reuerentiam Crucifixi; atque vt testaretur Ecclesia, quàm gratum haberet votum eiusmodi peregrinationis, idcircò vbi illius Rei facti erant, poterant, dum liberet, nulla habita ratione interdicti pœnitentiam sumere, aliis verò peregrinis ob aliquod periculum ex quadam pietate indulgere licebat, qui tamen non poterant vllo iure, quasi sibi debitam, eam deposcere.

Iure porrò nouo concessit Bonifac. VIII. in cap. Alma mater, non modò morientibus, sed etiam sanis susceptionem huius sacramenti propter pronitatem & facilitatem ad peccandum, neque ea in re potest vllo modo esse controuersia, quarè frustra ad eam confirmandam afferentur DD. & quamuis hoc caput agat tantùm de interdicto generali locali, constat tamen ex his quæ sub finem huius concessionis adiicit eam extendi ad quodcunque interdictum siue locale, siue personale, siue generale, siue speciale, ait enim esse iniungendam quidem pœnitentiam salutarem non tamen faciendam esse interdicti relaxationem, siue ciuitas, siue aliàs locus, aut vniuersalitas interdicta fuerint, in interdicto enim Ciuitatis & alterius cuiuscunq; loci habetur interdictum locale tum generale, tum speciale, in interdicto autem vniuersitatis est interdictum generale personale, & denique in eo quod velit Pontifex ab iis, qui dederunt causam interdicto exhiberi satisfactionem aut cautionem de ea præ- 8

standa antequam admittantur ad pœnitentiam, vt statim dicam, aperta est mentio interdicti personalis specialis; nullum igitur interdictum impediet deinceps pœnitentiæ sacramentum, modo duo, quæ ibidem iubet Bonifacius, obseruentur.

9 Primum est vt non fuerint excommunicati, eos enim in mortis duntaxat articulo admitti ad hoc sacramentum concedit, quod de excommunicatis tantum propter causam interdicti exponunt plores summistæ ℣. Interdictum. Sylu. 5. num. 49. Tabiena. 5. num. 6. Angelus. 6. num. 19. Armill. n. 45. & Alteri disp. 4. de interdict. cap. 3. alij autem cum Vgolin. tab. 5. cap. 7. §. 6. & Sayr lib. 5. cap. 6. nu. 9. exponunt de omnibus excommunicatis, quos durante interdicto extra casum necessitatis à suscipiendo pœnitentiæ sacramento remoueri volunt, & quidem si de solemni absolutione ab excommunicatione agamus cum ea fiat certis quibusdam ritibus præscriptis cap. à nobis 2. de sentent. Excomm. & qui ad diuina officia pertinere videntur, ea durante interdicto non alia ratione licita erit, quam diuinorum officiorum celebratio, de qua dicemus in 2. effectu huius censuræ explicando, absolutio verò priuata excommunicationis alteriusve Censuræ tempore interdicti fieri potest, cùm ea sit tantùm actus iurisdictionis, qua non priuat interdictum, neque habeat necessario adiunctum actum ordinis aut quidpiam aliud ab interdicto prohibitum, cur igitur impendi non poterit secluso scandalo & aliis circumstantiis extrinsecis, vt argumentatur Panormit. in cap. final. de Excessibus prælatorum. num. 3. Vbi autem ille excommunicatus fuerit absolutus, iam nihil prohibebit ipsum ad pœnitentiam sacramentalem admitti, & sanè cùm toto eo cap. Bonifac. Iuris antiqui rigorem molliat, quis dicat ipsum reddidisse difficiliorem Excommunicationis absolutionem, quam fuisset prius. Si igitur antiquo iure fas erat priuatim absoluere excommunicatum durante interdicto, idem quoque licebit hódie post Bonifacij constitutionem, quæ nihil circa eam absolutionem immutauit. Itaque dicendum est cum Suar. disp. 33. s. 1. num. 16. Pontificem excludere à sacramento excommunicatos excommunicatione reseruata, quibus fauere non vult illo suo priuilegio, neque faciliorem reddere ipsorum absolutionem prætextu veniæ factæ admittendi quoscunque ad pœnitentiam vrgente interdicto.

Postulat 2. Pontifex, vt qui causam dederunt interdicto sua culpa, fraude, vel dolo, auxilio, consilio, fauore, & alio quolibet modo non admittatur ad pœnitentiam, nisi aut satisfecerint, aut cautionem de satisfactione dederint aut si neutrum tunc temporis possint, iuramento promiserint se quàm primum licebit, id facturos.

10 4. Eucharistia per modum viatici semper ministrari potuit tempore interdicti iure nouo & antiquo, declarat enim Innoc. III. cap. quod in te. de pœnitent. & Remission. nomine pœnitentiæ, quæ morientibus non negatur viaticum, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligendum esse; quare cùm nunquàm negata fuerit vi interdicti pœnitentia morientibus, neque etiam negata fuit Eucharistia. Vnde etiam cap. permittimus. de sent. Excomm. permittitur celebratio missæ semel in hebdomada tempore interdicti ad conficiendum corpus Christi, ne morientibus desit. Itaque in hanc sententiam conueniunt omnes DD. cum glossa in cap. permittimus citatum ℣. Concedimus, & in cap. non est vobis. de sponsalib. ℣. morientium, & in cap. Alma mater. ℣. sacramentis. Extra hunc verò casum viatici non est licita administratio Eucharistiæ tempore interdicti cùm circa illam, sicut neque circa cætera sacramenta, præter enumerata nihil prorsus statuerit Bonifacius, neque quidquam antiquo rigori detraxerit; quare reliqua omnia sacramenta, quæ vt dixi, in dispensatione Ecclesiæ sunt, prohibentur ab interdicto, quod videbimus singillatim in Consectariis; Nunc statuo duntaxat Regulam generalem, omnia sacramenta interdici nisi in casibus iure expressis, quales sunt illi tantummodò, qui à nobis sunt recensiti, estque certa definitio Clem. 1. §. porrò de verbor. significat. *Vbi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum.*

SECVNDA PARS.

Modus administrandi sacramenta tempore Interdicti permissa.

1. Parte attigi modum, quo sacramenta quæ ius siue nouum, siue antiquum permittit tempore interdicti, ministrari possint, quo videlicet ritu & quo loco. 11

Et quidem quod ad ritum attinet, consuetus omninò seruandus est & solemnitates solitæ, quia quando aliquid in iure simpliciter permittitur, intelligitur permitti cum iis omnibus, cum quibus de iure exerceri solet, alioquin certam formam præscribit, atqui concedit ius sacramenta superiùs recensita ministrari tempore interdicti sicut prius, ergo easdem cæremonias & solemnitates seruare licebit, si enim aliud voluisset, omninò indicasset, sicut de missæ sacrificio & aliis diuinis officiis statuit Bonifacius VIII. in cap. Alma mater. de sentent. excomm. in 6. vti dicemus propositione sequenti.

Deinde id singillatim in singulis istis sacramentis ostendere non fuerit difficile, nam baptismum fieri vult cum Chrismatione, ita vt ea de causa permittatur chrismatis confectio in die cœnæ Domini non obstante interdicto; quis verò neget hanc chrismationem esse vnam ex præcipuis solemnitatibus, quæ cùm sit adhibenda, certum est non permitti tantùm eo tempore baptismum priuatim solis partibus essentialibus constantem, & in extrema necessitate conferri solitum, tunc enim non adhibetur chrismatio etiam in vertice, & multo minus in fronte, quæ est confirmatio, neque vlla ratio apparet, propter quam hanc potiùs baptismi solemnitatem, quàm cæteras omnes permiserit Pontifex. Itaque catechismus, Exorcismus, vnctio verticis & cætera eiusmodi adhiberi poterunt, quod censent omnes passim Summistæ & Canonistæ, quos congessit Sayr lib. 5. cap. 6. n. 3.

2. Sacramentum Confirmationis cum suis quoque solemnitatibus ministrandum esse ex eo suadetur, quod & simpliciter conceditur, ac proinde secundum suam cæremoniam consuetam, & quia non solet vnquàm aliter ministrari, ea enim tantùm sacramenta, quæ sunt necessitatis aliquando sine solemnibus ritibus conferuntur, quia periculum non patiatur eos adhiberi, alia verò, quæ sine dispendio salutis omitti licitè possunt, vbi tempus non patitur cum suis cæremoniis conferri, omitti solent; præterquam quod vix vlla est in hoc sacramento cæremonia, quæ facilè relinqui debeat, & quæ violatura videatur interdictum, si ipsa collatio huius sacramenti illud non violet.

3. Sacramentū pœnitētię non habet vllam peculiarem

liarem solemnitatem, cùm constet actibus pœnitentis & absolutione Sacerdotis, quæ priuatim impendi solet, nisi quis contendat generalem absolutionem, quæ sacramentali præmitti solet, vsurpandam non esse, eo quod videatur ad diuinum officium, quod eo tempore prohibetur, pertinere; verùm rectè dixit Sylu. ℣. interdictum. 5. n. 9. omnem absolutionem, quæ ad remissionem peccati tendit, concessam esse concessa pœnitentia, quarè tum generalis, tum sacramentalis absolutio adhiberi poterit.

4. Eucharistia per modum viatici tempore interdicti differri posse & debere solemni pompa ad ægrotos, comitantibus nimirùm fidelibus, tintinnabuli sonitu, psalmorum recitatione, cum vmbella, vestibus sacris, & reliquo eiusmodi apparatu, quem præscribit Honori. III. cap. sanè de celebratione Missarum, omnes æquè consentiunt cum Calderi. tract. de interdicto. 2. p. membr. 6. quia cum aliorum Sacramentorum solemnitates eo tempore fuerint permissæ, vti ostendimus, potiori iure id de hoc Sacramento, cui maior cultus adhibendus est, dicemus, vbi ius contrarium non erit; immò cùm luminaria & vestes sacræ præcipiantur in citato cap. sanè, quoties ius permittet eam delationem intelligendum est permittere cum cæremoniis lege præscriptis, nisi disertè illas reiiciat, quod idem valebit in aliis cæremoniis legitima consuetudine, quæ ius quoddam est, inductis; quod verò pulsatio campanarum prohibeatur in cap. Alma mater, non est accipiendum nisi de pulsatione ad conuocandum populum ad diuina officia, vti explicabimus inferiùs; Tintinnabuli autem in hac Eucharistiæ delatione, alius omninò est vsus, nempè vt qui occurrunt, adorent Eucharistiam, aut eam comitentur, quod nequaquam interdicto prohiberi potuit; psalmi etiam non recitantur per modum officij diuini, sed actionis cuiusdam religiosæ, & aliquando ita submissa voce dicuntur, vt ab aliis audiri nequeant; Denique nemo dicat excludendos esse omnes adstantes dum ægroto porrigitur Eucharistia, ministri enim, quorum opera maximè indiget, ablegandi forent, quod nemo dixerit.

12 Dixi 2. hæc Sacramenta ministrari posse in loco interdicto, quod certissimum est, quando interdictum locale est generale, tunc enim omnia loca sunt interdicta; quarè frustra esset illa concessio, si extra territorium interdictum abeundum esset, nam qui interdicto locali causam non dederunt, possunt extra locum interdictum omnia Sacramenta suscipere, & diuina officia frequentare, vti diximus alibi. Itaque difficultas esse videtur de loco speciali ter interdicto, an in eo ministrari possint hæc Sacramenta, quod licere intendo, & quidem baptismum etiamsi sint plures Ecclesiæ non interdictæ in ciuitate, celebrari tamen posse à Parocho in sua Ecclesia parochiali interdicta secluso scandalo probatur, quia nullum est ius, quod id prohibeat, quandoquidem simpliciter concedit administrationem baptismi tempore interdicti, & licet in loco non interdicto commodè possit ministrari, nihil est tamen quod obliget Parochum ad adeundam alienam Ecclesiam, neque absque vlla causa debuit Couarruu. 2. p. in cap. Alma mater §. 2. n. 7. sequutus nonnullos alios generalem concessionem restringere, neque verum est, quod tum ipse, tum Vgolin. tab 5. cap. 7. §. 4. n. 1. & cap 10. §. 1. n. 1. dicunt hanc administrationem honestiùs & decentiùs fieri in Ecclesia non interdicta, quia tota ratio propter quam parùm decenter hæc Sacramenta ministrentur in Ecclesia interdicta, est, quia tunc contra interdicti prohibitionem ministrantur, & quia locus indoneus quodammodo ad eas actiones sacras redditus est, atqui tota prohibitio interdicti respectu huius actionis tollitur eadem authoritate qua posita fuerat, & locus idoneus, atque vt ita dicam, capax eiusmodi actionum relinquitur; ergò æquè honestè & decenter ministrabuntur ex concessione iuris Sacramenta in Ecclesia specialiter interdicta, atque in non interdicta, vt argumentatur Sayr. lib. 5. cap. 6. n. 4. Suar. disp. 33. s. 1. n. 3. & alij.

Quæ ratio idem euincit in Confirmatione, quam æquè conferri absque indecentia in loco specialiter interdicto concedunt iidem DD. communiter, & de Sacramento pœnitentiæ, atque etiam Eucharistiæ, cùm neque ratione interdicti neque ratione vllius prohibitionis, neque ratione indecentiæ id vetitum sit, vti monuimus.

TERTIA PARS.

Quibusnam concessum sit Sacramenta suscipere tempore interdicti?

Tertia parte propositionis dixi omnibus Christi fidelibus non interdictis specialiter concessum esse à iure Sacramenta superiùs recensita suscipere. Nomino autem specialiter interdictos, eos qui vel directè & expressè aut formaliter interdicti sunt, vel indirectè & virtualiter, quia etiamsi non sint nominatim & particulari interdicto perculsi, dederunt tamen causam interdicto siue locali siue personali generali; hi enim omnes excluduntur à participatione omnium Sacramentorum, præterquam Baptismi, ante eius enim susceptionem nequeunt aut interdici, aut alia pœna ab Ecclesia, cuius iurisdictioni minimè subsunt, affici. 13

Pœnitentiæ verò Sacramentum suscipere nequit interdictus nisi præstita satisfactione aut cautione de illa exhibenda, aut iuramento, vbi aliud non poterit, sicuti in cap. Alma mater, definitum esse monebamus, cum ea tamen conditione admitti posse ad hoc Sacramentum etiam specialiter interdictum mihi certissimum est cum Sayro & aliis contra Vgolin. tab. 5. cap. 15. §. 3. n. 2.

Restat Sacramentum Confirmationis & Eucharistiæ, & quidem dici in vniuersum potest interdictum specialiter non admitti ad hæc Sacramenta nisi præmissa illa satisfactione, cuius superiùs meminimus ex cap. Alma mater, quia cùm incapax sit Sacramentorum, nisi expiata grauii illa culpa, quam commisit, dum dedit causam interdicto, & illa non possit elui Sacramento pœnitentiæ nisi præstita satisfactione præscripta, cap. Alma mater, sanè neq; poterit Sacramenta, quæ expiatione illam culpæ præteritæ tanquam necessariam dispositionem requirunt, suscipere, quod maximè verum est in Eucharistia, ad quam non sufficit ex Tridentino quæcunque peccati mortalis extensio, nisi per confessionem sacramentalem, vbi illa poterit haberi obtineatur; Difficultas tamen est, an posita illa satisfactione, quam exigit cap. Alma mater, immò & suscepto pœnitentiæ Sacramento possint isti specialiter interdicti Sacramentum confirmationis & Eucharistiæ per modum viatici suscipere, quandoquidem manent semper specialiter interdicti, neque enim, vti iubet Bonifac. relaxatur illins interdictum

terdictum per Sacramentum pœnitentiæ, sed imponitur tantùm pœnitentia salutaris.

Quarè dicendum non posse vi huius pœnitentiæ suscipi Sacramenta cætera, nisi sequatur relaxatio interdicti, quamdiu enim manet, parit suos effectus, atqui interdictum speciale priuat omnibus Sacramentis, & idcircò isti interdicti comparantur excommunicatis quoad Ecclesiastica Sacramenta cap. Episcoporum de priuilegiis in 6. & glossa in cap. præsenti. de sentent. excomm. in 6. ÿ. generaliter, vniuersim pronuntiat omnia Sacramenta specialiter interdicto negari ante absolutionem, quam tamen putat glossa dari posse ad cautelam in interdicto speciali, qua de re disq. 10. dicturi sumus. Itaque confirmationem specialiter interdicto etiam post susceptam pœnitentiam conferri posse negandum est.

Eucharistia autem per modum viatici vel datur in extrema necessitate & morienti, vel tantùm in periculo quidem vitæ, sed non ita proximo, vt non possit commodè obtineri relaxatio interdicti personalis sicut & obtineretur excõmunicationis, si quæ cõtracta fuisset, absolutio. Si primũ contingat, Sacerdos, qui interdictum specialiter eo casu absoluet à peccatis, poterit quoque & ab illo interdicto absoluere, vti & ab excommunicatione aliaue censura, atque ita licitè deinde suscipiet Eucharistiam; si verò non ita vrgeat periculum, quin facilè obtineri possit relaxatio interdicti, sicut & excommunicationis absolutio, quærenda omninò erit, antequam Eucharistiam etiam per modum viatici sumat.

Quod attinet ad generaliter interdictos, qui nullam causam dederunt interdicto, certum est illos tempore interdicti hæc Sacramenta percipere posse, atque in eo esse indulgentiam factam à Bonifacio & aliis Pontificibus.

QVARTA PARS.

Quinam ministrare possint Sacramenta tempore interdicti permissa?

14 Ad extremum egi de ministris Sacramentorum, quæ tempore interdicti conceduntur, & dixi in vniuersum, neminem specialiter interdictum posse ministrare Sacramenta seclusa extrema necessitate: quia interdictum prohibet vsum tum actiuum, tum passiuum Sacramentorum, atqui Pontifices, dum huius pœnæ rigorem sua indulgentia temperarunt, noluerunt fauere specialiter interdictis, sed innocentibus, alioquin obstinato animo perseuerarent in suis criminibus, neque adducerentur ad exhibendam satisfactionem, quam postulat Ecclesia; aliorum igitur, qui nullo suo crimine incommodis interdicti implicabantur, vicem miserati summi Pontifices, aliquid condonandum esse existimauerunt, sicut in Extrauag. Ad euitanda factum diximus q. 1. quamuis enim cæteris fidelibus concessum fuerit communicare cum excommunicatis non denuntiatis, illis tamen minimè fauere voluit Ecclesia; quarè si se aliorum communicationi immisceant non rogati & non præuenti tenerà peccant. Atque hæc est ratio propter quam Pontifices in decretis, quibus aliquorum Sacramentorum administrationem concesserunt tempore interdicti, nunquam meminerint, nisi interdicti generalis. Denique Bonifac. in capite Alma mater, non vult licere pœnitentiæ susceptionem iis, qui causam interdicto dederunt, nisi quibusdam conditionibus appositis; potiori igitur iure administrationem Sacramentorum eiusmodi interdictis negabit, cum ratione necessitatis potiùs concedenda fuerit susceptio, quàm administratio. Atque ita docent DD. communiter dum de singulis Sacramentis tempore interdicti concessis disputant, vt videbis apud Suarem disp. 33. sect. 1. Alteri. disp. 4. de interdicto, & alios.

Cæteros porrò personaliter interdictos generaliter tantùm, & qui nullam causam dederunt interdicto, existimo posse Sacramenta recensita ministrare, baptizare nimirum, Confirmatione signare, pœnitentium Confessiones excipere, & Eucharistiam per modum viatici conferre, quia sicut interdictum locale siue generale, siue speciale non prohibet administrationem Sacramentorum illi, qui non dedit causam interdicto, quarè extra hunc locum omnia Sacramenta conferre poterit, sicut prius, & in loco interdicto ea omnia, quæ in illo conferri conceduntur, si aliàs illorum minister esset, ita neque interdictum personale generale prohibebit eandem administrationem, quandoquidem sicut in interdicto locali persona non interdicitur nisi secundariò, quia est pars communitatis interdictæ, & sicut interdictum locale non impedit administrationem baptismi v. gr. in loco interdicto, ita neque interdictum personale prohibebit eandem administrationem fieri à persona interdicta, nisi sit specialis aliqua ratio, quia nimirum cùm sit specialiter interdicta directè vel indirectè, & culpam, quæ interdicto ponitur, admiserit, non debet fauore Pontificis gaudere, maximè cùm aliunde compararetur excommunicatis quoad celebrationem diuinorum officiorum, & consequenter Sacramentorum cap. clerici, & cap. latores. de clerico excomm. ministr.

Hæc tamen omnia intelligenda sunt de interdictis denuntiatis, alioquin enim poterunt à cæteris non interdictis specialiter & non denuntiatis rogari illa Sacramenta ministrare, quod constat ex q. 1. huius capitis & Extrauag. Ad euitanda.

SECVNDVS EFFECTVS INTERDICTI.

Prohibitio diuinorum officiorum.

PROPOSITIO.

Omne interdictum prohibet sacrificij Missæ & 15 diuinorum officiorum celebrationem diuerso tamen modo, nam interdictum locale generale postulat tantùm certas conditiones, quibus positis eam celebrationem permittit, immò in quibusdam festiuitatibus eandem liberam omninò relinquit, interdictum verò locale speciale solius Missæ sacrificium ad renouandam Eucharistiam pro ægrotis concedit; denique interdictum personale simpliciter & absolutè hæc omnia vetat.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Obseruandum imprimis est diuina officia à Sacramentorum administratione seiungi in omnibus 16 illis locis in quibus de interdicto agitur, priuatio enim Sacramentorum & diuinorum officiorum tanquam distincti illius censuræ effectus recensetur,

tur, cap. si sentent. §. cùm verò de sentent. excom. in 6. cap. Alma mater. eod. titulo & lib. cap. Episcoporum de priuilegiis in 6. Quid porrò intelligatur nomine diuinorum officiorum non ita liquet, Sylu. enim ℣. interdictum 5. n. 5. & Angelus eod. ℣. 5. n. 4. intelligunt ea omnia, quæ habentur in Missali & Breuiario, quod omnes alij reiiciunt eoquod plurima quæ in Missali & Breuiario continentur, non sint diuina officia, vt mensæ benedictio, & itinerarium clericorum, & quædam alia, quæ in pontificali, aliisque rituum Ecclesiasticorum libris præscribuntur, neque sanè dixerunt hi DD. quicquid est in Breuiario & Missali, censeri inter diuina officia, sed quidquid est in illis ordinatum, quod ita interpretatur Nauarr. cap. 27. n. 172. vt quidquid in his aliisue libris Ecclesiasticis ordinatum est ad vsum ordinum aliorumue Sacramentorum, vel Sacramentalium, vel ad horas canonicas censendum sit diuinum officium, quod probauit Auila 5. p. disp. 4. sect. primæ dub. 1. con. 1. neque multum abest Henriq. lib. 13. cap. 44. n. 5. Itaque tria maximè comprehenduntur ex eorum Doctorum mente nomine diuinorũ officiorum; 1. omnia quę spectant ad vsum & munus proprium cuiuscunque ordinis siue superioris, siue inferioris. 2. quæ ad vsum omnium Sacramentalium faciunt, hoc est, ceremoniæ sacræ, quæ vel instar præparationis cuiusdam, vel solemnitatis adhiberi solent ea Ecclesiæ præscripto, & ab eius ministris. 3. denique horæ Canonicæ & quæ vel locorum consuetudine, vel ex institutione Ecclesiæ illis adiungi solent, vt officium beatæ Virginis, & defunctorum, Psalmi tum pœnitentiales, tum gradoales, litaniæ & cætera, si quæ sint eiusmodi, quia tamen plurima ex istis priuatim recitari possunt, vt facilior & clarior notio diuini officij habeatur, & certò constet, quidnam prohibeatur per interdicti censuram distinguendum est cum Suar. disp. 34. de censu. s. 3. num. 5. & 6. diuinum officium ab Ecclesiastico, omne enim diuinum officium Ecclesiasticum non est, etiamsi sacrum & diuinum omninò sit: diuinum enim officium substantialiter consistit in quadam Dei deprecatione, vel laudatione, quarè communi nomine dici potest oratio, etiamsi deinde ad rem aliquam externam benedicendam aut cõsecrandam referatur. Hæc autem oratio siue laus sit, siue deprecatio, non est solùm mentalis, sed verbis externis constat, alioquin non esset nisi cultus internus & diuinum officium respectu solius Dei, non hominum, deinde requirit quendam modum, qui adhibeatur, qui modus duplex est, vnus Ecclesiasticus, alter communis; Ecclesiasticus consistit in certis quibusdam verbis & ritibus ab Ecclesia institutis, quæ a suis ministris in eam rem destinatis, & suo nomine adhiberi voluit, modus autem communis pendet ab arbitrio cuiusque singularis, qui & verba & ritum, quem libuerit, adhibet, aut si ab Ecclesia institutum seruet, non tamen tanquam eius minister, neque tanquam eius vices gerens illum vsurpat, vti diximus q. 2. disputantes de fructu orationis Ecclesiasticæ, quo priuatur excommunicatus. Quando igitur seruatur in diuino officio modus Ecclesiasticus, est officium Ecclesiasticum, quando autem adhibetur tantum modus communis est quidem officium diuinum, sed priuatum tantùm & non Ecclesiasticum: Interdicto autem non prohibentur nisi diuina officia Ecclesiastica, non autem priuata, quamuis sint illa ipsa, quæ in Breuiario, aut Missali continentur, quia tunc non fiunt more Ecclesiastico. Inter ista autem officia diuina quædam sunt essentialiter Ecclesiastica, quia fieri nequeunt certo quodam modo, nisi à ministris Ecclesiæ, & ad id munus deputatis, siue ex Christi, siue ex Ecclesiæ solius institutione, vt consecratio altarium, confectio Chrismatis, & alia quæ à solis Episcopis fiunt, ministratio Eucharistiæ, publica recitatio Euangelij cum solemnitate præscripta, & alia eiusmodi, quæ fieri non possunt nisi modo Ecclesiastico; quarè sunt necessario officia Ecclesiastica, & consequenter vi interdicti prohibita, vti consentiunt omnes DD. neque in dignoscendis eiusmodi officiis vel ministeriis diuinis laborandum erit, cùm assignata iam fuerit vniuersalis Regula, nimirùm quoties ex Ecclesiæ saltem institutione aliqua actio tali modo præstita connexa est alicui ordini aut ministerio Ecclesiastico, hic autem modus solet in publica actione, voce, apparatu, vestimentis cæterisque similibus consistere. Quædam verò alia diuina officia, quia ex modo, quo fieri solent, non sunt alligata alicui ordini clericali aut Ecclesiastico, possunt esse officia vel Ecclesiastica & communia vel priuata, nam orationes, psalmi, ipsæ horæ canonicæ cantari etiam publicè possunt, vel de personis Ecclesiasticis clericis nimirùm & monialibus nomine Ecclesiæ, vel à Laicis nomine suo, sicut aliæ orationes non Ecclesiasticæ, quarè hoc secundo modo non prohibentur tempore interdicti, cùm reuera non sint officia Ecclesiastica, sed priuata duntaxat, quæ neque excommunicatis illicita sunt. Ea qua vniuersali diuinorum officiorum interdicto prohibitorum vera expositione plurima consectaria deducemus inferiùs circa singulares actiones tempore interdicti prohibitas aut concessas; Nunc propositionis nostræ partes singillatim ostendendæ sunt.

PRIMA PARS PROPOSITIONIS.

Interdictum locale generale Missam & diuina Officia permittit seruatis quibusdam conditionibus.

Et quidem in vniuersum loquendo, interdictum 17
quodcunque prohibere aliqua ratione sacrificij Missæ, & diuinorum Officiorum celebrationem cõstat ex locis superiùs allatis, & inferiùs adducendis, atque ipsa natura interdicti, quod est diuinorum prohibitio, vti monuimus initio huius q. quia tamen diuersa est huius prohibitionis pro diuersis interdictis ratio, illa explicanda superest; quarè.

Dixi 1. Interdictum generale locale nunquàm absolutè istam diuinorum celebrationem sustulisse, sed aliqua ex parte illam permisisse, præscriptis tamen quibusdam conditionibus, nam Gregor. IX. cap. permittimus. de sentent. excomm. concedit semel in hebdomada tempore interdicti non pulsatis campanis, ianuis clausis & voce submissa, atque exclusis excommunicatis & interdictis Missarum solemnia celebrari causa conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur.

Circa autem diuina officia concessit Innocent. III. cap. quod in te, de pœnitent. & Remission. vt clerici in conuentualibus Ecclesiis bini & bini vel tres simul horas canonicas valerent legere, non cantare, ianuis clausis, interdictis & excommunicatis exclusis, & voce ita demissa, vt exterius audiri non possent. Quæ concessiones limitatæ

as

& non vniuersales erant, Nam quod ad Missam, vnica tantùm erat licita semel in hebdomada ad consecrandam Eucharistiam pro ægrotis; quanquam si postea necessitas ægrotorum iterum exposceret, licuisset intra eandem hebdomadam iterum Missam facere ad consecrandum Christi corpus, vti asserunt Nauarr. cap. 27. num. 124. Henriq. lib. 13. cap. 44. numer. 3. Auila 5. pa. disp. 4. sect. 2. dub. 1. con. 2. Alteri. disp. 5. de interdict. cap. 1. quia tunc ratio huius concessionis vrgeret & si ad vnam tantùm Missam in hebdomada ita veniam istam restringeremus, vt in quacunque vrgente viatici ministrandi necessitate nefas foret aliam celebrare, frustraretur suo fine & effectu eiusmodi concessio; & pugnaret cum iure, quod dicit viaticum nunquàm negari pœnitentibus. Deinde hæc eadem concessio limitabatur ratione loci, quia in iis tantum Ecclesiis, in quibus Eucharistia asseruabatur ad viaticum infirmorum, licebat eam Missam semel in hebdomada dicere; & denique ratione personarum, quia id concedebatur tantùm Ecclesiarum ministris, id est, Parochis, quamuis de ipsorum licentia quilibet alius Sacerdos eam Missam facere potuisset, vt Henriq. & laudati DD. obseruant.

Concessio quoque diuinorum officiorum id temporis limitata erat, nam 1. licebat tantùm horarum Canonicarum recitatio, non aliorum quorumcunque diuinorum celebratio, vt ex ipso textu constat, & omnes communiter aduertunt. 2. ratione personarum, quia ea recitatio fieri non poterat, nisi à binis vel ternis simul conuenientibus, siue quia bini & bini alternatim ita dicebant, vt bini essent in quolibet choro, atque ita quatuor simul recitarent, possentque etiam aliquando esse sex, eo quod addatur *vel simul tres*, nempè vt tres in quolibet choro esse possent, atque numerum senarium conficerent, siue quia bini tantum siue duo recitare tantùm alternis vocibus possent, & ad summum vnum tertium sibi adiungere, plures tamen binarij eiusmodi in eandem Ecclesiam simul conuenirent, sed vni seorsim ab aliis, atque ita sit intelligendum quod dicitur *bini & bini*.. 3. ratione loci restringebatur hæc facultas, nam non licuit in qualibet Ecclesia sed tantùm in conuentualibus ea recitatio, vnde mihi certissimum est agi in eo cap. Quod in te. de pœnit. & remissionib. de recitatione, quæ fieret in choro alternatim, non autem de ea, qua duo tantùm simul conuenerint, & alternatim recitarent, nam ea priuata oratio, modò sine periculo, ne audiretur ab aliis, etiam extra Ecclesiam, licita fuit, quarè non fuit ad id opus nouo aliquo priuilegio. Neque dicas idcircò id concessum, quia dubitabatur ne in Ecclesia id prohiberetur; atque ita eam particulá *in Ecclesia* esse potiùs adhibitam ad ampliandum, quàm ad restringendum, quod aduertit. Nauarr. numer. 175. cap. 27. nam nunquàm fuit prohibita priuata recitatio horarum, cùm ad eam singuli clerici interdicti æquè obligentur, atque ante Interdictum, vti sæpiùs monuimus, quod autem duo vel tres simul dicant, non facit modum illius recitationis esse publicum, aut non esse priuatum, si nihil aliud adsit, quarè cùm sola officia Ecclesiastica prohibeantur interdicto, modus iste priuatim recitandi horas à duobus, aut tribus simul semper licitus fuit, vt quid igitur de eo egisset Pontifex, aut cur de Ecclesiis conuentualibus tantum, quandoquidem & in Ecclesia & extra Ecclesiam ea recitatio permissa erat veluti ex natura rei, aut ex ipsius interdicti institutione. Quare igit de choro Pontifex & modo Ecclesiastico intra Ecclesiam recitandi horas Canonicas atque hanc recitationem concedit cum limitatione Ecclesiarum Conuentualium extra quas non liceat, & cum certo numero, quem nefas sit excedere, aliisque circumstantiis adhibitis. Quod Confirmatur ex eo, quod dicat Pontifex se concedere hac in parte clericis illarum Ecclesiarum, quod Regularibus priuilegio Pontificio iam indultum fuerat; atqui priuilegium Regularium erat de Ecclesiastica recitatione & in choro. Quia porrò in hac Missæ & diuinorum cessatione, quæ aliquando quorundam obstinata peruicacia diuturnior erat, plurima damna in ipsam Ecclesiam, atque etiam hæreses ex contemptu sacrorum oriebantur, vt ait Bonifac. VIII. in cap. Alma mater & illustribus Exemplis ostendit ibid. Ioann. Andr. visum fuit operæ pretium antiquum rigorem temperare, & plura etiam, quàm superiores Pōtifices fecissent, indulgere. Quarè concedit Bonifacius, vt singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur diuina officia sicut prius, submissa tamen voce, ianuis clausis, excōmunicatis & interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis. Adiicit deinde facultatem in quibusdam solemnioribus festiuitatibus diuina celebrandi etiam absque illis conditionibus & restrictionibus. Ex quibus vides multo ampliorem fuisse hanc Bonifacij concessionem, quam prædecessorum. Nam quod attinet ad Missam, iure antiquo licebat semel tantùm in hebdomada vnicam missam causa conficiendi viatici pro infirmis in Ecclesia tantùm, in qua asseruabatur Eucharistia facere, quarè non concedebatur ista celebratio. Primò & per se ratione Missę, sed tantùm secundario & ratione Eucharistię morientibus impartiendæ, cum noua constitutione cap. Alma mater, permittatur Missa primario & per se, & non solùm ad viaticum morientium, vnde singulis diebus plures Missas in quacunque Ecclesia, & *sicut prius* licet.

Nam per eas voces *in Ecclesiis & Monasteriis* intelligo non modo Ecclesias Episcopi auctoritate erectas, & omnia Religiosorum & monialium monasteria, atque hospitalia authoritate Episcopi erecta, quæ in fauorabilibus nomine Ecclesiarum comprehēduntur, maximè vbi eadem est ratio Constitutionis, vt notat Couarr. in cap. Alma mater. 2. p. §. 4. num. 2. Felin. in cap. de quarta. de præscriptionib. & alij, sed etiam omnia oratoria etiam priuata, aliaque loca distincta huic diuino sacrificio, & in quibus illud ante interdictum offerri solitum erat contra Couarru. l. cit. Ancharan. & Franc. ab. eodem relatos, Calderin. tract. de interdic. par. 1. numer. 2. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 8. numer. 13. Bonac. disp. 5. de Censu. p. 5. num. 10. & alios quosdam. Sequimur vero Nauarr. cap. 27. num. 172. Vgolin. tab. 5. cap. 8. §. 5. num. 2. Sayr. lib. 5. cap. 5. num. 21. Suar. disp. 34. s. 1. num. 9. Alteri. disp. 5. de interd. cap. 1. Layman. lib. 1. tract. 5. pa. 4. cap. 2. Henriq. lib. 13. cap. 46. num. 1. Kon. disp. 17. n. 19. Auila. 5. parte. disput. 4. sect. 2 dub. 3. quia Ecclesiæ nomen in amplissima sua significatione propria tamen, hæc omnia significat, & nihil est, quod eam significationem restringendam suadeat, immò plurima docent in sua amplitudine retinendam esse, nam ipse Pontifex vult Missas & officia celebrari *sicut prius*, hoc est ante interdictum peragebantur, seruatis quibusdam conditionibus iam olim appositis, atqui prius in illis omnibus locis hæc omnia fiebant, ergo & nunc seruatis conditionibus præscriptis.

Deinde

Deinde Pontifex ideò se ista concedere dicit, ne Ecclesiis debita obsequia substrahantur, ergo neque his piis locis ista subtrahi debent; quod verò nominârit Ecclesias & Monasteria, id non fieri inquit Nauarr. ad excludendum alia loca, quia non sunt verba limitatiua, sed potiùs amplificatiua, aut, vt alij malunt, nominauit Pontifex ea loca, in quibus frequentius solent celebrari diuina, & de quibus maior suboriri poterat dubitatio. Vides itaque hanc Constitutionem esse vniuersalem ratione loci.

Est quoque vniuersalis ratione officiorum, non modò enim aut Missæ sacrificium, aut horæ Canonicæ, sed quidquid nomine diuini officij continetur, excepta Sacramentorum collatione, permittitur vti Benedictiones, Consecrationes, aliaque eiusmodi seruatis conditionibus appositis.

Denique vniuersalis est facultas ratione personarum, omnibus enim Clericis siue sæcularibus, siue Regularibus, siue illius Ecclesiæ propriis, siue extraneis, aut aliunde venientibus, si alio impedimento non teneantur, quàm interdicti localis generalis, de quo agimus, licebit eo tempore omnia, vti expositi diuina celebrare. Ita Auila. s. 2. cit. dub. 4. con. 4. Ben. Rom. de iustitia Pontificij interdicti. cap. 6. & DD. superiùs adducti, atque alij, quos dabit Sayr. cap. 5. cit. num. 35. contra Archidiacon. & paucos alios. Et sanè cùm iure antiquo diuina officia in Ecclesijs generaliter interdictis fuissent prohibita omnibus Clericis, tum propriis, aut localibus, tum alienigenis; vbi fuit nouo iure sublata ea prohibitio, ratione omnium Clericorum sublata fuit, nisi aliud in ipsa constitutione exprimatur, hic autem permittuntur celebrari officia *sicut prius*. Deinde moniales ac Religiosi, qui non haberent proprium Capellanum carerent Missæ sacrificio in suis Ecclesiis durante eo interdicto, quod est absurdum. Denique ratio, quæ mouet Pontificem, non fuit fauor Clericorum, sed diuini cultus, quem eo tempore imminui noluit, immò potiùs augeri curauit, quod sua Constitutione non fuisset assequutus, si cùm prius omnibus clericis licitum fuisset diuina in aliqua Ecclesia celebrare, modò non liceat; quare falsò dixerit Bonifac. ea licita esse *sicut prius*. Quod autem ibidem dicat Pontifex Canonicos tunc absentes non lucrari distributiones, non fauet Archidiacono, quia tantú voluit Pontifex docere clericos prætextu interdicti huius non posse abesse à diuinis officijs, quare si absint, mulctari iubet distributionibus, quæ ipsis obueniunt.

Poterunt itaque omnes omninò clerici tunc ad diuina officia admitti, modò non dederint causam interdicto. De coniugatis autem lis est, eos enim reijciunt Couarr. in cap. Alma Mater. §. 4. num. 4. Vgolin. tab. 5. cap. 8. §. 5. & alij passim, quia hi clerici etiamsi virginem duxerint, & tonsuram atque habitum gestent, non gaudent nisi priuilegio Canonis & fori, immò requirit Trident. sess. 23. de reformat. cap. 6. vt ab Episcopo alicui Ecclesiæ mancipati fuerint; quare quamuis hæc venia assistendi diuinis tempore interdicti sit priuilegium aliquod clericale, illo tamen non gaudebunt, nisi contrarietur [illegible] etiam ad eiusmodi officia etiam tunc admitti, qualem esse in Aragonia testatur Nauarr. cap. 27. num. 174. Rectius tamen Villalob. tom. 1. tract. 19. diffi. 5. n. 7. & Suar. disp. 34. s. 4. n. 2. hos clericos ad diuina officia ex concessione cap. Alma mater, admittunt, quando alicui Ecclesiæ ex Tridentino mancipati sunt, non quidem ratione priuilegij clericalis, cùm illo non gaudeant, nisi in casibus expressis ab aduersarijs, sed ratione status siue ministerij, cùm enim illi sint admissi ab Ecclesia ad diuina officia celebranda, certè ad illos quoque concessio celebrandi diuina extendenda est; quæ est etiam ratio, propter quam in hac eadem concessione comprehenduntur Moniales & omnes aliæ personæ Ecclesiasticæ, quibus ex statu & ministerio incumbit hæc officia facere, vti aduersarij aliique omnes consentiunt.

Conditiones seruandæ in celebrandis diuinis Officijs tempore interdicti.

18 Supersunt porrò explicandæ quatuor illæ conditiones, quas tum priores Pontifices, tum ipse Bonifacius seruari voluerunt in celebrandis Officiis.

I. est vt submissa voce fiant, hoc est, ne solemni cantu dicantur, non ita tamen vt singuli, qui sunt in Ecclesia, aut in choro non audiant, alioquin non recitaretur in choro diuinum officium, vt ait Henriq. lib. 13. cap. 36. n. 1. cauetur itaque, ne ab externis audiantur, aut ex modo canendi vel recitandi audiri possint, si enim curiosus aliquis ad fores Ecclesiæ adstans, aut ad fenestram audiret præter intentionem recitantium, non violaretur à Clericis interdictum, vti monet Nauarr. cap. 27. num 174.

II. Conditio est vt ianuæ claudantur, ne adesse possint, & audire diuina officia ij, quibus illis interdicitur; debent autem omnes ianuæ, quæ patere possunt exterius ita claudi, vt visum, auditum, & ingressum impediant; quare debent esse fores integræ & non perforatæ aut fenestræ, vt dicitur in Clem. 1. de sentent. Excomm. non tamè necesse est, aut interius obserati, aut ad illas ostiarium adhibere, qui admittat aut repellat, quos ius admittit, aut repellit, quia nullibi id præcipitur, & sufficit publicatum esse interdictum, eo enim monentur prohibiti ad valuas Ecclesiæ aperiant, & ad diuina subeant, nihil etiá vigebit ad ianuas Ecclesiæ obserádas, quando in aliqua eius capella sit factum, si Capella ipsa ita vndique claudi possit, vt visum & auditum in Ecclesia adstantium facilè & moraliter loquendo prohibeat.

III. Conditio est, ne pulsentur Campanæ ad conuocandum populum, vt diuinis officiis intersit, nam ad alia omnia, quæ non sunt diuina officia nihil impediet quominus Campanæ istæ pulsentur. Ita Auila. s. 2. cit. dub. 48. Alteri. disp. 5. cap. 2. Suar. disp. 34. s. 1. n. 15. & alij, nomine porrò Campanæ intelligimus quodlibet signum publicum, quo populus ad diuina officia cogatur siue tuba, siue præconis voce, siue quapiam alia ratione exhibeatur, hæc enim omnia campanis æquiparantur. Clem. 2. de sentent. Excomm.

IV. Conditio est, vt excommunicati & interdicti absint, & de excommunicatis quidem repellendis à diuinis officiis alibi dictum fuit, quod verò attinet ad interdictos, certú est specialiter interdictos, aut qui causam dederunt generali interdicto, remouendos esse, nam illi semper excipiuntur in omnibus priuilegiis, quibus permittitur aliquibus personis, diuinis interesse tempore interdicti, vt videbis cap. licet. de priuilegiis in 6. & cap. quod nonnullis. eod. tit. Extra. Difficultas grauis est, an cæteri, qui non sunt aut excommunicati, aut interdicti excludi debeant à diuinis hoc tempore, & quidem quæstio tantùm excitatur de Laicis, Clericis enim id permissum esse iam diximus.

Ratio difficultatis est, quia soli interdicti & excommunicati reijciuntur à Pontifice, ergo alij admitti poterunt, exceptio enim firmat Regulam in

in cõtrarium,&quamuls ipsi admittantur,seruabuntur tamen omnes conditiones in diuinorum celebratione sppositæ, vt patet,cur igitur eiiciẽtur,maximè cùmBonifacius idcircò concedat istã celebrationẽ, ne *indeuotio populi* excrescat,quod omnioò contingeret,si laici omnes,id est, totus populus præter paucos quosdam priuilegiatos priuentur diuinis, quamuis nullam causam admiserint, & quæ in contrarium afferuntur ex iure, cap. licet. de priuilegiis in 6. & Clem. 2. de sentent. excomm. non multum vrgent, vti fusiùs ostendit Suar. disp. 34. s. 1. num. 23. quia in cap. licet. prohibetur Religiosis, quibus concessum fuerat diuina celebrare cum superioribus conditionibus, ne aliunde venientes admittant, nisi pari gaudeant priuilegio, nam cùm vni factum priuilegium ad alium extendi non debeat, quando priuilegium est personale, iure merito negat Bonifacius Religiosos, quibus concessum erat diuina celebrare tempore interdicti, vi illius priuilegij posse admittere ad eadem officia alios, qui simili prærogatiua non gauderent. in Clement. autem 1. cit. excommunicantur, qui vocant alios ad diuina officia per campanarum pulsationem,aut etiam voce præconis ad Missas solemnes; quarè non prohibetur vocatio illa laicorum,sed modus solemniter & publicè vocãdi.

Nihilominus glossa in cap. Alma mater. ℣. interdictis. & omnes DD. magno consensu omnes laicos non priuilegiatos excludendos esse volunt, etiamsi non fuerint ipsimet excommunicati, aut interdicti siue specialiter, siue generaliter,alioquin enim frustrà quibusdam daretur id priuilegium,& iuberentur occludi ianuæ, & vetaretur cantus atque pulsatio campanarum, si enim omnes adesse possunt, quidni & vocari poterunt? cur ipsis occluduntur fores?cur cauetur ne auditu quidem percipiant? satis enim fuerat monere,arcendos esse excommunicatos & interdictos;quaré cæteræ conditiones erunt superfluæ, vt apparet in Excommunicatis denuntiatis, quamuis enim ipsis præsentibus non possint,vti diximus suo loco diuina celebrari, non tamen vbi essent plures eiusmodi excommunicati in aliqua ciuitate silerent æra campana,aut clauderẽtur Ecclesiæ in celebratione diuinorum,quæ etiam solito ritu canerentur;hæ igitur conditiones satis confirmant excludendos esse laicos; quod autem dicitur excludendos esse excommunicatos & interdictos, intelligendum est de interdictis specialiter directè,vel indirectè,illis enim neque priuilegium, si quod habeant, neque ordo clericalis fauere poterit, & licitam præsentiam facere,neque tantùm ab integro officio excluduntur id temporis Laici,sed à qualibet etiam parte,ita vt si expelli non possint Clerici cessare debeant, atque ipsam Missam interrumpere,modò non fuerit Canon inchoatus,vt de excõmunicatis diximus alias.

Excipiuntur tamen 1. qui præsentiæ & assistentiæ moralis sunt incapaces,vt amentes & pueri ante vsum rationis,siue iam septennes sint, siue minores, neque enim illi humano modo adsunt. Ita Couarr. cap. Alma Mater. p. 2. §. 3. n. 5. Suar. disp. 34. s. 1. n. 34. & disp. 36. s. 2. n. 7. Auila p. 5. disp. 4. s. 2. dub. 5. Alteri. disp. 5. cap. 2. Layman. pa. 4. cit. cap. 2. Henriq. lib. 13. cap. 49. n. 2. tab. 5. cap. 8. §. 4. non tamen poterunt hi pueri sepeliri in loco interdicto,vti dicemus inferius,quia ad sepulturam non requiritur præsentia illa moralis,sicut ad diuina officia,vnde etiam cæcus aut surdus expellendus erit, quia ille moraliter interesse posset.

2. Excusat aliquãdo necessitas,qui enim non habet alium ministrum,quam Laicum,non tenebitur abstinere à faciendo sacro,sed eo laico præsente & ministrante,modò non sit excommunicatus aut interdictus,faciet. Ita Henriq. lib. 13. c. 48. n. 5. sub fin. Sa. ℣. interdictum. n. 21. Suar. s. 5. disp. 34. num. 31. vbi testatur esse communem sententiam, Couarr. Nauarr. & cæterorum,cùm enim concessum sit eo tempore sacerdoti sacrificare, concessum quoque est, quod per se necessarium est ad sacrificium, nimirum Minister. Denique quibusdam ex priuilegio permittitur hæc assistentia,qua de re dicemus aliàs cum de priuilegiis.

Festiuitates in quibus publica diuinorum celebratio permissa est.

Vltimo suam concessionem Bonifacius ita ampliauit, vt diuina officia concesserit palam & publicè ianuis apertis, pulsatis campanis solenniter celebrari, exclusis dumtaxat excommunicatis, admissis verò interdictis, modò illi, qui causam interdicto dederunt, altari non appropinquent, in festiuitatibus Domini,Paschæ & Pentecostes,& Assumptionis Virginis gloriosæ. Martinus deinde V. eandẽ facultatẽ fecit in die Corporis CHRISTI Bulla vltima inter eius Constitutiones, quæ incipit *ineffabile Sacramentum*, quod ad totam octauam extendit Eugenius IV. Bulla quæ incipit, *Excellentissimum*. Itaque testantur Couarr. in cap. Alma mater. 2. p. §. 3. n. 5. & alij passim Canonistæ atque Summistæ. Leo prætereà X. idem in festo Conceptionis B. virginis,& eius Octaua concessit Hispanis, quod testatur Nauarr. in cap. 27. n. 182. & Enchiri. de Orat. notab. 19. num. 88. Compendium Mendicant ℣. interdictum. 2. § 8. & ℣ Conceptio. §. 12. Couarr. 2. p. in cap. Alma mater. §. 5. num. 2. Illato. 3. Qui tamen dicunt id priuilegium fuisse tantùm concessum in istis Ecclesiis, in quibus recitatur officium Conceptionis compositum à quodam Protonotario de Nogarolis, cuius Missa incipit, *Egredimini*, cùm tamen Compendium Minorum illam limitationem non habeat, & cùm sublatum fuerit illud officium, consuetudo obtinuit,vt in omnibus aliis quoque Ecclesiis valeat ea concessio, teste Henriq. lib. 13. cap. 47. num. 4 & Suar. disp. 34. s. 5. num. 41. sunt etiam quædam priuilegia Regularium, quibus in præcipuis quibusdam Ordinis festiuitatibus eadem interdicti suspensio conceditur. 19

Denique Couarr. §. 5. cit. num. 4. refert & Ioann. Staphylo. lib. de litteris gratiæ & iustitiæ adueniente Rege primùm in aliquam vrbem laxari eo die interdictum; quamuis nullo iure id probetur:fuerit quidem congruum,vt qui tale posuit interdictum, illud vel suspendat vel in eum diem tollat, vt fatetur Suar. ibid. Auila. 5. p. disp. 4. s. 2. dub. 9. Alteri. disp. 5. de interdicto. cap. 3. Nomine porrò Paschæ Natiuitatis & Pentecostes non est intelligenda tota Octaua;quod monet glossa in cap. Alma Mater. ℣. Assumptionis, & sequuntur omnes,tum quia vox festiuitatis non significat propriè Octauã,tum quia quando Pontifices illã comprehẽdere volunt,solent ipsam exprimere vt vidimus factum in hoc ipso negotio ab Eugenio IV. circa festum corporis CHRISTI.

Nomine tamen Paschæ non intelligo præcisè & formaliter ipsum diem Resurrectionis, sed alios etiam duos consequentes, quod idem de Pentecoste

e oste & natiuitate Domini existimo, ex communi enim vsu tres primi dies dicuntur festiuitates Paschatis & Pentecostes; quatuor autem tribui solent Natiuitati. Ita Soto.in 4.d.22.q.3. a.1. con. 4. Polanc. in Directorio, quamuis id planè non definiat. Auila. dub. 9. cit. & apud ipsum aliqui Magistri. Hurtad.tract.de interdicto. diffic. 8. n. 24. Konin. disp. 17.n. 37. & 38. nihil ausus est definire, sed seruandam videri locorum consuetudinem. Bonacin.tamen disp.5.de interd.p.4.num. 19.consentit Auilæ, neque reprobat Layman. cap. 2. cit. contra communem recentiorum, quia quamuis hæc constitutio sit correctoria iuris communis, ac proinde strictè interpretanda, vt argumentatur Sylu. ♈. interdictum, 5. n. 2. Nihilominus non est aliter vocum significatio sumenda, quàm secundum communem vsum, qui omninò tres primos dies nominat Paschæ & Pentecostes festiuitates, neque alia de causa illas seruat, quàm in honorem ipsius CHRISTI, resurrectionis, aut missionis Spiritus sancti, quæ recolitur. Quarè potior ratio dubitandi suboriri posset, de tribus diebus consequentibus proximè natalem CHRISTI, quia illi coluntur in honorem aliorum Sanctorum, quia tamen maiori apparatu propter natiuitatem CHRISTI celebrantur, immò quia ea Natiuitas est etiam causa inadæquata illius celebritatis; quamuis enim Natalitia Sanctorum non incurrerent in illos dies, nihilominus illi festi haberentur, vt fit in Paschate & Pentecoste, idcircò nomine festiuitatis, Natiuitatis Domini significantur, sicut primi duo dies consequentes Pascha & Pentecostem ipsorum festiuitatis voce designantur.

Incipiunt porrò hæ festiuitates à primis vesperis vigiliæ & finiuntur completorio diei inclusiuè sumpto, quod postremum negant quidem plurimi quando maximè completorium non subiungitur immediatè vesperis. Affirmant tamen laudati nuper DD.& Suar.disp.34.S.1.n.39.Angel.♈.interdictum.6.n.18.Couarr.§.5.cit. n.5. Paludan.in 4.d. 18.q.8.a.2. Laurent. Portel.in dub.Regula. ♈. interdictum. n.64.

SECVNDA PARS PROPOSITIONIS.

Interdictum speciale locale omninò prohibet diuina.

20 Quæ hactenus diximus de concessione diuinorum officiorum positis certis quibusdam conditionibus, aut quibusdam diebus intelligenda sunt de interdicto generali locali, non autem de speciali, quod facilè probatur ex eo quod cap. Quod in te. de pœnit.& Remission. & cap. Alma mater, in quibus Innoc. III.& Bonifac. VIII. faciunt facultates iam explicatas, agant tantùm de interdicto generali locali, circa speciale verò nihil prorsùs definiant, sed illud iuri communi & antiquo relinquant, illud autem ius omninò prohibebat diuinum officium, præter Missæ Sacrificium semel in hebdomada ad consecrandam Eucharistiam pro infirmis, nam in omnibus Ecclesiis, in quibus seruatur Eucharistia & dispensatur infirmis, etiamsi specialiter interdictæ sint, valere hanc concessionem licet primariò fiat pro interdicto generali inomnibus superiùs ex paritate rationis & communiori DD. cap. permittimus, de sentent. excomm. Quarè etiam hodie vim suam obtinet circa Ecclesias specialiter interdictas in quibus renouanda erit Eucharistia; cætera autem priuilegia cap. Alma mater, non valent in eiusmodi locis specialiter interdictis, quia disertè affirmat Bonifacius seruandum esse ius antiquum circa ea quæ non innouantur sua illa constitutione, illic autem non agit nisi de interdicto generali, vt post glossam omnes omninò obseruant; quarè neque etiam in maioribus anni festiuitatibus, licebit in eo loco diuina celebrare, neq; aut Episcopi aut Regulares id poterit vi suorū priuilegiorum, nisi ea meminerint loci specialiter interdicti; nā c.quid nōnullis de priuilegiis, vbi conceditur facultas celebrandi in loco interdicto, habet hæc verba, *cùm commune terra interdictum fuerit*, loquitur igitur de interdicto generali, cùm verò cap. Alma mater, ea celebratio cum conditionibus explicatis, modò permittatur omnibus clericis inutile redditur totum illud Episcoporum priuilegium, nisi quod ipsi in altari portatili celebrare possunt, aut iubere vt coram illis celebretur in quolibet loco generaliter interdicto.

TERTIA PARS PROPOSITIONIS.

Quodlibet interdictum personale prohibet absolute diuina officia.

Dixi ad extremum quodlibet interdictum personale siue generale, siue speciale sit remouere interdictum à diuinis officiis; generale quidem quandiu manebit pars communitatis interdictæ, modò illi interdicto causam non dederit, speciale verò quandiu non fuerit relaxatum, excipiuntur tamen quatuor festiuitates in quibus interdicti generaliter, modò non dederint causam interdicto, & non appropinquent altari, admitti possunt ad diuina officia ex venia cap. Alma mater. 21

Ratio manifesta est, quia cap. si sententia. de sent. excomm. in 6. dicitur interdicto populo singulares quoque personas remoueri à Sacramentis & diuinis officiis, præterquam in casibus iure expressis, & rationem reddit ibidem optimam Pontifex, quia alioquin interdictum generale foret inutile cum Sacramentorum perceptio, & diuinorum auditio *populo non competat, vt vniuersis.* Si itaque singuli admitterentur ad sacra inane esset interdictum populi; nullibi autem legimus ita interdictis factam esse aliquam veniam, præterquam in quatuor anni festiuitatibus diuina tantùm officia, quæ tunc publicè celebrantur, audiēdi, ergò non licebit aliàs vnquàm, & fanè cap. Alma mater, loquitur tātū de terris & locis interdictis, nō de personis, vt patet, & sæpiùs monuimus: hūc etiam faciunt cap. clerici, & cap. latores. de clerico excommunic. minist.

TERTIVS EFFECTVS INTERDICTI

Prohibitio Ecclesiastica sepultura.

PROPOSITIO.

Omne interdictum locale prohibet Ecclesiasticam sepulturam in loco interdicto nisi habentibus priuilegium à iure vel ab homine; interdictum verò personale siue generale, siue speciale ita priuat Ecclesiastica sepultura, vt tamen non peccent, qui eiusmodi interdictum non denuntiantes sepelient in loco sacro non interdicto. 22

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO

PROPOSITIONIS.

Quid ſit Eccleſiaſtica ſepultura diximus q. 2. & quam grauis pœna ſit eius priuatio, quam tum excommunicatio, tum interdictum imponit; quarè paucis, quæ circa tertium iſtum interdicti effectum ſuperſunt, perſtringemus.

PRIMA PARS

PROPOSITIONIS.

De interdicto locali.

23 Dixi igitur 1. Interdictum locale prohibere ſepulturam Eccleſiaſticam in loco Interdicto, qui nimirum per eam cenſuram redditur incapax ad recipiendum corpus humanum. Ita cap. Quod in te. de pœnitent. & Remiſſion. & cap. priuilegia. de priuilegiis. cap. cum plantare. & cap. Epiſcoporum eod. tit. in 6. cap. ſi ciuitas, & cap. is cui de ſentent. excomm. in 6. & Clem. 1. de ſepultura.

Ex quibus manifeſte imprimis conſtat contra Tabien. ℣. Interdictum. 5. num. 12. & Calderi. tracta. de interdicto. mimb. 6. n. 15. quibus præiuerat Antonin. 3. p. tit. 27. de interdicto. cap. 4. circa medium, hunc effectum interdicti non eſſe niſi acceſſorium, eo quod in prohibitione diuinorum officiorum, vel etiam ſacramentorum contineatur prohibitio Eccleſiaſticæ ſepulturæ; etſi enim non diffitear nomine diuinorum officiorum ipſam quoque Eccleſiaſticam ſepulturam propter ſolemnitatem funebrem exprimi, directè tamen & per ſe illam prohiberi interdicto generali, dicendum eſt cum communi DD. quandoquidem iura illius tanquam diſtincti effectus à ſacramentorum participatione, & celebratione officiorum diuinorum perpetuò meminere.

Colligitur 2. ex iiſdem iuribus hunc effectum ſpeciali quoque interdicto locali tribuendum eſſe, quandoquidem æque locus ſpecialiter interdictus redditur inhabilis & incapax ad hunc effectum, atque ad reliquos duos celebrationis diuinorum officiorum, & adminiſtrationis ſacramentorum, neque eſt vlla vllibi exceptio, aut limitatio circa hunc effectum, quamuis enim ſacræ leges proximè adductæ loquantur de interdicto generali, non excludunt ſpeciale tamen, in quo rigidius ſolet eſſe ipſum ius, immò cap. ſi ciuitas. §. ratione de ſentent. Excomm. in 6. videtur loqui de Interdicto ſpeciali locali.

3. Cùm hic effectus, vt dixi, afficiat primò & per ſe locum & indirectè tantum perſonas, omnes omninò, niſi gaudeant aliquo priuilegio, vt ſtatim dicam, comprehendit, ita vt nullus prorſus in eo loco ſepeliri valeat; neque excipiēdi ſunt aut amentes, aut pueri, ſicut eos excipiebamus circa diuinorum officiorum celebrationem. Ita aſſerunt Suar. diſp. 35. ſ. 1. n. 2. Vgolin. tab. 5. cap. 9. Auila. 3. pa. diſp. 5. 2. dub. 5. & alij omnes, quia hic effectus non requirit vſum rationis in illis, ad quos extenditur, & potiùs obligat viuentes, quàm mortuos, quorum cadauera paſſiue ſe habent.

4. Hoc Interdictum prohibet tantùm Eccleſiaſticam ſepulturam in loco interdicto nam extra illum nihil prohibebit incolarum illius loci cadauera Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi, quandoquidem, vt iam monui effectus huius interdicti reſpiciunt ipſum locum, neque obligant perſonas extra illum, niſi quæ dederunt cauſam interdicto, quia ratione ipſarum non eſt tantum locale ſed perſonale.

SECVNDA PARS

PROPOSITIONIS.

Quinam excipiantur à iure.

Dixi 2. Nonnullos ex priuilegio ſiue à iure, ſiue ab homine conceſſo mandari poſſe in loco interdicto Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Quoad priuilegia autem ab homine ſinguli norunt quid ſibi fuerit indultum, illudque exigere debebunt ad regulas alibi tradendas, vbi diſputabimus de priuilegiis. 24

Quare hoc tantùm loco de quibuſdam perſonis in ipſo iure exceptis & priuilegiatis agendum reſtat, cuiuſmodi ſunt clerici, qui neque interdicti ſunt, neque cauſam culpabilem interdicto dederunt, & illud prætetea ſeruauerunt, illi enim ſepeliri poterunt in Cæmeterio Eccleſiæ cum ſilentio ſine pulſatione campanarum & vlla ſolemnitate. Ita definitur cap. Quod in te. de pœnitent. & Remiſſionib.

Nomine clericorum intelligo imprimis omnes etiam prima tantùm tonſura initiatos qui gaudent priuilegio clericali; quod poſtremum addo, propter verbaliter tantùm depoſitos, qui cùm retineant, vti diximus, priuilegium clericale, etiam iſto fruuntur, non verò actualiter depoſiti & degradati, illi enim omni fauore clericali exciderunt, cùm iam ſint actu & reipſa extra clerum. Idem dico de Clericis coniugatis, quos communis DD. ſenſus negat hoc priuilegio frui poſſe, quandoquidem etiamſi cum virgine coniuncti ſint, retinent ſolum priuilegium fori & canonis, vt alibi fuſius explicabitur, niſi fortaſſis alicubi contraria conſuetudo vigeat, vt de Hiſpania teſtatur Nauarr. cap. 27. n. 174. & 176. quam ſeruādam rectè monet ibid. & Henriq. lib. 13. cap. 44. n. 4. Vgolin. tab. 5. c. 9. §. 2. & alij paſſim. Cęteri igitur omnes clerici poterunt in loco interdicto ſepeliri cum conditionibus appoſitis eo cap. Quod in te, ſi nihil aliud impediat, quàm interdictum, imponitur enim ea pœna propter quædam alia peccata, vt obſeruat Sayr. lib. 5. cap. 8. nu. 8. Et ſanè ſuperiùs diximus, quando Clericis conceditur durante interdicto diuinorum celebratio, cap. Alma mater, cum quibuſdam legibus ibidem præſcriptis, intelligendos eſſe omnes prorſùs clericos, quid-ni igitur eadem vox in ſua vniuerſali, propria tamen ſignificatione accipietur in hoc quoque priuilegio, circa alium interdicti effectum, qua etiam de cauſa eodem nomine ſignificantur Religioſi ſiue viri, ſiue fœminæ, ſiue Nouitij, ſiue profeſſi, quia in fauorabilibus nomine clericorum deſignantur, & in priuilegio celebrandi diuina officia continebantur ex communi DD.

Explicandæ porrò ſunt conditiones, quæ requiruntur ad hoc priuilegium, 1. eſt vt clerici non violauerint interdictum, ita vt nullum actum Clericis prohibitum exercuerint in loco interdicto, quarè non de quacumque violatione accipienda ſunt iſta verba, ſed de ea quæ propria clericorum eſt, textus enim loquitur de clericis, quatenus clerici ſunt, & verba pœnalia reſtringenda ſunt; ſi itaque clericus exhibuiſſet ſuum miniſterium inſtar laici alicui officio, quod in loco interdicto prohibitum erat, non priuaretur tamen ſuo priuilegio; quia reuerà non violauit interdictum tanquam clericus, cum illud ipſum quod a laico præſtari poterat, fecerit. 25

II. Conceditur clericos in cœmiterio Eccleſiæ [illegible] tumulari,

tumulari, quatè ex rigore iuris intra Ecclesiam sepeliri non possent, aliud tamen ferre videtur consuetudo, ipseque vsus nomen cœmiterij interpretatus est pro omni loco sacro ad fidelium sepulturam deputato. Itaque sentiunt Suar. disp. 35. s. t.n.5. Sayr.lib.5.cap. 8.n.6. & alij.

3. Requiritur vt omittantur omnes solemnitates, quod de Ecclesiastico apparatu funeris intelligendum erit, non verò de iis, quæ fieri solent ad humanum quendam & politicum honorem exhibendum cadaueri, vti diximus, q.2.

4. Prohibetur pulsatio campanarum, sicut etiam in diuinorum officiorum celebratione prohibetur.

5. Vt fiat tumulatio cum silentio; quæ verba attento iure tantùm antiquo illius cap. Quod in te non modò cantum, sed omnem recitationem officij Ecclesiastici prohibent, quia voa silentij negat simpliciter actum recitationis, & non tantùm imperat modum eius, vt nimirum submissa voce dicatur, & sanè illa duo distinguunt iura, quia tamen cap. Alma mater, concedit celebrari omnia diuina officia intra Ecclesiam, cum quadam moderatione ibi præscripta licebit eodem modo officium pro sepultura clerici recitare, non tamen aut in via, dum cadauer defertur, aut in cæmiterio, dum tumulatur, sic enim cap. Alma mater, sanctio violaretur.

6. Denique non modò in loco generaliter, sed etiam in specialiter interdicto poterit vi huius priuilegij clericus sepeliri. Neque placet distinguere inter clericos proprios & alienos, vti faciunt Panormit.in cap. Quod in te.de pœnitent.& remissionib.n.10.Rosella.℣.interdictum. 2. n. 10. Angel. eod.℣.6.0.32 Sylu. ℣. item interdictum. 5. q. 8. Tabiena. ℣. interdictum. 5. n. 12. Couarr.in cap. Alma mater.2.p.§.2.n.7.Henriq.lib.13.cap. 44.n. 4. & alij qui volunt clericos alicuius Ecclesiæ in illa licet interdicta posse sepeliri, alienos, cùm suas habeant proprias Ecclesias, easque vt supponitur, non interdictas, in illis sepeliendos esse, & ad Ecclesiam interdictam deferri non posse, nisi fortassis, vt obseruat Suar.disp.35.s.2.n.4. Interdictum speciale æquivaleret generali, eo quod vel omnes Ecclesiæ sunt specialiter interdictæ, vel quia vnica tantùm est, eaque specialiter interdicta, quia tunc clerici perinde se habent ratione loci sacri, atque si interdictum foret generale; quarè ad illud priuilegium cap. Quod in te, etiamsi agat formaliter de interdicto generali loci extendi debebit; quando verò ex pluribus Ecclesiis vnica tantùm est specialiter interdicta, nulla ratio postulat, vt concessionem cap. Quod in te, ad hunc casum ampliemus, cùm aliæ sint Ecclesiæ, in quibus facilè clerici poterunt sepeliri, quod idem sentit Kouin. disp. 17. num. 51.

Standum nihilominus est in assertione posita, & primò quidem clericos interdictæ Ecclesiæ posse in ea sepeliri consentiunt ferè DD. contra Innocent.in cap. finali de excessibus Prælato. & Ioann. Andr.in cap. Quod in te, citatum, cùm æquitas non postulet, vt à suis Ecclesiis excludantur, quod confirmatur ex simili priuilegio concesso Regularibus, vt in suis Ecclesiis interdictis sepeliantur cap. vt priuilegia de priuilegiis, neque ibi ea concessio restringitur ad interdictum generale, immò ex eo quod meminerit Ecclesiarum Regularium interdictarum, potiùs videtur de speciali, quam de generali interdicto agere.

Quoad alienos verò clericos sequimur Hostiens. in cap. final.de excessibus Prælatorum, Paludan. in 4. d. 18. q. 8. a. 2. con. 10. Auila. 5. p. disp. 4. s. 3. dub. 2. con. 3. Sayr. lib. 5. cap. 8. n. 13. Alteri. disp. 6. de interdic. cap. 4. quia prohibitio sepulturæ in loco sacro facta fuit tam clericis propriis alicuius Ecclesiæ, quàm alienis; ergò concessio siue priuilegium, quod eam prohibitionem sustulit, de clericis respectu cuiuscunque loci quomodocúnque interdicti aget, maximè cùm hæc venia facta fuerit ipsi ordini clericali, neque Pontifex in ea concessione attenderit clericos Ecclesiæ interdictæ, aut non interdictæ, sed solam dignitatem clericalem cui fauere in hac parte voluerit, dummque profectò foret, clericos, qui titulo patrimonij initiati fuerunt, neque vlli certæ Ecclesiæ se manciparunt, excludi à sepultura, quam in aliqua Ecclesia specialiter interdicta elegerant & expertes sine sua culpa fieri priuilegij clericalis. Quod autem in cap. Quod in te, sermo fit de interdicto generali, id factum est, quia illud interdictum frequentius est, quàm speciale, vbi autem legislator aliquid statuit de casu frequentiori, id quoque de casu minus frequenti statuisse censetur. l. vnic. C. de Rapt. virgin. iuncta glossa. ℣. sponsam, vbi etiam DD. tradunt eandem Regulam.

Neque dicas, hinc sequi ea quæ concessa sunt in cap. Alma mater. circa interdictum generale, posse quoque trahi ad interdictum speciale, quod tamen negauimus, dicetur enim ex Regula proximè tradita, casum minus frequentem contineri in frequentiori, & idem de vtroque sancitum esse quamuis exemplum allatum sit in casu frequentiori. ℞. enim eam Regulam veram esse, quando est eadem in vtroque casu ratio, vt in nostro casu, nam causa propter quam concessum fuit id priuilegium clericis est dignitas clericalis, quæ ratio æquè valet in interdicto speciali, atque generali; at verò ratio concessionis in cap. Alma mater, est bonum totius Ecclesiæ, propter quod temperandus fuit rigor interdicti, & incommoda quæ vitare intendit Pontifex, ferè accidunt ex solo interdicto generali non autem ex speciali, vt expendenti patet; quarè de illo interdicto nihil fuit statuendum, neque immutandum ius antiquum circa illud, nisi fortassis æquiualens esset interdicto generali, quo casu, accedente præsertim consuetudine, & DD. assensu, non existimarem incommodum cum Suar. s. 2.cit.n.5. ad tale interdictum speciale extendere concessionem capitis. Alma mater.

TERTIA PARS

PROPOSITIONIS

De interdicto personali.

Ad extremum egi de interdicto personali, quod priuare quoque Ecclesiastica sepultura, siue iure ad illam, certum est ex Clem. 1. de sepulturis, vbi excommunicantur, qui sepeliunt nominatim interdictos, neque cap. Quod in te, cùm loquatur de interdicto locali, ad istud personale maximè si speciale sit, extendere licebit; quarè clerici illo directè, vel indirectè percussi sepeliri non poterunt Ecclesiastica sepultura. 26

Difficultas duntaxat est de interdicto generali personali, quia Clem. cit. agit de interdictis nominatim; quarè glossa ibid. ℣. nominatim colligit ex eo textu, & aliis similibus, quos adducit, posse in cæmiterio sepeliri Interdictum non nominatim, dummodo interdictus non sit ipsemet locus sepulturæ. Et quamuis cap. si sententia de sentent.

Excomm. in 6. Interdictum generale dicatur ligare singulas personas, ne alicubi diuina audiat, & sacramenta Ecclesiastica suscipere possint, cùm tamen non meminerit tertij huius effectus, videtur Pontifex insinuasse singulas personas non ligari interdicto generali quoad Ecclesiasticam sepulturam: aliunde tamen cùm interdictum absolutè pronuntiatur, debet habere omnes suos effectus, vnde enim limitabitur; quarè ipsos quoque infantes hoc interdicto generali quoad carentiam Ecclesiasticæ sepulturæ teneri dixit Auila. 5. p. disput. 4. sect. 2. dub. 5. & Alteri. disp. 6. de interd. cap. 1. quia infantes verè interdicuntur quoad effectus, cuius sunt capaces, cuiusmodi est priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ, in cap. autem. Si sententia, mentio fit tantùm auditionis diuinorum, & perceptionis sacramentorum, quia hæc ab interdictis fiunt, Ecclesiastica autem sepultura non fit à mortuis, sed à viuentibus.

Ego composui controuersiam solemni distinctione interdicti denuntiati, & non denuntiati, dico enim quemlibet etiam generaliter tantùm interdictum carere iure Ecclesiasticæ sepulturæ, quia hic est effectus interdicti, atque ideò eius cadauer abiei posse in locum profanum, ibique tumulari nullo ritu Ecclesiastico adhibito, quia eadem ratione, qua priuabatur diuinis officiis & sacramentis, priuatur sepultura Ecclesiastica, nisi post mortem absoluatur, vti potest.

Nego tamen eos, qui eiusmodi interdictum siue generaliter, siue specialiter sepelierint in loco sacro non interdicto, aut cum solemnitatibus funeris Ecclesiastici peccare, nisi ille fuerit nominatim interdictus, & denuntiatus, quia ex fauore Constantiensis Concilij non tenemur vitare etiam in sacris interdictum non denuntiatum, vti q. 1. fuit expositum. Quarè Extrauag. Ad Euitanda, priuilegium maius est illo, quod continetur Clement. 1. de sepulturis, quæ excommunicat duntaxat sepelientes nominatim interdictum, non liberat tamen peccato violati interdicti eum, qui sepeliuisset etiam non nominatim interdictum, cùm & omnis culpæ immunis ille sit, & pœnas quoque illius Clementinæ euiter, qui sepeliuerit nominatim interdictum, nisi sit simul denuntiatus, vti illa q. 1. fuit probatum.

Quinam sint Effectus Interdicti ab ingressu Ecclesiæ.

27 Hanc prohibitionem ingrediendi Ecclesiam non ita appello Effectum Interdicti, quasi ille sit perpetuus & ipsi essentialis, neque enim plures, quàm tres hactenus explicatos effectus assignant Iura, aut DD. Interdicto, vi cuius nunquàm prohibetur ingressus Ecclesiæ, sed auditio diuinorum & perceptio sacramentorum, atque Ecclesiastica sepultura; quarè hæc prohibitio distincta quædam pœna est, & quia etiam rationem quandam Censuræ sortitur, quandoquidem sacerdos violans tale interdictum celebrando efficitur irregularis, ad aliquam speciem censuræ ex tribus enumeratis referenda erit, ne contra Innoc. cap. Quærenti. de verbot. Significatione, cogamur augere numerum censurarum. Quarè Couarru. in cap. Alma mater. 2. p. §. 1. num. 3. suspensionem potiùs, quàm Interdictum propriè dictum esse existimauit, & reuerà in cap. cùm Medicinalis de sentent. Excomm. ita nominatur, interdictum tamen dicitur cap. Is cui. eod. tit. in 6. Nam cùm hæc pœna lata fuerit aliquando in laicos, non erit suspensio, quæ clericorum propria est; alij itaque genus quoddam Excommunicationis interpretantur, cuius exemplum habemus in Theodosio, quem ob cædem Thessalonicensium aditu Ecclesiæ prohibuit S. Ambrosius. Tu nomina, vt libuerit; Ego non ineptè dixerim esse quoddam partiale interdictum, iam enim initio monuimus interdicti effectus posse seiungi, & quamuis in interdicto absoluto & totali iste non comprehendatur nisi disertè exprimatur, quia tamen, quando fertur hæc prohibitio ingressus Ecclesiæ, comprehendit ex necessaria quadam consequutione aliquos effectus proprij interdicti, idcircò eius nomen iure participat, & ad quandam eius speciem reduci poterit quanquam tota ista quæstio leuis admodum est, quandoquidem certò constat eam pœnam aliqoando imponi per modum censuræ. Inquirendum duntaxat est, quisnam sit illius effectus.

1. Igitur hæc censura prohibet celebrationem Missarum, & diuini officij intra Ecclesiam. Ita cap. Is cui. de sentent. Excomm. in 6. Couarru. l.c. & omnes Canonistæ & Summistæ, quos dabit Sayr. lib. 4. cap. 7. num. 12. quia interdicto principali interdicitur omne consequens ex eo, & necessariò connexum, Ecclesia verò, cuius ingressus principaliter interdicitur, non ædificatur, nisi vt in ipsa diuina celebrentur, qui itaque prohibetur ab ingressu Ecclesiæ, prohibebitur quoque à diuinis in ea celebrandis.

Nomine porro Ecclesiæ intelligimus quamcunque Ecclesiam siue in loco in quo latum est hoc interdictum, siue alibi sitam, quia hæc censura imitatur suspensionem, quæ adhæret personæ, & non loco, neque necesse est, eam Ecclesiam fuisse consecratam, satis enim erit, authoritate Episcopi erectam fuisse, tunc enim gaudet immunitate & priuilegiis Ecclesiæ consecratæ ex cap. Penult. de immunit. Ecclesi. quod etiam verum esse in Ecclesia interdicta, nota Panormit. in idem cap. penult.

2. Erit nihilominus licita huic interdicto Missæ & aliorum diuinorum celebratio extra Ecclesiam in priuato nimirum oratorio, aut tentorio, quod glossa in cap. vlt. de officio ordinarij in 6. ꝟ. Ecclesiæ, & DD. superiùs relati magno consensu affirmant, & sequitur ex Regula. 3. qu. 12. & iis quæ de interdicto partiali supposuimus potiùs, quam probauimus. Hæc enim censura siue suspensio, siue interdictum dicatur, limitata est, quarè ad effectus non expressos extendi non debet nisi ratione necessitatis connexionis inter illos; cum igitur prohibeantur diuina intra Ecclesiam, extra illam permittuntur, alioquin ea loci designatio, & limitatio frustrà adhiberetur, essetque simplex & absoluta suspensio à diuinis celebrandis, quod nemo dixerit, quandoquidem nequidem directè & primariò prohibentur diuina, sed tantùm propter connexionem, quam habent cum ingressu Ecclesiæ, qui primò & per se inhibetur.

An verò in cæmiterio diuina tum audire, tum celebrare possit eiusmodi interdictus vel suspensus, quæri iure poterit, eo quod in iure sæpius nomine Ecclesiæ cæmiterium comprehendatur, atque ita velle videtur glossa in cap. Is cui. cit. ꝟ. cæmiterio, docetque omnino Paludan. in 4. disp. 18. quæst. 7. artic. 5. con. 1. quia tamen nonnunquam permittitur in cæmiterio, quod prohibetur in Ecclesia, vel vice versa, & in eo interdicto Pontifex solius Ecclesiæ, in qua etiam, solent ordinariè celebrari diuina, meminerit,

non

non est quod hanc pœnam extendamus ad cœmiterium, maximè cùm Pontifex, vbi agit de hoc interdicto in citato cap. 16 cui, neget ita interdictum sepeliri posse siue in Ecclesia, siue in cœmiterio, quem vtrumque locum etiam expressisset, cùm agebat de diuinorum celebratione, si in vtroque illa prohibita esse voluisset. Itaque sentit Sayr. lib. 4. cap. 7. n. 16. & lib. 5. cap. 9. n. 12. non liceret tamen illi interdicto audire è cœmiterio diuina officia, quæ fiunt intra Ecclesiam, aut illis inseruire, cantando v. gr. Epistolam aut Euangelium extra Ecclesiam, quod aduertit Vgolin. tab. 5. cap. 16. §. 2. n. 1. quia cùm illi prohibitum sit assistere diuinis intra Ecclesiam, consequenter illi prohibentur omnia, quæ faciunt ad eam assistentiam, maximè quando alioquin inutilis foret prohibitio talis assistentiæ, vt hoc loco, si enim è cœmiterio, aut è foribus liceret officia, quæ in Ecclesia fiunt audire, frustrà ingressus in illam interdiceretur.

III. Non prohibetur tantùm celebratio diuinorum intra Ecclesiam, sed etiam auditio, quia quæcunque præsentia diuinorum officiorum necessariò connexa est cum ingressu Ecclesiæ ad diuinum cultum præstandum. Ita Couarr. l. c. & Sayr. l. 4. cap. 7. num. 13. Henriq. lib. 13. cap. 32. num. 2. Nauarr. cap. 27. num. 170.

IV. Vbi non celebrantur diuina officia, poterit iste interdictus Ecclesiam ingredi, per eam transire, atque in ea priuatim orare, vti Couarr. Henriq. & Sayr. sequuti Innoc. in cap. Sacro. de sentent. Excommu. concedunt, quia iura, quæ prohibent ingressum Ecclesiæ de ingressu publico exponenda sunt, attendendus siquidem est finis huius suspensionis, aut interdicti partialis, nimirum vt qui se videt à cœtu fidelium diuinis assistentium summoueri redeat in mentem.

V. Ita interdictus poterit suscipere sacramenta in Ecclesia, quamdiu in ea non celebrantur diuina officia, quia non est priuatus vsu Sacramentorum, sed diuinorum officiorum & sepulturæ; neque Sacramenta diuinorum officiorum nomine comprehenduntur. Ita Sayr. lib. 4. cap. 7. num. 11. Henriq. & Auila. apud Bonac. disp. 5. p. 5. num. 12. contra Layman. lib. 1. tract. 5. p. 4. cap. 1. num. 4. Kon. Suar. Alteri. & alios apud eundem Bonac.

VI. Eadem ex causa licebit huic interdicto omnes iurisdictionis suæ actus exercere, quia neque iurisdictione priuatur, neque eius vsus nomine diuinorum officiorum significatur.

Denique neque in Ecclesia, neque in cœmiterio sepeliri poterit, si decesserit ante huius partialis Censuræ relaxationem. cap. is cui. de sentent. Excomm. in 6. Ita tamen temperauit hanc pœnam Pontifex ibid. vt permiserit Ecclesiasticam sepulturam pœnitenti, cuius rationem operosè inquirunt Canonistæ cum Ioan. Andr. in illud cap. & Couarr. l. c. mihi non videtur aliunde petenda esse causa, quàm ex leuitate delicti, ob quod ponitur ista censura, etiamsi enim non dubitem pœnam aliquam iustè infligi mortuis, vt monui q. 2. ex Couarr. lib. 1. variarum. cap. 1. & n. 11. quia tamen ea pœna, quæ post mortem Rei durat, censetur grauissima, & quodammodò immanis, grauem omnino culpam postulat, qualis non videtur esse ea, quæ punitur tantùm partiali censura & ingressu Ecclesiæ, vnde eam in morte cessare voluit Pontifex, modò Reus pœnitentiæ signa exhibuerit.

CONSECTARIA

Ex superioribus Propositionibus.

Ex effectibus interdicti ita in vniuersum explicatis innumeræ ferè singulares quæstiones solui possunt solidè & facilè.

CONSECTARIVM I.

An interdictus possit excommunicare, aut absoluere?

℞. posse, quia ex enumeratis effectibus Interdicti constat illum non priuare Iurisdictione, quare 28
siue quis personaliter interdictus generaliter, siue specialiter fuerit, omnem actum iurisdictionis externæ exercere poterit, externæ inquam, quia enim in vsu internæ iurisdictionis sæpius est vsus Sacramenti, quo priuatur interdictus, dubitari posset, an absolutio ab illo data valida foret, qua de re diximus q. 1. huius disquis. nisi sit interdictus nominatim denuntiatus, eam esse validam, quandoquidem non priuatur iurisdictione, maximè dum rogatur à fidelibus, quibus licet ab illo omnia Sacramenta suscipere. Poterit etiam interdictus dare indulgentias, laxare pœnas & censuras & alia eiusmodi, ex eo quod retineat suam iurisdictionem integram & nullo modo imminutam, vt Vgolin. tab. 5. cap. 3. §. 2. Henriq. lib. 13. cap. 43. Auila. disp. 4. cit. s. 1. dub. 2. Sayr. lib. 5. cap. 6. n. 12. testantur. Cauendum nihilominus est, ne isti actus iurisdictionis fiant cum solemnitate, quæ includat aliquid pertinens ad diuina officia, cuiusmodi est absolutio solemnis excommunicationis cum Psalmo miserere, ex Vgolino & Sayro, eæ enim solemnitates vnà cum diuinis officiis prohibentur interdictis.

CONSECTARIVM II.

An liceat tempore interdicti chrisma conficere & quomodo?

℞. cum Alterio disp. 4. de Interd. cap. 1. & 29
communi posse feria quinta maioris hebdomadæ in Ecclesia interdicta, aut alia quapiam durante interdicto, Chrisma confici; ita enim definitur in cap. Quoniam. de sentent. Excomm. in 6. & Ratio est, quia conceditur, vt toto eo tempore ministretur sacramentum Confirmationis, vti diximus 1. propositione, huius autem sacramenti materia chrisma est, quod cùm non conficiatur, nisi certo illo die, reuerà erit consecrandum, etiamsi ille dies incidat in tempus interdicti, ne deinde toto quo anno cogatur Ecclesia abstinere hoc Sacramento; quia tamen ea confectio fit cum quibusdam solemnitatibus inter Missæ sacrificium, & cum diuinis officiis, fieri non poterit, nisi ianuis clausis, & cum aliis conditionibus, quas in celebratione diuinorum officiorum tempore interdicti seruari præscripsit, c. Alma Mater. quare etiamsi Sacramentum ipsum Baptismi & Confirmationis, possit, vti monebamus cum debita solemnitate ministrari & ratione horum sacramentorum permittatur cōfectio chrismatis, non tamen ista fiet cum solemnitatibus, eo quod in collatione illorum sacramentorum non celebrentur diuina officia, sicut in consecratione Chrismatis. Ita ea communi DD. Couarr. in cap. Alma mater. §. 2. n. 7. & Henriq. lib. 13. cap. 45. n. 1.

CONSECTARIVM III.

An Eucharistia ministrari possit ad furcam damnatis tempore Interdicti?

30 Diximus 1. proposit. Eucharistiam sicut & Pœnitentiam ministrari posse morientibus tempore interdicti, quo nomioe intelligebamus omnes, qui erant in proximo periculo mortis, neque necessè est, eos esse lecto affixos; quarè existimo etiam Reis damnatis ad mortem ministrari debere ex concessione iuris, in cap. Non est vobis. de sponsalib. & cap. Quod in te. de pœnitent. & Remissionib. & sane Clemens V. præcipit in Clem. cum secundum. de pœnit. & Remission. ne damnatis negetur pœnitentia, ergo & Eucharistia, vti argumentatur ibid. glossa in ℣. pœnitentiæ, cùm Eucharistia contineatur io pœnitentia morientium, vti 1. propositione diximus ex cap. Quod in te, & denique Cooc. Moguntinum II. sub Rabano celebratum cap. 27. ait æquè istis damnatis, atque aliis morientibus & pœnitentibus dadda esse hæc sacramenta, & refertur cap. Quæsitum. 13. quæst. 2. quarè hanc sententiam docent Nau. cap. 25. numer. 23. Couarr. in cap. Alma mater. 2. parte. §. 3. num. 3. Vgolin. tab. 5. cap. 7. §. 6. num. 1. & alij passim, ex quibus Henriq. lib. 13. cap. 45. num. 2. litt. P. ait hos damnatos etiamsi ieiuni non sint, posse suscipere Eucharistiam, si Index nolit tempus prorogare, quia reuerà datur illis instar viatici.

CONSECTARIVM IV.

An tempore interdicti ministrari possit Eucharistia pregnantibus?

31 Negat Couarr. l.c. sequutus glossam in cap. pastoralis. de officio ordinarij. ℣. præterquam in mortis articulo. Franc. ibid. numer. 4. Ioann. Andr. in cap. Quod in te. de pœnit. & Remission. quia reuera hæ mulieres non sunt morientes, aut decedentes, quarè fauor relaxans interdictum ad illas extendi non debet. Alij verò distinguũt cum Panorm. in cap. pastoralis cit. num. 1. & in cap. quod in te. num. 8. Vgolin. tab. 5. cap. 7. §. 6. num. 8. si mulier experta sit, se grauissimè in partu laborare, iure poterit Eucharistiam nihil impediente interdicto postulare, non verò si non timeatur probabilissimum periculum. Itaque passim omnes docent; quæ postrema opinio quamuis probabilis sit existimarem tamen cuicunque prægnanti posse eo tempore dari Eucharistiam, quia reuera ille status periculosus est, vnde censetur comprehendi fauore facto in periculo probabili mortis consistentibus, etsi enim hæc mulier fæliciter aliàs enixa sit, non potest tamen sibi polliceri fœlicem æquè sequentem partum, cùm ex multis capitibus soleat oriri periculum, vnde ad sumendam Eucharistiam nonnulli obligant puerperas omnes ex diuino præcepto in articulo mortis vrgente.

CONSECTARIVM V.

An ad bellum proficiscentibus aut committentibus se longiori nauigationi, aut difficillimo itineri administrari possit tempore interdicti Eucharistia

32 Cum in his omnibus sit probabile periculum mortis posse illis ministrari hoc sacramentum, in quibus aliisque similibus casibus distinguendum est periculum ab euentu futuro, etsi enim non sit sequutura mors, est tamen periculum mortis, quod etsi præuideatur vitandum, tamen adhuc reuera existit, quarè quotiescunque alicui actioni periculum per se coniunctum est, etiamsi casu aliquo, aut ex constitutione propria & viribus, aut arte & sagacitate vitandum speretur, poterit indulgeri in eo periculo versanti, quod Ius commune ratione talis periculi permittit, quia reuerà eiusmodi periculum, quod vnum ius attendebat, existit, & per accidens quodammodo est, quod ab illo aut illo euitetur, lex enim istos casus rariores, aut particulares non attendit, sed qood frequentius contingit, & quando agit de periculo, non requirit euentum certo futurum, alioquin non esset periculum duntaxat, vt patet.

CONSECTARIVM VI.

An clerici possint diuinam Eucharistiam percipere tempore interdicti extra Missæ sacrificium?

Ratio difficultatis est, quia non nisi morientibus permittitur dari Eucharistia, neque Clerici alicubi excipiuntur, quia etiamsi illis permittatur assistere diuinis Officiis, atque etiam Missam celebrare eo tempore, in cap. Alma mater, non tamen propterea permittitur Eucharistia more laicorum. Itaque hanc facultatem negant Panorm. in cap. Quod in te. de pœnitent. & Remission. Antoni. 3. p. tit. 27. cap. 4. circa medium. Tabiena. ℣. interdictum. 5. num. 6. Nauarr. cap. 27. numer. 278. Couarr. 2. p. in cap. Alma mater. §. 3. numer. 1. & §. 5. num. 6. Henriq. lib. 13. cap. 45. num. 2. Vgolin. tab. 5. cap. 7. §. 6. num. 5. Auila 5. p. disput. 4. s. 1. dub. 5. Conclus. 3. Alteri. disp. 4. cap. 3. in 8. dubitatione Calderin. tract. de Interdicto. memb. 6. Sayr. lib. 5. cap. 7. num. 21. Bonac. disp. 5. p. 3. §. 2. num. 8. Villalob. tom. 1. tract. 19. diff. 36. n. 2. & 8. quia concessio diuinorum officiorum non comprehendit, vti sæpius diximus concessionem sacramentorum, in prohibitis autem, quod expresè permissum non est, prohiberi censetur. 33

Existimo tamen Clericos istos, dum diuinis officiis assistunt, & inter ipsa posse donari Eucharistia. Ita Sylu. ℣. Interdictum. 5. num. 9. Angel. ℣. eod. 6. num. 22. Geminian. in cap. Alma mater. §. in festiuitatibus. num. 7. Suar. disput. 33. s. 1. numer. 35. Filluc. tract. 18. cap. 2. numer. 42. Sà. num. 17. non quod concessio diuinorum officiorum includat permissionem sacramentorum, quod optimè negant aduersarij, sed quia, cui conceditur adesse sacrificio, de illo etiam participare permittitur, nisi expresè inhibeatur, & sane cùm vetus ille mos in Ecclesia quondam fuerit, vt omoes in Missa communicarent, eumque adhuc vigere vellet Trident. sess. 22. cap. 6. cur dicemus Ecclesiam, quæ permittit assistere sacrificio, negare ne quis de illo particepet, nisi id exprimat in sua concessione. Itaque si tollatur Interdictum respectu celebrationis Missæ, sublatum etiam esse circa Eucharistiæ perceptionem in eo sacrificio censendum est, quare non existimarem clericos extra diuina officia & Missæ sacrificium, v.gr. aliquot horis postquam illud peractum erit, posse suscipere Eucharistiam iam diu præconsecratam, vt Suar. quoque s. 4. n. 30.

disp.

disp. 34. concessit, quia tunc valet sententiæ communis ratio, nimirum negatam esse vi interdicti Eucharistiam benè valentibus, neque vllibi clericos excipi, nisi ex eo quod concedatur illis interesse Missæ sacrificio, & de illo participare; cùm verò ampliùs non sit sacrificium, & illi non assistunt, non potest ratione illius assistentiæ concedi communio, neque propriè dicimus aliquem sacrificio, quod ante mensem oblatum est, participare, etiamsi hodie communicet. Atque ita temperata hæc sententia certa mihi videtur, neque impugnatur satis validè à communi, quam etiam imbellem agnouit Paludan. qui in 4.d.18.q.8.a.2.con. 7. n.30. nihil ausus fuit definire, sed Pontificem adeundum esse monuit, ipseque Calderin. anceps admodum est, licet tandem in communem inclinet & tandem Alteri. qui communi quoque adhæreat, dicit seruandam esse consuetudinem Cathedralis & matricis Ecclesiæ interdicto subiectæ.

CONSECTARIVM VII.

An Religiosi & Moniales possint in suis Ecclesiis suscipere Eucharistiam tempore interdicti?

34 ¶. Posse 1. ex priuilegiis à sanctissima sede concessis, quæ cógeric Sayr lib. 5. cap. 7. n. 22. & diligentius etiam multò singuli collectores priuilegiorum Religionum singularium.

Id licebit ex consuetudine, quam testatur Calderin. de interd. membro 6. malè verò negat Altori. cap. 3. cit. dub. 9. eam consuetudinem legitimam & rationabilem esse, non enim video, cur potiùs hæc consuetudo quàm aliæ omnes, quæ iuri communi contrariæ sunt, dicatur irrationalis & illegitima, & alias conditiones requirat ad derogandum iuri communi, quàm cæteræ postulent.

3. Quamuis neque ea priuilegia, neque talis consuetudo admitteretur, possent tamen personæ regulares in suis Ecclesiis Eucharistiam percipere modo explicato superiori consectario, cùm enim possint ex cap. Alma mater, in suis Ecclesiis diuina officia celebrare, ita etiam poterunt ex quadam consequutione solito Ecclesiæ more, sacrificio cui assistunt, communicare percipiendo sacram Eucharistiam. Itaque omninò docere debent, qui id concedebant Clericis, quos in proximo consectario sequuti sumus.

CONSECTARIVM VIII.

An Laici quibus indulsit S. sedes diuinis interesse tempore interdicti, possint Eucharistiam tunc percipere?

35 Parum sibi ipsis constant Syl. ¥. interdictum, 5. n. 9. Angel. eod. ¥. 6. n. 23. & Geminian. in c. Alma mater. §. in festiuitatibus. n. 7. cùm enim docuissent clericis, quibus conceditur durante interdicto diuinis & sacrificio Missæ interesse, permitti quoque eo tempore Eucharistiam sumere, vti vidimus consect. 6. id modò negant Laicis, quibus æquè ex priuilegio fas fuerit tunc diuinis assistere, eo quod cap. si sententia. de sentent. excomm. in 6. auditio diuinorum & perceptio Sacramentorum tanquam duo quædam diuersa ponantur, cùm tamen vel ea ratio æquè valeat in Clericis vel Laicis, non magis opponatur, quandoquidem omnes iure communi & à diuinis Officiis, & à Sacramentis remouentur, ad diuina autem deinde priuilegio tantùm admittuntur, quare si illud priuilegium includit quoque perceptionem Sacramenti Eucharistiæ respectu clericorum, includet quoque respectu Laicorum, qui ex iure communi non magis à Sacramentis remouebantur, quam Clerici; quod autem priuilegium factum fuerit toti ordini clericali, aut vni tantùm singulari personæ, aut quod insertum deinde fuerit ipsi iuri in cap. Alma mater, aut extra illud maneat, nihil omninò vrget, cùm semper priuilegium operetur id quod significat, sine primariò siue ex necessaria consequutione. Quare his quoque Laicis neganda minimè erit Eucharistia inter diuina officia & Missæ sacrificium modo explicato consect. 6.

CONSECTARIVM IX.

An in festiuitatibus, in quibus diuina publicè celebrari permittuntur, liceat quoque Eucharistiam sumere?

Dicendum est ex prioribus qq. hunc communionis vsum licitum esse contra communiorem licet DD. sententiam, quam tutiorem & firmioribus rationibus firmatam dixit Sayr. lib. 4. cap. 7. citato n. 14. sed immeritò sanè, cùm constet ex superioribus consectariis eam potiùs communi quodam sensu, quàm firma ratione vim obtinere; neque enim dicimus auditionem diuinorum, & perceptionem Sacramentorum non distingui in iure, aut vna concessa, alteram quoque necessariò permitti, quod vnum nobis obiiciunt aduersarij, alioquin non modò tunc Eucharistiæ solius sumptionem, sed omnium aliorum Sacramentorum administrationem licitam esse diceremus, sed hoc vnum contendimus assistentiam & participationem diuini sacrificij Missæ ex communi Ecclesiæ vsu & sensu continere sumptionem Eucharistiæ, etiamsi nulla sit ad eam obligatio, quia nemo tenetur optimo modo, quo potest communicare sacrificio: inde tamen rectè colligimus vna cum assistentia & participatione sacrificij permitti quoque Eucharistiam. Verùm propter hoc principium alijs quoque consectariis commune habemus expressam huius rei concessionem cap. Alma mater; illis enim festiuitatibus ita permittit diuina officia publicè fieri, vt interdictis concedat *obreuerentiam prædictarum solemnitatum & vt ipsi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis effectum faciliùs inclinentur, diuinorum participationem.* Illos tamen qui causam interdicto dederunt, altari appropinquare non vult. Illa verò diuinorum participatio quid aliud, amabo, est? quàm Eucharistiæ sumptio, & quid illa ad altare appropinquatio, quàm Eucharistica communio, & non tantùm corporea accessio ad oblationes faciendas. Atque hanc tandem sententiam complectitur Paludan. in 4. d. 18. q. 8. a. 2, quamuis consuli mallet Pontificem. Suar. disp. 33. sect. 1. num. 36. Kon. disp. 17. num. 36. aliique recentiores. 36

CONSECTARIVM X.

An communio Paschalis obliget tempore interdicti & an quibus licet assistere diuinis, teneantur precepto audiendi Missam?

57 Geminæ huic quæstioni affirmatiuè respondendum est ex dictis; & quidem quod ad communionem Paschalem, cùm ea ex iure communi sumi possit in Paschate durante licet interdicto, ex ipso cap. Alma mater, non est cur excusentur fideles ab obligatione præcepti tunc vrgentis communionem. Ita Suar. Kon. & Filluc. locis citatis in prioribus consectariis, ex quibus istud omninò sequitur, neque abnueret Auila loco statim afferendo, si existimaret ita exponi posse cap. Alma Mater.

Quod verò attinet ad 2. quæstionem de præcepto audiendi Missam, distinguendum est duplex priuilegium, vnum insertum est iuri communi in cap. Alma mater, quo permittitur omnibus Clericis & Religiosis diuina celebrare cum appositis conditionibus, & idem etiam Laicis omnibus conceditur in quibusdam festiuitatibus; alterum priuilegium reuerà exorbitat à iure communi, & fit singulari alicui personæ aut communitati non instar perpetuæ alicuius legis, & noui cuiusdam iuris antiquius temperantis. Qui itaque gaudent priore illo priuilegio tenentur implere præceptum communionis Pascbalis & audiendi sacrificij diebus festis, quod postremum asserit Auila disp. 4. cit. S. 2. dub. 6. quia nihil est, quod illos eximat eo onere præcepti, quandoquidem secundum ius commune illis non est prohibitum audire sacrificium eo tempore, neque vt nos superius distinximus participare eidem sacrificio per Eucharistiæ sumptionem. Quod idem dicendum erit respectu Laicorum, quibus ex eodem iure communi in quibusdam solemnioribus festiuitatibus licet diuinis interesse, quæ ea de causa publicè & solemniter fiunt suspenso interea interdicto.

Alij verò quibus ex nicio priuilegio cæteris etiã diebus fas est adesse diuinis, nõ tenẽtur eo suo priuilegio vti, neque die festo adesse sacro, ex eodem Auila ibid. con. 2. qui allegat etiam Victoriam & Canum, ex iure enim communi obligantur Laici tempore interdicti non audire diuina, cui obligationi parere possunt, quamuis ex bulla cruciatæ, aut ex alio quopiam priuilegio liberentur ea obligatione non audiendi diuina, & iis assistere licitè possint, non enim propterea tollitur interdictum etiam respectu illius particularis personæ, quamuis eximatur eius obligatione ex fauore Ecclesiæ, quæ propterea non reducit illum ad præcepta iuris communis laxato interdicto obligante; quare integrum ipsi erit quod libuerit præstare, nimirum vel se accommodare iuri interdicti, vel facultate sibi concessa vti: neque rectè obijcitur vinctum aut carceri mancipatum, qui die festo dimittitur liber, teneri audire sacrum, à quo impediebatur, quamdiu vinctus detinebatur, quia durante eo impedimento præceptum audiendi sacrum vigebat, licet impotentia ab eius obseruatione excusaret; quarè ea sublata manet integra præcepti obligatio; at verò interdictum non apponit solum impedimentum seruandi præcepti, sed est prohibitio contraria illi præcepto, neque ea prohibitio tollitur propriè per priuilegium, quando illud est particulare, sed tantùm datur facultas licitè non seruandi eam prohibitionem, quæ semper totam communitatem afficit; quarè hanc quoque opinionem tradidit Auila loco citato. Kon. disp. 17. n. 28. Villalob. tom. 1. tract. 10. diff. 5. n. 14. & alij recentiores relati à Ludouico à cruce, in bullam cruciatæ cap. 5. disp. 1. dub. 4. n. 1. atque ita explicata mihi omninò probabilis & tuta in praxi videtur, quamuis contraria sit communior Soti in 4. d. 13. q. 2. a. 1. Roderiq. in bullam cruciatæ. S. 5. n. 6. Villalob. tom. 1. tract. 19. diff. 5. n. 14. Sanct. disp. 15. selecta. Bonnacin. disp. 5. de censu. p. 4. n. 21. Barbosa. tom. 2. collectaneo. lib. 5. tit. 3. cap. 25. n. 7. Tanne. in 2. 2. disp. 5. q. 6. dub. 2. n. 25. Ferdinand. in exam. Theologiæ moral. p. 3. cap. 9. S. 3. n. 1. Henriq. lib. 9. de Missa. cap. 25. vbi ait esse communiorem Theologorum & Iuristarum tum Salmaticensium, tum Complutensium, & plures etiam allegat lib. 7. de Indulgentiis. cap. 23. n. 3. lit. 1. Ludouic. à Cruce. dub. cit. n. 5. qui omnes ea tantùm ratione ducuntur, quod præceptum audiendi Missam obliget tempore interdicti, quamuis ratione impedimenti ab eo excusentur fideles; quod falsum est, quia interdictum, non est merum impedimentum, vt carcer & vincula, sed est nouum præceptum contrarium priori, & inducens contrariam obligationem, prohibet enim toto eo tempore audire diuina, atque ita si quod esset contrarium præceptum, illud pro eo tempore ita tollit, vt obliget ad contrarium actum ponendum, & non ponendam auditionem illam prius præceptam; quarè vides istos DD. persuasos potiùs fuisse priorum authoritate quàm ratione.

CONSECTARIVM XI.

An tempore interdicti possit morienti in extrema necessitate constituto propter defectum omnium aliorum Sacramentorum conferri extrema vnctio?

Ratio difficultatis est, quia interdictum prohibet absolutè Sacramentorum perceptionem, nisi in casibus iure expressis, vti probauimus 1. proposit. Ius autem non excipit extremam vnctionem, sed Baptismum duntaxat, Confirmationem, atque Pœnitentiam & Eucharistiam per modum viatici, & consequenter extremæ vnctionis perceptio prohibita manet, quod omnes omninò concedunt, vt videbis apud Sayr lib. 5. cap. 7. n. 29. immò ita expressè definitum est cap. Quod in te de pœnitent. & Remissionib. neque circa istud Sacramentum quidquam immutatum fuit in cap. Alma mater: quare neque clericis, etiamsi illis concessa sit Ecclesiastica sepultura, vti diximus proposit. 3. neque Laicis etiam in solemnitatibus, in quibus licet diuinis assistere, potest conferri hoc Sacramentum, vti omnes magno consensu tradunt apud Sayr cap. cit. n. 30. 32. 33. quia vt sæpius monuimus concessio diuinorum officiorum nõ includit necessario Sacramentorum administrationem, aut perceptionem; potest nihilominus contingere casus aliquis, in quo hoc Sacramentum sit necessarium omninò, si quis enim post confessionem & communionem vltimã inciderit in peccatũ mortale, & eo se teneri ignoret, neque recordetur, ac proinde contritione non excipiet, si muniatur hoc Sacramento, saluaretur, & 58

& absque eo peribit, aut si non licuit ipsi confiteri, neque Eucharistiam sumere, inungi tamen possit; tunc porrò videtur eadem necessitas, quæ mouit Ecclesiam, vt pœnitentiam & Eucharistiam morienti permitteret tempore interdicti, ne carissimos filios periculo mortis exponat, aut remediis necessariis destituat, postulare, vt ex quadam pietate hoc quoque sacramentum conferat. Atque ita censet Chappeauuille cap. 5. de necessitate ac modo ministrandi sacramenta tempore pestis qu. 3. neque improbat Layman. lib. 1. tract. 5. par. 5. cap. 2. placetque Sayr cap. cit. n. 33. hanc licentiam fieri à S. sede, ne quis huius sacramenti defectu damnetur, vti reuerà contingere aliquando posse docet Bellarmin. cap. 8. de extrema vnctione Mihi hæc sententia pia & satis tuta videtur, quamuis rigor iuris aliud fortassis postulet, certè non damnarem violati interdicti illum, qui in tanta necessitate aut probabiliter existimans eam tantam esse; morienti hoc sacramentum contulisset hanc opinionem sequutus, maximè si abfuisset scandalum.

CONSECTARIVM XII.

An in extrema necessitate possint conferri ordines tempore interdicti?

39

Certum est sacramẽtum ordinis prohiberi vi interdicti, quare interdictus personaliter siue generaliter, siue specialiter illud aut conferre, aut suscipere non potest, neque etiam in loco interdicto durante interdicto siue generali, siue speciali promoueri potest, aliquis siue laicus, siue iam prima tonsura initiatus sit; quòd omnes docent, neque repugnat Innoc. in cap. Non est vobis de sponsalibus, quia loquitur interdicto generali populi, quo non comprehenditur clerus, & idcircò suscipere poterit tunc clericus hoc sacramentum; malè etiam aliqui excipiunt locum interdictum ab ipsomet Episcopo ordinante, nam vt docent Henriq. lib. 13. cap. 45. & Auila. 5. p. disp. 4. s. 1. dub. 8. Neque tunc poterit in eo loco Episcopus ille ordines conferre nisi interdictum tollat ad aliquod tempus, quia interdictum semel impositum suos habet effectus ex iure communi, quod ipsum etiam Episcopum obligat. Reiiciendus itaque est Villadieg. cap. 5. de interdicto num 3. vbi contra communem docet Episcopum ordinare posse in loco interdicto, quia ipse non comprehenditur generali interdicto, nam id falsum est in interdicto locali.

Difficultas igitur est, quãdo vrget grauis necessitas ob paucitatem Sacerdotum, qui lue v.gr. perierunt, aut in aliqua insula, alioue remotiori loco interdicto, vnde ad alios Episcopos ordinandi mitti nequeunt vrgetque necessitas ordinari.

℞. Vix vnquam contingere posse hanc necessitatem, poterunt enim ad vicinos Episcopos amandari clerici, vt in locis non interdictis initientur, si tamen reuerà ea necessitas, quæ describitur in obiectione eueniret, eo quod longiùs abessent vicini Episcopi, & diuturniores moræ incommodæ essent, nihil prohiberent tunc conferri ordines Ita Panorm. in cap. Non est vobis de sponsalib. num. 8. Auila dub. 8. cit. Sayr. cap. 7. cit. n. 38. Alteri. disp. 4. de interd. cap. 6. dub. 4. Benzonius. de Iustitia Pontificij interdicti cap. 6. Suar. disp. 33. §. 3. n. 5. contra Vgolin. tab. 5. cap. 7. §. 2. n. 2. Couarr. in c. Alma mater. 2. p. §. 3. n. 4. Sylu. ✠. interdictum 5. q. 7. & alios, quia cum tempore interdicti concessa sint aliqua sacramenta & diuina officia cum aliqua limitatione, concessum etiam est id sine quo tota ea concessio esset inutilis, atqui nisi vel adsint ministri vel noui ordinentur, inutiliter diuinorum celebratio, & quorundam sacramentorum administratio permissa fuerit; si itaque desunt ministri, poterunt alij ordinari; qua ratione ductus Pontifex concessit cap. Quoniam de sentent. Excomm. in 6. confectionem Chrismatis feria 5. maioris hebdomadæ tempore interdicti, quia illo tempore conferre licet baptismum & confirmationem, quæ sine Chrismate non conferuntur; quarè glossa in expositione illius capitis in vniuersum pronuntiat, quod permisso tempore prohibito vsu rei intelligitur esse permissa creatio illius rei, & permisso consequutiuo necessario videtur permissum antecedens.

CONSECTARIVM XIII.

An Matrimonium tempore interdicti licitè contrahatur?

Non ago de contractu sponsaliorum, quem licitum esse constat, neque de benedictionibus nuptialibus, de quibus agam sequenti consectario, sed de ipso matrimonij contractu. 40

Et communis quidem opinio DD. quos magno numero collegit Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 8. num. 2. docet id licitum esse, quanquam plures ex illis agant de validitate Matrimonij potiùs, quàm de ipsius legitimitate, vti aduertit Vgolin. tab. 5. cap. 7. §. 3. sequuti enim sunt glossam in cap. Alma Mater, quæ tantùm ait contractum matrimonij tempore interdicti tenere, id est, validum esse, sed licitum quoque esse eo tempore matrimonium dixêre plurimi recentiores, Sanch. l. c. Kon. disp. 17. de Censur. n. 48. Sylu. ✠. interdictum. 5. n. 9. Vbi vocem ipsam *licitè* vsurpat. Benzon. de iustitia Pontificii interdicti cap. 6. Villalob. tom. 1. tract. 19. diff. 3. num. 15. Auila. disp. 4. cit. s. 2. dub. 6. Alteri. disp. 4. de interd. cap. 7. qui alios dabunt contra Suar. disp. 33. s. 1. n. 58. Bonac. disp. 5. p. 3. §. 3. num. 8. Filliuc. tract. 18. cap. 2. qu. 8. Reginald. lib. 32. tract. 3. num. 28. Sayr. cap. 7. cit. n. 43. malè pro contraria sententia relatum à Bonac. Ponti. lib. 6. de matrim. cap 9. Vgolin. l. c. qui aliique negant aut tempore interdicti, aut à personis interdictis licitè contrahi matrimonium, eo quod prohibeantur vi interdicti Sacramenta & nullibi excipiatur matrimonium.

Standum mihi videtur communi sententiæ quam tamen parum validè confirmant illius Doctores, nam afferunt imprimis cap. Capellanus de feriis, vbi dicitur in Ecclesia Romana quolibet tempore contrahi matrimonium præterquam diebus ibidem enumeratis, in quibus nihil dicitur de interdicto. Verùm facilè respondetur, quolibet tempore contrahi matrimonium, nisi aliunde vetetur, ibi enim assignat Pontifex solemnes & statas ferias, in quibus non licet Matrimonium contrahere, quia verò tempus interdicti rarum est, non debuit illius meminisse, quandoquidem ex alio iure communi satis de ipso constare poterat. Deinde Sayr & Ponc. respondent agi à Pontifice de validitate Matrimonij, hoc sensu nimirum, quocumque tempore legitimo consensu de præsenti interueniente Matrimonium contrahitur validum esse, tametsi

metsi certis quibusdam diebus non licitè fiat eius solemnitas, ita vt illud *quocumque tempore* cadat in Matrimonij validitatem.

Probant 2. Consuetudine iam recepta, verùm ea certa non est, neque enim tam nobiles authores in contrariam sententiam abiissent.

3. Argumentantur ex eo quod Matrimonium sit prius contractus ciuilis, cui deinde accedit ratio sacramenti, interdictum autem non impedit celebrari contractus, quæ ratio quamuis communis sit apud DD. infirma prorsus est, vt hinc videas, quod sæpiùs monere cogor, authores in eligendis opinionibus plerumque plus tribuere anticipatæ nobilis alicuius Doctoris authoritati, quam momentis rationis. Quamuis enim matrimonium sit contractus, est tamen essentialiter sacramentum inter Christianos, ita vt si sit illicitum in ratione sacramenti sit quoque illicitum in ratione contractus, cùm igitur interdictum prohibeat celebrari matrimonium, vt sacramentum, prohibebit quoque consequenter vt contractus est, quandoquidem inter Christianos contractus matrimonij nunquàm ponitur in ratione contractus, quin teipsa ponatur in ratione sacramenti, neque fortassis hæ duæ rationes separari poterunt post institutionem sacramenti, qua de re alias; aliud porrò est, rationem propter quam prohibetur, aut permittitur matrimonium peti ex natura contractus tantum, aut sacramenti, aut vtriusque, inde enim non fit, vt quando impedimentum apponitur, quod pugnat cum sola ratione sacramenti celebrari nihilominus posset in ratione contractus, quia simul etiam celebrabitur in ratione sacramenti. Si itaque non potest matrimonium licitè celebrari tempore interdicti in ratione sacramenti, neque etiam reuerà poterit in ratione contractus, quia si ponitur vt contractus statim & simul ponitur vt sacramentum. Quando autem duæ aliquæ rationes inseparabiles & necessario simul reperiuntur in aliquo actu, etiamsi inter sese distinctæ sint, si actus nequit poni secundum vnam rationem, neque etiam poni poterit secundum aliam inseparabilem & necessario connexam.

Firma igitur probatio sententiæ communis, quam sequimur, petenda ex 1. nostra propositione, vbi diximus ea tantùm sacramenta vetari ab interdicto, quorum dispensatio & ministratio ita pendet ab Ecclesia, vt ministros ad id consecratos requirat, atqui matrimonium non postulat eiusmodi ministros, ergò non prohibetur vi interdicti, quæ argumentatio efficax omnino est posita maiori propositione, quam loco citato, solidè nisi fallor probauimus.

Vnde etiam fit vt non modò interdictum locale, sed neque personale etiam speciale impediat matrimonij celebrationem, quod æquè Sanch. & alij docent, & multo minus denuntiationes præuias, vt ait Villalob. loco citato.

CONSECTARIVM XIV.

An Benedictiones nuptiales tempore interdicti conferri possint?

41 ℟ si agamus de interdicto locali posse has benedictiones dari cum moderatione capitis, Alma mater, ijs nimirum quibus licebit diuinis officiis assistere, aut illis diebus, quibus eadem diuina officia palam solis excommunicatis exclusis celebrantur. Ratio est, quia hæ benedictiones pertinent ex Ecclesiæ institutione ad actum ordinis Sacerdotalis, atque ad diuina officia, quæ non poterunt alio modo fieri, quàm cœtera diuina officia tempore interdicti, quibus laici, nisi gaudeant priuilegio, interesse nequeunt, aut nisi in solemnioribus festiuitatibus, in quibus eam celebrationem publicam indulget Bonifa. cap. Alma mater. Itaque sentiunt omnes DD. quos numerat Sanch. lib. 7. disp. 8. num. 10. & n. 15. subscribuntque recentiores contrà Angel. ℣. interdictum 6. n. 30. & Rosella eod. ℣. 2. num. 7. qui eo quod benedictiones istæ sint aliquid accessorium ad matrimonium volunt conferri posse, quando matrimonium volunt contrahere, cùm tamen ea vulgaris propositio vera tantùm sit in iis quæ sunt necessariò connexa, & vbi eadem est ratio in accessorio & principali, neque est aliqua specialis & propria iuris dispositio circa accessorium, vti est hoc loco, quia benedictiones pertinent ad officia Ecclesiastica, quæ tunc permittuntur his diebus, non aliis tantùm, matrimonium autem ad sacramenta, quorum alia ratio est, Chrisma autem non est aliquid accessorium Confirmationi, sed eius materia, & baptismi solénis quidam ritus, quare sine Chrismate ea sacramenta vel omninò conferri non possent, vel saltem non ita decenter ritu consueto, nisi adhiberetur Chrisma, quod cùm confici nequeat nisi feria 5. maioris hebdomadæ sapienter concessum est, vt non obstante interdicto tunc conficeretur.

Hinc porrò fit, vt qui in die paschatis aut natalis Domini nuptias benedixerit tempore interdicti, peccet quidem aduersum peculiare præceptum non benedicendi nuptias certis quibusdam feriis, non violet tamen interdictum neque proinde pœnas illi violationi annexas, v. gr. irregularitatem incurrat, quia reuera interdictum suspenditur illis diebus quoad diuinorum officiorum celebrationem, ad quam hæ benedictiones pertinent.

Si verò agamus de interdicto personali, & quæramus an coniuges personaliter interdicti, quibus licet quidé, vti diximus matrimonium contrahere, benedici quoque soléniter debeant, aut iure possint. Distinguendum est, nam si vel vterque coniux, vel alter tantùm sit innodatus speciali interdicto directè vel indirectè, quia interdicto generali aut locali causam dedit, nullibi possunt benedici solemniter; illud enim interdictum personę adhæret vbilibet, & à diuinis remouet vbique; si autem interdictum personale sit tantùm generale, non possunt in loco interdicto benedici, quia in illo non fiunt diuina officia, nisi cum conditionibus quibusdam, inter quas vna est, vt excludantur interdicti; quando tamé publicè fiunt ea officia solemnioribus diebus, & soli excommunicati excluduntur admissis interdictis, qui non dederunt causam interdicto, tunc & illi benedictionem nuptialem accipere poterunt: extra locum autem interdictum, si vterque Coniux sit generaliter interdictus non licebit, quia quamdiu hi Coniuges sunt partes communitatis interdictæ, premuntur vbique eodem interdicto, neque aut diuinis interesse, aut alia prohibita vi interdicti magis facere possunt, quàm reliqua communitas interdicta, nisi domicilium mutent, & desinant esse partes illius communitatis. Quando autem vnus tantum Coniugum est generaliter interdictus, iterum distinguendum est; nam si vir non sit interdictus, sed sola vxor poterunt benedici, quia vxor sequitur forum & domicilium mariti, fitque pars eiusdem communitatis cum marito, si autem vir fuerit interdictus, quia

est

est pars Communitatis interdictæ non poterunt vllibi dari hæ benedictiones, quia vir non sequitur forum vxoris, ita omnes communiter apud Sanch. & Poncium, qui sapienter aduertit hæc intelligenda esse de benedictionibus, quæ sequuntur matrimonium contractum, si enim illud præcederent cùm nondum sponsa sit sortita forum viri, non posset vaot interdicta etiam generaliter, benedici cum viro interdicto.

CONSECTARIVM XV.

An tempore interdicti Missa solius diei celebrari possit.

Quæstio est de Missis votiuis, quæ non consonant officio diei, quia Ioann. Munach. existimauit in cap. Alma mater permitti siue singulis diebus, siue in solênioribus festiuitatibus solùm Missã diei; sed reijciunt omnes alij teste Couarr. §. 4. part. 2. in idem cap. neque opus est enumerare authores, quia ibi Pontifex concedit celebrari diuina *sicut prius* appositis quibusdam conditionibus, inter quas ista non est; quarè neque nos illam apponere debemus, neque fauorem principis restringere.

CONSECTARIVM XVI.

An Campanæ pulsari possint ad concionem, aut alia quæpiam?

43 R. pulsari posse ad omnia præterquam ad conuocandum populum ad diuina officia; quare licebit 1. ad concionem, quandoquidem ea haberi potest excommunicatis & interdictis ex Innoc. III. cap. Responso de sentent. Excomm. licebit igitur dare signum consuetum ad eos connocandos.

I. Eadem pulsatio licita est ter in die ad monendum populum, vt solito more salutet B. Virginem, quia illa salutatio neque officium Ecclesiasticum est neque ordini alicui Ecclesiastico deputatum. Ita Calderin. de interd. part. 1. n. 95. & alij omnes.

III. Immò non est improbabile pulsari quoque posse, vt significetur horis consuetis tunc esse celebranda diuina officia, si tamen ea non celebrentur, & signum quodammodò vacuum sit. Ita Suar. disp. 34. s. 2. num. 18. quia ea pulsatio non est formaliter contra legem, quia non prohibet primò & per se pulsationem campanarum, sed tantùm celebrationem diuinorum cum pulsatione campanarum, ibi autem non est celebratio diuinorum, & sanè si quis iussisset pulsari campanam animo dicendi Missam solemniter, si postea mutasset animum, neque Missam diceret, non incurreret irregularitatem, neque alias pœnas violati interdicti, posset tamen esse peccatum ratione scandali, si populus sibi persuaderet, & quidem iure merito, illo signo violari interdictum, ob quam rationem tantùm existimo DD. communiter contrarium docuisse apud Sayr. lib. 5. cap. 9. num. 5.

IV. pulsari poterunt pro ostensione reliquiarum. Ita Henriq. lib. 13. cap. 46. §. 1. V. pro gestatione S. Sacramenti ad infirmos. VI. ad significandam festiuitatem [illegible] & Angeli. v. interdictum. 5. num. 7. VII. in aduentu Episcopi, aut Principis ad aperiendas litteras Apostolicas aut alias publicas. Denique ad omnia, quæ non pertinent vel ad diuina officia, vel ad Ecclesiasticam sepulturam.

Quoad campanulam, qua excitantur assistentes Sacro vt CHRISTI sacramentum adorent, si illa extra Ecclesiam non audiatur, pulsari nihil vetabit, vide Suar. disp. 34. s. 1. num. 19. ita sententiam communem interpretantem.

CONSECTARIVM XVII.

An in Sabbato Sancto & Peruigilio Pentecostes possit celebrari publicè Sacrum tempore interdicti?

Diximus enim in 2. propositione nostra, in quibusdam solemnioribus festiuitatibus cócedi publicam celebrationem diuinorum officiorum, illas vero festiuitates inchoari à primis vesperis, atque ita ab occasu solis peruigilij; atqui Missa & officium sabbathi sancti & peruigilij Pentecostis nocte celebrari deberet, & reuerà ita quondam celebrabatur, quare videtur illud officium ex fauore cap. Alma mater, publice fieri posse. Itaque existimauit Soto in 4. d. 22. q. 3. a. 1. post 4. Conc. Paludan. item in 4. d. 18. q. 8. a. 5. con. 7. Roderiq. in Bullam Crucia. §. 5. num. 44. vbi refert ita tandem definitum fuisse à DD. Salmanticensibus, idem etiam sentit tom. 2. qq. Regularium q. 105. a. 2. Auila. 5. p. disp. 4. s. 2. dub. 10. & alij qui volunt saltem à missa illarum vigiliarum incipere festum Resurrectionis & Pentecostes. 44

CONSECTARIVM XVIII.

An liceat audire Missam Sacerdotis interdicti, aut coram persona interdicta Missam facere?

Ad geminæ huius quæstionis solutionem repetenda est distinctio nominatim interdicti ac denuntiati, & non denuntiati; certum enim est interdictum non denuntiatum non esse vitandum etiam in illis, à quibus interdictus est, atque ita sacerdotem posse coram interdicto non denunciato celebrare, & quemcumque adesse posse sacrificio sacerdotis interdicti quidem, sed non denuntiati, vt patet ex Extrauag. Ad euitanda, & ex iis, quæ de excommunicatis non vitandis etiam in sacris, & diuinorum administratione diximus. Itaque tota difficultas restat circa interdictos denuntiatos, an illi ita vitandi sint, vt sine culpa nequeat quis illis communicare in diuinis, à quibus sunt interdicti. 45

Dico igitur 1. audiri posse absque culpa missam sacerdotis interdicti denuntiati, & illi in diuinis communicari, modò aliunde ratione scandali aut cooperationis ad actionem illam, & sacerdotis peccatum non peccetur. Ita Suar. disp. 34. s. 2. n. 4. Alteri. disp. 5. de Interd. cap. 4. Auila. 5. p. disp. 5. dub. 1. & alij, quia nullibi prohibetur ea communicatio cum ministris interdictis etiam denuntiatis, sicut neque cum suspensis vi solius suspensionis, sed tantùm in quibusdam casibus à iure particulatim expressis, in hoc enim differunt hæ censuræ ab excommunicatione, quæ priuat communibus bonis, ac consequenter communione in iisdem bonis, vo de quando excommunicati publicè denuntiati sunt, vitari debent tum in sacris, tum in profanis. Neque dicas, non licere audire diuina in loco interdicto, ergo neque licebit cum persona interdicta, quia interdictum locale reddit inhabilem locum, vt in eo diuina quis audiat, aut exerceat; personale verò interdictum priuat personam illa auditione, & administratione

ministratione non obligat tamen alios non interdictos, ne eum illo interdicto diuina audiant, aut in re aliqua communicent.

Dico 2. Sacerdotem & clericos neque sacrum, neque alia diuina officia coram nominatim interdictis & denuntiatis celebrare posse, quare illos expellere debebunt. Ita enim definitur cap. permittimus. de sent. excomm. & c. Alma mater. eod. tit. in 6. vbi permittitur celebratio diuinorum cum aliqua limitatione interdictis exclusis, quod non tantùm de specialiter interdictis, sed de denuntiatis post extrauag. ad euitanda, intelligendum est, renentur igitur clerici hos interdictos à diuinis excludere, non tam ex eo, quod interdictum priuet communicatione, quàm ex peculiari iure & cura sibi demandata cùm enim interdictum reddat inhabiles, aut indignos diuinorum, eos quos innodat; Ecclesiæ & ministrorum eius est indignos à sacris remouere.

Dico 3. Non teneri Sacerdotem Missam omittere, aut iam cœptam interrumpere, si interdicti denuntiati expelli nequeant, dummodò non celebret in loco interdicto. Ita Suar. disp. 34. s. 2. neque omninò improbat Alteri. disp. 5. cit. c. 4. Kon. disp. 17. n. 63. quia nullibi hoc iubetur, nam quoties iura imperant expelli interdictos, loquuntur de celebratione in loco interdicto, neque authores hanc obligationem omittendi, aut interrumpendi diuina asserentes, agunt vnquàm de interdictis, sed solùm de excommunicatis, à quibus non licet argumentari, tum quia in pœnis non valet argumentum à simili, tum quia excommunicatio grauior pœna est, quam interdictum, ac proinde plures prohibitiones continet. Quando autem celebratur in loco interdicto, alia diuersa ratio est, cùm enim non liceat in eo loco, qui inhabilis redditus est, celebrare nisi cum conditionibus appositis, inter quas vna est, vt excludantur interdicti, non licet vlli sacerdoti celebrare in tali loco interdicto coram persona interdicta, non quia interdictum per se inhibeat eam communicationem, sed quia ipse prohibetur celebrare in tali loco præsente interdicto, quod si faciat reus erit violati interdicti, non simpliciter, quia celebrauit coram interdicto, sed quia celebrauit in loco interdicto coram interdicto contra expressam inhibitionem legis Ecclesiasticæ.

Dico Laicos non teneri vitare interdictos denuntiatos, neque in sacris, neque in politicis præterquam in sepultura Ecclesiastica: clericos vero teneri in sacris eos vitare. Ita omnes cum Auila l. c. Alteri. disp. 8. cap. 5. & aliis recentioribus. Sequitur ex superioribus, diximus enim Laicos posse cum istis interdictis adesse diuinis: de clericis autem patet ex con. 2. & 3. cap. etiam non est vobis de sponsalib. Ecclesiarum Rectoribus edicitur ne vlla diuina officia celebrent, aut celebrari permittant coram interdictis. Vitare igitur debent in ea celebratione interdictos. Excepi porrò Ecclesiasticam sepulturam, in qua etiam Laicis nefas est cum interdictis denuntiatis communicare ex Clem. 1. de sepult.

Hinc fit 1. vt qui audit sacrum, cui aliquis interdictus assistit, non peccet, neque exire teneatur.

2. Neque si Sacerdos celebrans sit interdictus.

3. Neque clericus, qui tantùm audit more Laicorum diuina, peccat etiamsi communicet in sacris cum interdicto, quia reuerà gerit se pro Laico. Ita DD. superiùs adducti.

CONSECTARIVM XIX.

An omnia officia diuina sint prohibita tempore interdicti, & quænam tunc licitè fiant.

46 Dixi in 2. propositione, omnia officia Ecclesiastica, hoc est, quæ à ministris Ecclesiæ eius nomine fiunt, vel alicui ordini Ecclesiastico alligata sunt, prohiberi, non verò alia officia qoamuis diuina sint quia Deus illis colitur & ab Ecclesia quoque probantur. Ex hac vniuersalissima propositione facilè fuerit de singulis quibusdam officiis in particulari iudicare, quid sentiendum sit.

1. enim commendatio animæ fieri potest morienti, ex Cardinal. apud Sylu. ℣. interdictum. 5. q. 4. vbi ipse idem sentit, & Angel. ℣. interdictum, 6. n. 26. Nauarr. cap. 27. n. 176. Vgolin. tab. 5. cap. 8. & alij, quia, inquiunt, hoc officium est connexum pœnitentiæ & absolutioni, sed id non probant: Sayr. id indulgeri putat. lib. 5. cap. 5. n. 38. quia plurimum vtile est in eo discrimine neque deceret pietatem Ecclesiæ illud prohibere. Quæ ratio si quid probaret, dandum quoque esse Sacramentum extremæ vnctionis euinceret. Itaque vera ratio est, quia non est officium Ecclesiasticum, etiamsi orationes, quæ in illo continentur, sint ab Ecclesia compositæ, & præterea, quod attinet ad absolutionem, si quæ ibi in quibusdam priscis ritualibus existat, illa pertinebit ad pœnitentiam morientibus impendendam, vt laudati DD. asserebant: quia è tùc nihil prohibebit dicere, Dominus vobiscum, à quo abstinere monebat Henriq. lib. 13. cap. 44. n. 2. quia etiamsi pertineat ad Diaconum ea vox & arguat officium esse ordini Ecclesiastico annexum, si tamen sit appendix pœnitentiæ morientium, licita erit, sicut & ipsa pœnitentia, & quamuis hæc omnia non firma videri possint, consuetudo tamen videtur obtinuisse, vt morientes his precibus iuuentur etiam tempore interdicti.

2. Confessio & absolutio generalis impendi solita à Sacerdote permittitur non ideò, quia licitum est Sacramentum pœnitentiæ, ad quod ista confessio pertinet, vt dicit Sylu. ℣. interdictum. 5. num. 6. Angel. ℣. 6. n. 20. Viuald. tit. de interd. num. 224. & Henriq. l. c. qui ideircò non nisi cum conditionibus seruandis in Sacramento pœnitentiæ hoc tempore licitam volunt esse eam confessionem & absolutionem, sed quia potius hic ritus neque officium Ecclesiasticum est, cùm ex sua institutione vbique & quolibet tempore fieri possit, neque est aliquid Sacramentale, sed instar benedictionis etiam priuatim fieri solitæ, vt Calderin. membr. 6. de interdict. n. 93. Nauarr. cap. 27. n. 176. & alij verius docent 3. Confraternitates Laicorum possunt etiam publicè cantare Litanias, Psalmos, officium B. virginis & aliorum sanctorum in suis oratoriis, aut capellis, quia reuerà isti non dicunt officium Ecclesiasticum, immò idipsū poterunt clerici & Regulares siue cum cantu, siue sine cantu, modò id faciant prorsus Laicorum more, hoc est 1. sine crucis gestatione. 2. sine stola & superpelliceo. 3. sine ordine procedendi 4. sine Dominus vobiscum, quare in festo S. Marci, aut in diebus rogationum nequit Sacerdos more Ecclesiastico instituere processionem & decantare Litanias, quia eo modo faceret aliquid pertinens ad officium Ecclesiasticum, & violaret interdictum. Ita Maiol. lib. 3. de irregul. cap. 20. n. 10 Vgolin. tab. 5. cap. 8. & alij passim apud Sayr. cap. 5. lib. 5. n. 40.

4. Licita

n. 10.Vgolin. tab.5.cap.8.& alij passim apud Sayr. cap.5. lib.5. n. 40.

4.Licita est publica salutatio Angelica ter in die, ad quam etiam dari posse signum campanæ monuimus. Itaq; ijdem DD. docent. 5. die parasceues fas erit adorare crucem denudatam in Ecclesia consueto more, si nihil aliud ad diuinum officium pertinens fiat, Clerici tamen cum moderatione cap. Alma mater omnia illa officia poterunt peragere, atq; etiam deinde cum populo, si ita lubeat, crucem adorare laicorum more, neque enim ea adoratio est officium Ecclesiasticum.

6. Tum prædicatio verbi Dei, tum scripturæ explicatio siue in scholis, siue ad populum quocunq; sermone licita est, ex cap. responso. de sentent. excomm. & tradunt omnes, immò ipsemet interdictus id posset, quandoquidem neque vitandus ab illis est, neque vsurpat munus alicui ordini necessariò annexum.

7. Officium Purificationis mulieris post partum eiusque ad Ecclesiam introductio, fieri neque solemniter cum stola & solemni ornatu, atq; psalmorū introductione, absque ea tamen solemnitate poterit à sacerdote benedici puerpera, & in Ecclesiam, vt ibi gratias Deo referat, introduci; atque ita dissidentes sententias Canonistarum & summistarum facilè conciliat Sayr.cap.5.cit.n.45.

8. Non modò oblationes siue mortuaria pro defuncto interdicto accipi poterūt, sed etiam pro illo sine Clericus siue laicus sit, recitari officium defunctorum intra Ecclesiam cum moderatione cap. Alma mater, vt rectè Sayr cap. cit. n. vlt. & Alteri. disp. 5. de Interd.c.5. statuunt, quia in c.Alma mater permittuntur omnia officia sicut prius cum moderatione illidem apposita, quam nos quoque seruari in hoc officio mortuorum volumus

CONSECTARIVM XX.

An Benedictio fontis baptismi in sabbatho sancto licita sit, & quid de alijs benedictionibus statuere oporteat?

47 Circa benedictiones in vniuersum statui potest eam omnem, quæ fit in diuino aut cum diuino officio prohibitam esse tempore interdicti, nisi cum ea limitatione, quam diuinis officijs apposuit c. Alma mater, aliam verò omnem benedictionem, quæ cum officio Ecclesiastico necessariò coniuncta nō est, licita erit. Quod ex propositione nostra 2. vniuersali & ex ijs, quæ hactenùs per plura consectaria disputata sunt necessariò sequi manifestū est, vnde quid sentiendum sit de singulis benedictionibus in particulari facilè definies.

Et 1. quidem quoad Benedictionem fontis baptismatis sabbatho sancto fieri solitam dicendū est iure antiquo illam fuisse prohibitā, eo quod nullibi concedatur, sicut conceditur confectio Chrismatis, Iure autem nouo vtraq; facienda erit sed cū moderatione, c.Alma mater, quia ibi est officiū Ecclesiasticum, illudq; solemne, si tamen diceremus illud officium pertinere iam ad ipsum diem resurrectionis, quem ab officio nocte illa fieri solito auspicari dicebamus, posset etiam pul licè fieri, & absque ea moderatione, quod enim qui diem Resurrectionis inchoant ab officio sabbathi sancti velint tantùm à Missa illud initium sumere, non mihi probatur, nā & què officium Missam præcedens fiebat nocte, & ad resurrectionem pertinere videtur; consulenda tamen fuerit consuetudo.

2. Benedictio aquæ non conceditur etiam nisi cū Conditionibus c.Alma mater, quia fit cum diuino officio, inimò neq; illa aspergi posse populum à sacerdote qui eā benedixit priuatim, tradunt permulti, quod verum est de benedictione solemni cum oratione & collecta super populū, si aurē aspersio sine illo apparatu fiat, cùm nihil contineat vnde dicatur officium Ecclesiasticum, nihil vetabit illā tunc fieri.

3.Benedictio Calicis, Corporalium, Altarium, Ecclesiarum paramentorū Abbatum & Abbatissarum & Candelarum in festo purificatæ Virginis, oliuarū Dominica palmarum, Campanarum & aliæ huiusmodi illicitæ sunt siue ab Episcopis siue ab Abbatibus fiant, nisi cum moderatione cap. Alma mater, quia sunt diuinum officium, imo & ordini Ecclesiastico deputatæ

4. Neque Episcopi, neque alij Prælati possunt eo tempore populo benedicere cum solemni & Pontificali apparatu & versu *adiutorium nostrum* & quia ea benedictio est actus ordinis Pontificalis cap.Ecce. dist.95. Quando verò progrediendo & itinerando benedicunt obuios sine apparatu vllo, licitè id faciunt, neque in dubium id à quoquam reuocari posse dixit Sayr cap. 6. lib. 5. n. 11. qui etiam addit, neque esse prohibitam illam, quam largiuntur incedentes in apparatu in solemni pompa & processione, quia cum fiat sine baculo & versic. neque diuinum officium, neque actus ordinis Episcopalis est quamuis probarem consilium Calderini memb. 66. de interd. n. 93. monentis Episcopos vt abstineant, si tamen fecerint, non damnandis tanquam reos violati interdicti.

5. Benedictio baculi & peræ peregrinorum ab omnibus permittitur.

6. Benedictio denique cottidiana mensæ nullo prorsus Iure prohibetur.

CONSECTARIVM XXI.

An professio Religiosa emitti possit tempore Interdicti?

Negat Henriq.lib.13.c.44.n.1.allegans Nauarr. quem sequitur etiam Alteri disp. 5. cap. 5. hæc tamen assertio videtur mihi admodum incerta, nam etiamsi aliquando adhibeantur aliqui ritus in eiusmodi professione qui fiant inter diuina officia, & inter missæ etiam sacrificium, illi tamen non sunt de essentia professionis, & amitti poterunt. Ipsa autem professio cùm sit quædam solemnis, atq; irreuocabilis sui traditio, non est officium Ecclesiasticum, & quamuis hæc omnia concederemus, cùm tamen omnibus Regularibus permissum sit in Interdicto locali generali diuina omnia in suis Ecclesijs & Monasterijs celebrare cum moderatione cap. Alma mater, cur non poterit etiam fieri professio Religiosa, nam illud priuilegium extendi ad ipsos quoque nouitios nemini dubium est, neque dicas Leon. x. concessisse priuilegium emittendi professionem tempore Interdicti vt habetur in Compend. mendic. ℣. Interdictum. 1. §. 19. ergo non licebat Iure communi ea solemnis professio, quia id intelligendum est de professione quæ fit in Missa & cum officio solemniter celebrato; quam ianuis apertis, campanis pulsatis, excommunicatis solùm exclusis permisit fieri Leo x. vt refertur etiam in compendio priuilegio. mino. ℣. Interdictum.§.10.& in Compendio priuilegiorum nostræ Societatis ℣.eod.§.5.vide Portellum.in dubijs Regularib. ℣. Interdictum.n. 68. 48

Ii Posse

Posse quoque benedici vestes ingredientium Religionem tradit ibid. Hentiq. Alteri & Sayr. cap. 6. num. 8. quod ita intelligendum existimo, vt solemnis benedictio veli, velatióque virginis, quæ habetur in Pontificali non sit licita vi interdicti, qoia reuera est quidpiam ad officium Ecclesiasticum pettinens.

CONSECTARIVM XXII.

An quibus licet vel ex priuilegio assistere diuinis officijs vel ex iure cap. Alma mater, vt solemnibus festiuitatibus possint donari Eucharistica sepultura?

49 ℞. Nihildum hoc loco certò definiri posse, pender enim ea quæstio ex Regulis seruandis in interpretandis priuilegiis, & quænam connexio requiratur, vt ab vno casu in alium extendi valeat, quod disquiremus alibi. Vide Auilam. S.p. disp. 4. f. 3. dub. 4. & 3.

CONSECTARIVM XXIII.

An Ecclesia parochiali specialiter interdicta parochiani possint eligere sepulturam extra Parochiam?

50 ℞. Eos, qui culpabiles non sunt, quia causam Interdicto non dederunt neque idcircò sunt ipsi specialiter interdicti siue directè, sine indirectè posse alibi extrà parochiam sepeliri. Ita Alteri. disp. 6. de interd. cap. 4. sub fin. & Sayr. cap. 8. n. 17. quia Interdictum locale non afficit personas non culpabiles. nisi in ordine ad locum interdictum, extra quem nullo modo ligantur interdicto, & possunt ea omnia, quæ cæteris fidelibus permittuntur; Itàque Parrochiani extra parrochiā interdictam poterunt audire diuina, sacramenta percipere, & Ecclesiasticæ sepulturæ mandari.

Reijcienda igitur est vulgaris distinctio Paludan. in 4. d. 18. q. 8. a. 4. & Rosella ℣. Interdictum 2. n. 12. quoties interdicitur parrochia propter delictum populi, omnes & singulos etiam innocentes prohiberi sepultura Ecclesiastica etiam extra parrochiam, secus verò quando interdictum est propter crimen Clericorum, quæ distinctio falsa est; quoties enim interdictum locale duntaxat est, non afficit personas extra locum interdictum, nisi ipsæ dederint causam interdicto, & ineptè omninò affertur ab aduersariis cap. si sententia. de senrent. Excomm. in 6. in quo dicitur populo interdicto, singulares etiam personas illo teneri, neque alicubi posse audire diuina, aut percipere Sacramenta, ne inutile alioquin sit interdictum illud; quia ibi sermo est de Interdicto personali, vt vides, nos autem agimus de locali in nostro Consectario.

CONSECTARIVM XXIV.

An interdictus possit adesse dispensationi Eucharistiæ præconsecratæ?

51 Ratio difficultatis est, quia etiāsi liceat aut ex priuilegio, aut ex Iure communi in quibusdam festiuitatibus assistere diuinis officijs, hæc tamen dispensatio Eucharistiæ neque diuinum officium est, neque sacrificij pars, ergo illi adesse nefas erit.

℞. Nihilominus licitum esse huic administrationi Eucharistiæ interesse non modo in dictis festiuitatibus, sed quocunque alio tempore. Ita Benzoni. de Iustitia Interdicti Pontificij c. 6. neq; opus esse priuilegio, aut concessione c. Alma mater, quod reuera nihil hac in parte amplius concedit, quàm ius ipsum commune & antiquum, quia nunquam fuit prohibitum adorare CHRISTI corpus nisi dum consecratur in Missa, cui non licet assistere, cùm nullibi contineatur ea prohibitio, immò verò cùm licitè eo tempore aliqua Sacramenta ministrentur, licitè, quoque eorum administrationi quilibet assister, vt de baptismo & confirmatione, atque etiam de ipsamet Eucharistia ad infirmos delata dicebamus proposit. 1. Rationem porrò optimam reddit Suar. disp. 34. s. 4. n. 32. propter quam prohibeatur aliquis exhibere præsentiā, diuinis officiis, & non administrationi Sacramentorum, quia ista perceptio aut dispensatio Sacramenti est peculiare quoddam Ministerium, quod per se transigitur inter dantem & recipientem, & ad illud per accidens & concomitanter se habet cæterorum præsentia, neque enim idcircò illi aut de eo participant, aut in illo communicant, aut ministrant, diuina autem officia sunt aliquid per se commune omnibus fidelibus, & quod nomine omnium fidelium præstatur, vti de Sacrificio exponebamus q. 2. quare qui illi officio assistunt, illi suo modo participant & communicant; vnde quamuis vi interdicti prohibeatur adesse aliquis eiusmodi officiis non idcircò magis prohibebitur adesse dispensationi Eucharistiæ, quam illam videre & venerari siue in Ecclesia, siue extra illam.

CONSECTARIVM XXV.

An in festiuitatibus, in quibus suspenditur interdictum liceat illud imponere?

Responder Hentiq. lib. 13. cap. 47. n. 2. suspendi tantùm interdictum quod prius positum fuerat, non vetari, quin vrgente causa possit, inquit de nouo interdictum in prædictis festis imponi, nec enim lex restringit potestatem imponentis; in margine verò litt. A. refert an. 1584. impositum fuisse Salmanticæ à Magistro scholastico. *Cum sapientum consolatione.* Eadem habet Roderic. tom. 2. qq. Regular. q. 102. a. 2. sub fin. & Villalob. tom. 2. tract. 19. diff. 6. n. 7. Hæc tamen doctrina obscurior mihi videtur vel enim hi DD. volunt in illis festiuitatibus imponi posse interdictum, quod iam obligare & vigere incipiat in illis festiuitatibus vel quod illis quidem diebus promulgetur, incipiat tamen post elapsos eos dies obligare; quod postremum non videtur habere difficultatem, neque enim ea impositio alicubi prohibita est, aut cum sanctitate festi pugnat, primum autem dici nequit, nempe nouum interdictum eo solemni die impositum illo eodem obligare, interrumpenda enim essent diuina officia, quod tamen prohibet cap. Alma Mater, aut saltem ita permittit eam celebrationem, vt contra licentiam ibidem factam frustra nitatur inferior aliqua potestas, quæ prohibere nequit actum, quem lex Ecclesiastica ita vult mihi esse permissum, vt si iam prohibitus sit, tollat aut suspendat eam prohibitionem. Itaque non existimo illis diebus ita imponi posse interdictum locale generale, de quo solo loquuntur, vt illo ipso die, quo promulgatur, sortiatur suum effectum. Atque eo die festo obliget contra concessionem factam in cap. Alma Mater. 52

CONSE

CONSECTARIVM XXVI.

An extra locum sacrum sepulti propter interdictum, laxato deinde interdicto exhumandi sint, & in loco sacro sepeliendi?

53 Ita concedunt omnes DD. quos congerit Sayt. lib. 5.c.8.n. 21.si isti sepulti non fuerint interdicti specialiter directè vel indirectè, & signa pœnitentiæ dederint, posse in locum sacrum transferri, atq; eã esse communẽ praxim obseruat Henriq.lib. 13. cit.c.44.§.5.& sanè nihil tunc est, quod ipsos amplius detineat extra locum sacrum, sicuti etiam diximus de excommunicatis absolutis post mortem.

CONSECTARIVM XXVII.

An sepulti in loco interdicto sint exhumandi relaxato deinde interdicto?

54 ℟. Cum communi DD. apud Sayt.cap.cit.n.22. non esse exhumandum si fuerat innocens, quia iam res deuenit ad eum statum, à quo potuerat incipere,& iam cessat interdictum, atque proinde prohibitio per illud inducta,quamuis enim aliquid malè gestum sit,& contra legis præscriptum, factum tamen sæpiùs tenet. Immò addit Suar.disp.35.s.1.n. 20.neque durante adhuc interdicto esse exhumandos, quia Ecclesia prohibet quidem actum sepeliendi in loco interdicto,non autem eius effectum, & terminum, aut corpora in eo loco condita ibi manere,immò neque etiam si fuerit personaliter,sed generaliter tantùm interdictus,& denique nulla est lex,quæ obliget ad irritandum factum illud contra prohibitionem interdicti,& exhumandum eiusmodi corpus,neque enim continuè peccatur,quandiu manet cadauer in eo loco, sicut quandiu interdictus assistit diuinis sibi prohibitis, quia non peccat primùm ingrediendo, sed continuò audiendo diuina,pergit in eodem peccato.

Si verò qui tumulatus fuerat in interdicto loco, culpabilis erat, & ipse quoque personaliter interdictus,& pœnitentiæ signa non dedit,exhumandus erit modò ab aliis distingui queat, si verò ipsum pœnituerit, & iam laxatum sit interdictum, non erit exhumandus, quia iam in loco sacro sepeliri posset, ergo in illo sepultus manere poterit.

CONSECTARIVM XXVIII.

An clerici possint mortuaria accipere pro defunctis interdictis?

55 ℟. Vel hos defunctos fuisse contra interdicti prohibitionem sepultos in loco interdicto ab ipsis clericis, vel ipsis inuitis, vel extra locum interdictum sepultos, aut sine Ecclesiastica sepultura, vel denique fuisse interdictos personaliter generaliter,vel specialiter.

Et quidem si ipsi contra prohibitionem factam sepelierint in loco interdicto peccarunt,& pro iniquo eiusmodi opere stipendium accipere non possunt,quanquàm si acceperint,non existimo obligari ad restitutionem;si verò ipsis inuitis sepulti fuerit defuncti in loco prohibito, aut si defuncti erant personaliter interdicti, & cum iis pœnitentiæ signis decesserint,vt sine peccato mortali decessisse pia coniectura sit,possunt pro ipsis non modò orare,

sed etiam sacrum & mortuorum officium intra Ecclesiam cum moderatione capitis Alma mater celebrare, vti diximus superiùs;poterunt igitur pro ea oratione & officio solita stipendia capere. Itaq;sentiunt Paludan.in 4.d. 18.q. 9.a. 4. §. quantum ad sextum decimum.Vgol.tab.5.c.15.§.4.n. 2. & alij passim,quos dabit ex parte Sayt.lib.5.c.8.n.23

QVÆSTIO XV.

De effectibus cessationis à diuinis.

Ex his quæ disq.1.q.2.diximus circa naturã cessationis à diuinis, atq; ex interdicti effectibus superiori q. explicatis paucis perstringere licebit quæ circa hanc pœnam eiusque effectus supersunt. 1

PROPOSITIO.

Effectus cessationis à diuinis duplex est, primus omnimoda desistentia à diuinis officiis, nequidem adhibita moderatione cap. Alma mater, nisi aliud ferat consuetudo aut priuilegium. 2.Est prohibitio administrationis Sacramentorum præterquàm Baptismi paruulorum & pœnitentiæ morientium.

PRIMVS EFFECTVS.

Prohibitio diuinorum officiorum.

Duos effectus assignant cum communi DD. in cap. non est vobis de sponsalibus, quorum primus effectus est omnimoda diuinorũ officiorũ priuatio; quid vero nomine diuinorũ officiorũ intelligatur, 2

& quid eorū prohibitione prohibeatur, aut permittatur, iā satis liquet ex q. superiori; publica porrò hæc officia Ecclesiastica prohiberi per hanc cessationē docet ipsa nominis significatio, communis DD. sensus, & continua Ecclesiæ praxis, & definiri perspicuè videtur c. Non est vobis. de sponsalibus. Nulla, inquit Pontifex, *diuina officia permittatis ibi celebrare præter baptismū paruulorum, & pœnitentias morientiū*, ibi verò sermonē esse de cessatione à diuinis, & non de Interdicto fatentur Innoc. & Panormit. in suis cōmentarijs, atq; hæc quidem prohibitio directè afficit clericos, qui vetantur hæc officia celebrare, cùm enim Ecclesia in signum luctus & mœroris, quo factam sibi iniuriam deplorat, velit omnia sua officia cessare, imperat ministris, ne illa exerceant, consequenter tamen eadem lege implicantur cæteri fideles, quos cessantibus Ecclesiæ ministris cessare quoque ab eiusmodi officijs necesse est, & hæc prohibitio non tantùm ponitur pro Ecclesiasticis personis, sed etiam pro toto populo, qui ad ea officia conuocari solet; quarè si Clerici neglecto imperio Prælati prohibentis, celebrent nihilominus solito more diuina officia, laici illis adesse nequibunt, alioquin violabunt hanc cessationem, & sacerdoti ex priuilegio celebranti ceteri eodem priuilegio carentes assistere sine culpa non poterunt.

3 *Dixi* porrò ita cessare omnia diuina officia per hanc prohibitionem, vt neque certis quibusdam diebus neque cum moderatione & conditionibus, vel iure veteri ab Innoc. III. cap. Quod in te de pœnitent. & remissionib. vel Iure nouo à Bonifacio VIII. cap. Alma mater de sentent. Excomm. in 6. appositis & à nobis superiori q. explicatis fas sit ea celebrare. Ita docent Nauarr. cap. 27. n. 189. Henriq. lib. 13. cap 52. n. 1. Tolet. lib. 1. cap. 56. initio. Viuald. in Candelabro. tract. de cessat. n. 6. & 14. Sayr. lib. 5. cap. 19. n. 1. Auila 6. p. disp. 1. dub. 3. & 4. Suar. disp. 39. s. 2. n. 7. Kon. disp. 17. n. 85. Hurtad. tract. de cessat. à diuinis diff. 2. Roderiq. tom. 2. qq. Regula. q. 116. a. 1. Bonac. disp. 6. p. 3. Villalob. tract. 20. diffi. 2. n. 4. Alteri. disp. 2. de Interdicto. c. 3. dubit. 2. Gutierr. lib. 1. qq. Cano. cap. 10. n. 4. & alij deinceps recētiores, contra Ioann. Andream, Archidiacon. in cap. si Canonici. de officio ordina. in 6. Paludan. in 4. d. 18. q. 8. a. 3. Villadiego. de Irregularitate. cap. de Interdicto, & alios relatos à Gutierr. lib. 1. qq. Canonic. cap. 10. n. 4. Cutiel. in tract. de cessatione à diuinis & Couarr. qui in c. Alma mater. 2. p. §. 4. n. 7. post latè agitatā hanc controuersiam concludit ad extremum, nostram sententiam, quæ negat concessionem capitis Alma mater, habere locum in cessatione à diuinis esse quidem nouo vsu receptam, contrariam tamen, quæ hanc celebrationē cum illis conditionibus permittit, Iuri conformiorem videri, quod quàm parum solidè dicatur, non fuerit difficile ostendere. Nam imprimis in ipso Iure Interdictū & cessatio distinguuntur, immò cessatio à diuinis post Interdictum infligitur tanquā grauior quædā pœna, quæ omnia falsa forent, si in cessatione ista eadem officia & eodem modo quo in interdicto celebrare liceret. 2. habemus simplicem, absolutā & vniuersalem prohibitionē omnium diuinorum officiorum in cessatione à diuinis c. Non est vobis de sponsalibus, quod fatentur ipsi aduersarij, neq; vllibi deinde reperitur restrictū fuisse illud Ius, & vniuersalitas eius prohibitionis limitata. Nā c. Quod in te, & c. Alma mater loquuntur de Interdicto, non de cessatione, vti liquidò constat; manet igitur integra & vniuersalis ista prohibitio in Iure nisi cessationē à diuinis cum Interdicto confundamus, quod quā parum prudenter aliqui fecerint, dicemus in Conlectarijs. 3. c. si Canonici de officio ordinarij in 6. is qui causa fuit cessationis, iubetur restituere Canonicis cotidianas distributiones, quas eius culpa omiserunt, atqui hoc falsum esset, si moderatio c. Alma mater valeret in ea cessatione, possent enim vt dicitur eod. cap. adesse diuinis officijs, quæ ianuis clausis & cum alijs conditionibus ibidem appositis celebrarentur, atque ita lucrari distributiones, quarè si sua absentia illas amitterent, sua tantùm culpa, non illius, qui causam dedisset cessationi à diuinis, ipsis perirent, & sanè secum pugnant aduersarij, qui dicunt cum Ioann. Andr. in cap. Dilectis. de appellationibus. Episcopos posse ex priuilegio cap. quod nonnullis, & c. vltim. de priuilegijs in 6. celebrare tempore cessationis ianuis clausis & excommunicatis atq; Interdictis exclusis, si enim illud priuilegiū est Episcoporum, cæteris clericis prohibita est ea celebratio, ergo cap. Alma mater, nullam vim obtinet circa cessationem à diuinis.

Dices. Eandem rationem, quæ mouit Pontificem, vt temperaret rigorē Iuris antiquioris circa interdictum, valere circa cessationem à diuinis, cùm ex illa eadē immò multo maiora incommoda, quàm ex interdicto nascātur. Atqui à ratione expressa in aliqua cōstitutione benè argumentamur ad casū omissum cum glossa in Clem. 1. de Elect. ℣. eligatur, quod in materia etiam correctoria verum esse notatunt Barthol. & alij in l. Gallus. §. & quid si tantū. ff. de liber. & posthumis Præterquam quod constitutio correctoria quoties fauorabilis animæ est, extendenda & in ampla significatione interpretanda est vt alibi diximus, nemo autem non videt constitutionem c. Alma mater saluti animarum fauere, eam igitur illā amplè interpretabimur, & ad cessationem à diuinis meritò extendemus. ℞. hoc argumentū concludere non tantum fuisse temperatū rigorem cessationis à diuinis, sed illā omninò sublatam fuisse, quandoquidem non potuit Pontifex eas limitationes adhibere in hac cessatione, quas in Interdicto adhibuit quin tolleret omninò cessationē à diuinis, & cū interdicto confunderet, vt sæpius monui, nullus autē vnquam dixit per c. Alma mater sublatā fuisse cessationem à diuinis, neq; hic textus sensus Ecclesiæ est vt ex contraria praxi, quam vigere fatetur Couarr. liquido colligitur. Deinde cùm non nisi admodū rarò vsurpetur cessatio à diuinis, non fuit timendum Pontifici, ne incōmoda, quæ metuebat ex Interdicto, cuius vsus frequentior existit, ~~euenirent~~; aliud q; est corrigere legem & temperare, aliud illā omnino tessigere, vti fieret hoc loco. Itaque vulgaria illa Iuris principia non aptè afferuntur hoc loco.

Atq; ex his vlterius colligo, si inhæreamus Iuri, ne quidē in quatuor anni festiuitatibus, quibus cōceditur celebratio diuinorū in c. Alma mater, eam licitā esse in cessatione à diuinis nisi aliud ferat cōsuetudo; quamuis aliqui ex illis ipsis Doctoribus, qui nobiscū proximè sentiebant, vt villalob. Henriq & alij id negent, velintq; Bonifaciū in c. Alma mater, non laxare interdictū quoad illas festiuitates, sed simpliciter præcipere, vt in illis diuina solito more celebrentur excōmunicatis tantùm exclusis; vnde colligunt nō posse ab Episcopo, aut alio quopiā inferiori prohiberi diuina officia illis diebus, nisi derogetur huic, Cōstitutioni Pōtificiæ atq; ita factū Salmāticæ in festo corporis Christi an. 1584. referūt Hēriq. & alij. Verùm certū mihi est c. Alma mater, nō agere nisi de interdicto, vt ex principio eius & fine cōstat; quare intermedia quoq; de interdicto sunt accipienda.

da. Itáque ſtatuit Pontifex, vt ſuſpendatur interdictum quoad diuina officia in illis feſtiuitatibus, quia tamen conſuetudo potuit derogare huic iuri, & illa verba de ſimplici & abſoluto præcepto interpretari, quam conſuetudinem & interpretationem teſtantur Henriq. Villalob. Auila. dub. 6. Couarr. §. 5. n. 3. Roderiq. q. 116. cit. a. 6. Gutierr. cap. 10. cit. n. 11. Ludouic. à cruce in Bullam cruc. cap. 5. diſp. 1. dub. 8. n. 4. Exiſtimo in his feſtiuitatibus tutò poſſe diuina celebrari, quod noſtræ propoſitioni non obſtat, quæ aſſerit ceſſationem à diuinis afferre omnimodam carentiam diuinorum officiorum, neque ratione diei alicuius interrũpendã eſſe attento iuris rigore & ſecluſa conſuetudine legitima, vel priuilegio, quæ iuri derogarint.

Alter effectus ceſſationis à diuinis.

Priuatio Sacramentorum:

4 Nomine diuinorum comprehendi Sacramenta colligimus cum Panormit. ex cap. non eſt vobis. de ſponſalibus. n. 3. dum enim Pontifex iubet nulla diuina officia celebrari præter baptiſmum paruulorum & pœnitentias morientium, reuerà Sacramenta recenſet inter diuina officia, in ampliori quadam ſignificatione vſurpans nomen officij diuini, quod vt vidimus q. proxima in interdicto, & alibi ſæpiùs, non includit adminiſtrationem Sacramẽtorũ.

Atque hic eſt alter effectus ceſſationis, in qua duo tantùm enumerata Sacramenta conferre permittitur; Ex his verò quæ in ſimili effectu interdicti diximus, facilè fuerit definire, quidnam liceat circa Sacramentorum adminiſtrationem durante ceſſatione à diuinis.

5 Igitur licitus eſt baptiſmus paruulorum, quo nomine non exiſtimo excludi baptiſmum adultorum propter ſummam huius Sacramenti neceſſitatem, ſed quia ex conſueto Eccleſiæ more Baptiſmus conferri ſolet infantibus, idcircò paruulorum Baptiſmus dicitur, & ſanè non eſt maior ratio conferendi hoc Sacramentum tempore ceſſationis à diuinis, infantibus potiùs, quàm adultis citra periculum vitæ, vt dicebamus q. ſuperiori, in illo autem periculo nemo dixerit negandum eſſe adultis, poterit autem cum ſolemnitate ſolita miniſtrari hoc Sacramentum, quia conceditur ſimpliciter & abſolutè miniſtrari.

2. Sacramentum confirmationis attento iuris rigore & ratione non permittitur; quia quod ex interdicto afferri ſolet, non valet in ceſſatione, cum pluribus differant, ex communi tamen DD. ſententia, & conſultatione etiam Salmanticenſium an. 1556. quam paſſim referunt Sayr. cap. 19. & alij, licet hoc Sacramentum, quod eſt veluti complementum Baptiſmi, & ea extenſio accedente illo communi ſenſu faciet illius [illegible] conſcientia, inde fit vt liceat conficere Chriſma in cœna Domini.

3. Permittitur pœnitentia morientium, quo nomine ſignificatur quoque Euchariſtia vti diximus, quare & illa miniſtrari poterit, atque ea de cauſa poterit ſemel in hebdomada ad renouandã Euchariſtiam pro infirmis ſacrificari, vt dicitur c. permittimus. de ſentent. excomm. non quod ex iis, quæ licent in interdicto, argumentemur ad ceſſationem à diuinis, ſed quia id neceſſario ſequitur ex conceſſione miniſtrandi Euchariſtiam, & ex reuerentia debita illi Sacramento, ſi enim diutius duret ceſſatio, aut ſi ſit numerus magnus infirmorum, neque ſatis multæ ſint ſpecies conſecratæ, ſanè alias conſecrare oportet, immò quia periculum eſt ne putreſiant interdũ oportet illas renouari, quia verò vix ſtatui poteſt certũ tẽpus huius conſecrationis, bene deſignamus illud, quod in ſimili effectu interdicti iam olim Eccleſia ſignauit in c. permittimus citato, cùm nondùm liceret ex venia capitis Alma mater clericis cottidiè diuina celebrare cũ conditionibus ibidẽ appoſitis; immò inde colligit Suar. diſp. 39. ſ. 2. n. 20. ſi vrgeat neceſſitas alicuius morituri ſine viatico niſi conſeretur denuò, eo quod ſpecies eadẽ hebdomada aut etiã pridie conſecratæ conſumptæ fuerint, poſſe fieri ſacrũ, vt illi neceſſitati ſuccurratur; Concedit enim Eccleſia Euchariſtiam eo momẽto, ergò & quæ ad illam miniſtrandam neceſſaria ſunt.

Hoc tamen ſacrum qualibet hebdomada ita fieri debet, vt ſeruetur quoad poterit ceſſatio à diuinis, itaque præſente ſolo miniſtro, aut duobus, vt vult Henriq. ex veteri ritu & feris decreto celebretur; neque pœnitentia ſanis, neque Euchariſtia, neq; Ordines, neque Extrema-vnctio conferri poſſunt; qua in re omnes æque conſentiunt; Difficultas tantùm eſt de pœnitentia, quàm Couarruu. in cap. Alma mater. 2. p. §. 4. num. 7. & DD. Salmãticenſes volunt permiſſum eſſe, verum nullibi in iure habetur ea conceſſio circa ceſſationem à diuinis, itáque omninò dicendum eſt eam prohiberi, niſi conſuetudo deroganit huic legi, quod non malè cõijcimus ex DD. authoritate, qui ita ius interpretati ſunt, neque enim alia ratione duci potuiſſe videntur, quàm ipſo vſu & conſuetudine.

Denique matrimonium non prohibetur niſi quoad benedictiones nuptiales, iã enim docuimus q. ſuperiori in his interdictis & diuinorum prohibitionibus non comprehendi niſi Sacramenta, quorum diſpenſatio poſtulat miniſtros ab Eccleſia conſecratos.

CONSECTARIVM I.

An ſacra ſepultura prohibeatur tempore ceſſationis à diuinis?

Ratio dubitandi eſt, quia interdictum induci hanc priuationem, vnde in cap. quod in te de pœnitent. & Remiſſion. conceditur ex priuilegio clericis, qui interdictum ſeruauerint; atqui ceſſatio cũ grauior pœna ſit interdicto, eius omnes effectus cõprehendit, vnde etiam vlteriùs colligi videtur eam ſepulturam non modò Laicis, ſed omnibus quoque clericis etiam Sacerdotibus, contra quam exiſtimarint DD. Salmãticenſes & Henriq. c. 53. prohiberi, quia, vt dicemus inferiùs, priuilegium factũ tẽpore interdicti trahi non debet ad tẽpus ceſſationis à diuinis; deinde nomẽ ipſu ceſſationis diuinorũ videtur factã ſepulturã cõplecti, cũ ad diuina ſiue ſacra ſine dubio pertineat. Aliunde tamẽ in cap. Non eſt vobis de ſponſalibus non traditur hic effectus ceſſationis, neq; alibi in iure, & tota ratio ducitur ex interdicto, ex cuius ſimilitudine non duci firmũ argumentũ iam monuimus, & conſtabit ampliùs ex duobus proximis conſectariis; Quare falſum eſt illud cõmune principiũ ceſſationẽ priuare omnibus, quæ prohibẽtur tẽpore interdicti, quia nulla iuris authoritate nititur, immò ex eodẽ iure, quod plura diſcrimina inter pœnas ſtatuit validè impugnatur. 6

Duo igitur diſtinguenda ſunt in Eccleſiaſtica ſepultura. Primũ eſt depoſitio cadaueris in loco ſacro,

alterum est preces & diuina officia, quæ ex pio Ecclesiæ ritu in ea depositione solita sunt adhiberi; Atque hoc postremum prohiberi per cessationem à diuinis, que priuat omnibus diuinis officiis etiam cum moderatione capitis Alma mater, certissimum est, quarè ne quidem ianuis clausis illa pro aliquo mortuo celebrari poterunt, vti licere dicebamus in Interdicto, & ne quidem pro clericis ea celebrari posse existimo contra Auil. disp. 1. cit. dub. 10. conc. 2. Henriq. lib. 13. cap. §. 3. num. 4. Alteri. disp. 2. de interd. cap. 5. Couarr. & alios ab ipsis relatos, quia priuilegium factum clericis cap. Quod in te de pœnit. & Remissionib. non est extendendum ad cessationem à diuinis; qoarè nisi contraria sit consuetudo, abstinendum omninò erit ab eiusmodi officiis; si eamen dandum foret aliquid DD. authoritati, qui volunt clericis factum priuilegium in interdicto valere in cessatione, nomine Clericorum non solos sacerdotes, vt malè censuit senatus Salmantic. Sed omnes etiam inferioris notæ clericos & prima tantùm tonsura initiatos comprehenderem cum Henriq. quandoquidem neque ex verborum proprietate, neque aliunde colligi potest ea restrictio ad solos sacerdotes.

Quod verò attinet ad depositionem cadaueris in loco Sacro nullis officiis funeralibus adhibitis ea nullibi prohibita reperitur tempore cessationis à diuinis, cùm reuerà ipsa non sit diuinum, aut Ecclesiasticum officium, & ideò eius facienda fuerat expressa mentio, vti facta est in interdicto: neque vlla ratio cogit nos hanc prohibitionem in aliis duobus effectibus superius explicatis subintelligere vel enim orirerut ex ratione loci, in quo iubentur diuina officia cessare, vel ex lege posita personis, noo ex primo capite, quia cessatio non afficit primò & per se locum sicut interdictum, quod reddit locum inhabilē ad recipiendum cadauer; neque etiam ex præcepto imposito ministris Ecclesiæ, illis enim hoc vnum per hanc cessationem imperatur, ne diuina officia celebrent, non autem ne in loco sacro cadauer aliquod deponant aut tumulent; quarè id licitum omninò esse modo explicato docet Suar. disp. 39. s. 2. n. 3 2. Vbi eruditè aduertit nullum aut Canonistam, aut summistam affirmasse Ecclesiasticam sepulturam hoc sensu prohiberi per cessationem à diuinis, consentiunt Kon. disp. 17. dub. 7. Hurtad. tract. de cessatinne diffic. 2. Villalob. tract. 20. tom. 1. diffic. 2. n. vltimo, quamuis dicat contrarium propter DD. authoritatem in praxi seruandum esse; sed vbi DD. aliquorum authoritas cum aperto Iure pugnat existimo potiùs inhærendum aliis, quamuis paucioribus, qui Iuri consentiunt, maximè in fauorabilibus; neque enim DD. condunt Ios, & multò minus illi derogant, quoties cum ipso pugnant. Atque ita nostram sententiam amplectitur Layman. lib. 1. tract. 3. pa. 4. cap. 6.

CONSECTARIVM II.

Discrimina interdicti & cessationis à diuinis.

7 Ex dictis de effectibus ac natura Interdicti & cessationis à diuinis facile fuerit colligere has duas pœnas inter sese plurimùm diffidere, & quidem nonnulla discrimina attulimus disq. 1. q. 2. quæ ex his, quæ proximè diximus confirmari possunt. 1. enim Interdictum est Censura, non autem cessatio à diuinis. 2. Interdictum est quid Iuris, Cessatio verò est quid facti, qoæ duo discrimina loco citato exposita sunt. 3. Cessatio nunquàm imponitur à iure ipso facto incurrenda, vt ibidem diximus, causamque reddidimus. 4. cessatio facta post appellationem valida inhilominis est, & à diuinis tunc reipsa cessandom est, Interdictum autem si post appellationem legitimam decernatur, nullum est, vt cap. 8. de omnibus censuris dicam, quanquā de hoc discrimine meritò dubitat Couarr. in cap Alma mater. 2. p. §. 2. n. 1. quia etiamsi factum infectum reddi non possit, poterit tamen ea suspensio organorum, siue cessatio à diuinis oon obligare, cū legitimè imposita non sit propter interiectam appellationem. Denique differunt, vt vidimus in effectibus & in causa quoque efficiente, neque enim necessariò, qui potest inponere hanc cessationem poterit interdictum etiam infligere, quod obseruat glossa in cap. si Canonici. §. cessare. de officio ordinarij. in 6.

CONSECTARIVM III.

Priuilegia obtenta pro interdicto non valent pro cessatione à diuinis.

8 Qui v. gr. obtinuit veniam audiendi diuina officia, aut percipiendi Sacramenta, aut sacri faciendi tempore interdicti, nequit suo illo priuilegio, vti durante cessatione à diuinis. Neque distinguo inter priuilegium generale in sertum Iuri cōmuni, & priuilegium, quod est extra Ius commune positum, vti faciunt aliqui. Volunt enim priuilegia, quoties isti corpori Iuris inserta sunt, vt priuilegium concessum Episcopis cap. quod nonnullis. de priuilegiis & c. vltimo. eod. tit. in 6. & priuilegium Templariorum. cap. cùm & plantare. §. quod si Templarij. de priuilegiis, etiamsi loquantur de Interdicto tantùm, extendi nihilominus posse ad tempus cessationis à diuinis. Ita Couarr. a. p. in cap. Alma mater. §. 4. n. 7. Henriq. lib. 13. cap. 5 3. n. 3. vbi etiam in litt. P. refert quosdam Salmanticenses ita tenuisse, idem docet Auila. 6. pa. disp. 1. dub. 5. con. 1. Roderiq. tom. 2. qq. Regular. q. 1 16. a. 3. quod probant, quia priuilegium Iuris cùm sit fauor quidam amplè interpretandum est, priuilegium tamen priuatum tanquam Iuris odium restringendnm est. Verùm reiicio, vt dixi, hanc omnem distinctionem, & in vniuersum prooontio, nullum priuilegium siue in Corpore Iuris positum, siue extra illud per particulare rescriptum, Bullam Cruciatæ, aut aliam quamcunque, si solius interdicti meminerit, ad cessationem à diuinis trahi posse. Ita Nauarr. cap. 27. n. 188. adducens Angelum. Suar. disp. 39. sect. 2. s. 1. n. 11. Alteri. disp. 2. de Interdicto. c. 3. dub. 1. Villalob. tom. 1. tract. 20. diff. 2. n. 4. Hurtad. diffic. 2. citata & alij. Ratio aperta est ex dictis. Priuilegium enim quodcunque sit non operatur aliud, quàm quod exprimit & concedit, vt Panorm. in cap. certificant. de sepulturis, aduertunt obseruant, diemusque susius alias. Atqui interdictum nō significat in iure cessatioē à diuinis, quod igitur in aliquo priuilegio cōceditur respectu interdicti, non conceditur ratione cessationis, maxime cum priuilegium circa cessationem longiùs recedat, siue, vt loquuntur, exorbitet à Iure communi, quam priuilegium circa interdictū, eo quod, vt vidimus in cessatione, fit omnimoda prohibitio diuinorum officiorum, non verò in interdicto, in quo illa permittuntur fieri seruatis quibusdam conditionibus q. superiori explicatis. Distinctio verò illa priuilegij inserti in corpore Iuris, aut extra illud inutilis omninò est quoad strictiorē aut

aut ampliorem extenſionem, cùm nullum priuilegium extra propriam & iuridicã ſignificationẽ verborum, quibus exprimitur, extendi vnquàm debeat.

Dices in Clem. 1. de ſentent. Excom. §. in ceſſationibus, interdictum generale æquiparatur Ceſſationi à diuinis, ergo quæ conceduntur pro interdicto, conceſſa quoque intelliguntur in Ceſſatione. ℞. Iam conſtare ex Conſectario 2. hæc omninò longè differre, & falli authores, qui apud Couarr. §. 4. cit. n. 7. & Henriq. lib. 13. cap. 40. ſ. 2. n. 1. in margine iſta confuderunt, etiamſi de antiquo & veteri Interdicto loquantur; quod etiam manifeſtum fit ex Clem. citata, ibi enim apertè innuit Pontifex regulares poſſe ſua authoritate ceſſare à diuinis, eſſeque illud lumen, quo ſe tueantur aduerſus iniurias. Certum tamen eſt ipſos neque interdictum, neque aliam cenſuram ferre poſſe niſi in ſuos Regulares; comparantur igitur eo loco interdictum generale, & ceſſatio à diuinis quoad pœnam excõmunicationis, quam Pontifex imponit violantibus tum Interdictum, tum ceſſationem à diuinis.

CONSECTARIVM IV.

An tempore ceſſationis à diuinis duo Clerici poſſint ſimul recitare horas Canonicas?

9 Negant licere DD. Salmanticenſes ſed malè, vti fatentur Henriq. cap. 52. n. 2. Auila diſp. 1. dub. 4. alios adducẽs. Sayr lib. 5. cap. 19. n. 4. Suar. diſp. 39. ſ. 2. n. 4 Roderiq. q. 116. cit. a. 2. Alteri. diſp. 2. cap. 3. Villalob. diffi. 2. cit n. 2. Ratio eſt, quia vi ceſſationis prohibentur officia publica, non autem priuata, immò ipſorum obligatio manet ſicut ante ceſſationem. Modus autem ille recitandi horas Canonicas cum ſocio non eſt publicus, neque clericalis, cùm laicis quoque communis ſit, neque dicas per hanc ceſſationem prohiberi auditionem diuinorum, quia cùm duo ſimul recitant, non eſt diſtinguenda auditio ab ipſa recitatione, ſicut neque quando aliquis ſolus recitat, & ſeipſum audit, hi enim duo conſtant ſiue integrant tantùm vnum miniſtrum illius actionis, quarè modo caueant hi duo, ne ab aliis audiantur, & cætera quæ poſtulant leges ceſſationis à diuinis obſeruent omnis culpæ prorſus immunes erunt.

CONSECTARIVM V.

An detur partialis aliqua ceſſatio à diuinis.

10 Hoc eſt, an effectus huius ceſſationis ſeparari queant ita vt per illam prohibeantur tantùm v. gr. horæ Canonicæ; permittantur verò cætera diuina officia & Miſſæ ſacrificium, aut è contrario concedantur horæ canonicæ, cæteris omnibus diuinis vetitis.

Diſtinguendum eſt cum Suar. d. 2. cit. n. 15. & 16. & eius abbreuiatore Alterio cap. 3. cit. dubit. 5. factum à poſſibili. Certum enim eſt nullam dari in iure ceſſationem partialem, quoties enim ea ibi reperitur impoſita, totalem ſemper priuationem diuinorum habet annexam, id que ipſum fert vox ceſſationis à diuinis ſimpliciter & abſolutè prolata. Ita habemus in cap. ſi canonici. de officio ordinarij in 6. & cap. Non eſt vobis. de ſponſalibus; neque rectè obiicitur cap. 1. de iurepatronatus, vbi Pontifex propter diſcordiam patronorum prohibet miſſarum ſolemnia celebrare, nam & ibi agi de ceſſatione omnium diuinorum colligitur tum ex ſummario illi capiti appoſito, tum ex cap. ſeq. Vbi iubet Pontifex valuas Eccleſiæ claudi, niſi patroni tandem conſentiant.

Si verò agamus de poſſibili, nihil planè repugnat non modo Pontificem, ſed etiam inferiorem alium Iudicem Ceſſationem duntaxat partialem imponere, quod de Pontifice quidem nemo negabit, quandoquidem effectus ceſſationis non ſunt eſſentialiter connexi, neque magis inſeparabiles, quàm effectus ſuſpenſionis & interdicti; & ſanè cùm hæ omnes pœnæ earumque efficacitas pendeant ex inſtitutione Eccleſiæ, vt diximus diſq. 3. ſicut Eccleſia potuiſſet aliter inſtituere, & plures vel pauciores effectus illis aſſignare, ita & modo id ipſum poterit pontifex, penes quem exiſtit tota plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ.

Quod verò attinet ad inferiores iudices, nihil etiam video, quid impediat, quominus ferant, ſi lobeat, & iuſtæ cauſæ ita poſtulent partiales ceſſationes, ſicut & partialia interdicta, quia nullibi ius id ipſis prohibet, etſi enim numquam meminerit niſi ceſſationis totalis, non tamen idcircò præſcripſit formam certam ferendi ceſſationem, aut totalem ſemper imponi vult, aliamque omnem partialem vetuit; quarè nihil affertur, vnde oſtendatur ordinariam iudicum poteſtatem ad ceſſationem totalem ita limitari, vt partialem indicere nequeant.

CONSECTARIVM VI.

An pulſatio Campanarum ſit prohibita tempore ceſſationis à diuinis.

℞. nihil hanc de re in iure præſcriptum reperiri, 11
ex dictis tamen facilè colligi poterit, eas non eſſe pulſandas ad diuina officia, quæ id temporis prohibita ſunt, ad cætera verò omnia pulſari poterunt, vti diximus q. proxima de interdicto, in quo etiam non vetatur iſta pulſatio niſi ſecundaria, quamuis eius iura meminerint, quia publica officia inhibentur.

CONSECTARIVM VII.

Qui cauſam dedit ceſſationi à diuinis, tenetur reſarcire omnia damna illata clericis?

Hoc conſectarium intelligo non modò de eo, 12
qui ſua culpa, à qua monitus noluit reſipiſcere, cauſa fuit cur poneretur ceſſatio, ſed etiam de iudice, qui ſine ſufficienti cauſa, & iniuſtè ceſſationem iſtam impoſuit, vtrumque enim illum teneri ad reſtitutionem damnorum omnium, quæ ex eiuſmodi ceſſatione clericis & Eccleſiæ obueniunt, fatentur communiter DD. apud Sayr. lib. 5. cap. 19. n. 19. Suar. diſp. 33. ſ. 3. n. 16. Auila. 6. diſp. 2. dub. 3. con. 3. Ita quidem ſtatuitur in cap. ſi Canonici. de Officio Ordinarij in 6. Addo verò cum Suare hanc obligationem damna iniuſtè illata reſarciendi, non tam oriri ex illa lege pontificia, quam ex ipſa rei natura, vel obligatione iuſtitiæ, quæ poſtulat reponi violatam æqualitatẽ, & reparari ius alienum per iniuriam læſum; vnde etiam fit vt ad hanc reſtitutionem non ſit expectanda ſententia ſiue condemnatoria, ſiue declaratoria iudicis, ſicuti in cæteris pœnis, quia reuera hæc obligatio reſtitutionis pœna non eſt, declaratque Pontifex duntaxat hac in parte legem naturalem: Secus dicendum de iis, quæ prætereà in pœnam addit ibid.

Ii 4 Pontifex

Pontifex duntaxat hac in parte legem naturalem: secùs dicendum de iis, quæ præter eà in pœnam addit ibid. Pontifex, vult enim Canonicos, qui sine caussa cessauerint, præter satisfactionem, quam debent parti læsæ restituere prouentus Ecclesiasticos tempore cessationis perceptos & si qui pro eo tempore adhuc debeantur, minimè capere, & eum, cuius culpa fuit imposita cessatio præter damni Clericis illati reparationem mulcta pecuniaria damnari arbitrio superiorum. Quoad has autem pœnas appositas exspectanda erit sententia Iudicis.

CONSECTARIVM VIII.

Conditiones seruandæ in ferenda cessatione à diuinis.

13 Quia tam manifesta sunt discrimina inter cessationem à diuinis, & interdictum aliasue censuras Ecclesiasticas, mirum non est, si in ea ferenda præscriptæ sint singulares aliquæ Conditiones, maximè cùm cessatio non ponatur, nisi ad vlciscendas iniurias Ecclesiæ factas; qua de causa Clem. 1. de sentent. Excommunic. appellat vnicum lumen ad repellendas iniurias, vt superius monebamus, & soleant Iudices in vlciscendis suis iniuriis interdum ferri præcipites, & temeratij, sapienter omninò summi Pontifices, quæ seruanda essent, sanciuerunt.

Atque imprimis causam, propter quam ponitur cessatio vult esse *canonicam* Gregor. X. de officio ordinarij in 6. cap. si Canonici hoc est, vt ibidem interpretatur glossa, notoriam & rationabilem, & probatur ex cap. Quamuis, & cap. irrefragabile cod. tit. & libro. Et erit quidem rationabilis, si grauissima fuerit iniuria illata, cuius iniuriæ grauitatem diiudicandam boni viri arbitrio reliquit Archidiacon. Glossa verò in cap. si Canonici. ✠. inuenta ad Pontificem reijcit totum illud iudicium. Manifestam præterea iniuriam & causam requiri suadet quod ea cessatio publica sit, & in publicum grauamen totius Ecclesiæ cedat, vnde fatentur passim DD. non posse contraria consuetudine præscribi, vt pro leui iniuria, aut non publica imponeretur ista cessatio, quia eiusmodi consuetudo in manifestam Ecclesiæ perniciem tenderet ac proinde non esset rationalis.

Quod attinet ad formam & modum ferendi hanc cessationem consuetudine receptum videtur, vt solemnitates accidentales, quæ cap. 1. de sentent. Excomm. in 6. præscribuntur in ferendis censuris, & à nobis explicatæ sunt disq. 6. q. 1. seruentur quoque in hac prohibitione, etiamsi neque cẽsura, neque pœna propriè dicenda sit.

Quoad ritus adhiberi solitos consulendi sunt varij gentium mores, cauendum tamen ne qua in illis superstitio subrepat, vti in quibusdam Ecclesiis solebant imagines B. Virginis & SS. ad maiorem terrorem inter spinas & vrticas abijci, quem morem seuerè damnat Gregor. X. & puniri mandat *vlrici* sententia cap. si Canonici. de officio Ordinarij in 6.

Colligunt porrò passim D D. ex cap. Quamuis. De Officio ordinarij. in 6. & cap. si Canonici. ibid. decem conditiones seruandas in ferenda ista cessatione, quas fusiùs exequuntur Sayr. Auila. Suar. Alterius & alij.

I. Est vt causa Cessationis in instrumento publico, aut alia scriptura authentica consignetur. II. est, vt ei, contra quem cessatio intenditur, causa ita authenticata tradatur. III. vt cessans, id est qui cessationem imperat, habeat sufficientem iurisdictionem à iure, aut consuetudine, aut priuilegio. IV. vt causa sit rationabilis. V. vt sit notoria, vti iam exposuimus, cùm interpretaremur dictum Pontificis requirentis causam Canonicam. VI. vt postquam in capitulo communibus suffragiis definitum fuerit esse cessandum, ille contra quem cessatur; moneatur an velit emendare noxam, & Ecclesiæ factam iniuriam resarcire, si enim id velit, cessandum minimè fuerit. VII. Vt ad deliberandum de imponenda cessatione vocentur omnes Canonici etiam absentes, sicut ad electionem faciendam vocari soliti sunt. VIII. vt omnibus in vnum diligenter coactis causa diligenter tractetur. IX. vt fiat deliberatio, an sit cessandum, & in cessationem maior & sanior pars capituli consentire debeat, sicut & in electione.

X. Vt intra mensem à die cessationis, tum cessans siue cessationem imponẽs, tum is contra quem cessatur per se, vel per alium ad sedem Apostolicam proficiscantur continuatis dietis, vt Pontifex causâ cognita de remedio prouideat, ne diutiùs Ecclesia in eo luctu & mœrore perduret.

Circa has porrò conditiones obseruandum imprimis est, illas esse appositas cessationibus, quæ imponuntur à canonicorum capitulo, quare alios iudices minimè obligant, nisi vel ex natura rei, vel ex aliis iuribus colligantur, quia reuerà illa duo capita scilicet cap. Quamuis, & cap. si Canonici nõ agunt nisi de his cessationibus à Canonicis cessantibus factis, præterquam quod manifestè apparet 7. 8. & 9. conditione de conuocandis Canonicis & deliberatione facienda cõmuni omnium suffragio, non posse alibi locum habere. Reliquæ tamen communes sunt omnibus siue Episcopis, siue Prælatis quibuscunque, & Iudicibus cessationem indicentibus, nempe vt Iurisdictione polleant, causa sit rationabilis & iniuria notoria, vt consignetur causa illa instrumento publico, & tradatur ei contra quem cessandum est, vt moneatur ille idem, & requiratur, an Ecclesiæ satisfacere velit, & denique vt vtraque pars, cessans nimirum, & contra quem cessatur intra mensem à die cessationis Romam adeant, vt quam primùm se Pontifici sistant, non tenentur quidem intra mensem à decreta cessatione sistere se Pontifici, sed ad illum dumtaxat proficisci, alioquin subijciuntur pœnis arbitrariis, neque liberantur obligatione illius itineris, quod continuatum & non interruptum ad alia diuertendo esse debet, quamuis per illam continuationem non prohibeatur aliqua quies dierum aliquot, vt tam longum iter leuetur.

Hæ porrò omnes conditiones ita necessariò seruandæ sunt, vt si aliqua desit, cessatio nulla sit, quia ita disertè statuit Bonifacius in cap. Quamuis citato; licet nullum verbum esset in cap. si Canonici, quod significaret eiusmodi conditiones ad substantiam & validitatem actus requiri, cum tamen Bonifacius in dicto cap. Quamuis, iubeat vt omnibus his non seruatis, non seruetur cessatio, manifestè dicit illam deficientibus illis conditionibus non esse validam, siue esse nullam, quandoquidem seruanda non est, sed eodem modo celebrare diuina liceat, atque si non fuisset imposita cessatio. Itaque interpretantur illud cap. Quamuis Ioann. Andr. Ancharan. & Francisc. in suis commentarijs, & glossa, atque etiam Angel. & Sylu. ✠. cessatio, quod non tantùm intelligendum esse de conditionibus additis

additis in illo cap. Quamuis, monet Suar. 39. s. 3. n. 13. & Alteri. disp. 2. de Interdict. cap. 6. sed de aliis omnibus supetius relatis in cap. si Canonici, quia cùm constitutionem Gregorij X. eo cap. si Canonici positam referat Bonifac. addit deinde clausulam, quæ sup ascriptas conditiones omnes amplectitur, & ita seruari vult vt iis non seruatis non sit seruanda cessatio; quod tamen ad eas tantùm cessationes quæ feruntur à canonicis restringendum esse dixerim, & non ad eas, quæ ab Episcopis, aut aliis iudicibus imponuntur extendendum, quia in iis capitibus non agitur nisi de cessationibus quæ fiunt à Canonicis, & cùm valdè durum sit, quacunque ex his conditionibus defficiente irritari cessationem, non debemus sine graui causa ad omnem aliam cessationem cuius ibi nulla mentio fit, ampliare. Quarè quoad istas alias cessationes expendendum erit ex aliis iuribus, aut ex natura rei, quænam conditiones sint illis essentiales, vt diiudicetur, an ex ipsarum defectu irritetur cessatio.

Denique obseruandum est si pars, quæ imposuit cessationem intra mensem Romam minime proficiscatur, transacto ipso mense parte illa in mora existente tolli ipsam cessationem, ita enim definitur in cap. Quamuis, debet tamen apertè constare de mora & culpa illius partis; idem tamen dicendum non erit, etiamsi pars, contra quam cessatur, nolit Romam adire, quia id minimè dicitur in eo cap. Et propter Rei contumaciam non debet Ecclesia priuari iure cessandi, vt aduertunt Sylu. v. cessatio. n. 4. & Henriq. lib. 13. cap. 52. num. 2. Quod tamen addunt ibidem Sylu. & Angelus, non esse seruandam cessationem, quoties, qui illam posuit, eam non seruat, gratis omninò asseritur, cùm neque ratio, neque textus vllus id persuadeat, & in interdicto aliisque censuris, ac pœnis Ecclesiasticis habeamus vsum contrarium, à quibus non appatet, cur cessatio ea in parte dissideat.



DISQVISITIO VIII.

De obligatione Censuræ.

Quæstio I. De peccatis violantium Censuram.
Quæstio II. De pœnis violantium Censuram.

Cum Censura sit præceptum legitimi superioris actionem aliquam in pœnam admissi criminis, & ad eius emendationem obtinendam prohibentis, certum est illam obligare eum, cui imponitur; vt ex obligatione legis constare potest, & ex obligatione Rei in ferenda pœna sibi per iudicis sententia imposita manifestum fit, nam cum censura sæpius sit sententia lata à iudice, vti exposuimus in superioribus, & ipsa secum, vt loquuntur, trahat suam exequutionem, neque requirat vllam actionem positiuam, qua reus in seipsum sæuiat, neque etiam opus sit ministerio alicuius alterius, quo mandetur exequutioni pœna in reum decreta, statim apparet hanc sententiam iudicis ad pœnam implendam obligare ipsum Reum, nisi aliunde inanis & inualida sit ipsa censuræ sententia. Hæc porrò obligatio non tantùm primariò & per se afficit Reum & Censuram, sed etiam indirectè respicit alios, eo quod prohibitio facta Reo abstinendi à quibusdam actionibus necessariò implicet alios, quibus cum eæ actiones fieri debebant aut poterant, vti exposuimus disq. superiori q. 9. agentes de communicatione tum sacra, tum politica, à qua summouetur excommunicatus: nam cæteri quoque fideles eum excommunicato quidquam habere commercij prohibentur cum limitationibus ibidem explicatis; priuatio quoque sepulturæ Ecclesiasticæ, quam tum excommunicatio, tum interdictum afferunt potius respicit viuentes, quàm mortuum, qui tamen Reus est, quamuis enim ille quoque maneat priuatus iure Christianæ sepulturæ, cùm tamen sibi illam ipsemet ministrare non possit, prohibitio illius actionis respicit eos, qui illam præstare possunt, vetatur enim ipsis ne id genus officij circa cadauer talis defuncti & Censura innodati exhibeant, quod alioquin potuissent exhibere, & reipsa exhibuissent. Quarè non modò Rei censura quapiam innodati, sed alij quoque eam violare possunt, de istorum igitur omnium obligatione in seruanda censura disputamus hoc capite, quod tamen breuius esse poterit, cum ferè omnia, quæ huc pertinent vel in explicandis effectibus Censurarũ explicuerimus, vel ex iis quæ de obligatione legis pœnalis, & obligatione implendæ sententiæ supponenda sint, cuiusmodi est vulgata illa quæstio de momento, quo incipit obligare censura, & vtrum aliquando retrahatur, id enim de omnibus pœnis & sententiis quæri potest. Inter pœnas porrò, quæ ex violatione Censuræ incurruntur ipso facto, est irregularitas, de qua agam latè, lib. singulari tractauimus.

QVÆSTIO I.

De peccatis violantium Censuram.

Prima propositio. n. 1.
Eius Expositio & Confirmatio. ibidem.
2. Propositio de peccato violantiam excommunicationem n. 2.
Eius Confirmatio. Ibidem.
3. Propositio De peccatis violantiam suspensionem. n. 3.
Suspensus ab officio peccat mortaliter exercēdo sua sponte actionē sibi prohibitam. n. 4.
A suspenso non denuntiato peti potest sacra actio. n. 5.
Qui communicat cum suspenso denuntiato in actione sacra illi prohibita, non peccat modo illi actioni non cooperetur. n. 6.
Suspensus à beneficio peccat eius fructus contrectando. n. 7.
4. Propositio. De peccatis violantiam interdictam & suspensionem à diuinis. n. 8.
1. Pars. de peccato Clericorum violantium interdictum. n. 9.
Clerici violantes quodlibet Interdictum peccant mortaliter. Ibidem
2. Pars. De peccato Laicorum violantium Interdictum. n. 10.
Laici grauiter peccant violando interdictum personale. ibid.

Laici

Laici peccant venialiter tantùm violando interdictum locale n.11.

In casibus qualificatis Laici violantes interdictum locale peccant mortaliter. n.12.

Modus violandi interdictum.n.13.

An violetur communicando cum interdicto. ibid.

Confect.1. An clericus violans interdictum per actum minoris ordinis peccet mortaliter.n.14.

Confect.2. An omissio alicuius conditionis praescripta in cap. Alma mater *in celebrandis diuinis tempore interdicti sit mortalis. n.15.*

1 QVæstionem hanc diffiniam. 1. Circa censuras in vniuersum, deinde circa violationem singularum.

PRIMA PROPOSITIO.

Violatio censuræ Ecclesiasticæ est peccatum mortale ea suo genere, & sola materiæ leuitate fit veniale.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Hæc vniuersalis propositio etiamsi à nullo ita tradatur, verissima nihilominus est, & facilè ex iis, quæ ipsi circa violationes singularum censurarum tradunt, colligi poterit, singulas enim violationes damnant peccati mortalis, nisi quoties materiæ leuitas illius culpæ grauitatem minimè patitur. Ratio verò mihi perspicua videtur, quia cùm hæc materia sit grauis, atque grauioris obligationis capax, velitque legitimus superior nimirùm Ecclesia secundù eam capacitatem obligare, quod colligimus ea pœnis, quas interdum eiusmodi violationi imponit, nihil omninò deesse potest ad huius culpæ grauitatem. Præterea cùm ferè actiones prohibitæ per censuram pertineant ad virtutem Religionis eam violationem censuræ peccatum quoddam esse contra Religionem dicendum est, atqui certum est eiusmodi peccata ex sua natura grauia & mortalia esse.

Diai nihilominus materiæ leuitate minui hanc culpam, quod in omnibus quoque aliis obligationibus contingit, quandoquidem materia leuis spectatis omnibus circumstātiis incapax est grauioris vllius obligationis, neque potest illam Prælatus pro arbitrio imponere, vti alibi disputatum fuit.

Reiicio porrò Regulam illam, quam passim DD. Canonistæ agentes de excommunicatione tradunt ad metiendam grauitatem illius violationis, aiunt enim mortalem esse culpam, quoties censura violatur in iis, quæ primò ac per se & directè prohibet, venialem autem, quando violantur ea tantùm, quæ secundariò & indirectè per censuram prohibita sunt, & idcircò communicationem in sactis cum excommunicato vitando esse mortalem, quia ea primariò prohibetur, communicationem verò ciuilem esse tantùm venialem, quia ea societas iodirectè tantùm vetatur, quam rationem consutauimus disq.super.q.9. 1.proposit.2. parte cum Suar.disp. 16.s.1.n.9. quia ratio præcepti, ea qua nascitur obligatio æquè reperitur in eo, quod secundariò & indirectè præcipitur, atque in eo, quod primò & per se imperatur, quarè si vtrumque sit capax grauioris obligationis, illumque velit imponere, qui præcipit, reuera in vtroque illo præcepto repetietur obligatio ad peccatum mortale.

SECVNDA PROPOSITIO

De peccato violantium excommunicationem.

Excommunicatus sacrilegè ministrans aut recipiens Sacramenta sibi prohibita, sicut & ille, qui ipsi contra prohibitionem Ecclesiasticam eadem Sacramenta ministrat, aut illum sacræ sepulturæ mandat, aut in aliis diuinis rebus cum ipso communicat, aut denique in conferendis acceptandisque beneficiis cum ipso commercium aliquod habet, peccat mortaliter; communicatio autem politica, inpmò & forensis non generat nisi culpam venialem ex suo genere, quæ tamen pro grauitate materiæ interdum mortalis euadet. Denique minori excommunicatione inodatus non peccat administrando Sacramenta. a

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Hæc propositio singulæque eius partes probata est cap.superiori, de culpa enim ea communicati recipientis aut ministrantis Sacramenta egimus q.3.& 4.sicut etiam de culpa eiusdem ingerentis se aliis rebus sacris.q.5.de ea verò quæ in collatione, aut acceptatione beneficiorum admittitur q.7.diaimus, de peccato sepelientis excommunicatum q.a. & denique de communicatione ciuili & causis ab ea excusantibus latissimè disputauimus q.9. neque quidquam videtur restare explicandum hoc loco.

TERTIA PROPOSITIO

De peccatis violantium suspensionem.

Suspensus ab officio peccat mortaliter ex genere suo, si se ingerat ministerio, à quo suspensus est, si tamen non fuerit denuntiatus, poterunt alij fideles ab eo illud ministerium postulare, ipseque eorum precibus inuitatus illud inculpabiliter præstabit; suspensus quoque à beneficio culpam mortalem ex suo genere committit, si fructus beneficij, à quo suspensus est sibi vsurpet, eosque etiam non spectata iudicis sententia restituere tenetur. 3

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Distinguendum est inter suspensum denuntiatum & non denuntiatum, & inter eum, qui sponte sua & vltrò ordinem vel iurisdictionem aliudue officium, à quo suspensus est, exercet, & illum qui non nisi ab aliis rogatus & præuentus, vt loquuntur, actionem sibi alioquin prohibitione exercet.

Dico

Dico igitur imprimis omnem omnino ſuſpenſum, qui officium à quo ſuſpenſus eſt ſponte ſua & non aliorum rogatu exercet, ſiue denuntiatus ſit, ſiue non denuntiatus, immò etiam occultus committere culpam ex ſuo genere mortalem, & quæ ſola materiæ leuitate excuſetur. Ratio perſpicua eſt ex hactenus diſputatis, quia contra prohibitionem Eccleſiaſticam in re admodum graui, qualem nemo negat eſſe officium ſacrum quod ad vſum ſacri ordinis, aut Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ferè ſpectat, facit & contra Religionem peccat; quarè niſi exigua fortaſſis ſit ea materia, quæ in communi hominum Iudicio non magni æſtimetur, grauiter peccabit, quia pro nobilitate actionis, quam exercebit creſcet aut decreſcet iniuria, quam facit Eccleſiæ & rebus ſacris, quas contrectat; quod totum confirmatur ex grauitate pœnæ, quâ hanc violationem ſuſpenſionis plectit Eccleſia, neq; in hanc ſententiam laudandi ſunt authores, cum omnes in eam conſpirent.

Hæc tamen aſſertio ita erit intelligenda, vt ad contrahendum hanc culpam mortalem actus ordinis, à quo quis fuit ſuſpenſus, exerceri debeat ſolemniter, & vt ex officio non tantum more laicorum, quod non modò vetum eſt in minoribus ordinibus, vt Nauarr. cap. 27. n. 163. ſapienter aduertit, ſed etiam in alijs, nam ſubdiaconus qui ſine ea ſolemnitate cantaret Epiſtolam, non violaret ſuſpenſionem. quia vero nulla videtur ſolemnitas eſſe in exercitio minorum ordinum, quæ non ſoleat à laico adhiberi, idcircò exiſtimat Sayr. lib. 4. cap. 11. n. 9. vix vnquàm in his actionibus committi peccatum mortale ratione ſuſpenſionis violatæ quia vix in illis ea violatur, aut certè ea materia non cenſetur grauis, vt ait Bonac. diſp. 5. p. 7. n. 4.

5 Dixi tamen 2. ab eiuſmodi ſuſpenſo quamdiu denuntiatus non erit poſſe fideles poſtulare illud ipſum miniſterium, à quo alioquin ſuſpenſus eſt ſibi imperiti, neque peccare ſuſpenſum, qui ſuam operam fidelibus ita petentibus impendet, quod totum conſtat ex fauore Extrauagantis Ad Euitanda, vti fuſiùs oſtendimus q. 1. diſq. ſuper. neque hoc loco quidquam addendum aut immutandum videtur.

6 Grauis tamen 1. eſt controuerſia an communicans cum ſuſpenſo denuntiato peccet mortaliter, ita enim affirmant paſſim DD. apud Sayr. lib. 4. cap. 11. num. 5. poſt Nauar. cap. 27. num. 163. quibus conſentit Bonac. diſp. 3. de cenſur. p. 4. num. 4. & Alteri diſp. 6. de ſuſpenſio. cap. 3. ſub finem quoties actus in quo communicatur, pertinet ad diuina, vt ſi quis recipiat ab eiuſmodi ſuſpenſo ſacramenta, aut Miſſam illius audiat, quia per illam communicationem irrogatur grauis iniuria tum Eccleſiæ illam vetanti, tum ipſi actui ſacro. quod confirmant ex excommunicatione, ſuſpenſio enim & excommunicatio quoad iſta non videntur differre, ſi igitur quis mortaliter peccat, quoties illicitè communicat in ſacris cum excommunicato denuntiato, ſimiliter etiam peccabit, quoties eadem ratione cum ſuſpenſo communicabit. Deinde participatio & communicatio in actione peccaminoſa immunis culpæ eſſe nequit, atqui actio illa ſacra, quàm ſuſpenſus Sacrilegè & illicitè facit, mala eſt, vt vides, ergo & communicatio ac participatio illius mala erit & ſacrilega.

Alij tamen negant peccatum eſſe in ea communicatione eo quod nullo iure ea prohibita reperiatur.

Diſtinguenda eſt cooperatio ad actionem prohibitam factam à ſuſpenſo denuntiato, à communicatione in eadem actione; hæc enim duo ſunt valdè diuerſa, nam cooperatio ad actionem malam nunquam licita eſt, & tamen communicatio in illa poteſt eſſe bona, vt videmus in hac ipſa materia, quando enim ſuſpenſus etiam non denuntiatus ingerit ſe ſacris officijs, à quibus ſuſpenſus eſt, peccat mortaliter, vt diximus, neque illi actioni ſacrilegæ poſſem ego cooperari, & tamen qui illi actioni aſſiſtit, & cum eo in illa communicat, non peccat ex omnium conſenſu.

Dico igitur nefas eſſe cooperari actioni ſacræ, quam ſuſpenſus denuntiatus facit, non tamen vetitum eſſe illi cum ea actione communicare, quarè modo non inducam illum ad aliquem eiuſmodi actū ſacrilegum, aut ad actum nullum & inualidum defectu Iuriſdictionis, à qua ſuſpenſus eſt, neque alia ratione ipſi cooperer, licet illi actioni interſim, non peccabo, quia cooperatio in illa actione mala, eſſentialiter mala eſt, communicatio autem ſecluſa omni cooperatione tum phyſica, tum morali, neque ex ſua natura mala eſt, vti oſtendi, neque vllo Iure prohibita, cum nullum afferri queat. Ergo licita erit, neque in ea fiet vlla iniuria aut Eccleſiæ, cuius leges non violantur, aut actioni ſacræ, cuius ſanctitas in ea præſentia & communicatione non temeratur, ſed ex ſacrilegio illam ponentis. Similitudo autem Excommunicationis inepta eſt hoc loco, quia ea priuat communicatione non vetò ſuſpenſio; in eo autem dicuntur excommunicatus & ſuſpenſus denuntiatus comparari, quod neutri liceat etiam ad petitionem aliorum ſacra ipſis prohibita attingere, ſecluſo caſu extremæ neceſſitatis; quare priores DD. de cooperatione ad actionem malam ſoſpenſi denuntiati loqui debent, non verò de ipſa tantùm communicatione, atque ita ſentiunt Henriq. lib. 13. cap. 33. num. 3. Auila. 3. p. diſp. 2. dub. 4. con. 4. Sayr lib. 4. cap. 11. num. 7. Tolet. lib. 1. capite 14. Alteri, diſp. 6. de ſuſp. cap. 3. ſub finem. Suar. diſp. 36. num. 7. Kon. diſp. 15. num. 17. Villalob. tom. 1. tract. 18. diffi. 3. n. 10. Laym. lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 1. ſub finem. Quarè qui audit Miſſam ſuſpenſi denuntiati, ad quam ipſum non induxit, neque ei miniſtrat, non peccat, neque qui reciperet Euchariſtiam ab eiuſmodi miniſtro ſe ingerente, aut qui audiret diuinà officia cum eo, qui ſuſpenſus eſt ab ingreſſu Eccleſiæ, & fuit denuntiatus, quia in his omnibus communicat quidem cum ſuſpenſo denuntiato, non cooperatur tamen ipſius ſacrilegio, ſola autem ea cooperatio prohibita eſt, non verò communicatio.

7 Dixi 3. ſuſpenſum à beneficio peccare quoque grauiter, dum fructus illius beneficij, à quo ſoſpenſus eſt, ſibi ſumit, quia rem alienam & non ſuam contrectat inuito domino, iuſtè enim priuatus eſt Iure percipiendi illos fructus vti latè diximus q. 12. propoſit. 3. facit igitur contra iuſtitiam; quæ illum ex iure naturali obligat ad reſtituendam rem alienam, quarè nulla opus eſt ſententia iudicis, quandoquidem ante ipſam ex ipſa natura inæqualitatis poſita, & rei alienæ contrectatæ, ad eius reſtitutionem vero domino faciendam obſtringitur. Neque valet hoc loco diſtinctio ſuſpenſi, denuntiati, aut, non denuntiati, illa enim inducta fuit in fauorem fidelium, non autem ipſius innodati aliqua Cenſura,

censura; cùm igitur ſuſpenſio à beneficio priuet iure percipiendi fructus beneficij id efficiet, licet fuerit occulta, cùm ex defectu denuntiationis nullum commodum ſperare poſſint, aut debeant, qui ſuſpenſione, aliaue quapiam cenſura ligati ſunt, vt ex vltima parte extrauag. Ad euitanda perſpicuum fit.

Quæ porrò diximus de peccato eius, qui officium & miniſterium à quo ſuſpenſus eſt, ſibi vſurpat, multo veriora ſunt in depoſito & degradato, qui temerariò actiones ſibi vetitas, & ſtatum, à quo excidit, reaſſumeret.

QVARTA PROPOSITIO.

De peccatis violantium interdictum & ceſſationem à diuinis.

8 Clerici violantes interdictum ſiue perſonale, ſiue locale committunt peccatum mortale ex ſuo genere;; Laici verò eandem culpam admittunt violando interdictum perſonale, non verò violando tantùm locale, niſi accedat aliqua circumſtantia extrinſeca mortalis aut violatio fiat in quibuſdam caſibus ſub grauiori pœna in iure prohibitis, aut peccato clericorum contra interdictum diuina celebrantium cooperentur: quæ eadem de violatione ceſſationis à diuinis dicenda ſunt.

PRIMA PARS

De peccato clericorum violantium interdictum.

9 Dixi 1. Clericos violantes interdictum ſiue locale, ſiue perſonale peccare mortaliter, niſi materiæ leuitas excuſet. Non ago autem de aliis cauſis extrinſecis, quæ in qualibet materia minuere poſſunt grauitatem peccati, & efficere, vt quamuis ex ſuo genere & obiecto graue & mortale ſit, nihilominùs tamen veniale tantùm fiat.

Hanc aſſertionem tradunt communi ſenſu DD. quos in re tam conſtanti adducere ſuperfluum foret. Nomine porrò clericorum intelligo omnes perſonas Eccleſiaſticas ad diuina officia ratione ſtatus ſui deputatas, cuiuſmodi ſunt non modò omnes clerici prima licet tonſura initiati duntaxat, ſed etiam omnes Religioſi, quamuis nondum donati ſacris ordinibus, atque ipſæ moniales, quæ tamen ordinis incapaces ſunt, quia iſti omnes peragunt officia Eccleſiaſtica ex Eccleſiæ deputatione, quarè prohibitio eiuſdem Eccleſiæ eadem officia fieri vetantis omnes illas perſonas æquè directè reſpicit & obligat, vti aduertunt Nauarr. cap. 27. n. 187. Caietan. ꝟ. interdict. violatio. Henriq. lib. 13, cap. 46. n. 3. & ſanè grauibus pœnis afficiuntur tum Religioſi, tum moniales quoties interdictum violant, vt videbimus q. proxima. Aduerto denique contra Couarr. in cap. Alma mater. 2. p. §. 4. n. 5. Clericos coniugatos quoties alicui Eccleſiæ ex Trident. decreto. ſeſſ. 23. cap. 6. deputati ſunt, obnoxios eſſe huic prohibitioni, & nomine clericorum contineri, quia cùm deſtinati ſint ad diuina officia in aliqua Eccleſia, prohibitio celebrandi ea officia in tali Eccleſia eos omnes, qui in illa celebrare ſolebant, neceſſariò complectitur. Quod diſq. ſuperiori q. 14. propoſit. 2. monuiſſe me memini. Ago denique hac 1. parte de violatione interdicti, quæ ſit propria clericorum, quatenus clerici ſunt, hoc eſt exercendo aliquem actum clericalem prohibitum vi interdicti, alioquin non violabunt niſi tanquam Laici; quarè de iis tanquam de Laicis iudicandum erit.

Aſſero igitur perſonas omnes Eccleſiaſticas violãtes modo ſibi proprio quodlibet interdictum, committere peccatum ex ſuo genere mortale, quod probatur contr. Caietan. ꝟ. interdicti violatio, vbi ſolam culpam venialem agnoſcere videtur 1. quia ius directè prohibet perſonis Eccleſiaſticis actiones iſtas ſacras vi interdicti, & materia grauis eſt, cùm ad Sacramenta, diuina officia, & ſacram ſepulturam pertineat, modus etiam præcipiendi grauis, vti ex pœnis multiplicibus adiectis colligimus, nihil igitur deeſt ad grauem inducendam obligationem, quod enim Caietan. negat ex ineligibilitate, impoſtulabilitate, irregularitate, & aliis pœnis adiectis huic culpæ clericorum rectè colligi eam culpã eſſe grauem, quandoquidem ſunt pœnę temporales, quæ propter culpam venialem imponi poſſunt, vt patet in ipſa irregularitate, & minori excommunicatione facilè reiicies, quia præter irregularitatem ſunt aliæ pœnæ in communi hominum æſtimatione graues admodum, quæ cùm debeant culpæ correſpondere, grauem omninò poſtulant.

2. Si interdictum ſit perſonale ſpeciale ſtatim apparet eſſe grauem cenſuram & prohibitionem certæ perſonę factã propter propriã illius culpam, quarè eius violatio in re graui grauis omninò erit, neque coniicere poſſumus, noluiſſe Eccleſiam ſua illa prohibitione talem perſonam grauiter obligare, quandoquidem quoties ſiue in iure communi, ſiue ex priuilegio aliquid condonat circa grauitatem huius præcepti, & obligationem ſemper excipit perſonas ſpecialiter interdictas ſiue directè, ſiue indirectè, illis enim nihil vult condonari.

3. Quamuis interdictum perſonale generale incurritur propter alienam culpam, cùm tamen liget eos omnes, quos afficit, illiſque primò & per ſe prohibeat Sacramenta, diuina officia, & ſepulturam Eccleſiaſticam, teuerà eos etiam grauiter obligat, quod iterum ex grauibus pœnis quas ſubeunt clerici, quoties legem ſibi factam hac in parte violant, merito colligimus

4. Denique quamuis interdictum locale reſpiciat primò locum, qui redditur inhabilis ad diuina officia, quæ proinde in illo nefas eſt celebrare, hæc tamen obligatio reſpicit clericos, quorum eſt ea diuina facere, & quibus in cap. Alma mater, præſcribuntur conditiones & leges ſeruandæ in ea celebratione durante interdicto locali, quas ſi non ſeruent, peccabunt ſane in re graui, vt pote quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam plurimùm conducit, alioquin enim inane prorſùs foret eiuſmodi interdictum.

SECVNDA PARS

De peccato Laicorum violantium interdictum.

Dixi 2. Laicos grauiter peccare ex ſuo genere violando interdictum perſonale, ſiue ſpeciale, ſiue generale, & de ſpeciali quidem omnes conſentiunt; de generali vero negat vnus Caietanus loco cit. ſed facile probatur, hoc enim interdictum cùm ſit Eccleſiaſtica cenſura quæ directè & per ſe ligat perſonam interdictam, illam obſtringit, ſiue illi impo-

nat

nit totam suam obligationem, neque conditio personæ, quod laica vel Ecclesiastica sit, quidquam facit, si enim persona verè afficitur censura, eius quoque obligatione tenetur, & vinculo ligatur. atqui ea obligatio cùm sit in administratione Sacramentorum & diuinorum officiorum celebratione grauis omninò censetur, vti sæpiùs diximus. & sanè inutile admodum esset Interdictum generale communitatis laicæ, si singulæ personæ, quæ illi causam non dederunt, minimè illud seruare tenerentur, si possent illud impunè violare, aut saltem absque grauiori culpa, eius enim metus vix eos retineret ab audiendis diuinis officiis aut percipiendis Sacramentis, neque est quod obiicias, hanc censuram ob alienam culpam imponi, inde enim non sequitur, eius obligationem leuiter duntaxat obligare, quia obligamur sub mortali vitare in diuinis excommunicatum denuntiatum, quamuis nullam causam dederimus illi excommunicationi.

11. Dixi 3. laicos non peccare, nisi venialiter violando interdictum locale si præcisè loquamur, & solam obligationem interdicti seclusis omnibus extrinsecis attendamus. Ita Soto in 4. d. 22. q. 3. a. 1. con. 6. Henriq. lib. 13. cap 46. n. 3. Viuald. tit. de Interdicto. n. 281. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 18. puo. 2. sub fin. vbi refert opinionem Caietani, hanc violationem non esse mortalem, neque refutat, aut distinguit inter laicos & Clericos, aut inter personale, aut locale Interdictum, quatè hanc saltem partem nostræ sententiæ admittet Tolet. lib. 1. cap. 53. n. 3. Sylu. ✠. Interdictum. 6. n. 7. Angel. ✠. eod. 7. n. 9. Auila. 5. p. disp. 5. dub. 2. Sayr. lib. 5. cap. 14. n. 1. sub fin. Reginal. lib. 32. tract. 3. n. 42. neque improbat Konin. disp. 17. n. 69. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 4. cap. 3. ass. 2. & Alteri. disp. 8. de Interdicto. cap. 3. quem falso pro contraria sententia allegat Bonac. sed illi doctori satis solemne est authores pro alienis sententiis afferre. Contra Caietan. loc. cit. & Nauarr. cap. 27. n. 187. qui ne venialiter quidem peccare volunt, & contra alios, qui damnant peccati mortalis, in quibus est Innoc. in cap. tanta. de excessibus Prælatorum, quem refert & sequitur Antonin. 3. p. tit. 27. cap. 4. Hostiens. adductus à Sylu. lòco citato, Panormitan. & Archidiacon. quos Henriq. cap. 46 cit. num. 3. litt. D. recenset, atque è recentioribus fusissimè Suar. disp. 34. sect. 5. quos deinde sequuti sunt recentiores, Filluc. tract. 15. n. 85. Bonac. disp. 5. p. 7. num. 1. & alij.

Probatur verò nostra Conclusio. quia hæc censura respicit primò & per se locum. qui inhabilis redditur ad diuina, deinde necessaria consequutione dirigitur ad ministros Ecclesiæ, quorum erat ea officia celebrare, quare ipsis prohibetur, ne ea celebrent nisi seruatis quibusdam conditionibus quarum fere præcipua est, ne publica haec officia, ac proinde ianuas occludant, & si qui se ingerant, laici eos excludant, vt ex cap. Alma Mater & multis aliis locis perspicuè habetur, vnde fit hanc censuram & prohibitionem non respicere, nisi admodum indirectè & quodammodò remotè Laicos, ac proinde respectu ipsorum eam obligationem non esse grauem secluso contemptu & aliis circumstantiis aggrauantibus, quia tamen aliquo modo ad Laicos pertinet ea obligatio etiam aliqualem culpam admittent, si eam violent, vnde etiam datur aliquandò priuilegium Laicis durante eo Interdicto assistendi diuinis, quia nimirum ex Iure communi id ipsis licitum minimè erat, Ita cap. licet: de priuilegiis in 6. vnde tamen non sequitur fore culpam mortalem, si quod iure communi vetitum indirectè tantùm est, fiat. His adde hanc assistentiam laicorum leuem omninò materiam censeri, ac proinde ex eo saltem capite non fore nisi leuiter culpabilem; quod tandem fatetur Suarez, de præsentia omnibus diuinis officiis exhibita præterquam sacrificio Missæ, eo quod, qui illi assistunt suo modo illud offerant, & de eo participent; verum ille modus offerendi valdè indirectus est, & eodem modo dicam præsentes diuinis officiis, illa simul cum Ecclesiæ ministris facere, & de illis participare, vt expositum fuit disq. superiori. q. 2. in notationibus.

Quæ verò afferuntur à Suare siue ex iure, siue ex ipsa ratione non videntur mihi efficaciter euincere grauem obligationem, & directè siue primario laicis impositam fuisse hoc loco. Nam quod ex cap. si leuitas de sentent. Excommunic. & cap. licet iam ablato affert non probat directam prohibitionem sed indirectam tantum, ex eo enim quod locus sit redditus inhabilis ad celebranda diuina officia, directè prohibetur, ne in eo fiant, & indirectè ne si fiant, aliquis ipsis intersit; quæ vltima consequentia ne quidem sequitur proximè ex illa loci inhabilitate ad diuina officia, sed tantùm ex eo, quod subinde prohibitum est, ne publicè fiant ea officia, & permissum est vt priuatim fierent, nam cum prohibeatur publica celebratio manifestò colligimus, Ecclesiam nolle laicos illis adesse, quare contra eam voluntatem, quam norunt, faciunt quoties se illis ingerunt, non idcircò tamen directè obligat laicos Ecclesia, ne intersint, sed Clericos ne coram laicis officient, quæ duo videntur mihi admodum diuersa; sic nuper dicebamus suspensum ab ordine peccare sacrificando, non tamen peccare eum, qui illi præsens est, quia omnis præsentia, quam exhibeo actui malo, non est mala, si nihil aliud omninò influat in actum malum. Malè facit igitur Clericus, qui vel sacrificat, vel aliquod aliud diuinum in loco interdicto celebrat coram laicis non priuilegiatis, non tamen idcircò peccabit laicus, qui illi sacrificio interenit, nisi quatenus scit se facere contra virtualem illam & interpretatiuam prohibitionem Ecclesiæ sibi factam ex eo, quod reddiderit suo interdicto locum inhabilem ad diuina officia publica; priuilegium verò ita conceditur laicis, vt tamen potiùs respiciat Clericos, quos soluit obligatione non admittendi, immò & excludi illum laicum sicut & cæteros; sicut priuilegium eligendi Confessarium ita fit priuilegiato, vt Confessarium ab illo electum respiciat, ipsi enim confert potestatem & iurisdictionem soluendi eum à quo electus est, qua iurisdictione alioquin carebat; ita priuilegium, de quo loquimur, dat facultatem Clericis admittendi ad diuina officia in loco interdicto celebrata, eum quem alioquin admittere ipsis nefas erat & quem tenebantur expellere. Itaque vides neque iura, neque priuilegia concessa laicis assistendi officiis in loco interdicto celebratis arguere grauem obligationem impositam fuisse iisdem laicis abstinendi ab illis officijs.

Arguit I I. Suar. ex eo quod clerici teneantur Laicos à diuinis expellere, vt ipsi fatentur, ipsos etiam teneri non interesse & exire, alioquin daretur bellum vtrimque iustum, & si laici

H. quorum aliqui tamen existimabant per eam prorogationem termini factam à parte læsa suspendi, aut potius vitari censuram, cùm tamen in neutro casu sit vlla Iurisdictionis aut potestatis in ferenda Censura vsurpatio, vt ostendimus.

QVÆSTIO VI.

An appellatio excuset à Censura?

Propositio. Quandonam appellatio impediat effectum Censuræ. n. 1.
Probatur propositio. n. 2.

De tota appellationum intricatissima materia fusiùs disseremus disputantes de Indicijs, quarè pauca quædam hoc loco perstringenda tantùm sunt ne tractatus iste de Censuris obscurior maneat.

Quæri porrò potest hoc loco, an appellatio impediat, ne contrahatur censura, an verò vbi contracta fuit eius effectum suspendat, nam duobus modis fertur Censura, absolutè scilicet & simpliciter propter peccatum iam commissum contra legem Ecclesiasticam illud sub censura prohibentem, vel sub conditione futuræ alicuius actionis faciendæ vel omittendæ, v. gr. nisi intra mensem restitueris, aut talem consuetudinem dimiseris excommunicatus esto, vel igitur appellatio interijcitur ante incurrendam Censuram latam sub conditione, & ante euentũ conditionis, vel post eã conditionem impleram, atque adeò post ipsam latam Censuram absolute, nam tunc æquiualet sententiæ absolutæ, vt patet.

PROPOSTIO.

1 Appellatio legitima à sententia Censuræ sub conditione latæ ante conditionis positionem interiecta impedit eius effectum; appellatio verò post sententiam Censuræ absolutè latam, aut per adimpletionem conditionis appositæ redditam absolutam, eius incursionem non impedit.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

2 Hæc propositio necessariò sequitur ex natura appellationis & ipsius censuræ, quarè hoc loco potius tanquam vera admittenda est, quam fusius probanda ante explicatam naturam appellationis, quæ facit vt causa, in qua appellatur, deuoluatur ad alium Iudicem, ad quem prouocatur, & prioris Iudicis Iurisdictio circa illam suspendatur, litat, vel vt loquuntur, dormitet vt dicitur in cap. si à Iudice. 10. de appellationib. in 6. Natura verò censuræ fert vt trahat secum suam exequutionem, eo quod non indigeat vllo ministerio externo, vt mandetur exequutioni, consistit enim in priuatione, quam causat seipsa censura in eo quem tanquam forma quædam moralis efficit, vti suo loco fuit expositum.

Hinc vtraque pars propositionis manifestò probatur, & 1. quidem appellationem à censura sub conditione lata impedire eius incursionem ante euentum conditionis, communis sententia est, vti obseruauit Ricciul. lib. 4. cap. 64. n. 25. & Couarru cap. Alma mater. 1. p. §. 10. n. 5. qui ibidem addit ex communi quoque sententia, quod quamuis alioquin à sententijs conditionalibus appellandum sit intra diem & tempus à Iure constitutum à die sententiæ computandum, id est intra decem dies cap. quoad consultationem. de re iudicata, in sententijs tamen Censuræ sub conditione latæ satis esse si ante euentũ conditionis, aut diei præfixi appelletur, vt illa suspendatur, quod malè negauit Panormit. in cap. prætereà. de appellationibus. Ratio porro nostræ & communis propositionis est, quia, vt diximus, à momento appellationis dormitat Iurisdictio Iudicis, à quo fuit appellatum, ergo eius sententia non potest deinde operari. Itaque si Titius, qui excommunicatus est, nisi intra mensẽ sisteret se Iudici, appellauit ab ea excommunicatione ante elapsum mensem, reuerà non excommunicabitur etiamsi non se sistat, quia dum finitur mensis, Iurisdictio illius Iudicis adhuc dormitat, non potest igitur tunc plectere Titium, vti reuera faceret, si eo momento excommunicaretur eo quod non sistat se Iudici vti iussus fuerat, & quamuis deinde appellatio deseratur, id est, quãuis qui appellauit suã appellationẽ non prosequatur, quamdiu tamen non annullatur, impedit eam incursionem Censuræ, quia tota cognitio causæ ad alium Iudicem deuoluta fuit, & adhuc in eo statu perseuerat.

II. verò pars nimirum Appellationem, quæ post latam absolutè censuram, aut conditioni appositæ euentum interijcitur, non impedire quo minus incurratur, æque manifesta est, quia non datur appellatio à sententia iam exequutioni mandata, Censura autem absolutè lata statim mandatur exequutioni, igitur ab illa non poterit appellari ne contrahatur, quia iam ante appellationem contracta est. Ita definitur circa excommunicationem cap. pastoralis. de appellationibus, & cap. adhæc quoniam eod. tit. idem de interdicto asseritur, quare ita sentiunt omnes, quos enumerare superfluum foret, dabit, aliquos Ricciul. lib. 4. cap. 64. Neq; tamen inutilis fuerit ista appellatio, est enim oppositio quædam nullitatis sententiæ de qua cognoscere debebit superior, ad quem fuit prouocatum, cuius etiam erit ab ea censura absoluere adhibitis cautionibus, de quibus dicemus disq. seq.

Aliud porrò est appellare à censura, aliud à sententia declaratoria, ab hac enim poterit appellari & suspendetur eius effectus ac proinde non erit vitandus ille excommunicatus, v. gr. Clerici percussor, qui à sẽtẽtia declaratoria sui criminis prouocarit, nisi ita notum sit crimen illud, vt appareat esse meram elusionem Censuræ in ea declaratione & appellatione ab ipsa. Ita Nau. in cap. Cum contingat. de Rescriptis. causa. 14. & 15. & Couarr. loco cit. & latè Ridicul. cap. 64. cit. num. 10. & num. 30.

CAPVT X.

De absolutione à Censuris.

Quæst. 1. An Absolutio sit necessaria ad tollendam Censuram.
Quæst. 2. Quid & quotuplex sit absolutio à Censuris.
Quæst. 3. Quis possit absoluere à Censuris.
Quæst. 4. Quid præstandum sit ab eo qui absoluendus est à Censuris.

Quæst.

nem, & exercendo ministerium à quo suspensus est nullam aliam ipso iure contrahit pœnam præter irregularitatem, de qua diximus tractat. citat.

2. Ille nihilominus deponendus dicitur à beneficio & officio communiter à I.D. in cap. clerici & cap. latores. de clerico excomm. ministr. & cap. vt clericorum, de vita & honestate clericorum, quod tamen Sayr. lib. 5. cap. 11. n. 11. & 12. rectè aduertit limitari ad solam Missæ celebrationem in suspensione scienter factam.

3. Ille idem violans suspensionem excommunicandus dicitur cap. 2. de cleric. excomm. ministr. si tamen per superbiam & contemptum hac in parte peccauerit, quod idem ibidem statuitur de depositis & degradatis, & nisi hæc pœna territi desistant à principe in exilium asportandi sunt rogante Ecclesia. cap. 2. dist. 21. iubetur vt qui suspensus ab altari missas nihilominus celebrat, *Ecclesiæ communione priuetur*, quod aliqui propter adiuncta verba *ab omni fratrum charitate nouerit se alienum*, malè de excommunicatione latæ sententiæ exponunt, vt aduertit Alteri. disp. 6. de suspens. cap. 2. sub fin. præterquam quod cùm ille canon sit tantùm Concilij Arelatensis, non erit pœna vniuersaliter recepta.

4. Suspensi à beneficio licet fructus sui beneficij contra prohibitionem sibi factam, & ius ad eos amissum per suspensionem, sibi sumant, nullam incurrant pœnam ab ipso statutam, cùm ea nullibi reperiatur; malè enim aliqui afferunt cap. 1. §. aducientes de electione in 6. & cap. cupientes. §. cæterum. eod. tit. & lib. vbi clerici, qui falsò electionem impugnarint, aliaque ibi damnata fecerint per triennium suspenduntur à beneficiis, *ad quæ si infrà illud tempus propria temeritate se ingesserint, eis ipso iure priuantur*, nam hæc pœna non imponitur omni suspenso à beneficiis, si eius fructus sibi sumat, sed solùm suspenso in causa electionis, de qua ibi agitur, & cùm hæc pœna non sit censura, requiret sententiam declaratoriam Iudicis, etiamsi ipso iure incurri dicatur.

Pœna violantium interdictum.

Præter irregularitatem, plures pœnæ impositæ sunt clericis violantibus interdictum, quarum aliæ ipso iure & facto contrahuntur, aliæ licèt præscribantur à iure, sunt tamen ferendæ duntaxat à Iudice, quarè ante sententiam condemnatoriam non vrgent.

1. Clerici violantes interdictum carent priuilegio, quod alioquin haberent, vt tumulari possent in loco interdicto, cap. quod in te. de pœnitent. & remissionib. & cap. is cui. de sentent. excommunic. in 6. de quo egimus cap. superiori. quæst. 14. circa tertium effectum interdicti.

2. Clericus publicè admittens personam interdictam aut excommunicatam ad diuina officia, Sacramenta, aut Ecclesiasticam sepulturam interdicitur ab ingressu Ecclesiæ donec satisfecerit ad arbitrium eius, cujus interdictum violauit, vel ad arbitrium Episcopi, si violet interdictum iuris, cap. Episcoporum. de priuilegiis in 6. quæ pœnæ non modò clericos regulares aut sæculares, sed etiam alios quoscunque exemptos afficit, vti aduertit glossa contra Ioann. Monach. in cap. is cui. de sentent. excommunic. in 6. quia illa verba *quantumcunque exemptionis seu libertatis sedis Apostolicæ priuilegiis communitis*, sunt ampliatiua & non restrictiua, ita vt ipsos etiam exemptos velit obligare ad seruandam excommunicationem & interdictum ab Episcopo latum, licet eius iurisdictioni minimè in cæteris subijciantur.

3. Clericus violans interdictum, quia actus sibi prohibitos vi interdicti localis aut personalis exercet, suspenditur ab officio & beneficio, cap. vlt. de excessibus Prælatorum; atque hanc suspensionem volunt quoque esse iurisdictionis glossa fusè ℣. irritas. in c. vltimum citatum. Soto in 4. d. 22. q. 3. a. 1. con. 5. p. disput. 5. dub. 4. con. 2. Sylu. ℣. interdictum. 6. quæst. 3. num. 5. allegat quoque Auila, Angelum. ℣. interdictum. 7. n. 7. & Caiet. ℣. interdicti violatio sed ibi nihil dicunt isti DD. de iurisdictione, sed solùm absolutè pronuntiant hunc interdicti violatorem ab officio & beneficio suspendi; iurisdictionis verò meminit Alteri. disp. 9. de interdicto, cap. 4. in 2. pœna, neque abnuit Layman lib. 1. tract. 5. part. 4. cap. 3. & communiter ita existimant DD. vt testatur Couarruu. in cap. Alma mater. 2. p. §. 2. num. 2. & Vgolin. tab. 5. cap. 11. §. 1. n. 4.

Hæc tamen communis opinio nullo iure euidenter probatur, vti aduertit Sayr. lib. 5. cap. 11. num. 12. & Kon. disp. 17. n. 71. nam in eo cap. vltim. de excessibus Prælatorum, quod vnicum afferunt DD. non imponitur ipso iure suspensio ab officio & beneficio violantibus interdictum, sed imponi mandatur; scribit enim Gregor. IX. Bracarensi Episcopo, vt authoritate Apostolica suspendat ab officio & beneficio eos qui damnabiliter violarant interdictum, de quo ibi agitur; manifestò igitur supponit hos violatores non incurrisse ipso facto eiusmodi suspensionem, alioquin non mandaret illam imponi; quarè Suar. disp. 34. s. 4. num. 16. ait nullibi inueniri in iure suspensionem à beneficio, quæ contrahatur ipso facto propter violationem interdicti.

Deinde quod dicitur de iurisdictionis suspensione non benè probatur à glossa & DD. ex eo quod Gregor. cap. vltimo citato, declaret irritas & inanes institutiones, & collationes & pensiones ab Episcopo Colibriensi interdicti Apostolici violatore factas, cùm enim Episcopus ille furore quodam percitus non modo interdictum istud contemneret, sed alios etiam ad eius violationem compelleret, & reluctantes censuris innodasset, suisque beneficiis spoliasset, iure merito Pontifex omnia per summam iniuriam gesta, inania esse declarat, reuerà enim inualida erant ex natura rei, non eo quod ille interdicti violator careret iurisdictione, immò Pontifex non declarat inualidas & irritas quascunque huius Episcopi sententias, sed hac occasione prolatas, quasi supponat alias sententias & in aliis causis pronuntiatas validas fuisse, alioquin hanc inanitatem non restrinxisset ad ea quæ occasione interdicti in clericos eius obseruatores facta fuerant. Itáque hæc pœna suspensionis à iurisdictione non probatur ex iure nisi ostendatur suspensio absoluta ab officio, nomine enim officij iurisdictionem quoque comprehendi monuimus alibi, hæc autem suspensio ab officio minimè probatur ex cap. postulastis. de

clerico excomm. minist. ibi enim tantùm dicitur clericos qui contra interdicti sententiam pergunt diuina celebrare, etiamsi ea de causa excommunicatione perculsi fuerint, esse spoliandos suis beneficiis, vnde non colligitur ex violatione interdicti incurri ipso facto suspensionem aut ab officio, aut à beneficio. Quarè existimo cum Sayro l.c. nullibi haberi hanc pœnam, sed illam à Iudice ferendam esse in istos violatores.

4. Clericus violans interdicta ineligibilis & impostulabilis est ad dignitates & beneficia Ecclesiastica, quod ex capite. Is qui. §. is verò de sentent. excommunic. in 6. glossa & DD. colligunt, ita vt iste neque eligi, neque eligere possit, alioquin eius electio erit irrita, id enim sonat vox ineligibilis, quia verò aliqui dicunt id oriri ex irregularitate, quam incurrit hic interdicti violator, rectè aduertit Suar. disp. 34. s. 4. n. 15. id dici non posse de electione actiua, qua priuatur iste clericus, cùm irregularitas, vt dicemus alibi, non priuet iurisdictione; Quarè hæc ineligibilitas noua quædam pœna est ab irregularitate distincta.

5. Violatores interdicti, si clerici sunt, spoliari debent suis beneficiis, si verò monachi aut moniales in arctiora monasteria, in quibus agant pœnitentiam, detrudendi sunt: Ita iubet Innocent. III. cap. postulastis. de clerico excomm. ministr. quod tamen malè aliqui ad omnes violatores interdicti extendunt, id enim tantùm statuit Pontifex de iis, qui ita contumaces sunt in eo delicto, vt quamuis ob illud excommunicati fuerint ab homine; pergant nihilominus in suo crimine.

6. Clerici nisi à violatione interdicti moniti desistant, deponi ab officio & beneficio in perpetuum possunt cap. clerici. de clerico excomm. ministr. eodem modo quo superiùs similem pœnam in excommunicatione exposuimus.

7. Religiosi qui non seruant interdictum, quod Ecclesia cathedralis, aut quæ in eo loco matrix est, obseruat, excommunicationem incurrunt ipso iure ex Clem. 1. de sentent. excomm. quæ pœna, vt obseruat glossa in eam Clement. ℣. subiacere, adiicitur aliis pœnis, quas ex aliis iuribus iidem Regulares violantes interdictum incurrent, quanquam aliquando aliæ pœnæ ligent eos religiosos, & non ista, & è contrario nonnunquam hæc excommunicatio Regulares violatores interdicti afficiet, & non aliæ pœnæ; nam si interdictum sit nullum, quia v. gr. latum fuit post interiectam appellationem, si tamen illud seruet Ecclesia, tenentur quoque illud seruare Regulares, quod probat glossa. ℣. appellationibus, ex eo quod dicat Clemens, *non obstantibus quibuscunque appellationibus*, neque enim vult Pontifex, vim interdicti per interpositam appellationem elidi, sed quamuis illud interdictum propter appellationem aut aliam quamcunque causam nullum fuerit, seruandum nihilominus esse à Regularibus, si ab Ecclesia mátrice seruetur, alioquin innodabuntur excommunicatione ista, non tamen irregularitate, aut aliis pœnis ex violatione interdicti prouenientibus, illæ enim supponunt Interdictum validum, cùm hæc excommunicatio non tam puniat violationem interdicti, quàm illam dissensionem cum matrice Ecclesia in eo casu, vnde progerminet perturbatio ordinis, aliàque plurima mala. Si verò matrix Ecclesia minime seruaret interdictum validum, & eius contumacia manifestò constaret, tenerentur nihilominus Religiosi illud seruare, alioquin peccarent & subiacerent pœnis in eam violationem statutis, non tamen hac excommunicatione ligarentur. Hæc porrò clementina loquitur de interdicto generali locali duntaxat, non speciali vt in eandem Clement. obseruauit Cardin. n. 5. Neque vt idem ait n. 22. Quidquam refert quod ea matrix Ecclesia subiiciatur iurisdictioni Regularium, modò matrix sit & reuerà interdictum seruet, ad quod non satis est, si aliqui clerici aut canonici illud seruent, sed vel omnes aut maior pars & nobilior, sufficit etiam si illud vel semel violarint, neque deinde aliquo signo testati fuerint, se illud seruare deinceps, etiamsi enim non celebrent cotidie sacrificium, aut diuina officia publicè, quia id non fert vsus illius Ecclesiæ, censentur tamen interdictum violare; Ecclesia verò metropolitana non dicitur matrix totius prouinciæ, neque obligantur totius prouinciæ Religiosi seruare interdictum, quod ipsa seruat; Est igitur matrix in qualibet Parochia aut oppido, quæ vel præcipua est, & cui aliæ subiiciuntur, siue vt loquitur glossa ℣. matricem. Ecclesia baptismalis, vel si sit vnica tantùm, illa erit loco matricis, aut si sint plures Parochiæ omninò diuisæ in omnibus illis parochiis seruandum erit interdictum, vt hac clementina teneantur regulares. Requirit præterea Pontifex vt Religiosi sciant illud interdictum seruari à matrice Ecclesia, quarè ipsos excusabit ignorantia probabilis.

Denique Trident. sess. 25. cap. 12. de regularib. iubet omnes censuras & interdicta siue à sede Apostolica, siue ab ordinariis mandante Episcopo promulgata in Regularium Ecclesiis publicari, & ab illis seruari, quod aliàs monuisse me memini.

8. Regulares minores, qui in suis Ecclesiis admittunt ad diuina fratres & sorores tertij ordinis sancti Francisci feriuntur excommunicatione Pontifici reseruata, vel Episcopis satisfactione illius præmissa, quarè si tunc Ecclesia matrix seruet interdictum, isti fratres minores si illud violent percellentur duplici excommunicatione, priori nempè superiùs explicata, & ista posteriori quæ habetur Clement. 3. de sentent. excommunic.

9. Excommunicantur *Domini terrarum*, qui cogunt in locis interdictis diuina celebrari, aut qui impediunt ne publicè excommunicati aut interdicti exeant ab Ecclesiis, vbi moniti per clericos fuerint. Ita in concilio Viennensi diffiniuit Clemens V. Clem. 2. de sentent. excommunic. estque ea excommunicatio Pontifici reseruata, & clericos quoque qui sunt domini temporales siue ratione patrimonij, siue ratione beneficij, comprehendit, vt obseruat glossa.

Obseruandum autem est nullum interdictum ferri posse in Gallia nisi à Pontifice ex eiusdem SS. priuilegio, quod ex variis bullis refert stylus Parlam. par. 3. tit. 44. Quarè huic excommunicationi locus non erit amplius in hisce regionibus, nisi tarò admodum, dum nimirum ipse Pontifex terram aliquam interdicto subiiciet.

10. Denique, qui violant interdictum circa Ecclesiasticam sepulturam excommunicantur, Clem. 1. de sepulturis, quam cap. superiori. q. 2. latissimè exposuimus.

Pœna violantium cessationem à diuinis.

Si de hac Cessatione præcisè agamus & seposito interdicto, cui solet adiuci, non reperio aliam pœnam

nam præter excommunicationem latam in Religiosos non seruantes cessationem, quam sciunt matricem Ecclesiam obseruare Clem. 1. de sentent. Excomm. paulò ante à nobis exposita, de qua adi Alteri. disp. 2. de interd. cap. 8.



DISQVISITIO IX.

De causis excusantibus à Censura, eiusque obligatione.

Totum hoc caput iam alibi ferè explicatum fuit, dum de causis excusantibus à lege maximè Pœnali disputaremus & ex iis quæ de obligatione sententiæ aliquando dicemus, lucem aliquam iterũ accipiet, cùm enim omnis Censura vel à iure, vel ab homine hoc est vel per legem, vel per sententiam feratur, ea omnia quæ ab obligatione legis aut sententiæ eximunt, ab obligatione quoque Censuræ liberabunt, quarè locis citatis, quæ ad censuras pertinebant per modum Consectarij ex principiis vniuersalibus deduximus. Nihil itaque aliud faciendum modo restat, quàm vt designemus loca, in quibus quæstiones in indice capitis descriptas dissoluimus.

QVÆSTIO I.

An ignorantia excuset ab incurrendis Censuris.

HAnc quæstioné excussimus in scientia Canonica per plurimá Consectaria, diximusq; ignorantiam inuincibilem facti aut circunstãtiæ eui est alligata Censura etiamsi ea ignorantia sit tantùm concomitans excusare ab incurrenda Censura, atque ita qui inuincibiliter sine physicè, siue moraliter ignorat, eum, qui percutit esse Clericum, existimans esse laicum, aut feram, percussurus, nihilominus, si sciret esse Clericum non contraheret excommunicationem.

Eadem tamen ignorantia facti, quando vincibilis est, & crassa aut supina non impedit incursionem censuræ, quæ fuit lata simpliciter in eos, qui quidpiam gesserint nisi addita fuerit particula, qui scienter aliquid fecerint, aut alia ipsi æquiualens, tunc enim ignorantia, quamuis crassa & supina excusat à Censura, quia lex ad illam contrahendam requirit scientiam, quæ reuera tollitur per ignorantiam facti quamuis vincibilem, atque adeò crassam, supinam & culpabilem; immò idipsum diximus de ignorantia affectata, etsi enim æquivaleat scientiæ, quantum ad contrahendam culpam non tamen quoad pœnam, quando illa scientiam, dolum, aut præsumptionem & alia similia expresse requirit in operante, nam ignorantia etiam affectata impedit ne quis scienter aut ex dolo & præsumptione agere dicatur.

Denique ignorantia inuincibilis Iuris Censuram ferentis, quamuis actus propter quem fertur, sit iam Iure naturali prohibitus, idque probè sciatur ab operante, illum tamen excusat à censura; quia tollit contumaciam, an autem id verum sit in omnibus alijs ibidem discussimus.

QVÆSTIO II.

An metus, necessitas & impotentia excusent à Censura?

De metu egimus eodem loco diximusque metum grauem excusare à Censura, maximè quando ipsum opus est tantum prohibitum Iure Ecclesiastico; est enim maior dubitatio, quando operi iure naturali prohibito adiecta est Censura ab Ecclesia, eo quod tunc metus non excuset à culpa, quæ in suscipiendo illo opere committitur, probabilius tamen nobis visum fuit etiam tunc hunc metum excusare à pœna Ecclesiastica quamuis non reddat immunem culpæ contra Ius naturale.

De necessitate quæ vel ad metum, vel ad impotentiam refertur nihil aliud dicendum videtur, de ea tamen aliquid egimus eodem loco

Circa impotentiam nihil addendum superest ijs, quæ de obligatione impossibilium latè disseruimus ibid. in exponendo vulgari illo principio, vbi etiam circa Censuras plurima de more deduximus atque hoc ipso tradidi disq. 2. q. 5. n. n. 48.

QVÆSTIO III.

An dubium tum Iuris tum facti excuset à censura?

De dubio Iuris & quomodo ex illo aut cum illo operari liceat ac quomodo Ius dubium sit interpretandum latè diximus in scientia canonica Quando verò constat de Iure & dubium est facti, hoc est an contra Ius illud certum peccatum fuerit ibidem quoque disseruimus, & reuerà cum eo casu possessio faueat Iuri quod certum est, eius melior est conditio, atque adeò pro illo præsumendum. Quarè qui scit latam esse Censuram pro aliquo actu, dubitat tamen, an illum actum sufficienter ad talem censuram incurrendam fecerit nisi dubium deponat debet se gerere saltem externis pro censurato, donec de rei veritate constet, vti colligebamus eo loco cum communissima sententia, vbi quid circa plurimos casus singulares agendum sit obseruauimus.

QVÆSTIO IV.

An iniustitia legis excuset à Censura?

Definita pridem fuit ista quæstio ex principiis vniuersalibus circa obligationem legum, vidimus enim, an legis iniustitia ab eius obligatione & pœna in violatores ipsius imposita eximeret. Ibidemque in consectariis diximus Censuram accidentaliter tantùm iniustam, quia non seruato iuris ordine lata fuit, si tamen valida maneat & ex eo defectu non anulletur, obligare; quando vero iniustitia substantialis est Censuræ eamque inualidam & nullam reddit, nullam inijcit obligationem. Lex enim nulla nō obligat, quod verum est etiamsi in ea Censura ferenda non peccauerit iudex & iuridicè processerit, eo quod probata fuerit culpa, quæ tamen nulla existit, tenebitur tamen iste coram iis quibus sua ignota est innocentia, & censuræ sententia nota gerere se pro Censura innodato ratione scandali vitandi, non ratione obedientiæ quam præstare teneatur iudici, & idcircò si ita celebret non fiet irregularis, vt ibi monuimus, qui enim irregularitatem agnoscunt hoc loco cum Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 7. n. 7. de sententia iniusta tantum accidentaliter, & nihilominus valida loquuntur.

QVÆSTIO V.

An consensus partis læsæ excuset à Censura?

PROPOSITIO. *Non incurritur Excommunicatio nisi elapso tempore prorogato, ab eo, in cuius gratiam fuerat præfixum. n. 1. Probatur propositio. num. 2.*

Difficultas est de Censura, cui à iudice certus terminus præfixus est, intra quem nisi fiat actio imperata, incurretur censura, v. g. nisi intra tres menses restitueris, aut debitum solueris, excommunicatus esto. Quæritur autem, quando ille, in cuius fauorem decreta fuit excommunicatio aliaue censura, prorogauit terminum à iudice præfixum, suspendatur, aut vitetur ipsa Censura etiam inconsulto iudice, qui eam tulerat, & elapso deinde tempore, quod prorogauerat pars; cui satisfactum non est, incurratur eadem Censura vi prioris præcepti à iudice facti absque vlla noua sententia?

PROPOSITIO.

1 Dico igitur non incurri Censuram, cui præfixus fuit terminus à iudice, nisi elapso tempore prorogato ab eo, in cuius fauorem lata fuerat censura & dies illi incurrendæ præscriptus.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

2 Perspicuus est, nisi fallor, assertionis nostræ sensus ex statu quæstionis positæ. Imperauit v. gr. iudex fieri solutionem aut restitutionem intra mensem interminata excommunicatione, nisi fieret talis restitutio intra tempus assignatum ipso iure contrahenda, creditor tamen sponte cessit suo iuri, & ampliauit tempus designatum solutioni faciendæ, itaque concessit 42. menses: Dico non incurri ab hoc debitore Censuram, etiamsi non soluat intra mensem à iudice præfixum, si verò termino prorogato à creditore, non soluerit, post illum 4. mensem reuerà erit excommunicatus, neque in his omnibus opus esse noua iudicis sententia, & consensu, sed solum consensum partis, cui fauet excommunicatio sufficere. ita iam olim docuit, Panorm. in cap præterea. 2. de Appellationib. n. 4. & sequuntur Angel. ў. Excommunicatio. num. 2. Suar. disp. 3. s. 6. n. 8. Koo. disp. 14. num. 199. Filluc. tract. 11. cap. 3. n. 80. Hurtad. disp. de Censur. in comm. diffic. 26. & disp. 13. de Excommunicat. diffic. 5. Bonac. disp. 1. de Censur. qu. 2. p. 4. Contra Innocent. Ioann. Andr. & Hostiens. relatos à Panormit. n. 4. cit. Sayr. lib. 1. cap. 11. num. 20. Nauarr. cap. 27. num. 15. vbi citat Sylu. ў. Excommunicatio. 2. notab. 1. casu 13. Vgolin. tab. 1. cap. 20. §. 6. num. 5.

Ratio perspicua est, quia suspenditur aut potiùs subtrahitur causa censuræ, nimirum obligatio soluendi aut satisfaciendi parti intra tres menses à Iudice præscriptos, si enim pars consenserat in vlteriorem solutionis dilationem reuerà non teneor ad eam prius faciendam; quare ob eius defectum plecti non possum, neque censura innodari, & sicut si creditor mihi prorsus condonaret debitum, censura lata ad vrgendam solutionem non me irretiret; ita neque quoties idem creditor non me obligabit ad solutionem nisi post aliquod tempus, poterit me pœna propter dilatam eandem solutionem premere. Quia verò terminus non fuit appositus à Iudice ad finiendam obligationem, sed ad illam vrgendam, ne videlicet vltra tempus assignatum differatur, manet eadem obligatio censuræ, atque iam impletur conditio sub qua lata erat, nimirùm ne vltra tres menses inuito nimirum creditore differretur solutio; atqui iam dilata est vltra illum terminum contra voluntatem creditoris, ergo incurritur censura, & idcircò dicunt vulgo Iuristæ *prorogatione termini facta eundem terminum esse censeri*, quia ea prorogatio est sub eadem conditione, quare distinguunt inter innouationem termini & eiusdem prorogationem; in innouatione enim conceditur siue statuitur, nouus terminus, in prorogatione ille ipse qui positus fuerat, extēditur; quare sublata eius interruptione aut suspensione deinde continuatur & expletur, atque ita pœna incurritur. Ex quibus vides Creditorem non tollere aut ponere Censuram pro suo arbitrio, vt malè obiiciunt aduersarij, sed solùm subtrahere materiam illius ad quod nulla opus est potestate, aut iurisdictione, quæ tantum necessaria est, quando directè & potestatiue suspenditur Censura, stante eius materia & causa eadem, non autem quando indirectè tantùm per subtractionē materiæ, vt hoc loco per condonationem debiti aut simpliciter, aut intra certum tempus, quo elapso manet integra materia, & iam efficax est censura prius lata, quæ propter subductam materiam impedita fuerat, ne operaretur; quare non fertur de nouo Censura à parte, vnde si post eam prorogationem non fiat actio imperata, incurretur Censura absque noua sententia iudicis, aut nisi de eius authoritate vel consensu facta fuerit prorogatio quod malè negauit Henriq. lib. 13. cap. 20. n. 1. & alij ab ip'o relati, litt. H.

omninò. Armilla.℣. interdictum. nn. 21.& Maiol. lib. 3. de Irregular. cap. 20. num. vltimo. Quod ita intelligendum est, vt interdictum non obliget alios, quàm personam interdictam, illam enim statim ligat, & ante denuntiationem quando est personale, sicut & omnes aliæ censuræ, quæ ipso iure contrahuntur; quare debebit talis interdictus nulla alia expectata declaratione aut publicatione abstinere ab actionibus sibi prohibitis, cùm vt sæpiùs diximus Extrauag. Ad euitanda, nullum fauorem impendat ipsis Censuratis. Quando interdictum est generale, sufficit vt communitas nominatim & in particulari denuntietur, vt singulæ illios partes, quæ illo interdicto generali ligantur, denuntiatæ censeantur; quòd verum quoque est in interdicto locali generali, cum necesse non sit, singula illius loca exprimi, ferè enim moraliter impossibilis esset illa singularis denuntiatio in eiusmodi interdictis generalibus, quod Henriq. lib. 13. cap. 43. n. 5. Alteri. disp. 8. de interd. cap. 5. Auila. disput. 5. cit. dub. 1. & alij passim docent, quamuis autem dixerim interdictum, sicut & alias omoes censuras ligare personam, quam afficit etiam ante denuntiationem, quando iam incursum est, in interdicto tamen generali personali requiritur aliqua notitia publica, vt qui sunt illius communitatis partes sciant se esse ligatos interdicto, ac proinde illud seruare teneantur, non tamen necessaria erit denuntiatio publica, quia notitia publica, quam requirimus, sufficienter habetur ex euidentia publica facti & iuris.

Hinc colligit Suar. disp. 37. s. 2. num. 4. eos qui sciunt crimen aliqood adhuc occultum communitatis, propter quod illa communitas interdicta est ipso iure, non teneri gerere se pro interdictis, donec id crimen sufficienter toti communitati promulgatum fuerit, quod etiam verum esse existimat in eo qui causam interdicto generali dedit, quia etiamsi habeat vim interdicti specialis respectu illius, tamen reipsa est tantum interdictum generale, quarè oeminem liget in particulari, donec totam communitatem liget, tunc autem singulos ligabit, sed cum aliquo discrimine, eos enim, qui causam dederunt, fortius obstringet, & magis quodammodo particulariter, quàm cæteros innoxios.

Addunt aliqui nunquàm contingere violationem interdicti, neque esse obligationem illius seruandi, nisi seruetur ab iis, quorum causa positum fuit, quod intelligendum est de iis, in quorum fauorem fuit latum, non verò de illis qui suo peccato illud commeriti sunt; atque ita hanc vulgarem conditionem quæ habetur cap. peristis. de priuilegiis, intelligunt Panormit. Et alij DD. ibidem, qui etiam sapienter requirunt, vt vel ij omnes, vel maior & nobilior pars eorum, quibus fauet interdictum, illud perseuerantet non seruent, vt alij ab eadem obseruatione eximantur.

CONSECTARIVM I.

An clericus violans interdictum exercendo actum minorum ordinum peccet mortaliter?

14 R. Eam materiam videri satis grauem, si in se spectetur, vt sufficiat ad violationem mortalem, cùm sit actio sacra, ad quam faciendam est deputatus & consecratus minister, & quia illud ministerium ferè semper coniunctum est vel cum sacrificio Missæ, vel cum alio officio sacro, cui cooperatur, & propter quod interdictum est hoc munus ordinis minoris, quarè illius prohibitio videtur esse in materia graui, qui illam igitur directè violat, grauiter peccabit; quia tamen attento vsu hodierno vix vllum est ministerium horum ordinum, quod à laicis fieri non soleat etiam cum eadem solemnitate, vt notauimus 1. parte huiusce propositionis, ideò vix censebitur in hac violatione interdicti peccatum mortale propter leuitatem materiæ, vti eodem loco monui cum Sayro & Bonacina; atque ita compono dissidentes sententias Sylu.℣. Interdictum. 5. num. 5. 6. & 7. Suar. disput. 34. s. 4. numer. 9. & Alterij disput. 8. cap. 2. quæst. 1. qui volunt esse peccatum mortale, & Soti. dist. 22. in 4. qu. 3. a. 1. con. 5. quem sequitur Auila 5. pa. disp. 5. dub. 2. qui eam culpæ grauitatem negant, & in solo exercitio ordinis sacri agnoscunt.

CONSECTARIVM II.

An omissio alicuius conditionis præscriptæ cap. Alma mater *in celebrandis diuinis officiis tempore interdicti localis sit mortalis?*

Ita affirmant ferè DD. cum Couarr. in cap. Alma mater. pa. 2. §. 4. num. 6. Calderin. tract. de Interd. part. 1. num. 76. Sylu.℣. interdictum 5. n. 7. Tabiena eod.℣. 5. num. 2. allegans Hostiensem, & alij idem sentiunt, quia licet vna tantùm conditio violetur, tota tamen substantia siue forma interdicti, qualis hodie ponitur, tolli videtur, quia cum hæ omnes conditiones adhibeantur ad excludendum populum, & si vel vna permittatur id non fiat, videtur cuiuscunque omissio grauis esse, cum ex illa sequatur destrui finem interdicti, ipsumque interdictum, & sanè in Clem. 1. de sentent. Excommunic. vbi damnatur & punitur tam grauiter violatio interdicti, erat tantùm violatio vnius conditionis, nempè quod illi Religiosi ianuis apertis aut fenestratis, siue perforatis populum admitterent ad diuina. 15

Quia nihilominùs hæc omnia dura videntur, vti fatetur ipse Calderi. & illa Clement. agit de omissione conditionis, per quam violabatur omninò interdictum, aut illi illudebatur, admisso enim populo per fores ita fenestratas iam publicè fiebant diuina officia.

Temperanda est communis sententia & distinguenda est omissio alicuius circumstantiæ præcisè sumptæ, aut illius positio cōtra prohibitionem Ecclesiæ à diuino officio sine illa præscripta conditione recitato, circumstantia enim aut conditio in se sumpta leuis materia profectò est, & violatio interdicti circa illam erit etiam leuis, v. gr. pulsatio campanarum ad conuocandum populum ad diuina officia, aut reclusio valuarum Ecclesiæ, vt admittantur, qui voluerint, ad sacrificium, si tamen deinde neque officium vllum, neque sacrificium celebretur, non erit in ea violatione externa nisi culpa venialis, quanquam si quis reuera ista fecisset animo diuina deinde cum illis conditionibus sibi prohibitis celebrandi, commisisset in ea voluntate peccatum mortale, nos autem loquimur de ea externa actione absque animo diuinorum officiorum. At verò celebratio diuinorum sine

quoque pœnis contingit. Quod idem de Excommunicatione fatemur, si quando ad certum tempus, vti posse eo loco diximus, imponeretur, desineret enim elapsa duratione prædefinita, vti docet Couarr. in c. Alma mater. 1. p. §. 11. n. 5. Vasq. dub. 18. de Excómunicat. Hurtad. disp. 14. de excomm. diffic. 1. Kon. disp. 14. n. 219. sed tunc esset sola pœna & non censura, quæ vt tam sæpè monuimus, non patitur hanc temporis definitionem, sed eius duratio admetienda est emendationi Rei, quam intendit. Quarè negamus Censuras propriè sumptas, & quamdiu retinent veram rationem Censuræ vnquam aliter cessare, quàm per absolutionem.

Quia etiamsi non dubitem quod q. sequenti commodius inquiram, potuisse Ecclesiam ita imponere Censuram, vt seipsa desineret, cessante v. gr. Rei contumacia & vbi parti læsæ satisfactum fuisset, id tamen minimè consentaneum fuerat, quia quisque facilè sibi persuaderet se exolutum esse illo vinculo, tum quia vix alijs constare posset, an præstita fuissent ad mentem Ecclesiæ, quæ ipsa præstanda indixerat excommunicato, & an iam reuerà defierit excommunicatio, liceatque deinceps absque Religione communicare cum illo; tum quia non decebat vinculum à publica potestate positum ea inconsulta disrumpi aut solui, & eum qui extorris factus fuerat ab Ecclesia, ab alio, quàm ab ipsius præside in eam, & in cœtum fidelium rursùs admitti. Necessaria itaque est absolutio, vt qui semel, aliqua censura ligatus fuit, illa exoluatur, itaque neque per contritionem, qua peccatum eluitur, neque per mortem censurati, quæ duo alibi ostensa sunt, aut abdicationis censuram ferentis ex cap. si Episcopus. 11. q. 3. Neque desinente contumacia Rei ex cap. cùm consideres. de sentent. Excomm. neque vlla alia ratione tollitur, quod non tantùm verum est quoad forum externum, sed etiam quoad internum & coram Deo contra quàm visum fuerit Ripæ. in c. de Quodvultdeo de Iudicijs. n. 24. Nam in vtroque foro manet ligatus vti explicuimus de excommunicato defuncto, & non accepta absolutione disputantes cap. 4. q. 1. Cons. 5. Quàm denique necessaria sit absolutio etiam post adhibitam à Reo satisfactionem parti læsæ illustri miraculo comprobatum esse testatur Granat. 2. p. Introductio ad Symbol. c. 27. §. 7. atque ex ipso & Illescia. part. 2. Histo. Pontificij. cap. 14. refert Raynaud. 1. p. de manto. c. 4. quæsito. 3.

Est quidem grauis difficultas circa excommunicationem conditionatam quæ fertur incurrenda, donec quidpiam præstitum fuerit, sed in ea includitur absolutio conditionata, aut noua opus erit post expletam conditionem, vt dicemus commodiori loco q. sequenti.

CONSECTARIA.

Itaque neque Excommunicatio, neque Suspensio, neque Interdictum quando sunt veræ Censuræ cessant nisi per absolutionem.

CONSECTARIVM I.

Cessante Contumacia durat suspensio.

4 Vnde fit 4. vt cessante contumacia duret nihilominus suspensionis censura, vti etiam monebimus iterum q. 3. Cons. 15.

CONSECTARIVM II.

Diruto loco interdicto durat interdictum locale.

II. Vi interdicti localis manet censura etiamsi locus interdictus diruatur v. gr. Ciuitas aut Ecclesia. Ita Suar. disp. 38. s. 1. Layman. cap. 5. de Interdicto. sub fin. Villalob. tract. 19. diffic. 11. Alteri. disp. 11. cap. 2. & alij, quia ipsummet solum, quod adhuc manet, interdicitur, itaque in illo etiã post dirutam Ecclesiam, nõ poterunt diuina officia celebrari aut cadauera fidelium sepulturæ mandari, donec per absolutionem tollatur ea censura, quarè si inibi noua Ecclesia ædificetur interdicta erit. Idem dicendum erit si locus propter Domini culpam interdictus alienetur, & ad alium dominum transferatur, aut eius pars, neque enim desinit idcircò interdictũ, vt habet Suar. s. 1. cit. s. 12. 5

CONSECTARIVM III.

Destructa communitate interdicta cessat interdictum generale personale, nisi in ijs, qui causam dederunt interdicto.

Interdicti generalis personalis censura destructa communitate interdicta desinit absque absolutione, vt affirmant ijdem DD. quia singulæ personæ non sunt interdictæ, nisi quatenus sunt partes illius communitatis interdictæ; quarè vbi cessant per mutationem loci, aut alia ratione esse partes eiusdem communitatis desinunt esse interdictæ, vti fuit latè explicatum disq. 4. atqui quando perit aut dissoluitur aliqua communitas, personæ quæ illam anteà componebant, desinunt esse illius partes, & amplius esse interdictæ, sicut si ab illa communitate eijcerentur. 6

Qui tamen dederunt causam interdicto illi generali, quia ipsi interdicuntur specialiter, manent interdicti etiam dissoluta communitate, vt monet Kon. disp. 17 n. 78 si prætereà maneat adhuc communitas virtualiter vel in vno tantùm quia v. gr. omnes alij peste perierunt, manebit ille interdictus vt censet Alteri. disp. 11. de interd. cap. 3. Bonac. disp. 45. p. vlt. n. 3. quia cum ille superstes retinest iura illius communitatis adhuc vel in ipso vno virtualiter perseuerantis, ijsdem quoque oneribus premi æquum est; & sanè cùm ipsa solus superstes sit virtualiter ipsa communitas, interdictũ quod afficit personam fictam communitatis, illi necessariò adhærebit.

CONSECTARIVM IV.

Interdictum temporale cessat elapso præfinito tempore.

Interdictum quod ad tempus latum est, eo elapso finitur, quia tunc habet rationem pœnæ. Idem dicunt plurimi apud Sayr lib. 5. cap. 15. n. 2. de interdicto lato sub conditione, impleta conditione cessare, quia vel tunc est tantum pœna, vel si censura sit includitur implicita absolutio in ipsius impositione, vt dicemus inferiùs, nam omnimodam esse Interdicti, quando Censura est, & Excommunicationis rationem quoad necessitatem absolu- 7

nionis

tionis latè ostendit Suar. disp. 38. s. 1. a. n. 6. & sane si cessante contumacia desineret statim seipso interdictum latum sub conditione satisfactionis, nunquam moraliter loquendo necessaria foret absolutio pro Interdicto, quia aut fertur pro contumacia, & tunc includit tacitam vel expressam conditionem, si satisfeceris, & posita satisfactione cessabit absque absolutione, vel fertur in vindictam delicti commissi, & tunc praefigitur illi terminus, quo elapso finitur interdictum, nec indiget absolutione, nunquàm enim indefinitè aut in perpetuum imponitur.

CONSECTARIVM V.

Interdictum deambulatorium cessat per discessum personae Interdictae.

8 Interdictum deambolatorium cessat in vno loco per discessum & praesentiam, ratione cuius locus interdicitur, & in alium locum, cui fit de nouo praesens ea persona, neque opus est aut absolutione aut dispensatione respectu loci, quem deserit vt desinat esse interdictus neque noua sententia respectu loci, quem acquirit ea persona, vt fiat de nouo interdictus, quia hoc interdictum quamuis locale sit, est etiam personale atque adeò mixtum, ita enim afficit locum, vt non feratur propter odiū loci, sed detentionis aut praesentiae talis personae; quarè non interdicitur simpliciter & absolutè locus sed dependentes à praesentia talis personae, aut ditione quapiam, quae fit in tali loco, quarè vbi cessat illa conditio non ampliùs perseuerat interdictum, neque illud amplius perseuerare vult qui tulit, atque eo sensu verum erit aliquando censuram conditionatè latam cessare cessante ea conditione quam ad eius positionem aut perseuerantiam requirebat, qui eam tulerat, siue inibi includatur implicitè absolutio siue non, qua de re q. sequenti sub fio.

CONSECTARIVM VI.

Populus interdictus propter Domini culpam manet interdictus mutato Domino.

9 Quando populus interdictus fuit propter Domini culpam, manet interdictus, licet desinat esse illius domini, sicut dicebamus de loco simili de causa interdicto & deinde dominum mutante, quia hic populus, est interdictus per se & quatenus talis est, manet autem idem licet dominum mutarit & quamuis subiectio talis domini fuerit conditio sine qua non fuit interdictus, non est tamen conditio sine qua non conseruationis interdicti; quare necessaria erit illius interdicti relaxatio à potestate Ecclesiastica modo inferiùs q. 3. & 5. explicando. Ita Suar. disp. 38. s. 1. n. 19.

CONSECTARIVM VII.

Interdictum personale particulare non cessat morte Interdicti.

10 Interdictum personale particulare non cessat per mortem interdicti, sed defunctus absolui debebit, est enim capax illius absolutionis modo alibi exposito, & quatenus non licet viuentibus aliquas actiones circa illum exercere, vti liceret nisi fuisset perculsus censura v. gr. interdicti, tunc enim cadauer nefas est sepulturae Ecclesiasticae mandare, vti diximus disq. 7. q. 14 vnde tamen non benè infert Couarr. in cap. Alma mater 2. p. §. 1. n. 3. Interdictum poenitentem defunctum non indigere vlla absolutione, cùm enim liceat illum sepultura Ecclesiastica donare ex cap. Is cui. de sent. Excom. in 6. & interdictum nequeat habere vllum alium effectum in defuncti animam quandoquidem non priuat Ecclesiae suffragijs, sacramentorum autem ampliùs capax non est, Non videtur manere interdictus. Sed huic doctrinae caeteri DD. repugnant, quia si poenitentia liberat defunctum ab omni effectu interdicti quoad eius cadauer, liberabit etiam animam viuentis quoad alios effectus, atque ita per solam poenitentiam absque vlla alia relaxatione desinet Censura, quod falsum esse ostendimus in nostra propositione; Sensus igitur illius cap. Is cui est, talem poenitentem interdictum posse à quolibet sacerdote absolui tunc ab interdicto, atque ita Ecclesiastico more tumulari, cùm tamen quibusdam alijs peccatis denegetur sepultura etiam post exhibita signa poenitentiae in extremo vitae exitu. Atq; hanc veniam circa Interdictum poenitentem interpretatur Suar. disp. 38. s. 1. n. 22. de Interdicto etiam quod est poena & ad certum tempus inflictum, eo quod Ius ibi loquatur in vniuersum, neque distinguat ista interdicta, & quae tradit eo loco, de vtroque interdicto aeque explicari possunt.

CONSECTARIVM VIII.

Interdictus, quia dedit causam interdicto generali, non desinit esse interdictus per professionem religiosam.

Hinc quoque reijcias Syluest. qui v. Interdictum. o. 2. existimat Eum qui dedit causam Interdicto generali personali, si deinde ab eo populo separetur per ingressum ad Religionem, desinere esse Interdictum, quia professio religiosa est mors ciuilis, nam ne quidem per mortem naturalem desineret esse Interdictus, quia non tantùm est interdictus, generaliter, sed etiam specialiter vnde licet morte aut alia ratione desinat esse pars illius communitatis, immò quamuis tota communitas destruatur, manebit Interdictus nisi absoluatur, secus est de innocentibus, qui tantum interdicuntur, quia sunt partes illius communitatis, hi enim, si in illa communitate ampliùs non sunt, cessant esse Interdicti, in quo etiam Interdictum generale personale differt ab interdicto generali locali, quia enim communitas constat partibus inuicem separabilibus, ipsaque tota communitas dissolubilis est, idcircò partes aliquae eius possunt desinere esse interdictae, quia desinunt esse partes communitatis interdictae; at verò partes loci interdicti non sunt ab eo separabiles, quia totum solum interdicitur, & non aedificia tantùm vt diximus vnde fit vt in illis locis partialibus nunquàm cesset interdictum, sola diuulsione locali. 11

SECVNDA

SECVNDA PROPOSITIO.

De obligatione quærendi absolutionem.

12 Omnis qui aliqua censura ligatus est, tenetur eius absolutionem quærere, alioquin si in ea maximè in excommunicatione insordescat variis pœnis obnoxius est.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

13 Non ago de obligatione desistendi à peccato & cessandi à contumacia propter quam censura lata fuit, ea enim obligatio ex sese euidens est de qua disputatur in materia de pœnitentia, sed ago præcisè de obligatione quærendi exolutionem à nexu excommunicationis alteriusue censuræ, quæ etiam emendato atque expiato per contritionem peccato manet.

Dico autem illam obligationem grauem esse, quarè quoties illam sua culpa non obtinebit excommunicatus, eo quod cunctetur & moras nectat in re tam seria peccare grauiter pro ratione leuioris aut grauioris negligentiæ in exsolutione quærenda commissæ, quia sua culpa priuat se Sacramentorum aliarumque rerum sacrarum vsu non sine magno suæ salutis dispendio, contemnit Ecclesiæ potestatem, aut saltem præbet occasionem id de se suspicandi, cùm contemnat Ecclesiæ reconciliari, pluraque alia tum in seipsum contra propriam charitatem, tum in Religionem, cuius actiones negligit, tum in Ecclesiam, cuius monitis minimè paret, & à qua exul lubens & volens manet contempta eius societate, tum in proximum, quem malo suo exemplo offendit, & sua opera ac ministerio priuat, tum in alia multa peccat.

Quarè hanc pertinaciam, & vti appellant diuturnam in excommunicatione aliaue censura spontaneam insordescentiam grauioribus pœnis plectit Ecclesia in Trident. sess. 25. cap. 3. atque veteribus canonibus, Enim enim, qui per annum insorduerit, habet pro conuicto de crimine, cuius causa fuerat lata censura, atque ita fit reus omnium pœnarum, quæ illi crimini impositæ sunt; quarè si priuatione beneficiorum dignum sit eiusmodi crimen illis reuerà priuabitur. Qui ita in excommunicatione propter ipsum lata insorduerit per annum, deinde habetur suspectus de hæresi, quarè citari potest, vt de fide responsurus compareat, quod nisi faciat, excommunicabitur, atque si in ea excommunicatione per annum contumax perstiterit, condemnabitur vt hæreticus, & quod inde necessario sequitur, priuabitur beneficiis Ecclesiasticis; quæ omnia latius excussimus disq. 7. q. 7. vbi etiam quænam sit ea in parte praxis in Gallia, retulimus ex Rebuffo, ac demum quidnam ad eam insordescentiam requiratur ex Ricciulo lib. 4. cap. 8. Vide etiam Alteri. lib. 2. disp. 8. cap. 3. Conart. in cap. Alma mater. 1. p. §. 7. n. 10.

Præter has verò pœnas poterit hæc annua insordescentia puniri arbitraria pœna, vt contendit ex Ioann. Andr. & Felino Alterius loco cit. malè dubitante Menochio, de Arbitra. iudic. q. lib. 2. cent. 5. casu 4. 16. n. 11. qui tamen in praxi opinionē Ioannis Andreæ se sequuturum fatetur: vnde etiam colligit Dias in practica. Can. c. 116. n. 6. puniri posse à Iudicibus Laicis excommunicatos ita insordescētes siue pecuniaria mulcta, siue alia, quod pridem fuerat definitum à Conc. Triburiensi cap. 3. vt quos Dei timor non corrigit, saltem pœna temporalis corripiat; quarè laudabile est illud statutum, quod ex Hostiensi & Ioan. Andr. refert Syluest. ℣. excommunicatio. 3. n. 1. effectu 18. ante absolutionem soluendos esse tot grossos, quot diebus manserunt excommunicati, vt eius pœnæ timore citius absolui curent, quarè cum ea pecunia non detur in pretium absolutionis, nulla est simoniæ labes, alibi verò qui in Paschate caruerint communione propter impedimentum excommunicationis, quod per absolutionem excutere neglexerunt, non absoluuntur deinde nisi certa pecunia collata, quod etiam improbari non debet.

Denique huius insordescentiæ, quæ ex contumacia, vt loquitur Tridentinum obdurato corde procedere debet, non leuis pœna est quod impediat absolutionem generalem, quæ ex stylo curiæ apponi solita est in rescriptis pontificiis ad eorum valorem, de qua iam diximus aliquid disq. 7. q. 7. & iterum q. sequenti dicemus. Hoc autem de eiusmodi clausulæ impedimento se primùm monere ait Nauar. in cap. ita quorundam de Iudæis. glossa vlt. notab. 11. n. 14. ex Regula cancellariæ Pauli III. quæ est de insordescentibus, vbi in certis quibusdam casibus insordescentia quatuor mensium in excommunicatione impedit absolutionem ad effectum gratiæ, in aliis autem omnibus insordescentia annua idem efficit, vnde aliquandò adhiberetur in rescriptis Pontificiis clausula non obstante Regula de insordescentibus, & plurimi, qui negligentiores fuerunt in obtinenda absolutione excommunicationis, quam tamen se incurrisse sciebant, quod vnum requirit Paul. III. in sua Regula, reuerà inualidè impetrarunt beneficia quæ possident; Idem quoque obseruat Garc. 7. p. de benefic. cap. 13. n. 61. Rebuffus in praxi in formula & declaratione nouæ prouisionis, ℣. neque absoluentes. n. 10. vbi ita quoque iudicatum fuisse à Senatu Burdegalensi refert ex Boerio in decisionib. Burdegalens. q. 290. quia nimiùm ex ea insordescentia nascitur suspicio hæresis, ita verò suspectus ab impetrandis beneficiis remouetur à Curia: eaque ratio vniuersalior est, quàm quæ dicitur à Nauarro ex Regulis Cancellariæ, cùm quæ editæ sunt à variis Pontificibus non contineant id caput, vnde consulendæ erunt Regulæ à Moderno Pontifice editæ, & deinde non vbique eæ vrgent, vt in Gallia, quod aliàs monuimus.

QVÆSTIO II.

Quid & quotuplex sit absolutio à censuris?

Quid sit absolutio à censuris. num. 1.
Quotuplex sit absolutio. n. 2.
De absolutione conditionata. n. 3.

Datur validè sub conditione de futuro. ibid. & num. 4.
Fit etiam licitè. num. 5.
De absolutione ad cautelam. num. 6.
Quandonam detur. num. 7.
An vsurpetur in omni censura num. 8.
Casus in quibus vsurpanda est hac absolutio. n. 9.
Quid sit absolutio ad reincidentiam. num. 10.
Varii modi huius absolutionis ibid. n. 11.
Quando soleat vsurpari. n. 12.
An ad reincidentiam in Censuram sit opus noua culpa. n. 13.
An ad reincidentiam sit opus noua Censura.. n. 14.
Consensus partis impedit reincidentiam num. 15.
Quis possit absoluere ad reincidentiam n. 16.
Quid sit partialis absolutio & quotuplex. n. 17.
11 *Quomodo per absolutionem generalem Censura non expressa à pœnitente relaxentur. n. 18.*
De Absolutione ad vnum tantùm effectum & clausula teque absoluentes. num. 19. & 20.
De absolutione in foro externo & in foro interno. n. 21.
Quid sit absolutio in foro tantùm interno. n. 22.
Poterit acceptari à Iudice pro foro externo. n. 23.
Ab aliis haberi potest pro absoluto n. 24.
Quomodo cognoscatur absolutionem esse tantùm pro foro interno. n. 25.
An facultas generalis absoluendi à Censuris nulla facta mentione particularis alicuius fori valeat pro vtroque foro. n. 26.
Sententia affirmans. ibid.
Sententia negans. n. 27.
Solutio difficultatis. n. 28.
An sit & quid sit Absolutio implicita. n. 29.

Absolutio hoc loco nihil aliud est, quam actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, per quem vincu-
1 lum Censuræ, quo quis à publica potestate Ecclesiastica ligatus fuerat, dissoluitur; Censuras enim esse vincula, quibus homo impeditus, actiones quasdam exercere nequit toto isto tractatu demonstratum fuit, eaque vincula non nisi ab eo, qui iurisdictione Ecclesiastica in foro externo & contentioso pollet, poni constat ex disq. 3. & 4. similis igitur potestas & iurisdictio necessaria erit ad tollendum illud vinculum, quod ampliùs ex q. 3. de causa efficiente absolutionis intelligetur; modò varias illius veluti species prosequor.

Diuiditur enim 1. Absolutio in simplicem siue absolutam, & in conditionatam, quæ in diuer-
2 sas iterum subdiuiditur, vna enim retinet vulgare nomen conditionatæ, altera dicitur ad cautelam. 3. ad reincidentiam. 2. diuiditur absolutio in totalem & partialem. 1. tollit omnia vincula & omnes censuras, quibus aliquis est innodatus, & quoad omnes ipsarum effectus. 2. verò vel tollit tantùm vnam aliquam censuram ex pluribus quibus fuit innodatus siue vnius, siue diuersæ rationis fuerint, vel quoad vnum tantùm effectum v. gr. ad valorem rescripti Pontificii ab excommunicato impetrati. 3. diuiditur absolutio in eam, quæ in vtroque foro tum interno tum externo sortitur suum effectum, & in eam quæ in altero tantùm foro efficax est, quæ omnes absolutionis species singillatim explicandæ nobis sunt. Et quidem quod attinet ad simplicem & absolutam absolutionem nulla planè est difficultas, talis enim dicitur, quæ ex verbis & intentione proferentis nullam planè claudit conditionem siue diei, siue alicuius actionis faciendæ aut non faciendæ, ita vt reincidat, si non paruerit, neque etiam datur sub dubio, si nimirùm incursa fuerit excommunicatio aliaue censura sed absque vllo additamento aut limitatione Reus eximitur istis censurarum nexibus per legitimam potestatem; Quarè hoc membro diuisionis omisso ad alia transeamus oportet.

De Absolutione conditionata

Absolutio conditionata ea est, quæ vel diem, vel aliam conditionem includit. 3

Dico autem Absolutionem & validè & licitè ferri posse sub conditione etiam de futuro, quod addo, quia quod ad conditionem de præsenti, aut præterito nulla potest esse difficultas, cùm enim ea conditio non suspendat effectum, absolutio, quæ cum illa profertur, statim valida aut nulla est, quia aut conditio iam posita est, atque ita vera est propositio conditionalis, & æquiualet absolutæ, & quia practica est operatur quod significat, si autem nondum extat conditio, propositio conditionalis falsa est, & nihil operatur cùm falso significet, ita in Sacramentis profertur forma sæpiùs sub conditione de præsenti aut de præterito v. gr. baptizo te si non es, baptizatus, absoluo te si benè dispositus es atque in hac ipsa nostra re excommunicatio aliaue Censura sub simili conditione fertur vti monui disqu. 1. qu. 3. Excommunico te si hoc sacrilegium commisisti, & in vulgati formula absolutionis Sacramentalis præmittitur absolutio generalis à Censuris, sed conditionatè in quantum possum & indiges, possentque non modò validè adiici aliæ conditiones etiam explicitè ad excutiendum metum, tollendam gratiam vel declarandum dubium v. gr. absoluo te, si satisfecisti, si ex animo spondes seriam emendationem, si verè peccatum illud commisisti & incurristi Censuram, si verò extraneæ quædam conditiones & prorsus impertinentes apponerentur, imprudenter omninò & non sine aliquo potestatis Ecclesiasticæ contemptu id fieret. Tota itaque difficultas restat circa conditiones de futuro, an validè & licitè apponi possint absolutioni, quod ego vtrumque affirmo.

Et de valore quidem ita docent Nauarr. in cap. 4
1. de pœnitent. dist. 6. in principio. n. 64. Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 11. n. 6. Henriq. lib. 13. cap. 29. §. 2. Vgolin. tab. 1. c. 12. §. 1. & 2. Vasq. dub. 18. de Excomm. n. 3. Sayr. lib. 2. cap. 16. n. 4. Suar. disp. 7. s. 8. n. 7. Alteri. lib. 4. de Excomm. cap. 3. Kon. disp. 14. n. 213. Auila. 2. p. cap. 7. disp. 3. dub. 15. Hurtad. disp. 14. de Excommunic. diffic. 2. Villalob. tract. 16. tom. 1. diffi. 22. Bonac. disp. 1. q. 3. p. 7. Candid. disp. 22. a. 57. dub. 2. & alij recentiores

recentiores contra Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 27. §. 1. Sylu. v. absolutio. 3. num. 1. & paucos alios, & probatur, quia excommunicatio ferri potest sub ea conditione, vt habetur ex cap. præterea 2. de appellationibus, & in cap. Romana. §. caueant. de sentent. excommunicat. in 6. quibus locis idem sentiunt glossa & Doctor. ergo & absolutio, neque vllum discrimen assignari poterit propter quod excommunicatio conditionata conditione de futuro contingenti valida sit, non autem absolutio lata cum eadem conditione, & cur eius effectus suspendi non possit vsque ad euentum conditionis, sicuti suspenditur in excommunicatione. Ratio à priori est, quia isti actus morales possunt perseuerare vsque in diem dispositionis assignatum, vt videmus in contractibus, præceptis & aliis eiusmodi actionibus, contractus enim initus sub conditione de futuro, ea posita statim absque vllo nouo contrahentium consensu obligat, quod in precepto, promissione, & aliis dispositionibus contingere nemo negabit. Cùm igitur excommunicatio & absolutio sint actus morales, quorum efficacitas pendet à voluntate & intentione illos facientis, & vltra quam non operantur, reuerà efficaces erunt eo tempore quo voluerit operans, & non aliter, si naturam ipsorum attendamus, & nisi aliquo iure irritentur, nullum autem profertur circa absolutionem à censuris pendentem à conditione de futuro, igitur valida erit. Neq; dicas hæc omnia circa absolutionē quoq; sacramentalem afferri posse, quam tamen cōstat non esse validam, si cum conditione de futuro feratur, dico enim aliam esse rationem illius absolutionis, quæ, quamuis difficile reddatur vt vidimus in 3. partem S. Thomæ, & iterum examinabimus alibi petenda est ex institutione CHRISTI, qui noluit ita pendere hanc absolutionem à futuro euentu conditionis ponendæ, quam nos institutionem colligimus à posteriori ex eo quod illa nunquam vsa fuerit Ecclesia, etiamsi grauissimæ causæ id aliquando persuadere viderentur.

Frustrà quoque obiicitur ab Antonino communis Regula Iuristarum, actus legitimos non recipere conditionem. l. actus legitimi. ff. de regulis iuris & Regula 50. de Regul. iuris in 6. Nam non ita vniuersaliter accipienda est hæc Regula, vt nulli actus legitimi conditionatè fieri possint, cùm & contractus sint actus legitimi; quos tamen cum conditione de futuro fieri nonnunquàm docuimus, præterquam quod ea Regula ita respuit conditionem in actibus legitimis, vt non loquatur de vna potius conditione, quàm de altera, sed de omni omninò, atque ita neqnidem conditio de præsenti aut de præterito adhiberi posset. Loquitur itaque regula de actibus, qui ex sua natura neque diem, neque conditionem respiciunt, illi enim vitiantur per eiusmodi temporis aut conditionis adiectionem, v. gr. si Titius contrahat matrimonium cum Bertha vsque ad certam diem, ille actus nullus est, quia Matrimonium perpetuum est, & non ad certum tantùm tempus contrahi potest; at verò absolutio non est actus qui pugnet cum appositione conditionis aut temporis, vt patet.

Hic tamen absoluendi modus non est in vsu Ecclesiæ, pēdebit enim à iudicio Rei an sit absolutus, & an sufficienter impleuerit conditionem, quod potius à Iudice, quàm à Reo definiendum videtur, & difficilè constare poterit aliis hunc Reum fuisse à censuris absolutum, quod tamen plurimum ipsorum interest.

R. P. Ioseph. Gibal. de Censuris.

5 Inde colligunt aliqui illicitam esse hanc absolutionem, neque sine culpa vsurpari, eo quod cum communi Ecclesiæ praxi pugnet. Ita Nauarr. Henriq. & Auila. Raynaud. 1. p. de monitoriis, cap. 4. q. 5. Alij verò cum Suare, Villalob. Kon. non nisi vrgente graui aliqua necessitate & casu extraordinario vsurpandam censent. Vgolin. Vasq. Hurtad. & Sayr. absolutè dicunt licitè fieri cum nullo iure neque naturali, neque diuino prohibeatur, quibus & ego assentior cum limitatione tamen, quam addit Vgolin. Sayr. & Bonac. modò non addatur vlla conditio impertinens, vt absoluo te si cras nauis portum appulerit, quia contemptus quidam clauium aut abusus est suspendere absolutionem eiusque effectum vsque ad conditionis ita impertinentis euentum; inde tamen aliqui malè colligunt inualiditatem eiusmodi absolutionis, quos bene confutat Bonac. quia etiam ea quæ fieret sub conditione impertinente de præsenti aut de præterito inualida dicenda foret, quod tamen illi DD. negant, cùm par sit abusus actum potestatis spiritualis pendere à conditione impertinente, & tenerà neque censura, neque eius absolutio accipiat suam efficacitatem nisi à potestate & voluntate ferentis, non à conditione, quæ causa non est neque influit in actum, quamuis intentio agentis ad illam sese volens limitet, & abusus sine iniuria, quæ fit eò casu potestati spirituali non irritet actum, vt ostensum fuit.

De absolutione ad cautelam.

6 Hæc absolutio datur, quoties dubitatur an censura incursa sit, aut valida fuerit, sic enim cauentur pericula, quæ ex neglecta censura aut perdurante timeri iure possent, nam ita absolutus potest omnia præstare eodem modo, atque si simpliciter absolutus fuisset, aut nunquam incidisset in censuram, nullamque propterea incurrit irregularitatem. Vnde vides hanc absolutionem esse sub conditione, sed impropria, vt loquuntur, & cur vocetur ad cautelam & vulgò definiatur à Ioan. Andr. in cap. solet. de sent. excommunic. in 6. liberatio à vera seu apparente censura iis quos restringit, quia reuerà tum ipsi excommunicato, tum aliis, qui cum ipso agunt, tum plurium actionum validitati prospicitur, & quamuis eius vsus aliquis fuisse videatur præsidente Alexand. III. vti colligitur ex cap. ad præsentiam de appellationibus. Eo tamen nomine primus vsus repetitur Clem. III. cap. cum desideres de sentent. excomm. & deinceps illius vsurpatio frequens fuit posterioribus Pontificibus Innoc. III. cap. veniens. a. de testibus & cap. per tuas de sentent. excom. Honor. III. cap. venerabili. de sentent. excommunic. Gregor. IX. cap. Apostolicæ de exceptionibus. Innoc. IV. cap. venerabilibus de sententia excommunicat. 6. & Gregor. X. cap. præsenti eod. tit. & libro.

Quoties igitur vel ignota vel dubia est excommunicatio aliaue censura vel etiamsi constet illam fuisse latam, eius tamen nullitatem excipit, qui ea perculsus fuit, & petit præterea absolui, ad cautelam absoluetur, nisi tamen illa vel similis, vel æquiualens particula addatur, de absolutione simplici semper verba accipienda erunt, quod obseruauit Panormit. in

cap. Apoſtolicæ. de Exceptionib. num. 12. dubium verò iſtud non debet eſſe tantum de iuſtitia Cenſuræ, ſed de valore, qui enim tantùm excipit ſe fuiſſe iniuſtè excommunicatum, niſi ea iniuſtitia ſit ſubſtantialis, & ſecum Inuehat nullitatem, fatetur ſe eſſe excommunicatum, atque ita indiget ſimplici abſolutinne, vt Couarru. in cap. Alma mater. 1. p. §. 12. n. 7. obſeruat. Aliquando verò datur hæc abſolutio nullo præuio dubio aut cognitione Cenſuræ, & potius, vt ait Suar. diſp. 7. ſ. 8. n. 13. ad ſuperabundantiam, quam ad cautelam dici poteſt, quæ tamen non eſt ſuperflua propter periculum nullitatis actus faciendi, aut alicuius pœnæ vel notæ incurrendæ, ſi fortaſſis contracta cenſura fuiſſet; qua de cauſa ſolet ante ſacramentalem abſolutionem præmitti propter quandam peculiarem connexionem & ſubordinationem, quam inter ſeſe habere videntur hæ duæ abſolutiones, & contingere facilè poſſet, vt abſolutio à culpa nulla eſſet defectu præuiæ abſolutionis à cenſura, qua de re diximus diſq. 7. Id verò non fit in aliis ſacramentia, quia ſupponitur præmiſſa conceſſio, quare conſulit Suarex præmittere ante extremam vnctionem eiuſmodi abſolutionem ad cantelam, quando non licuit ſacramentaliter abſoluere; ſolent quoque Epiſcopi ante collationem Ordinum propter periculum Irregularitatis eandem abſolutionem impertiri.

8 Dixi porrò hanc abſolutionem in omni cenſura vſurpari, & quidem de Excommunicatione certum eſt ex cap. ſolet & cap. venerabilibus. de ſentent. Excomm. in 6. de ſuſpenſione ex cap. venerabili. de ſentent. Excommunic. & Cap. Apoſtolicæ. de Exceptionib. de interdicto, ex cap. præſenti. de ſentent. Excommunic. in 6. Ibi enim Gregorius X. prohibet interdictum generale loci relaxari ad cautelam, ergo ſupponit alia interdicta poſſe & ſolere eo modo relaxari, alioquin inutilis eſſet iſta prohibitio circa hoc interdictum. Quarè ita docent communiter interpteres, & ex illis Ricciul. lib. 4. de iure perſonarum extra Eccleſi. cap. 67. num. 12. & 13. Anila. 5. p. diſp. 6. dub. 5. Suar. diſp. 38. ſ. 3. num. 3. Alteri. diſp. 11. cap. 6. de interdicto. Vgolin tab. 1. cap. 22. §. 1. num. 11. & Rotæ deciſiones refert Sayr. lib. 2. Theſau. cap. 17. nu. 6. Rationem verò propter quam Gregorius noluit interdictum generale loci ad cautelam relaxari, quamuis non modo in excommunicatione, ſed in aliis quoque interdictis id ſolemne ſit, attulit gloſſa in cap. præſenti citatum ℣. Declarauimus, ex eo quod in Excommunicatione, cùm ſit eiectio ab Eccleſia, & priuatio ſacramentorum exiſtat maius periculum, ſi denegetur aut diutius differatur abſolutio, quàm in interdicto generali loci, in quo ſacramenta quædam neceſſaria miniſtrantur, celebranturque diuina officia cum moderatione capitis Alma Mater; vti cap. 7. fuit explicatum q. 14. quæ eadem ratio valet in interdicto ſpeciali loci, & in quocunque interdicto perſonali, in quibus fauor capitis Alma mater, non habet locum, vti diximus quæſt. citata. Sapienter verò obſeruat Ioann. Andr. in cap. præſenti, quod exponimus, illius definitionem valere in interdicto ſpeciali loci quoties habet effectum interdicti generalis eo quod v. gr. in illa villa ſit tantùm vna Eccleſia, quæ interdicta fuit, & è contrario quando interdictum generale loci æquiualebit tantùm ſpeciali, & eius habebit effectus, vt ſi ob non ſolutas decimas interdicerentur omnes Eccleſiæ alicuius ciuitatis, tunc enim non haberet locum priuilegium cap. Alma mater; quare eiuſmodi interdictum generale loci cùm eoſdem effectus ſortiatur cum ſpeciali, relaxari poterit ad cautelam. Conſule Felin. in cap. Apoſtolicæ de exceptionib. n. 3.

9 Caſus porrò, in quibus licet hanc abſolutionem ad Cautelam vſurpare duo afferuntur in cap. ſolet, & in cap. venerabilibus. §. poteſt quoque de ſentent. Excomm. in 6. Nimirum quando quis obtendit Excommunicationem aliamve cenſuram eſſe nullam eo quod vel lata fuerit poſt interiectam appellationem, vel eius ſententia contineat intolerabilem errorem; alios tamen plures caſus affert gloſſa in cap. præſenti citatum. ℣. ad cautelam, & in vniuerſum pronuntiant Couarr. in cap. Alma mater 1. p. §. 12. num. 7. Vgolin. tab. 1. cap. 22. §. 1. num. 9. & 13. Sayr. cap. 17. cit. num. 8. & alij communiter, quotieſcunque allegatur nullitas cenſuræ ex quocunque capite illa oriatur, petenti abſolutionem ad cautelam dari poſſe, neque enim Pontifex dum duos illos, caſus in capitibus allegatis affert, excludit alios, maximè cùm in omnibus iſtis eadem omnino ratio vrgeat.

Obſeruant autem Couarru. & Sayr locis allegatis ex ſenſu Canoniſtarum communiori nullitatis, quam prætendit, qui idcircò abſolutionem ad cautelam petit, cauſam nominadam in ſpecie, & aliquomodo ſaltem in vniuerſum probandam eſſe immò & ſemiplene, quia alioquin pro validitate ſententiæ latæ præſumitur, ſi ſimpliciter propoſita nullitas Cenſuræ, eius abſolutio, cuicunque illam petenti concederetur quamuis ad cautelam, ſæpiſſimè tum Cenſuræ, tum iudices illuderentur. Qua de cauſa hanc maximè ſemiplenam probationem exigunt DD. quando nullitas Cenſuræ petitur ex defectu iuriſdictionis in iudice ordinario ratione exemptionis, niſi enim onus eam exemptionem ſemiplenè probandi incumbat illam alleganti, reuerà inutilis & illuſoria redderetur tota iudicum inferiorum iuriſdictio.

Quoties etiam eadem Cenſuræ nullitas petitur ex eo, quod appellatio legitima ipſam præceſſerit, ideoque petitur abſolutio ad cautelam, debet ſummariè ſaltem cognoſci, an reuerà appellatio præceſſerit cenſuram, licet non ſit neceſſaria iuſtificatio appellationis. ita Panorm. in cap. per tuas de ſentent. excomm. Ioan. Andr. in cap. ſolet. de ſentent. excommunic. in 6. Felin. in c. Apoſtolicæ. de exceptionib. num. 17. qui probant ex cap. venerabilibus. §. ſed ſi ex cauſa, & §. vltimo. de ſentent. excomm. in 6. ibi enim apertè pronuntiat pontifex vbi ſuperiori conſtiterit de præmiſſa appellatione ante ſententiam, etiam antequam incipiat de veritate cauſæ appellationis cognoſcere, poſſe abſolutionem ad cautelam dare. Monet autem Bellamera. deciſio. 386. Credendum iuramento partis aſſerentis ſe poſt appellationem fuiſſe excommunicatum, quarè illi abſolutionem ad Cautelam dare licebit, quod tamen limitat Felin. n. 19. ad iudicem qui excommunicauit qui contendit quidem ſe non excommunicaſſe poſt appellationem, paratus tamen eſt deſiſtere ab ea excommunicatione, ſi eam poſt appellationem tulerit, tunc enim ſtabitur iuramento Rei dicentis ſe prius appellaſſe; alioquin cum in dubio præſumatur appellatum fuiſſe poſt ſententiam, omninò probanda erit prioritas appellationis, neque ad id ſufficiet vnus teſtis, vt ipſemet Bellamera docuit deciſ. 91. contra communem Auditorum Rotæ ſenſum vt ibidem fatetur

Neq; dicas probata prioritate abſolutionis iā oſtēdi nullitatem

nullitatem ipsius excommunicationis, vt diximus disqu. 8. q. 6. ac proinde nihil tunc opus esse absolutione ad cautelam, sed de nullitate sententiæ pronuntiandum esse à Iudice. Respondeo enim ad hanc nullitatem plura probanda esse, vti loco citato aduertit Felin. n. 20. nimirum interiectam fuisse appellationem & eam legitimam fuisse, ad absolutionem autem ad cautelam, alterum tantùm ex istis probandum est, nimirum appellationem priorem fuisse censura an verò ex legitima causa interiecta fuerit disquiretur postea, vt paulò ante monebam ex cap. venerabilibus.

Ex his omnibus vides absolutionem ad Cautelam ex quadam benignitate concedi, nam ex Iuris rigore, qui allegat Censuræ nullitatem admittendus duntaxat esset ad eam nullitatem probandam, non autem absoluendus; quare indulgentia quædam est. immò quia iuris ordinarij seueritati derogat, præiudicialis & extraordinaria dicitur à Felin. Ricciul. cap. cit. num. 14. & seq. & alijs, atque strictè interpretanda est.

Ad extremum Moneo petentem absolutionem non fateri propterea crimen, neque etiam Censuram, cùm petere possit ad euellendos scrupulos & ad cautelam tantùm. Ita communiter DD. & latè Alteri. lib. 4. disp. 6. cap. 6. vbi contrariam glossam in cap. venerabilem. de Electione. ℣. postulauerit ita exponit, vt vel de solemni petitione in Iudicio, vel de excommunicatione, in qua est modicum præiudicium, intelligatur. Vide Mascard. de probationib. conc. 13.

De Absolutione ad Reincidentiam.

10 Hæc quoque absolutio conditionata est, per eam enim non tollitur simpliciter, absolutè & in perpetuum Censura sed ad aliquod tempus, & cũ conditione satisfactionis, aut alicuius alterius operis intra illud præstandi, ita vt nisi quod iubetur, fiat durante eo interuallo, ipso elapso in eandem censuram denuò incidatur. Itaque hûius propositionis, Absoluo te in quindecim proximos dies, ad reincidentiam tamen nisi eo tempore parti læsæ satisfeceris; sensus est, absoluo te nisi tamen facias quod impero & tempore præscripto satisfacias, te iterum excommunico. Quare continet hic actus absolutionem à Censura pro tempore assignato, & excommunicationem conditionatam pro futuro tempore, aut si mauis absolutionem quoq; pro reliquo tẽpore sed conditionatã, ita vt sit hoc loco gemina absolutio, vna simplex & absoluta pro definito aliquo tempore, altera tantum conditionata pro tempore terminum præscriptum consequenti.

11 Quanquam sit & alius modus absoluendi ad reincidentiam nulla adiecta conditione, aut onere alicuius operis, vt absoluo te ad quindecim dies, Nam reuerà si nihil aliud impediat, iste est verè illo tempore absolutus, quarè neque irregularitatem tunc contrahet ex violatione Censuræ per exercitium sacri alicuius ordinis, neque vi Censuræ, quam contraxerat ab vlla actione prohibebitur: elapso verò eo quindecim dierum spatio iterum in eandem Censuram & eodem modo quo prius incidet, non per nouam aliquam sententiam, sed vi prioris, quæ per aliquod tempus suspensa fuerat quoad suum effectum nempe excommunicationem aliamue censuram, quam producit, aliud enim est suspendi effectus censuræ, v. gr. Excommunicationis durante ipsa excommunicatione, quod negabamus nisi ex plenitudine potestatis Pontificiæ fieri posse in excommunicatione, aliud verò suspendi sententiam excommunicationis quoad suum effectum, tunc enim sententia per quam ferebatur excommunicatio, quæ illius effectus est suspenditur, id est prohibetur, ne habeat effectum, siue ne pariat excommunicationem toto aliquo tempore, pro quo reuerà tollitur excommunicatio, aut potius sententia ipsam non operatur, atque ita non suspenditur excommunicatio, quasi ipsa existens & innodans suum subiectum, in illo tamen nihil operetur, repressa sua vi & efficacitate. Elapso itaque illo tempore definito, sententia, quæ suspensa fuerat, iam operatur eodem modo quo prius, atque ita eandem excommunicationem denuò efficit, neque opus est noua culpa, quia non contrahitur noua excommunicatio, sed eadem quæ prius contracta fuerat, denuò redit vi eiusdem sententiæ per quam posita fuerat. Fingendum enim est in istis moralibus sententiam quamdiu non reuocatur continuò operari, siue in effectum à se semel positum perpetuò influere influxu veluti moraliter conseruatiuo; quarè vbi impeditur, ne influat, perit ille effectus; vbi verò iterùm sibi ipsi relinquitur, finitur agere & iterùm eundem effectum ponit, neque ad hæc moralia requiritur vlla mutatio physica, sufficitque sola voluntas eius qui potest causam moralem ponere, aut tollere, ille enim poterit quoque suspendere, hoc est facere, ne aliquo tempore agat, & vbi cessauerit agere, denuò operetur. Quod videmus in pœna exilij, qui enim illam decreuit, posset per mensem laxare, quo elapso absque noua sententia teneretur ille Reus denuò exulare; neque maior exigitur potestas ad suspendendam aliquam eiusmodi sententiam, quam ad eam penitus cassandam aut extinguendam, quidni igitur fieri poterit in sententia excommunicationis alteriusue censuræ, vti etiam reuerà fit, quando aliquæ causæ id postulant, vti nonnunquam contingere posse benè ostendit Suar. disp. 7. s. 8. n. 10.

Communior nihilominus est prior modus absolutionis ad reincidentiam quæ fit cum impositione alicuius conditionis, quæ nisi præstetur à Reo, iterùm incurret censuram, à qua fuerat absolutus, quam absolutionis formam ex cap. veniens 2. de testib. cap. Apostolicæ de exceptionibus, & cap. ad reprimendam de officio ordina. colligunt passim DD.

Conceditur porrò hæc absolutio in duobus casibus ordinariè 1. quando quis absoluitur à Pontifice, aut eius Legato, vel Nuntio, vel pœnitentiario cum onere sistendi se suo Iudici, qui ipsum excommunicauit aut satisfaciendi parti læsæ, nisi enim id præstet, reincidet in excommunicationem, vt traditur cap. eos qui de sentent. excommuni. in 6. Obseruat autem Caietan. ℣. excommunicatio capite 69. casu hanc pœnam reincidentiæ non habere locum, quando absolutio datur ab Episcopo vel alio delegato, quàm Pontificio, quia cap. eos qui non loquitur nisi de personis paulò ante enumeratis; quod idem docet Vgolin. tab. 1. cap. 14. §. 5. Nos tamen ad summum pœnitentiarium extendimus cum Nauarr. cap. 27. num. 46. & 113. & Henriq. lib. 13. cap. 19. n. 2. quia reuerà ille gerit vices Pontificis. Hanc verò Caietani sententiã ita interpretor, vt vi capitis Eos qui reincidãt in excõmunicationẽ, qui à Põtif. eiusq; Legatis & vices gerãtibus fuerãt absoluti cũ onere sistendi 14

se iudici, aut satisfaciendi parti læsæ cùm primùm commodè poterunt, etiamsi non fuerit apposita clausula ad reincidentiam, quia illa ex dispositione iuris subintelligitur. Non negat verò Caietan. Prælatos inferiores posse absoluere ad reincidentiam propter non impletam conditionem aut onus impositum, sed ea clausula tunc exprimi debebit in ipsa absolutione.

2. In eod. cap. Eos qui, decernit Pontifex illos, qui propter articulum mortis aut quodcunque aliud impedimentum absoluti sunt à qualibet sententia Canonis vel hominis ab Inferioribus Prælatis à quibus absolui de Iure non poterant, nisi quam primùm commodè poterunt ad eum superiorem à quo Iure ordinario fuerant absoluendi, vt eius mandata accipiant & exequantur in eandem specie censuram & sententiam ipso Iure incidete.

Dicitur autem quis commodè posse præstare quod hic imperatur, nimirum adire iudicem suum ordinarium, aut satisfacere parti: 1. quando illud Impedimentum, quod excusabat, verè cessauit. 2. si aliud nouum & æquale periculum priori non successit, & demum habuerit post cessationem impedimenti tantùm temporis, quantum fuerit necessarium ad eius conditionis impletionem neque enim ipso momento, quo cessat impedimentum, tenetur se accingere ad iter, aut parti satisfacere: vnde dixit Pontifex, quamprimùm commodè poterit, id est donec sit in mora culpabili, quantum verò temporis ad id exigatur prudentis arbitrio quoad forum externum relinquit glossa in Clem. 1. de pœnis. §. fin. ℣. quam citò, quam sequuntur passim DD. In foro autem interno standum erit conscientiæ & testimonio ipsiusmet absoluti, vt eadem glossa & DD. tradunt, neque alia commodior Regula potuit assignari; an verò iste teneatur personaliter adire superiorem cessante impedimento, an sufficiat ad illum mittere procuratorem dicam q. 4.

13 Ex his porrò solues vulgatem, eamque grauem, difficultatem, an ad hanc reincidentiam in Censuram, à qua quis fuerat absolutus cum onere præstandi quodpiam opus, necessaria sit noua culpa, quoties enim additur in impositione Conditionis si commodè poterit, aut vbi primùm commode poterit, vt in cap. Eos qui. citato. fatentur omnes requiri nouam culpam, quia quamdiu non committitur culpa in omissione conditionis impositæ, tamdiu durat impotentia illam exequendi: Neque dici potest, illum omisisse opus sibi imperatum, & ob id reincidere in Censuram, si nondum potuit illud opus exequi, quia fuerat imperatum opus faciendum cum posset, at vero quando præfigitur certum tempus intra quod est implenda conditio satisfaciendum v. gr. parti, quod nisi fiat, incurretur denuo prior cẽsura, nullam nouam culpam requirunt Alteri. lib. 4. disp. 1. cap. vlt. sub fin. Suar. disp. 7. s. 8. 27. Filluc. tract. 11. cap. 10. q. 4. Hurtad. disp. 14. de excommunic. diffic. 3. n. 12. quia prior sententia fuit tantùm suspensa per aliquod tempus, pro reliquo autem sublata sub conditione faciendi operis eo tempore, neq; quidquã additum est, quod diceret necessarium ordinem ad culpam, cùm igitur non fuerit posita conditio quamuis inculpabiliter & propter impotentiam perseuerat prior sententia, & suum effectum obtinet, producitque eandem, quam prius excommunicationem, quare non est opus noua contumacia, cùm nõ infligatur noua censura & distincta moraliter à priori, sed eadem quodammodo redeat vi sententiæ per quam fuerat primo posita & quæ adhuc perseuerat, à qua vt nuper explicabamus, pendet non modo quoad sui productionem, sed etiam quoad sui conseruationem censura, vnde quamdiu per absolutionem aut suspensionem potius, impedita fuit agere nõ produxit censuram, quam modo iterum operatur, quandoquidẽ nihil eius efficacitatem aut tollit aut moratur.

Auila nihilominus cap. 7. 2. part. disp. 3. dub. 14. vti alios allegat, Nouam omnino culpam requirit, quod docuit etiam Kon. disp. 14. n. 216. Henriq. lib. 13. cap. 29. n. 2. Villalob. tract. 16. tom. 1. diffi. 23. n. vltimo. quia cùm sublata semel verè fuerit excommunicatio & non tantum suspensa, non potest nisi per nouam causam poni, sed hæc ratio nihil probat, quia suspensa tãtum fuit sententia modo explicato, & æque valeret in absolutione ad tempus præfixum cum reincidentia, etiamsi nullum fuisset onus impositum. Itaque hæc sententia ex eo potiùs mihi probatur 1. quia in omni ea absolutione videtur subintelligenda clausula, si commodè possis, vti illam expressit Pontifex in cap. Eos qui cit. & sane sæpiùs obesset ista absolutio, neque multum faueret, & videtur iniqua cõditio præstandi operis, quòd præstare non possum, & quod ob eam impotentiam prorsus inculpabilem excidã beneficio mihi facto; neque inducta fuit hæc absolutio nisi propter pericula quæ vigebant durante excommunicatione, cuius absolutio impetrari non poterat propter ingens aliquod impedimentum, vt apparet ex cap. Eos qui. quamdiu itaq; durabit hoc impedimentum non debet redire ea censura, durat autẽ impedimentum, quamdiu quod imperatum fuit ad obtinendam plenam & absolutam liberationem cẽsuræ, impleri nequit. Deniq; finis huius reincidentiæ, quam inuexit ius, est ne illudatur censuræ Ecclesiasticæ, vt loquitur cap. Eos qui, vbi enim quis vrgente aliqua necessitate fuisset absolutus ab alio, quàm à suo superiore facilè negligeret sibi imperata, cùm iam se vinculis censuræ exolutum videret, atque ex suo periculo profecisse; quarè sapienter statuit Ecclesia, vt ille in eandem Censuram incideret, ne illudere videatur potestati Ecclesiasticæ; at qui quamdiu inculpabiliter omittet, quod sibi in absolutione fuerat imperatum, reuerã non illudet Censuræ Ecclesiasticæ, quarè non reincidet in censuram. Ex quibus tandem colligi mihi videtur hanc reincidentiam esse pœnam, quæ imponitur ab Ecclesia propter non præstitum opus iniunctum, & illusam Censuram Ecclesiasticam, quarè culpam omnino supponit vt incurratur, & ea particula *si commodè poterit*, aut alia æquiualens in impositione conditionis implendæ ad vitandam reincidentiam perpetuo subintelligi debet ex mente Ecclesiæ & iuris. est enim pœna, quam imponit absoluens, aut potiùs præceptum, quod facit sub pœna Excommunicationis aut alterius censuræ denuò incurrendæ ipso facto, vti etiam in definitione huius absolutionis exponebamus initio. quarè longè diuersa est absolutio ad reincidentiam cum conditione operis faciendi ab ea quæ fit ad certum tantùm tempus sine vlla conditione imperata, vt Absoluo Titium ad tres dies, vt interea nimirum ea gerat, a quibus ratione censuræ prohibebatur, quia in ea absolutione est reuera tantùm quædam suspensio sententiæ vti explicuimus, quæ elapso illo termino possit operari. Hic autem est pœna imposita propter non impletam conditionem, ne illudatur censuræ Ecclesiasticæ; & hæc absolutio continet tum exolutionem à nexu censuræ

tum

tum præceptum operis cum comminatione eiusdem Censuræ iterum incurrendæ.

Ex *quibus* plurima consequuntur, atque imprimis, an sit opus in hac absolutione ad reincidentiam noua sententia, negant enim Decius Consil. 45. & Ripa in cap. 1. de Iudic. num. 25. qui communem esse testantur. Alij distinguunt inter Excommunicationem ab homine & à Iure, vt enim quis à priori absolutus in illam reincidat, noua sententia excommunicatoria necessaria est, non autem vt in Excommunicationem à Iure recurrat. Ita latè Felin. in cap. ad nostram. ℣. de iureiurando num. 2. Alij ad vtramque Censuram siue ab homine, siue à Iure lata fuerit, volunt ferendam esse denuò sententiam.

Mihi ex dictis perspicua videtur Controuersiæ explicatio, nam cùm ex culpabili omissione conditionis in hac absolutione impositæ reincidatur in priorem sententiam ipso Iure, nulla opus erit sententia quoad forum internum, & vt verè Reus iste coram Deo sit Censura irretitus. In foro verò externo, vt arceatur à sacris, & habeatur tanquam excommunicatus necessaria erit sententia declaratoria criminis, hoc est omissæ culpabiliter conditionis imperatæ in absolutione, atque ita denuntiandus erit denuò in eandem excommunicationem relapsus.

II. Hinc sequitur consensum partis posse impedire reincidentiam, quia potest impedire ne peccet Reus in omittenda conditione imposita, atqui nisi peccet non reincidit in Censuram, vti docuimus.

III. sequitur Eum omnem, qui potest absoluere simpliciter à Censura non posse absoluere ad reincidentiam, nisi simul possit excommunicare contra Suar. & Hurtad. sed ea de re dicam commodiùs q. sequenti.

De Absolutione totali & Partiali à Censura.

Circa totalem absolutionem, quæ vel omnes Censuras, quibus Reus est illigatus, soluit, vel vnam quoad omnes effectus, nulla est peculiaris difficultas; ago itaque de partiali, quam geminam facio.

I. est ea, quæ vnam Censuram sine alia tollit, siue eæ sint eiusdem rationis, vt plures excommunicationes, siue diuersæ, vt excommunicatio & suspensio. Dico autem vnam ex his Censuris posse solui alterius vinculo integro remanente, quod omnes omninò fatentur, & ex ijs, quæ diximus, cap. 6. de multiplicatione Censurarum etiam eiusdem rationis in eodem subiecto manifestè probatur, inde enim apparet, illas non esse necessario, connexas, ac proinde vnam tolli posse absque alia quæ retinebit adhuc totum suum effectum in subiecto.

An verò qui petit absolutionem ab vna censura maneat à reliquis, si quas incurrit, absolutus, si superior indulgeat generalem absolutionem inquiram vbi disputabo de petitione dispensationum, vbi etiam dicam de necessaria causæ expressione, Interim adi Sayr. lib. 2. cap. 21. à num. 15. & Alteri. lib. 4. disp. 5. cap. 3. & 4. Nau. in cap. Ita quorundam. de Iudæis. notab. 11. n. 12.

Hoc loco tantū moneo circa absolutionē generalē quæ ante sacramentalē impendi solet pœnitēti, illam esse totalem & complecti omnes censuras, à quibus ille confessarius exoluere potest, licet pœnitens eas non expresserit; quod tradunt magno consensu DD. alibi adducti circa casuum absolutionem. vide Alteri. lib. 4. disp. 4. cap. 3. dubit. 1. Neque enim Confessarius præsumendus est restringere suam intentionem ad vnam aliquam Censuram, immò neque debet, & sanè pœnitens petit ab omnibus solui, etiamsi aliquam non exprimat & sacerdos eandem intentionem habet, quam etiam sufficienter explicat, dum vtitur verbis vniuersalibus, aut indefinitis, si enim verbis singularibus & vnam tantum Censuram significantibus vteretur, ab illa tantùm, absolueret aut ab ea tantùm, quæ fuit explicata, aut si nullam explicuerit pœnitens, & pluribus tamen sit irretitus à nulla prorsus absoluet, cùm enim nullam expresserit, & non absoluat ab omnibus, sed ab vna tantùm indeterminata, non est potior ratio, cur potiùs ab vna quàm ab alia absoluat, quorum omnium ratio est, quia hæc sententia absolutionis operatur quod significat, nihil autem determinatum significat, igitur nihil determinatum operabitur, vti aliàs de Excommunicatione & Censura quapiam indeterminatè lata disputabamus. Aduertit autem Suar. disp. 7. s. 5. num. 15. etiamsi redeant in memoriam Censuræ oblitæ non esse necessariam nouam absolutionem, quia iam per absolutionem generalem sublatæ fuerunt per se & directè & non tantùm per accidens & concomitanter siue indirectè, vti contingit in peccatis oblitis, quæ sunt tantùm deleta propter connexionem cum alijs explicatis, ideircò sunt iterum subijcienda iudicio Ecclesiæ & in sequenti confessione repetenda.

An verò vt obtineatur à pœnitente per com- 18
munem illam generalem absolutionem impendi solitam à Confessariò, liberatio à censuris etiam non expressis debeant omitti ex obliuione tantùm naturali, & an si sponte & à sciente pœnitente taceantur, relaxentur nihilominus per absolutionem generalem meritò quæri potest.

℞. Cum Hurtado. disp. 14. de Excomm. diffi. 6. si Confessarius habeat expressum animum absoluendi ab omnibus censuris, à quibus potest, validè absoluere ipsum reuerà ab omnibus etiā sponte tacitis absoluere, quia cùm in confessario isto sit potestas absoluendi pœnitentē ab omnibus censuris, quibus innodatur, vti supponimus & id ipsum velit atque suis verbis significet, reuerà id faciet, quia neq; silentium immò neq; resistentia pœnitētis impediunt absolutionem, vti ostendam q. 4. Quoties verò non habet hunc expressum animū absoluendi ab omnibus, à quibus validè potest absoluere, reuerà censetur nō velle absoluere nisi ab illis, à quibus licitè potest absoluere, quia nō est cēsendus velle id, quod si faceret sciens, non faceret sine graui culpa; Quarè si vel ex malitia taceantur Censuræ, vel ad legitimam absolutionem obtinendam debeat poni aliqua conditio, cautio v. gr. aut satisfactio partis, sine qua non posset Confessarius licitè absoluere, atque ita nisi satisfactio præcesserit, aut præstita fuerit cautio, vbi necessariæ sunt ad legitimam absolutionem reuerà per absolutionem generalem non relaxabuntur Censuræ non expressæ, aut etiam tacitæ ex malitia, ne videlicet Confessarius ad eas conditiones pœnitentem obliget, vt optimè docent Hurtad. l. c. Auila. 2. p. cap. 7. disp. 3. dub. 9. Kon. disp. 8. de pœnit. num. 97. & disp. 14. num. 226. Bonac. disp. 1. q. 3. p. 6. num. 4. Quid porrò ex his sequatur

circa abſolutionem caſuum reſeruatorum diximus aliàs.

Altera partialis abſolutio ea eſt, quæ impenditur tantùm ad vnum effectum, nempè ad effectum gratiæ per reſcriptum Pontificium conceſſæ per illam clauſulam vulgarem *teque abſoluentes*, de qua iam plurima diximus diſq. 7. quæſt. 7. num. 56. ea enim clauſula reddit validam collationem beneficij factam excommunicato, quod fuſius eo loco fuit explicatum.

Hanc autem nominaui partialem, quamuis ſit tantùm ablano quædam impedimenti, quod afferebat cenſura ad aliquem actum, cùm in omnibus aliis integra & efficax eadem cenſura maneat; Idcircò Felin. in cap. Apoſtolicæ de exceptionibus initio vocat verbalem non realem abſolutionem, cùm Reos non pœniteat, & expedito actu, propter quem abſoluuntur, ſtatim in eandem cenſuram reincidant, citatque Hoſtienſ. & ſe ipſum etiam in cap. ad reprimendam de officio ordinarij.

Hinc porrò fit vt hoc modo abſolutus non poſſit celebrare, aut actum alicuius ordinis ſacri exercere, alioquin peccabit & incidet in irregularitatem modo in lib. de irregulari expoſito, neque vllum prorſus actum ſibi per cenſuram prohibitum præſtare valeat, niſi illum præciſè, ad quem abſoluitur, vt latiùs refert Rebuffus in praxi benefic. tit. de forma nouæ prouiſion. ℣. teque abſoluentes. n. 55. & 19. Garc. 7. parte de benefic. cap. 53. n. 65. & alij paſſim, quia ex ipſis verbis ad vnum tantùm effectum gratiæ impetrandæ eiuſmodi abſolutionem reſtringi conſtat.

Omnes tamen omninò cenſuras etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatas & in bulla cœnæ contentas ſuſpendit, vel tollit quoad illum effectum, vt ex communi docuit Nauarr. in cap. Ita quorundam de Iudæis, notab. 11. n. 21.

Porrò non modò à Pontifice ſed ab ipſius etiam legato concedi poſſe hanc abſolutionem docuimus diſq. 7. q. 7. n. cit. vbi etiam inquiſiuimus vtrum Epiſcopis in ſuis reſcriptis liceret eandem clauſulam apponere. Aduertendum nihilominus Legatorum, quam diximus facultatem non extendi niſi ad cenſuras, quas ipſi alioqui laxare valent, non autem ad alias reſeruatas Pontifici, ſi quæ ſint, quæ ſubducantur ordinariæ Legatorum poteſtati, quod monuit Nau. notab. 11. cit. n. 18. & Garc. cap. 13. cit. n. 67. contra Rebuffum in concord. tit. forma mandati. ℣. innodatus exiſtit, & Felin. in cap. ad eminentiam de ſentent excomm. qui tamen ibidem 7. caſus excipit. Ego conſulendum exiſtimo conſuetudinem, quæ videtur aliquid hac in parte contra iuris communem rigorem obtinuiſſe, & huius abſolutionis vſum ſe vidiſſe teſtatur Rebuff. loco citato, atque eam facultatem ineſſe Nuntio Apoſtolico in Hiſpaniarum Regnis contendit Garc. n. 69. eo quod in eius litteris fiat facultas abſoluendi ad effectum *ab omnibus & quibuſcunque cenſuris*, quæ verba inquit omnimodam generalitatem comprehendunt vt 1. p. cap. 5. n. 95. probauit, & ſanè ſi non comprehenderent cenſuras Papæ reſeruatas ſuperflua foret illa conceſſio, ab aliis enim ex poteſtate ſuo muneri & commiſſioni ordinaria poteſt abſoluere. Mihi autem videtur facultatem eandem fieri omnibus Nuntiis & Legatis niſi alicubi propter peculiarem aliquam cauſam reſtringatur, aut amplietur, quarè vbi Legatus Apoſtolicus apponeret clauſulam abſolutionis ad effectum à quibuſcunque cenſuris etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis non dubitarem illi iure merito ſtari poſſe; ſi verò dicat tantùm à quibuſcunque cenſuris conſulendus erit cotridianus vſus, & an ſoleat in praxi generalis illa clauſula etiam reſeruatas comprehendere.

Hæc ad extremum clauſula non fauet 1. infor- 20
deſcentibus in excommunicatione, vti cap. ſuperiori ex Regula Innocent. VIII. & aliis monuimus. 2. neque etiam ob hæreſim excommunicatis, vti monet Felin. in cap. Apoſtolicæ de exceptionib. Auila 2. p. cap. 6. diſp. 3. dub. 5. Rebuff. in praxi. tit. formæ nouæ prouiſionis. ℣. teque abſoluentes. n. 93. idem Rebuff. num. 12. refert ex Regula 78. Cancella. Iulij III. non prodeſſe non parentibus rei iudicatæ, incendiariis, violatoribus Eccleſiarum, falſificatoribus litterarum Apoſtolicarum, aut falſificari procurantibus, illis vtentibus, eorum falſificatorum receptatoribus ac fautoribus, res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus Eccleſiaſticæ libertatis, Apoſtolicis mandatis non obtemperantibus, exequutores aut nuntios ſedis Apoſtolicæ impedientibus aut detinentibus. Verùm cùm excommunicationes propter iſta crimina inflictæ non reſeruentur niſi per bullam cœnæ & clauſula abſolutionis ad effectum in reſcripto Pontificio poſita, extendatur etiam ad cenſuras Bullæ Cœnæ, vti ex Nau. referebamus, reuerà omnibus, quos excipiebat Rebuffus, ſuffragabitur ea clauſula, niſi excipiantur in ipſo reſcripto ad gratiam, vel in Regulis Cancellariæ Pontificis tunc præſidentis.

De abſolutione quæ in foro interiori aut exteriori tantùm vel in vtroque efficax eſt.

Vltima diuiſio abſolutionis à nobis allata fuit 21
in eam quæ dicitur fieri in foro interiori tantùm, & eam quæ datur quoad forum externum, vel quæ pro vtroque foro vtilis eſt; in qua diuiſione tota difficultas eſt circa abſolutionem in ſolo foro conſcientiæ efficacem, explicato enim eo membro, cætera facilè intelligentur.

Hæc igitur abſolutio quæ valere dicitur in foro 22
interiori tantùm non ex eo dicitur, quod non niſi in Confeſſione ſacramentali impédi poſſit, vt videtur velle Garc. vndecima p. de beneficiis, c. 50. n. 139. ſiue enim in eo tantùm ſacro tribunali, ſiue etiam extra illud detur hæc abſolutio quod inquiremus quæſt. 5. non inde denominatur, ſed ex ſuo effectu, quem non cauſat in foro externo, id verò ita aliqui explicant apud Suar. diſp. 7. ſ. 5. n. 24. vt hæc abſolutio detur tantùm ad aliquem effectum internum conſequendum, vt ad abſolutionem à peccatis, aut obtinendam indulgentiam alicuius Iubilæi, & poſt conſequutos illos effectus, iterùm in cenſuram incidere volunt eum, qui fuerat abſolutus; ſed contra omnium planè DD. ſenſum & expreſſa verba Bullarum Pontificiarum, in quibus ſæpiùs fit mentio huius abſolutionis confundunt abſolutionem ad reincidentiam cum abſolutione pro foro interiori, aut foro conſcientiæ, quæ abſoluta & ſimplex abſolutio eſt, quia tamen non impedit quominus Iudex de illius Rei crimine eodem modo cognoſcere poſſit, illumque punire, atque ſi reuerà non fuiſſet abſolutus, & quia eodem modo atque anteà ab aliis vitari debet, ſi fuit denuntiatus, neque ipſis de eius abſolutione conſtet, idcircò dicitur valere tantùm hæc abſolutio in foro interiori non exteriori; duplex enim illud forum diſtinximus alibi, & per abſolutionem aut punitionem in foro

conſcientiæ

conscientiæ non impediri accusationem aut damnationem in foro externo & iudiciali docuimus ibidem cum glossa in cap. de his. de accusationib. ✝. explicari docentque Simanc. Institut. Catholic. tit. 9. n. 148. Gomez. in Regula Cancella. de non iudicando iuxta formam supplicationis q. 14. n. 3. & alij eo loco adducti.

Hic igitur qui ita absolutus est in foro interiori tantùm, debet se eodem modo exterius gerere inquit Ludouic. à Cruce in Bullam Cruciatæ. cap. 4. disp. 1. dub. 3. n. 11. quo ille qui ex falsa causa excommunicatus est, quamuis iudicialiter fuerit probatus nocens, tenetur enim neuter istorum excommunicatus est, cùm vnus nunquàm fuerit excommunicatus; alter verò sit validè absolutus, exterius tamen vterque habetur excommunicatus. secretò igitur omnia sacra & humana alias licita peragere poterunt, neque aut Irregularitatem, aut alias pœnas ratione violatæ Censuræ incurrent. si publicè verò ista faciant, peccabunt ratione scandali, & Iudex contra vtrumque procedere poterit, & propter violatam Censuram punire eodem modo, atque si verè adhuc excommunicati essent; quare si sacerdos pro eo tantùm foro absolutus celebret, excipi poterit à Iudice tanquam Irregularis, etiamsi, vt alibi monuimus, reuerà talis non sit.

Poterit nihilominus Iudex ex benignitate qua-
23 dam desistere ab omni processu Iudiciali & absolutionem iam impensam pro foro quoque exteriori acceptare, atque Reo dicenti se esse absolutum, vel id testimonio & chirographo sui Confessarij probanti fidem habere, quod tradit Henriq. lib. 13. cap. 27. n. 5. & Auila. 2. p. cap. 7. disp. 3. n. 12. neque enim facit cuipiam iniuriam Iudex, non sibi aut suæ dignitati, quia Reus eius iudicium non refugit, aut eius Iurisdictioni se subtrahit, sed potius rogat, vt & ipse absolutionem sibi in alio foro impensam probet; non etiam lædltur pars aduersaria, cui satisfactum est à Reo antè obtentam absolutionem pro foro interno, aut cautio sufficiens de satisfaciendo præstita aut iuramentum, aliaque omnia, quibus quoque contentum fuisset forum externum; quare nihil Iure queri poterit: Fiscalis quoque procurator qui sæpiùs importunè vrget Iudicem, nihil habet opponere, nam vel nullum Ius propriè dictum habet nisi post istam sententiam, vel si quod ipsi fuit adiudicatum, à Reo persolutum fuit, aut cautio de solutione facienda lata, non enim plus iuris habere potest fiscus, quam ipsa pars, Itaque indulgere poterit huic Reo Iudex & ab omni deinde processu obtinere, suadet tamen Auila vt procedat solito more eo quod praxis ita ferat, ego benignitatem consulerem.

Quod ad alios autem fideles attinet, qui sciunt
24 enim Reum fuisse absolutum, possunt cum illo tanquam cum non excommunicato in omnibus agere secluso scandalo neque illum etiamsi fuisset denuntiatus repellere tenentur, immò neque fortassis possunt si illis certò de absolutione constes vel ipsius Rei, vel saltem eius Confessarij testimonio, si enim Iudex potest in hac causa his testimonijs credere multò magis alij, nisi contrarium grauis aliqua ratio dubitandi persuadeter: quæ omnia veriora multò sunt in excommunicato occulto, obtenta enim absolutione in foro interno semper se geret tanquam non Excommunicatum, vbi autem illud delictum occultum & Censura contracta ad forum contentiosum deducta fuerit à Iudice tanquã Excommunicatione aliave Censura irretitus excipietur.

Tota itaque difficultas est, quomodo cognoscatur, an absolutio valeat tantùm pro foro interiori & quidem quando confertur absolutio simpliciter ab eo qui in vtroque foro ex potestate ordinaria absoluere potest, pro illo etiam vtroque foro valebit, quia nihil tunc apparet, ex quo ad interius tantùm restringatur; quare quæstio est de ijs, qui ex potestate delegata à Censuris sibi alioquin reseruatis absoluunt virtute priuilegiorum, Iubilæi aut aliarum eiusmodi Bullarum, aliquando enim clara sunt, & de foro Conscientiæ agunt, aut ad sacramentalem confessionem limitant, & tunc certum est non prodesse in foro externo, vt ex communi docet Suar. disp. 7. s. 5. n. 22. 25

2. Conceditur hæc facultas absoluendi nulla facta mentione fori interioris aut exterioris, quo casu hanc absolutionem in vtroque foro efficacem esse, neque posse Iudicem, cui per schedam Confessarij constabit de absolutione procedere contra ita absolutum existimant Bartholom. Medina in summa in Instructione Confessor. cap. 12. Nau. cap. 27. num. 278. quem citat & sequitur Roderiq. in sum. tom. 1. cap. 83. num. 9. & in bullam Cruciat. §. 9. n. 55. Suar. disp. 7. s. 5. n. 21. Neque mutat sententiam q. 22. vt falsò dixit Ludouic. à Cruce statim referendus, Bonaci disp. 1. q. 3. p. 10. n. 2. Filluc. tract. 11. cap. 9. num. 291. & luculenter Iosnn. à Cruce. in directorio Conscientiæ. 2. p. tract. de Censu. a. 2. dub. 5. con. 4. qui tamen omnes volunt satisfactum fuisse parti, quando ea satisfactio præmittenda est, vt in eiusmodi bullis, priuilegijs & Iubilæis, in quibus conceditur facultas absoluendi etiam à reseruatis apponi solet. Probant verò suam sententiam hi DD. quia pars queri non potest, neque etiam Iudex, qui tantùm partis læsæ Ius tueri debet, & alionde excommunicatio & Censura verè sublata est, cur igitur Index denuò Reum, quem scit verè absolutum fuisse ad suum tribunal trahet? 2. Cùm verba priuilegij generalia sunt, in sua amplissima significatione capi debent, neque enim gratia & beneficium Principis restringendum est, quod etiam in dubio benignius interpretandum foret. 13. quando PP. volunt hanc facultatem operari tantùm in foro interno id exprimunt in Iubilæo Pij V. an 1568. & Gregorij. XIII. an. 1574. habetur, itaque quando nullam limitationem apponunt, in vtroque foro valere volunt. 4. ex ijsdem Iubilæis Pij V. & Gregorij XIII. Efficacius etiam Confirmatur ista sententia ex eo quod dicant absolutiones à Censuris, vi facultatis, quam faciunt, collatas in foro Iudiciali & exteriori *nullatenus suffragari, nisi satisfecerint his propter quos lata fuerint hæ Censura*. Immò addit Gregorius istos omissa satisfactione in easdem Censuras reincidere, ergo, satisfacta parte valebût hæ absolutiones in foro Iudiciali, Exceptio enim firmat regulam in contrarium. Obseruandum præterea est Pium V. ita exponere omnes litteras & Concessiones similium Indulgentiarum à se vel suis prædecessoribus *adhuc emanatas & in futurum quomodolibet emanandas*, Itaque condidit perpetuam Constitutionem, & assignauit nobis certam regulam similes facultates absoluendi à Censuris exponendi, nimirum, vt non valeant in foro Iudiciali nisi satisfacta parte, sed illa satisfacta valeant; vnde etiam posteriores PP. in suis Constitutionibus idem inculcaront, vt Gregor. XIII. cit. & Vrban. VIII. 19. Iunij. 1630. vt refert Ludouic. à Cruce. Ex his porrò vlterius

vlterius sequitur, quoties non fuerit opus satisfactione partis absolutionem impensam, in Iubilæi aliorumque priuilegiorum, quæ non restringunt expressis verbis facultatem absoluendi ad forum interius, valere in vtroque foro.

27 Alij nihilominus exigunt expressam extensionem ad forum exterius in eiusmodi bullis & priuilegijs, vt absolutio vi ipsorum collata in foro externo prosit, & à Iudice repelli nequeat. Ita Cordub. de Indulgent. q. 40. Couarr. in cap. Alma Mater. 1. p. §. 11. num. 16. Gutierr. lib. 1. qq. Canonica. cap. 2. num. 9. Henriq. lib. 7. cap. 13. num. 2. & lib. 13. cap. 17. num. 5. Soto in 4. d. 22. q. 2. a. 3. Auila. 2. p. cap. 7. disp. 8. dub. 12. Reginald. lib. 9. num. 5. Hurtad. disp. 15. de Excomm. diffic. 4. Ludouicus A Cruce in bullam Cruciatæ. cap. 4. disp. 1. dub. 3. num. 3. & quoad facultates in Iubilæis concessas Layman. lib. 1. tract. 5. pa. 1. cap. 8. numer. 6. Diana. tract. 11. de bulla Cruciatæ resolut. 26. qui tamen cum Acosta in explicatione eiusdem bullæ. q. 50. hanc sententiam restringit ad Censuras latas ab homine, quarum absolutionem pro foro tantum interno valere dicit Pontifex in ea bulla. Quarè si à Iure fuerint latæ, earum absolutio virtute huius Bullæ in foro quoque externo prodest. Quæ limitatio videtur mihi destruere sententiam, quam isti DD. cum communi tradiderunt, si enim ex eo, quod Pontifex det facultatem absoluendi à Censuris, ea valet in omni foro, quia tamen addit circa sententias ab homine vt parti satisfaciat, sequitur quoties dabitur simpliciter facultas absoluendi à Censuris, illam ad vtrumque forum pertinere quandoquidem nullum specialiter designatur, quod vnum contendunt aduersarij.

Probatur hæc sententia. 1. quia alioquin detrahitur plurimùm Iurisdictioni Iudicis ordinarij, & ista absolutio caderet in eius contemptum, neque enim statim atque parti fuit satisfactum, Iudici quoque fuerit satisfactum, qui sæpè ex munere publico procedit, & sicut absolutio à peccatis in foro interno non impedit quominus accusetur & puniatur in foro externo, ita neque absolutio à Censuris in foro interiori earundem liberationem inducit circa forum externum maximè cùm vt alibi diximus censura nunquam incurratur absque contumacia aduersus superiorem Ecclesiasticum, cui per absolutionem fori interioris, satisfactum minimè fuisse statim apparet; & deniq; forus externus & Conscientiæ in eo maximè differunt, quod vnus spectet pœnitentiam, & diuinæ offensæ reparationem; alter verò publicam vindictam & Reipublicæ satisfactionem.

II. Quoties Pontifices volunt eas facultates in foro externo valere id exprimunt, quando igitur silent, satis significant se tantum pro interno concedere, vnde etiam fert stylus Romanæ Curiæ vt quæ ad internum forum pertinent, committantur Confessarijs, qui ea nullis adhibitis testibus expediãt, & posteà litteras commissi sibi negotij lacerent, neq; vlla fiat compositio pecuniaria cum Romano Datario, longè verò diuersa seruantur quãdo de negotijs ad forum contentiosum pertinentibus disceptatur, quæ omnia notauit Gomez in Regulã Cancella. de nõ Iudicando iuxta formã supplicat. q. 24. n. 3. ex quo deinde Couarr. & Gutier. retulerũt.

Neq; beneficium Principis ita interpretandũ est vt ex illo sequatur perturbatio iudiciorum, aut aliquod aliud tertij præiudicium, priuilegij verò sensus quando aliunde non constat de mente concedentis, vti hoc loco, ex stylo & fine inuestigandus est; atqui ex fine harum Concessionum facilè colligimus animum Pontificis, qui aliud non intendit, quam ne impediantur fideles à consequutione iubilæi, vbi fuerunt ex eius concessione in foro interno absoluti, alioquin possent tum Parochus, tum alij Sacerdotes, tum iudex excommunicator, siue ex officio, siue ad partis instantiam, excommunicatum nominatim denuntiatũ repellere ab Ecclesia, à perceptione Sacramentorum & consequutione Iubilæi, quod vtrique non possunt ex Concessione Pij V. si pars fuerit compensata.

Mihi tota ista Controuersia videtur admodum dubia & paria momenta rationum, quibus dissidentes istæ sententiæ dueuntur, vnde existimauerim totã litem esse componendam cum Kon. disp. 14 n. 147. 8. & 9. vel enim Censura lata fuit propter commodum partis læsæ tanquam propter finem adæquatum aut primarium, vt nimirum cogeretur Reus illi satisfacere, vel lata fuit ob aliud crimen, fin cum eo coniuncta sit obligatio satisfaciendi alicui personæ particulari, siue tantùm ea generalis, quam subeunt omnes Rei republicæ, quam suis sceleribus violarunt, iniuriam reparandi. Quando censura habet pro primario fine, aut adæquato læsæ partis satisfactionem, si non fuerit satisfactum illi parti, etiamsi legitima causa excusauerit à satisfactione & idcirco absque illa fuerit legitimè & validè impensa absolutio, ea tamen non valebit nisi in foro interno, quia id apertè ferunt verba Pij V. in suo Iubilæo, & aliorum deinceps Pontificum, & sanè iniquum esset partem deinde priuari iure repetendi rem sibi debitam in foro externo, & vrgendi censuram eius gratia inflictam, neque vnquam impotentia aliaue causa quãuis legitima excusabit Reum vllum in foro externo nisi in ipso iuridicè probata fuerit, quod nunquam fiet absque processu Iudiciali illius fori, cui subiectus manebit Reus; si verò satisfactum est parti, aut illa in omnimodam Rei absolutionem consentiat existimo absolutionem in vtroque foro valere; quia ita definire videtur Pius in sua constitutione, quæ perpetua est, neque illam rectè Gutierres & Auila interpretantur de valore quoad iubilæi consequutionem & actionibus publicis v. gr. perceptione Sacramentorum ad id necessarijs, à quibus repelli non poterunt propter istam absolutionem; & si enim non diffitear his actionibus publicis aptari posse vocem fori externi, Pius tamen non dixit tantum prodesse hanc absolutionem in foro externo, sed etiam iudiciali, qua voce tum ipse, tum posteriores Pontifices vsi sunt; neque queri poterit iudex, cum inde nulla oriatur perturbatio iudiciorum, & superior possit subducere eius iudicio suum subditum, dum aliquæ causæ ita suadebunt, & censura quam tulit habuerit suum effectum, quem intendebat nimirum partis læsæ satisfactionem. Deinde neque ad instantiam partis aget, cum ipsa nihil amplius petat, neque ex officio, cùm non processerit ex officio in ferenda Censura; immo non posset eo casu trahere Reum ad suum tribunal, nisi absoluendum, quandoquidem totus finis Censuræ iam obtentus fuit, vti disq. 2. fusè diximus, si tamen aut pars negaret sibi satisfactum esse, aut in eam absolutionem non consentiret, tunc à iudice posset cognosci de veritate illius satisfactionis, & nisi probaretur iuridicè, posset illum tanquam Cen-

suris

suris adhuc in suo foro ligatum habere, quia perinde se haberet hic Reus respectu Iudicij externi, atque si reuerà non satisfecisset, quamdiu id negaret pars & non esset probata iuridicè satisfactio. Atque hoc sensu probo primam opinionem, quam reuerà non impugnant rationes, quibus secunda vtitur & verba Pij V. eam saltem indicant: neque omninò abest Henriq. lib.7. cap.13. n.2. Sub fin. litt. V. Quando verò lata fuerat Censura propter crimen aliquod puniendum aut emendandum eo quod Religioni Christianæ aut Reipublicæ, aut alicui hominum statui iniuriosum sit, cuiusmodi est hæresis, clerici percussio & alia id genus. Existimo cum eodem Kon. absolutionem vi Iubilei & similium facultatum datam non valere in foro externo, quia reuerà tunc non fuit satisfactum publicæ rei aut statui, neque Iudex impediri potest à puniendo crimine, quod damnauit, nisi iudicialiter fuerit condonatum eiusque pœna in eodem foro laxata atque hac in parte probo sententiam Couarruuiæ & sequacium, quorum rationes ex perturbatione iudiciorum & imminutione iurisdictionis ordinariorum petitæ, nihil aliud conficiunt, ipsique Pontifices cum satisfactionem partis exigunt, vt absolutio per Iubilæa similesque concessiones data efficax sit in foro externo, satis indicant; cæteras Censuras, quæ ad satisfaciendum parti læsæ latæ non sunt non esse admittendas in eo externo foro, alioquin vniuersalius loquerentur. Quarè reiicio quod Diana & Acosta addebant secundæ sententiæ nimirum omnes cẽsuras à iure latas absolui in vtroque foro ex facultate istarum bullarum, cùm enim illæ non imponãtur à iure primo & per se ad satisfaciendum parti, sed Reipublicæ, reuerà non absoluentur in foro externo & iudiciali, nisi per eiusdem fori absolutionem, vbi ad illud crimen deductum fuerit, nam cùm ex fauore Concilij Constantiensis soli nominatim denuntiati, aut notorij clerici percussores vitandi sint, non satis fuerit incurrisse excommunicationem à iure latam, nisi eius denuntiatio accesserit, vt quis necessariò repellatur à sacris actionibus publicis, quarè si antequam quis denuntietur censura irretitus, iam fuerit absolutus, quamuis in foro tantùm inferiori vix poterit pro excommunicato haberi, & si ad forum contentiosum deducatur, poterit se tueri, atque excipere iam se absolutum fuisse, quod probabit chirographo confessarij, vti Suar. & Nauar. dicebant, quod etiam concedit Rodriq. Quid verò exigatur ad plenè probandam absolutionem dabit Mascard. de probation. con.12. & Alteri lib.4. disp.4. cap.4. dubit.1. & disp.6. cap.5. latè, ex quibus aliqua dicemus disputantes.

Hinc Colliges, an nominatim denuntiatus, aut notorius Clerici percussor possint virtute istarum bullarum absolui, nisi enim lis finita fuerit, negat id licere Auila 2.p. cap.7. disp.3. dub.10. Kon. d.14. nu.207. Vasq. dub.20. de excommunic. n.8. quia scandolosa esset ea iurisdictio, & iudicis coram quo lis disceptatur, iurisdictionem perturbaret.

Nihilominus in foro interiori absolui poterit, atque ad sacra admitti, vbi cessabit scandali periculum, quia tunc non perturbatur iurisdictio exterior quę integra manet. Ita Sãch. lib.6. in Decalog. cap.17. n.49. Sayr. lib.2. c.20. n.29. Henriq. lib.8. cap.60. n.4. & qui hos atque Acostam adducit, & sequitur Dian. tract.11. Resolut.26. cit.

De Absolutione implicita.

29 Ita nomino Absolutionem, quam aliqui volunt includi in ipsa Censuræ latione, vt dum excommunicatur Titius, donec satisfecerit, fertur censura excommunicationis, & simul datur illius absolutio, quæ tamen nondum operatur, quia est conditionata cum conditione de futuro, quæ nondum posita fuit, vbi autem ponetur, tunc operabitur absolutio & proinde nulla tunc alia necessaria erit, sed posita conditione imperatæ satisfactionis v. gr. cessabit, sed vi absolutionis prius datæ, atque vt ego nominabam implicitæ; neque hic modus ferendi censuram cum anticipatione absolutionis conditionatè futuræ includit vllam repugnantiam, quasi simul ponatur Censura & simul destruatur per censuram, tum quia vt dixi aliàs nihil obstaret, censuram simul atque posita est, destrui, modo in aliquo priori posita fuerit, etiamsi nulla duratio realis præfuerit, tum quia hic non ponitur absolutio nisi conditionatè, quare nihil operatur, neque censuram destruit, nisi posita conditione, quæ tamen non nisi post aliquod tempus ponetur, interea verò durabit censura.

Circa hanc igitur Absolutionem certum inprimis mihi videtur, quoties, fertur censura modo assignato, Excommunico te donec satisfeceris, si intentio ferentis sit, vt posita satisfactione desinat excommunicatio reuerà nulla deinde opus esse noua absolutione. Ita Couarr. in cap. Alma mater. 1.p. §.11. num.5. Auila. P.2. cap.7. disp.2. dub.6. Kon. disp.14. n.219. Hurtad. disp.14. de Excommunic. diffic.2. Contra Nauarr. cap.27. num.165. & Iuristas relatos à Couarr. quibus & plurimi recentiores adhærent; neque placet quod Sylu. v. Interdictum.3. num.9. & Henriq. lib.13. cap.29. nu.2. distinguunt hoc loco inter Censuras à Pontifice & à Prælatis inferioribus latas, & priores illas volunt tantùm hoc modo cessare posse, quia siue peccent prælati inferiores ita ferendo censuras, siue non, certum est eas non valere nisi secundum ipsorum intentionem, cùm igitur nolint vltra tempus positæ conditionis illas valere, reuerà non valebunt, hæc autem intentio ferentis diligenter aduertẽda erit, & expendenda verba, quibus fertur, videndumque an tempus & conditio, quæ præscribitur obtinendæ absolutioni dirigantur ad Iudicem, an ad ipsum excommunicatum, quod monent Kon. l.c. & Suar. disp.7. s.1. Sub fin. 1. enim modo significant non ante elapsum tempus præstitutum aut positam conditionem imperatam absoluendum esse Reum hoc sensu, Excommunico Titium, à qua excommunicatione non liberetur, donec satisfecerit, prohibetur enim iudici, ne ante exhibitam satisfactionem Titium absoluat; atque ita fere in iure, atque etiam in sententiis communibus accipiuntur clausulæ censurarum, quibus vel tempus, vel conditio aliqua durationi præscribitur. Quando verò ad ipsum excõmunicatum verba dirigũtur & nullo modo ad Iudicem, tunc verè definitur terminus durationi censuræ quo elapso ipsa desinit, v.gr. Excommunico Titium donec satisfecerit, id est vbi satisfecerit, absolutus sit, sed vix vnquàm siue iura, siue sententiæ, quibus feruntur censuræ, faciunt hunc sensum, neque in dubio ad illum trahi debent eo quod sit contra communem Ecclesiæ vsum; si reuerà tamen ad illum nos adigerent ipsa verba, dicendum omninò foret nullam aliam requiri absolutionem.

Non placet porrò quod aliqui distinguunt hoc loco inter Excommunicationem & suspensionem, hanc enim volunt cessare cessante ipsa contumacia, vt videbis apud Sayr. lib.4. cap.17. numer.8. &

Alteri,

Alter.d.8.de suspens.cap.2.non autem excommunicatione, sed huius discriminis nullam reddunt rationem, neq; vllo Iure docent cessationem suspensionis absque absolutione, licet conditionatè lata fuerit, aut si id de suspensione concedunt in Excommunicatione quoque idem fateantur oportet, vt latè disputat Suar. disp. 29. s. 4. à n. 6. & Alteri l.c.quarè suspensio non magis conditionatè fertur, quàm excommunicatio, nisi exprimatur conditio, quæ si adhibeatur explicanda erit prout in Excommunicatione & consulenda ferentis intentio ex regula assignata.

Sed dubium est, an tunc includatur necessariò implicita absolutio, vti existimauit Kon. Suar. Auila locis cit.& Vasq. dub.18. de Excommunic. Negat autem Hurtad. & Couarr. esseque tantùm voluntatem non extēdendi aut prolongandi Censuram vltra illud tempus Emendationis & satisfactionis, atq; tunc desinere Censuram non per actum positiuum, quo auferatur, sed per actum negatiuū, quia non vult superior illā durare vltra definitum tēpus, & sanè si ipsa vis duntaxat verborum attendatur, nō apparet mihi in illis vlla implicita necessariò absolutio. Existimo tamen ex cōmuni vsu qui verborum optimus interpres est, nunquàm ita ferri Censurā, sed semper dirigi ad Iudicē verba, in quibus agitur de absolutione, quæ nō erit dāda, nisi vbi excōmunicatus fecerit, quod sibi fuerit imperatum.

Quoad potestatem autem ferendi ita Censuram eam lubens concedo Episcopis & inferioribus prælatis, qui si illa vtantur, nō videntur mihi quidquā peccare cùm nullo Iure id prohibeatur, neq; id pugnet cum natura & institutione Censuræ, aut vllā perturbationem inuehat in Ecclesiæ ordinem, aut Iurisdictionem imminuat, aut aliud in commodum afferat, quod caueri non possit; quanquā si semper aut sæpiùs ita fieret, possent suboriri aliqua incōmoda, maxime vbi ratione Censuræ, qua quis fuit denuntiatus nominatim, vitandus erit, vnde non debuit hic modus tanquàm ordinarius vsurpari ab Ecclesia, vt dicebam. q. 1.

QVÆSTIO III.

Quis possit absoluere à Censuris?

1. Propositio. Quis possit absoluere à Censuris Iuris.n.1.

Quid nomine Iuris & Canonis intelligatur hic. n. 2.

Conditor Canonis ferentis Censuram potest ab illa absoluere.n. 3.

Idem potest eius superior, aut successor, aut delegatus.ibid.

Idem potest proprius Episcopus & proprius sacerdos. n. 4.

An proprius Parochus id possit. n. 5. 6.

Obiecta ex Iure diluuntur. n. 7.

2. Propositio. de absolutione Censuræ ab homine. n. 8.

Duplex Censura ab homine. n 9.

1. Pars de absolutione Censuræ latæ ab homine per sententiam generalem. n. 10.

Ab illis Censuris potest absoluere, qui potest à Censuris à Iure.ibid.

Malè probatur à quibusdam. n. 11.

Vera ratio. n. 12.

Quis absoluat à Censuris per specialem sententiam latis.n. 13.& 14.

Consect 1. An qui ab aliquo Episcopo excommunicatus est, si domicilium mutauit, possit absolui à suo nouo Episcopo.n. 15.

Consect.2. An Excommunicatus à suo Episcopo ingrediens religionem, possit à Prælato Regulari absolui. num. 16.

Consect. 3. An qui in alieno territorio fuit excommunicatus, possit à suo Episcopo aut Parocho absolui, vbi ad suum territorium redieris. n. 17.

Consect.4. An Religiosi possint absolui à Censuris à propriis Episcopis loci, in quo commorantur. num. 18.

Conf. 5. An Religiosi possint absolui à suis Prælatis Regularibus.n. 19.

Conf. 6. An omnis ille qui potest absoluere à peccatis mortalibus possit etiam à censuris non reseruatis absoluere.n 20.

Conf. 7. An concessa facultas absoluendi à casibus reseruatis extendatur quoque ad absolutionem à Censuris reseruatis.n.21.

Conf 8. An nominatim Excōmunicatus & denūciatus absolui possit per concessionē absoluendi à Censuris reseruatis Pontifici.n. 22.

Conf. 9. An iudex, à cuius sententia fuit appellatum, possit nihilominus absoluere à Censura, quam tulit.n. 23.

Conf. 10. quis possit absoluere ad cautelā n. 24

Conf. 11. quis possit absoluere ad reincidentiam. n. 25.

Conf. 12. An Excommunicatus ab vno Prælato possit ab alio consentiente parte absolui vel simpliciter, vel ad reincidētiam n. 26.

Conf. 13. Quis possit absoluere ab Excommunicatione per violationem Monitorij contracta n. 27.

Conf 14. Quis possit absoluere ab Excommunicatione minori.num. 28.

Conf. 15. Quis possit absoluere à suspensione, an Episcopus, an parochus num. 29.

Communis sententia proponitur quoad non reseruatas eius sententia difficultates n. 30.

Vera sententia. n. 31.

Quid sentiēdum de suspensionibus reseruatis num. 32.

Quid de suspensione, quæ est mera pœna.n. 33.

Quid Quando est posita à iure. num. 34.

Episcopus potest laxare pœnā impositam à iure criminibus, in quibus potest dispēsare.n. 35.

An iudex possit pœnam impositam à lege non ferre, aut relaxare, n. 36.

Quomodo cognoscatur vtrum suspensio indefinite lata pro peccato præterito sit pœna, aut Censura.n. 37. 38. 39.

Conf.16. A quo possit tolli depositio & degradatio. num. 40.

Conf.

Conf. 17. A quo possit laxari interdictum an ab Episcopo, an à Parocho. n. 41.

Conf. 18. An & à quo censura suspendi possit. n. 42.

Omnis censura tolli potest ad tempus. n. 43.

Excommunicatio à solo summo Pontifice propriè suspendi potest. n. 43.

Nihil est in iure quod prohibeat aut permittat Episcopis propriam suspensionem interdicti. n. 44.

Quid tandem possint circa hanc suspensionem Episcopi. n. 45.

An Episcopus permittere possit vt in loco interdicto celebretur. n. 46.

Conf. 19. Quis possit relaxare cessationem à diuinis. n. 47.

SVpponenda sunt hoc loco, quæ diximus alibi de reseruatione tum peccatorum, tum censurarum ipsis annexarum, & quæ de potestate ac iurisdictione Episcoporum aliorumque inferiorum circa reseruata in quibusdam occasionibus disputauimus, & denique quæ de iurisdictione ista in dissoluendis tum censuris tum peccatis omnibus, quam in extremo mortis articulo concedit Ecclesia, omnibus qui eius capaces sunt, ibidem definiuimus; quarè pauca quædam, quæ ita huius tractationis propria sunt, vt ex principiis vniuersalibus in scientia canonica stabilitis satis commodè deduci non potuerunt, explicanda supersunt, quæ enim de priuilegiis Regulariū aliorumq; circa censuras dissoluēdas quæri possent, tradētur alio loco.

PROPOSITIO PRIMA.

De absolutione à censuris in iure latis.

1 Non modo conditor iuris & canonis eiusque successor, aut delegatus, aut in iurisdictione superior absoluere potest in vtroque foro à censuris in eodem canone latis, sed etiam quilibet proprius Episcopus & proprius Sacerdos, si per eundem canonem reseruatæ non fuerint.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

2 Nomine iuris ac canonis in hac propositione intelligo non modo ius commune à Pontifice, aut Synodo aliqua generali vel cōditum, vel confirmatum, sed statuta & leges, quæ à priuatis Episcopis aut conciliis prouincialibus in suis diœcesibus & prouinciis latæ sunt, nomen enim iuris, quo vtitur Pontifex in cap. nuper statim citando, ex quo totam nostram propositionem eruimus non modo ius commune, sed etiam priuatum complectitur; quarè vbi Pontifex facit facultatem absoluendi à censuris iuris aut canonis loquitur de censuris, quæ quolibet iure, lege, & constitutione impositæ sunt, cùm & voce generali atque amplissima vtatur, & rationem sui dicti æque generalem adducat, vti statim exponemus, nempe quod conditor canonis censuram indicentis illam sibi non reseruarit, quæ ratio, vt vides, æquè valet in censuris, iure & statuto priuato, atque cōmuni latis, & quamuis videatur Pontifex longè aliter de censuris à se, vel iure communi latis, quàm à priuatis Episcopis, propriis constitutionibus & legibus inflictis statuere posse, cùm enim priores illæ ab ipso proximè pendeant, potuit ita suā interpretari legem, vt voluerit eas cēsuras à quocunque inferiori Prælato ordinariè laxari, quoties sibi ipse illas non reseruarit; at verò quia peculiaria statuta habent alias causas proximas; neque à voluntate, aut potestate Pontificis procedūt; nō videtur ita posse inferiorum Prælatorū volūtatē pro arbitrio interpretari. Nihilominus ex illa sua amplitudine potestatis, & quia est tāquā causa vniuersalis, quæ inferiorū vires aut iuuare, aut restringere, aut temperare potest, modū & formā seruandā in ferendis cēsuris ab inferioribus Prælatis siue per sententiam, siue per constitutiones & leges diutius duraturas præscribere ipsi licebit, vti ostendimus disq. 3. q. 1. quidni igitur velle poterit, vt quoties aliqua lege censura feretur, eius absolutio permissa sit propriis Episcopis, & propriis sacerdotibus, nisi eadem constitutio, quæ censura imponit, illam legislatori reseruet; atq; ita c. nuper, mox explicādum de censuris positis ab Episcopis per peculiares constitutiones interpretantur passim DD. cùm Sylu. ℣. absolutio. 1. n. 7. & Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 12. n. 4. Alteri. l. 4. disp. 3. cap. 2. sub fin. Suar. disp. 7. s. 5. n. 21. & aliis, quibus præiuerat Panormit. in illud cap. nuper n. 5.

His obseruatis facilè ostenditur nostra proposi- 3
tio, quæ communi DD. quos enumerare nihil attinet consensu, recepta est, prima enim eius pars nimirùm conditorem iuris ferentis censuram posse illam laxare, eiusue successorem, aut ab eo delegatū eiusque vices fungentem, aut qui eo superior est in iurisdictione circa illum casum, modò inferius explicando, à sano homine negari non potest.

Tota igitur controuersia de altera tantùm parte 4
excitari poterit, nimirùm proprium Episcopum propriumque sacerdotē ab eadem canonis censura non reseruata absoluere posse. Verū expressis verbis traditur c. nuper. de sent. excōmunic. etiamsi enim ibi agatur tantùm de excommunicatione minori contracta ex communicatione cum excōmunicato, sed non in crimine criminoso, cùm tamen Innocentius rationem suæ responsionis petat ex eo quod *cùm conditor canonis absolutionem sibi specialiter non reseruauerit, eo ipso concessisse videtur facultatem* aliis relaxandi iure merito DD. quos congessit Sayr lib. 2. c. 19. n. 1. quibus adhæsere omnes recētiores magno consensu, hanc generalem Regulā collegerunt, nimirùm omnem iuris & canonis excommunicationem non reseruatam, posse à proprio Episcopo & proprio sacerdote absolui, quāuis enim ex negatione prohibitionis nequeat fortassis in materia iurisdictionis colligi semper positiua concessio, quod discussimus alibi, in hoc tamen peculiari negotio absolutionis ab excōmunicatione, negatio prohibitionis absoluendi infert concessionem potestatis absoluendi, vt manifestò indicat Pontifex ex antiquo profecto iure & vsu iam inducto, quem potiùs afferre aut interpretari videtur Innoc. quàm nouum ius condere: Et sanè nisi ea Pontificis ratione generalē veluti Regulā, aut ius contineri dicamus, & ad casum particularem, de quo ibidem agitur, coarctemus, solius duntaxat excommunicationis minoris absolutio concedenda esset Episcopo, & cæteræ omnes excommunicationes à iure latæ, à solo iuris conditore relaxari possent.

Iam verò quid nomine proprij Episcopi intelligatur, petēdum est ex iis quæ alibi disputauimus, quid requireretur, vt quis dicatur proprius Episcopus alicuius, vt in illum tanquam in sibi subditum iurisdictionem Episcopalem exerceat, nomine enim

Episcopi omnem habentem iurisdictionem Episcopalem significari sæpius monuimus.

Per proprium quoque Sacerdotem certum est in iure designari proprium Parochum, neque quod exigatur, vt aliquis dicatur esse alicuius parochiæ, repetendum hoc loco est, tota difficultas est, an reuerà proprius Parrochus possit absoluere suum Parrochianum ab omnibus censuris iuris & canonis non reseruatis. Ita enim videtur omninò affirmare Innocent. in cit. cap. nuper; quod nihilominus negat Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 12. num. 5. vbi allegat glossam in cap. 2. de pœnitent. & remissionib. in 6. ✠. reseruantur, Panormit. Felin. & Imolam, atque è Theologis Paludan. in 4. d. 18. q. 5. a. 1. quoad censuras iuris Pontificij Durand. ibid. ead. d. q. 4. n. 7. Ita quoque iudicatum fuit à Domino Bitterensi, Domino Ebredunensi & Riccardo de Senis compilatoribus Sexti decretalium, coram Bonifacio VIII. qui annuit & ipse, negauitque Parrochum absque speciali commissione posse absoluere à maiori excommunicatione etiam non reseruata, quod totum legisse se apud Dominum Bitterensem in opere de sentent. excommunicationis & interdicti refert Durandus. Sequutus hanc sententiam est Ricc. in 4. d. 18. a. 9. q. 1. sub fin. atque summistæ aliqui vt Astens. 2. p. lib. 7. tit. 13. a. 1. q. 1. Tabiena. ✠. absolutio. 2. n. 4. vbi testatur esse communem, & ✠. dispensatio. n. 16. Probat præterea Couarr. hanc eandem sententiam ex Clem. 1. de priuilegiis, & extrauag. 1. eod. tit. inter communes de priuilegiis, §. obseruent, ac demum ex recepta consuetudine, & sanè cū nefas sit Parrocho excōmunicare, nō licebit ei absoluere, maximè quoad forū externum, ad quod eius iurisdictio nequaquam se porrigit.

Contrariam nihilominus sententiam docuerunt magno consensu Theologi cum S. Thom. in 4. d. 18. q. 2. a. 5. Bonac. ibid. ead. d. vltim. p. q. 6. Maior in eand. d. q. a. dub. 3. Argent. ibid. dist. 29. q. vni. a. 4. Gab. d. 18. q. 3. a. 3. dub. 6. Bachon. d. 17. q. 2. a. 1. Soto. d. 22. q. 2. a. 2. con. 3. P. de Ledesma. tract. de censu. cap. 8. dub. 2. Caiet. ✠. absolutio. cap. 4. licet dicat id ipsi conuenire ex cōmissione, quod & nos postea monebimus. Suar. disp. 7. s. 3. n. 24. Laym. lib. 1. tr. 5. par. 2. cap. 6. n. 1. Kon. disp. 14. de Sacram. n. 230. Auila. 2. p. cap. 7. disp. 1. dub. 7. Vasq. dub. 19. de excommunic. n. 13. Hurtad. disp. 15. de excommunic. diff. 2. Henriq. lib. 13. cap. 28. n. 5. & cap. 35. n. 2. Villalob. tom. 1. tract. 26. diff. 18. n. 8. Filliuc. tract. 11. cap. 9. num. 283. Reginald. lib. 9. n. 22. Bonac. disp. 1. q. 3. p. 1. n. 10. Alteri. lib. 4. disp. 4. cap. 3. atque ex canonistis Innoc. & Hostiens. in cap. nuper. Nau. cap. 27. n. 39. & 257. Angel. ✠. absolutio. 1. n. 2. Armilla. ✠. eod. n. 36. Sylu. ✠. absolutio. n. 4. Summa confessor. lib. 3. tit. 33. q. 86. Alij vtramque opinionem reconciliare nituntur, nam Paludan. concedit Parrocho absoluere à censuris per statuta Episcopalia, non verò Pontificia; verùm si quæ distinctio inter eas censuras esset afferenda hoc loco, potiùs competeret Parrocho ius absoluendi à censuris latis iure Pontificio, quàm Episcopali, quia cùm cap. nuper. de sent. excommunic. ex quo totam hanc Parrochorum facultatem colligimus, conditum fuerit à Pontifice, videbitur potiùs agere de censuris Pontificiis, quàm Episcopalibus; neque apud omnes certum est, vtrum concessio casuum Pontificiorum, vti appellant, ad casus Episcopales extendatur; quod idem quoque de censuris dicendum erit, sed reuerà in illo citato cap. nuper, agitur de censuris iure pontificio & Episcopali latis, vti ostendimus initio. Alijq; cùm Vgolin. tab. 1. cap. 10. §. 5. n. 3. & Sayr. lib. 2. cap. 19. n. 14. fatentur ex delegatione quidem Pontificia hanc facultatem conuenire Parrocho, sed contrario vsu & consuetudine abrogatam fuisse.

Mihi cum DD. superiùs enumeratis omninò pronunciandum videtur Parrochum posse ab omnibus censuris canonis siue Pontifici, siue Episcopis non reseruatis absoluere: habemus enim certas huiusce facultatis tabulas in citato cap. nuper, vbi Innocent. III. apertis omninò verbis eam facit proprio Episcopo & proprio Sacerdoti, quo nomine intelligi Parrochum nemo potest ambigere, neque vlla ratio cogit tam perspicuam legem secus interpretari, aut vt aliqui voluerunt de sola absolutione ab excommunicatione minori accipere, quia, vt iam monui, etiamsi de illa in eo capite excitata fuisset quæstio, de eaque respondeat Pontifex, rationem tamen vniuersalem reddidit, quæ omnes omninò censuras complectatur, nisi peculiari aliquo iure excipiantur, alioquin dicendum esset neque Episcopum posse absoluere à maiori excommunicatione in iure lata, quæ id nequit ex proprio munere, cùm neque ex iure Pontificio, neque iu lege alterius diœcesis quidquam dispensare, nisi ex peculiari delegatione possit, neque alibi, quā in cap. nuper, sit ipsi ea potestas, ac proinde si illud cap. de sola excommunicatione minori velimus agere, ipsius dūtaxat relaxandi veniam faciet Episcopo, sicut & Parrocho, cùm de vtroque eodem prorsus modo loquatur, vt legēti patebit: quod verò Parrochus careat iurisdictione fori contentiosi, qua pollet Episcopus, nihil facit ad potestatem delegatā, & per authorē iuris concessam & non intrinsecā ratione proprij muneris, satis enim est, aliquem esse aptum, vt illi cōmittatur ea iurisdictio, quod nemo negabit Parrocho, cui non aliter, quàm ex commissione & iuris concessione delegatam hanc potestatem concedimus cum Suar. Auila, Sylu. Nau. & & aliis contra Sotum & Medinam locis allatis.

Quod verò hæc Innocentij III. concessio in dicto c. nuper, non fuerit vllo contrario iure abrogata, patet ex iis, quę frustrà afferebat Couar. Nau. Clem. 1. de priuilegiis, agit tantùm de Religiosis, qui præsumerent *ex communicatos à canone* absoluere, *præterquàm in casibus à iure expressis vel per priuilegia sedis Apostolicæ concessis eisdem*, quid verò inde colligi possit, vt ostendatur, potestatem factam Parrochis in cap. nuper, reuocatam esse nemo quantumuis oculatus viderit.

Affert præterea Couar. extrau. 1. de priuilegiis inter commun. asserit enim Pontifex se nolle Religiosos plus habere authoritatis in audiendis confessionibus, quàm ipsos Parrochos in suis Parrochos, ac prohibeat *ne se de casibus Episcopis & superioribus ac sedi Apostolica reseruatis intromittant*; & paulò inferius inter eos casus reseruatos numerantur illi quibus est annexa excommunicatio, redditque rationem Pontifex, quia inconueniens est, vt quis absoluat à peccato eum, quem nequit ab excommunicatione maximè canonis absoluere; ex quibus liquet non posse Regulares absoluere ab excommunicatione canonis, & tamen parem habent potestatem cum Parrochis, ergo Parrochi ab ea etiam absoluere non poterunt.

2. Comparari Regulares & Parrochus quoad absolutionem à casibus & excōmunicationibus reseruatis, de quibus agi dicit glossa, & manifestum fit

fit ex ipso textu à nobis relato. Deinde negat quidem Pontifex velle se tribuere ampliorem potestatem Regularibus in audiendis confessionibus, quam habeant Parrochi, non tamen affirmat se illis omnia concedere, quæ conueniunt Parrochis, quatè etiamsi Parrochi habeant ex aliquo alio iure priuilegium circa absolutionem peccatorum & censurarum, non sequeretur vi huius extrauagantis, in qua restringitur potiùs, quàm augetur potestas Regularium, communicari id priuilegium Parrochorum Regularibus confessarijs, quamuis dicac Pontifex, nolle se illos plus posse, quàm possent Parrochi, id enim dixit, quia plurima sibi illicita id temporis præsumebant; deinde verò auctiora amplioraque facta sunt à summis Pontificibus præcipua priuilegiorum iuta & tota illa extrauagans Bened. XI. reuocata fuit à Clem. V. in Clem. dudum. de sepulturis.

Contraria porrò consuetudo, quam obiiciebat Couarr. non probatur efficaciter, & quamuis ea in aliqua Prouincia vigeret, ac proinde ibi derogaret iuri communi, cùm tamen non sit vniuersalis, vbi de illa non constabit manebit suum ius integrum Parrochis ex cap. nuper. circa absolutionem omnium censurarum iuris non reseruatarum.

An verò ea Parrochorum absolutio valeat quoque in foro externo dubitari posset, sed cùm ea concessio facta fuerit à iure, quod non distinguit inter forum internum & externum, in vtroque admittenda erit, nisi contraria consuetudo huic iuri derogarit, vti reuerà derogasse quoad forum externum contendit Lopez. 2. p. Instructo. tract. de clauibus. cap. 19. Nau. cap. 27 n. 39. & Candid. disquisitione 22. a. 17. n. 4. volunt fortassis hi DD. forum iudiciale habere ius agendi in excommunicatum, donec ipsi de absolutione constet, quam tamen admittere tenebitur, vbi probata ipsi sufficienter fuerit.

Quod verò attinet ad censuras reseruatas certum est eas tolli posse ab eo, cui sunt reseruatæ, eius superiore, in iurisdictione successore & delegato, de qua reseruatione & commissione siue delegatione facultatis absoluendi per priuilegia diutumiora, siue per bullas Iubilæi aliasque diximus latissimè in scientia canonica & nihil hoc loco addendum mihi videri iam superiùs monui.

SECVNDA PROPOSITIO.

De absolutione censura lata ab homine.

8 Ab excommunicatione & censura lata ab homine per generalem sententiam ille omnis absoluere potest, qui absoluit à censuris latis à canone: à censuris verò per specialem sententiam nemo omninò absoluere potest nisi qui eam tulerit, aut eius superior in iurisdictione, vel successor vel delegatus.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Distinguo duplicem censuram ab homine, vnam
9 generalem, quia non fertur in aliquem certum & determinatum, estque ea quæ fertur pro futuris culpis; alteram specialem, quæ propter crimen aliquod iam commissum fertur modo explicato disq. 2. in eius authorem, siue ille nomine proprio exprimatur, siue tantùm per commissionem criminis iam perpetrati designetur, ille enim certus est character, & sententia illa particularis est quoad delictum commissum, & determinat: fertur in eum, vel eos, qui illud commiserunt, quod enim sint vnus vel plures, non variat modum ferendi censuram per sententiam particularem, quæ virtualiter siue æquiualenter multiplex est, quando plures illam tulerunt.

PRIMA PARS.

De absolutione censura lata ab homine per sententiam generalem.

Dixi igitur 1. censurá latá ab homine per generalem sententiam modò non sit reseruata, tolli posse ab eo omni, qui potest absoluere à censuris iuris & Canonis. Ita Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 12. n. 4. Soto. in 4. d. 22. q. 2. a. 3. con. 3. Nauar. cap. Ita quorundam de Iudæis. notab. 11. n. 35. & 36. vbi ait hanc sententiam esse singularem Ioan. Imolæ in cap. ex frequentibus de institutionibus, & & in cap. graue de præbendis, quod Felin. in cap. pastoralis. §. 1. de officio ordinarij, n. 9. dixit esse contra omnes DD. verùm idem Nauarr. cap. 27. n. 44. ait præiuisse Imolæ grauissimos DD. Ioan. Andr. & Cardinal. quos deinde sequuti sunt Henriq. lib. 13. cap. 28. n. 5. Auila 2. p. cap. 7. disp. 1. dub. 8. plures magistros allegans. Hurtad. disp. 15. de excomm. diff 6. Kon. disp. 14. n. 257. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 7. n. 3. Tolet. lib. 1. cap. 16. n. 7. Petr. Ledesma. tract. de censu. cap. 8. dub. 2. con. 3. Bonac. disp. 1. q. 3. p. 1. n. 6. Sayr. lib. 5. cap. 15. n. 22. Valent. tom. 4. d. 7. quæst. 17. p. 8. Reginald. lib. 9. n. 12. vt videas quàm meritò nonnulli dixerint hanc sententiam esse communem, quamuis non diffitear contrariam grauium DD. esse, glossæ nimirum in cap. & frequentibus de institutionib. Panorm. in cap. graue de præbendis, Felin. in cap. pastoralis cit, vbi falsò omnium planè excepto vno Imola esse dicit, Caiet. v. absolutio. §. 2. Vasq. dub. 19. de excomm. n. 9. Villalob. tom. 1. tract. 16. diff. 18. num. 11. Suar. disp. 7. s. 2. n. 22. & seq. Vgolin. tab. 1. cap. 4. n. 3. Alteri. lib. 4. disp. 2. cap. 4. Filluc. tract. 11. cap. 9. n. 302. qui omnes nihilominus fatentur nostram sententiam probabilem esse & tutam in praxi. 10

Probant aliqui cum Imola ex cap. ex frequentibus de institutionib. vbi Alexand. III. prohibet Episcopis suffraganeis, ne excommunicationem latam ab Archiepiscopo aduersus quosdam clericos contra canones ad beneficia promotos relaxent nisi post congruam satisfactionem, ergo seclusa ea prohibitione potuissent isti Episcopi eam censuram soluere: nihil tamen ex hoc confici potest, quia imprimis dici posset cum Panormit. Felino & Vgolin. loco citato eam excommunicationem latam fuisse ab Archiepiscopo per modum statuti, non verò per sententiam generalem duntaxat, neque his suffraganeis concedi potestatem relaxandi hanc censuram, id enim iam poterant duntaxat, sed ne nisi post acceptam congruam satisfactionem absoluant. 11

Deinde quamuis daremus eam excommunicationem fuisse latam per generalem sententiam, vt videtur innuere textus, neque rectè obiicit Vgolin.

quod nequeat Archiepiscopus generalem sententiam in totam prouinciam ferre, nam Panorm. & alij docent varijs de causis id fieri posse, diceremus tamen, Pontificem confirmando eam sententiam Censuram illa contentam sibi reseruasse, ac proinde indiguisse istos suffraganeos venia Pontificis quam ille fecit, modo præmitteretur absolutioni congrua satisfactio, quare nihil ex eo capite pro vtraque sententia colligere licet.

2. Probant alij ex eo, quod generalis sententia circa futura æquiparetur statuto, quare qui poterunt absoluere à Censuris per statuta latis ex cap. Nuper, poterunt quoque ab ijs, quæ per eiusmodi generalem sententiam inflictæ fuerint, exoluere. Verùm neque hæc ratio sufficit, quia agnoscenda semper est aliqua dissimilitudo inter eiusmodi sententiam & statutum, quæ igitur de statuto dicuntur ad illam sententiam trahi non debent, nisi ex quadam fortassis benigniore interpretatione, non ex rigore Iuris, maximè repugnante ipsomet Iure, at verò in c. Nuper, apertè traditur, Excommunicationem ab homine non absolui, nisi ab eo, qui illam tulit, vel à superiore delicti, cur igitur dicemus contra manifestum illud Ius aliquam censuram ab homine tolli ab alio, quam qui tulit, posse; cur enim distinguit Pontifex inter sententiam Iuris & hominis, si aliqua sententia hominis eadem omninò est cum Iure.

Inde tamen non colligitur contra nostram assertionem eandem esse rationem Censuræ cuiuscunque latæ ab homine, siue per generalem, siue per specialem sententiam, quoad potestatem absoluendi ab illis, quia quamuis id fortassis verū fuerit, si consideremus sententiam generalem in ratione sententiæ, si tamen in ea, quando est pro futuris culpis, spectemus rationem præcepti cum interminatione pœnæ ipso facto incurrendæ, antè à Iudice imponendæ, reuera cum lege potius, quàm cum sententia consentiet, & à superiore præcipiente, non à Iudice manare dicetur, ac proinde aliter de ea quam de sententia propriè dicta, quæ est actus Iudicis solius, & non legislatoris, definiendum erit, neque inter hanc sententiam generalem & statutum sine canonem aliud intererit, quam quod statutum ex sua natura perpetuum sit, non sententia.

12 Atque ex hac natura sententiæ generalis pro futuris culpis, & eius cum statuto siue lege consensione maximè ducenda est ratio nostræ assertionis, quam ex Iure non satis, vt videmus, confirmant DD. neque quamdiu sententiam formaliter & sub ratione sententiæ capient pro actu Iudicis punientis delictum, & vt Iudex est, satisfacient generali Regulæ, quam ex cap. Nuper, colligunt omnes, nimirùm Censuram ab homine latā ab eo qui tulit laxandam esse, latam autem à Iure vel Canone à proprio Episcopo, vel proprio sacerdote tolli posse, cùm enim ea, quæ fertur per sententiam generalem, sit quoque ab homine, reuerà non poterit aliter nisi à ferente tolli, vti de ea, quæ per sententiam particularem fuit posita, dicemus statim, si verò sententiam capiamus tantùm materialiter, formaliter verò dicamus esse præceptum, reuerà coincidet cū præcepto, siue statuto pœnali.

His omnibus accedit praxis cottidiana, quæ me potius, quàm aut ius vllum aut ratio traxit in hanc opinionem, cùm etiam frequentiùs Censuræ, quæ per sententiam generalem feruntur, reseruari soleant à ferente Iudice, vti obseruauit P. de Ledesma loco cit. vehemens coniectura est, illas ex sua natura non reseruari ferenti ipsas, alioquin frustrà omninò solita ista reseruationis clausula adhiberetur.

SECVNDA PARS

De Censuris per specialem sententiam latis.

Dixi 2. Censuras latas ab homine per specialem sententiam absolui posse ab eo, qui illas tulit aut eius superiore, aut successore, aut delegato. 13
Quod attinet ad ipsum ferentem non potest suboriri vlla dubitatio, cùm æqualis potestatis sit ligare & soluere, cap. verbum de pœnit. d. 1. quod ita tamen accipiendum est, vt Iurisdictio libera & expedita perseueret in eo qui Censuram tulit.

In Iure tamen excipiuntur aliqui casus, in quibus etiam ille qui excommunicauit, absoluere nequit. 1. si superior excommunicantis tacitè vel expressè Censuræ latæ absolutionem sibi reseruet, aut illam causam ad se euocet aut eam sententiam confirmando iam facit suam. Ita quamuis incendiarij non sint ipso iure excōmunicati, sed debeant ab Episcopis excommunicari, vti obseruauit Caietan. ℣. Excommunicatio. cap. 22. Henriq. lib. 13. cap. 28. n. 6. & alij contra Tabien. ℣. Excommunicatio, 5. casu. 7. & plures alios vbi tamen fuerint à suis Iudicibus excōmunicati, ab illis absolui non poterunt sed adeundus erit Pontifex. c. Tua nos, de sentent. Excommunic. ita etiam suspensi per Conciliū à beneficijs conferēdis, eo quod indignis, scienter & iam secundò moniti illa contulerint, à nemine quàm à Pontifice, aut vno ex quatuor Patriarchis absolui poterunt, ex c. graue de præbēdis. Quod etiam dixi superiorem per Confirmationem sententiæ ab inferiore latæ & censuræ ab ipso inflictæ, quando ea confirmatio fit ex certa scientia, quia vel totius causæ status ipsi est explicatus, aut in eius diplomate confirmatorio insertus, aut adhibita clausula ex certa scientia aliaue æquiualens, reseruare sibi eam Censuram & suam facere, constans est glossæ, Ioann. Andr. & aliorum assertio in c. ex frequentibus. de Institutionib. ℣. confirmantes, atqui nequit inferior absoluere à censura lata à superiore per sententiam, & non per modum statuti.

II. Legatus Apostolicus, qui aliquem non parentem suæ sententiæ excommunicauit, nequit illum absoluere post elapsum annum à die sententiæ definitiuæ & excommunicationis incursæ, sed ad sedem Apostolicam remittere debet cap. Quærenti. de officio delegati. quia eius delegati Iurisdictio expirauit quoad executionem, quod idem de legato etiam Episcopi aliqui docent, de quibus aliàs dictum fuit.

Quæ addidi de superiore, successore & delegato æque certa sunt, non loquor autem de superiore cantùm dignitate, sed Iurisdictione, qui Iurisdictionem inferioris tollere, vel eius saltem vsum impedire potest, vel ad quem saltem appellari potest, nam in casu illo appellationis absoluet, quæ intelliguntur ex ijs quæ loco citato disputata sunt, sicut & de delegato siue ab homine, siue à lege quod autem ad appellationem & absolutionem dandam à Iudice, ad quem fuit appellatum, dicemus vbi de foro Ecclesiastico disputabimus.

Dixi 3. Nullum alium ab excommunicatione aliaue Censura ab homine specialiter lata absoluere 14

absoluere posse, nisi qui illam tulit, eiusve successorem, superiorem aut delegatum modo suprà explicato, quod cum Panormit.tradunt omnes DD. in cap. pastoralis. §.præterea de officio ordinarij, & iam olim definiuere PP. Nicæni, vt inter Canones eius Arabicos refertur can. 47. *nullus*, inquit, *Episcopus soluat, quem alius Episcopus ligauit, quamdiu Episcopus, qui ligauit, vixerit*, cui definitioni consentit eiusd. Conc. Canon. 5. inter Græcanicos,& Conc.6.Carthagin.can.16. & ratio huius sanctionis manifesta est, vt nimirum iudiciorum perturbatio vitetur, & ne iudicum iurisdictio temerariò violetur, aut despicatui habeatur ex facilitate execundi sententiam ab illis latam,cùm enim hæc censura per specialem sententiam ferri non potuerit, nisi post citationem Rei & proinde causa, de qua agitur iam cœpta fuerit coram proprio iudice, si quis alium eiusmodi Reum absoluere tentet, & illi iudicio se intromittat,profectò prioris iudicis iurisdictionem manifestò violat, nisi fuerit eius aut superior in iurisdictione, aut successor, aut delegatus; hi enim omnes non censentur habere diuersam iurisdictionē quoad istam causam, vnde etiam vides, cur Censura per generalem sententiam lata circa futuras culpas possit absolui ab inferiori, aut æquali iudice, cùm enim nondum fuerit cœptum iudicium quod inchoatur à citatione, vt diximus alibi, nulla sequitur perturbatio iudicij, aut violatio iurisdictionis eius, qui eam sententiam tulit, vti contingeret in censura specialiter lata à iudice, si alius quàm qui illam tulit, Reum ipsa innodatum solueret.

CONSECTARIVM I.

An qui ab aliquo Episcopo excommunicatus est, si domicilium mutauit, à nouo suo Episcopo absolui possit?

15 ℟. 1. Si per sententiam particularem excommunicatus fuerit non posse absolui extra casum extremæ necessitatis nisi à priori Episcopo, à quo fuit Excommunicatus. Ita Alteri. lib.4. disput. 2. cap.5. dub.2. Layman. lib. 1. tract.5. pa.1.cap.7. num.4. Auila.2. p. cap. 7. disp.1. dub.13. Suar. disp.7.f. 2. num.10. Sayr. lib.2. cap.10. num.2. alios allegans; quia qui excommunicationem istam tulit ius in eam causam coram se cœptam acquisiuit, quod cum per causæ inceptionem fuerit confirmatum, non tollitur per translationem domicilij sed integrum manet priori Iudici, vti colligunt DD. ex cap. proposuisti de foro competenti tradentes eam vniuersalem Regulam, nempè præuentum à iudice forum ipsius in ea causa declinare non posse, & plurima ex variis locis iuris collegit in hanc rem glossa vltima in cap. proposuisti citato.

2. Si quis à suo Episcopo excommunicatus fuerit per generalem sententiam tantum excommunicatione non reseruata, potest absolui, si domicilium & diœcesim mutet à nouo suo Episcopo, aut etiam parocho, quia quilibet proprius Episcopus & proprius Sacerdos absoluere potest à censuris canonis non reseruatis ex cap. Nuper. de sentent. Excommun. atque etiam à censuris per sententiam generalem latis ab homine, vti probauimus 1. parte superioris propositionis, neque enim peculiarem vllam iurisdictionem sibi in eam causam acquisiuit Iudex, qui excommunicatio-

nem generalem tulit, cùm nulla fuerit Rei citatio, vti contingere diximus in sententia particulari, in qua necesse est fieri citationem rei vel in particulari, vel confusè per monitionem generalem.

CONSECTARIVM II.

An Excommunicatus à suo Episcopo ingrediens Religionem possit à Prælato Regulari absolui?

℟. Eadem distinctione vtendo, ab omni enim 16 Excommunicatione lata per generalem sententiam poterit iste nouitius,aut etiam professus à Prælato Regulari absolui,non verò ab Excommunicatione specialiter imposita attento tantùm iure communi, & seclusis priuilegiis, quibus fiat peculiaris mentio potestatis absoluendi à censuris latis ab homine, vti communiter tradunt DD. superiùs allati contra Lapum allegat.48.& alios relatos à Sayro, lib.2. cap.10. qui tamen non loqui videntur, nisi supposito illo priuilegio,quod omnibus ferè Religionibus factum est; existimat verò Alteri.cap. 5. cit. dub. 1. in eo priuilegio Regularium necessariam esse mentionem censurarum specialiter ab homine latarum, alioquin si sit tantùm absolutè venia absoluendi à censuris ab homine; eam potestatem explicandam esse de censuris per sententiam generalem impositis;verùm cum absque speciali priuilegio possit hic nouitius aut Religiosus absolui à suo Prælato Regulari ab omni censura iuris non reseruata, & ab ea, quæ per sententiam generalem indicitur, Existimo priuilegium, quod confert iurisdictionem absoluendi à censuris ab homine intelligendum esse de Censuris specialiter latis, alioquin nihil concederet, quandoquidem ad absolutionem censurarum ab homine per generalem sententiam nulla peculiari facultate indiget ille Prælatus.

CONSECTARIVM III.

An qui in alieno territorio fuit excommunicatus possit à suo Episcopo aut Parocho absolui, vbi ad suum territorium redierit?

℟. Posse absolui, si excommunicatio,quam incurrit in illo alieno territorio fuerit tantùm vel 17 iuris, vel ab homine per sententiam generalem, neque fuerit reseruata,quia quilibet proprius Prælatus & Sacerdos ab illa potest absoluere, vt patet ex 1. & 2. propositione; quarè nihil interest, vbinam fuerit contracta excommunicatio. Itaque docent Nau. cap.27.num. 39. Auila disp.1.cit. dub. 14.Kun. disp.14. num. 258. Layman & alij laudati. Si verò ratione delicti in alieno territorio commissi fuerit ibi specialiter excommunicatus, non poterit à suo Episcopo vbi in illius diœcesim semigrauerit, absolui, sed remittendus erit ad excommunicatorem, aut ab eo petenda erit facultas, aut habendum priuilegium Pontificium, quale in iobileis alijsque bullis dari debet.

CONSECTARIVM IV.

An religiosi possint absolui à Censuris à proprijs Episcopis loci in quo commorantur.

18 ℞. distinguendum esse, vel enim hi religiosi peculiari sedis Apostolicæ priuilegiu eximuntur à Iurisdictione ordinarij, vel tantùm vi sui status, & quatenùs Religiosi sunt; in priori casu neque absolui, neq; excommunicari ab Episcopis diœcesanis possunt defectu Iurisdictionis, quam ipsis tribuere non possunt Religiosi, etiamsi se illis subijciant ab ijs absolutionem petendo, neque suæ Exemptionis priuilegio, quod toti ordini concessum est sponte & efficaciter cedere possunt.

An verò quando nullam eiusmodi exemptionem habent, certum est ratione duntaxat status Regularis nũ subduci Episcopi Iurisdictioni, & tũ ligari, tum absolui ab ipso posse; vnde intelligas, cur Religiosus, qui percussit Clericum sæcularem absoluendus sit ab Episcopo diœcesano. c. Religioso. de sentent. Excomm. in 6. si verò alium Monachum percusserit, permittitur ex speciali commissione absolutio superiori regulari. c. Monachi de sentent. Excomm. ita tamẽ vt si necessarium sit ad Episcopũ recurratur; percussio etiam monialium permittitur Episcopo. c. de Monialibus. de sentent. Excomm. quæ intelliguntur de leuiori percussione, enormis enim est reseruata Pontifici.

CONSECTARIVM V.

An religiosi possint absolui à suis Prælatis Regularibus?

19 Loquor attento Iure communi & seclusis omnibus priuilegijs, quibus tamen ferè omnes Religiosi ordinis instructi sunt, id enim videtur negare glossa in Clem. 1. de priuileg. ℣. à canone, & ℣. quemquam, & Cardinal. ibidem. numer. 13. Sylu. ℣. Excommunicatio. 7. numer. 11. & communiorem atque probabiliorem dixit Alteri. lib. 4. disp. 3. cap. eo quod Clemens prohibeat Religiosis quemquam excommunicatum à Canone absoluere, nisi in casibus in Iure expressis, aut ex peculiari priuilegio sedis Apostolicæ.

℞. Nihilominùs Prælatos Regulares etiam seclusis omnibus priuilegijs posse absoluere suos subditos ab omnibus Censuris Iuris non reseruatis, atque à latis ab homine per generalem sententiam, quandoquidem hæ Censuræ cum Censuris Canonis coincidunt in hac parte, vti monuimus. Ita Suar. disp. 7. s. 3. numer. 17. quia Prælatus Regularis habet ordinariam Iurisdictionem in suus subditos, estque proprius illorum sacerdos, ergo potest ex cap. Nuper. de sententiâ Excommunic. 1. propositione superiori explicato illos absoluere à Censuris Iuris non reseruatis, deinde quia potest suos subditos excommunicare, ergò & illos absoluere, cùm hi actus pertineant ad eandem ordinariam potestatem: Clemens. verò ab aduersarijs allata ipsis minime fauet, nam illa verba *absoluere quemquam præsumpserint*, non comprehendunt nisi vel clericos, vel laicos, de quibus agebat initio textus, vbi enim prohibuit, ne Religiosi Clericis aut laicis sacramenta extremæ vnctionis, aut Eucharistiæ ministrent, aut inter illos matrimonia celebrent, statim addit, *ne quemquam excommunicatum à Canone nisi in casibus expressis à Iure absoluere præsumant*, Et si igitur vox *quemquam*, nullum excipiat, restringitur tamen ex subiecta materia, neque enim aliter, aut alijs prohibet Pontifex impendi absolutionem excommunicationis à Religiosis, quàm ijs, quibus tria illa sacramẽta ministrari non vult ab ijsdem Religiosis, quod Confirmatur, quod alioquin isti Religiosi ministrantes sacramentum Eucharistiæ, alijs Religiosis subditis, incurrerent pœnas illius Clementinæ, si vox *quemquam* in illa posita comprehendat omnes etiam Religiosos subditos, quod tamẽ communi consensu negant Summistæ. Tabien. ℣. Excommunicatio. 5. casu. 11. num. 3. Allegans Angel. & Rosella. idemque tradit Caietan. ℣. Excommunicatio. cap. 64. Nauarr. cap. 27. numer. 102. & quamuis videantur isti DD. id asserere de quocunque Religioso etiam non subdito & extraneo, id tamen negat Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 54. & Suar. loco cit. quia intentio pontificis est punire Religiosos vsurpantes Iurisdictionem, quam non habent. Mihi distinguendum, videtur, nam vel illi Religiosi extranei, quibus ab alijs Religiosis ministrabuntur ista sacramenta, aut impedentur absolutio excommunicationis à Canone, sunt exẽpti à Iurisdictione ordinariorũ vel non sunt exempti; si exẽpti sunt quamuis inualidè absoluantur ab alijs Regularibus, qui non sunt proprij illorum Prælati, & illicitè ab ijsdem sacramenta accipiunt sine licentia suorum Prælatorum, illi tamen Religiosi ipsis ministrantes ea sacramenta, eosque absoluentes à Censuris non tenentur pœnis huius Clementinæ, sicut reuerà tenerentur, si Religiosi excommunicati, non essent exempti à Iurisdictione ordinariorum, quia Pontificis animus non est, sua sanctione punire Religiosos quomodocunque vsurpantes Iurisdictionem, qua carent, vti contendebat Suarez, sed tantùm seruare Iura integra parrochorum, & eos, qui in ipsorum subditos sibi potestatem vsurpant, atque ita violant subiectionem parrochis debitam, quod sapienter aduertit Nauarr. & Caietan. qui idcircò dicit huius Canonis materiam esse vsurpationem parrochialis officij, quod manifestum fit ex eo, quod tota Constitutio faueat parrochiali presbytero, cuius licentia etiam petenda dicitur ad actiones ea Constitutione prohibitas.

Quarè non placet, quod addit ibidem Suar. Prælatum Regularem absoluentem suum subditum in casu reseruato per canonem, & sibi non concesso per priuilegium incurrere huius Clementinæ pœnam, nam cùm tunc nihil deroget parrochialis presbyteri authoritati, quod vnum caue Clemens, reuerà in eius Constitutionem non peccat, quamuis aliunde peccet, & inualidè absoluat.

CONSECTARIVM VI.

An omnis ille qui potest absoluere à peccatis mortalibus, possit etiam à Censuris Iuris non reseruatis absoluere?

℞. posse. Ita Auila. cap. 7. a. p. disp. 1. dub. 4. Con. 4. Suar. disp. 7. s. 4. n. 15. & alij omnes communiter, & sequitur ex proposit. nostra 1. in qua diximus facultatem absoluendi ab istis censu-

tis

tis conuenire ex ipsa concessione iuris proprio Sacerdoti ex cap. nuper de sentent. excomm. atqui nomine proprij Sacerdotis non designatur tantum proprius Parrochus, sed etiam omnis ille, qui potestatem habet absoluendi à peccatis mortalibus vti fatentur omnes DD. in cap. omnis vtriusque sexus de pœnitentiis & Remissionib. Ille enim siue ab ipso Parrocho, siue ab Episcopo, aut Pontifice designatus sit ad hoc munus, ab illisque iurisdictionem acceperit, fungitur vice Parrochi & proprij Sacerdotis, paremq; cum illo quoad forum internum potestatem habet in hoc negotio, & quæ ratio persuasit, vt facultas absoluendi à censuris canonis non reseruatis permitteretur Parrocho, eadem valet in cæteris confessariis, nimirùm vt faciliùs pœnitens, si Ecclesiæ parere velit, obtinere possit remissionem peccatorum, quæ alioquin nisi prævia absolutione à censuris non impenderetur. Vbi igitur Episcopus vel Parrochus faciunt alicui Sacerdoti potestatem absoluendi à peccatis mortalibus, eidem quoque fit à iure communi potestas absoluendi à censuris canonis non reseruatis, quanquam aliqui dicunt, vtramque illam potestatem conferri huic Sacerdoti ab Episcopo vel Parrocho, quia licet ipsi videantur tantùm habere delegatam ex tacita cōmissione Pontificis, ac proinde ex cōmuni Regula nequeant subdelegare; quia tamen iure communi ea potestas est coniuncta cum munere Episcopali & parrochiali existimatur tanquam ordinaria, & eam delegati nihil vetat, quia verò superius æquiparauimus censuram ab homine latam per generalem sententiam cum censura iuris, ab eo quoque sententia hominis generalis & non reseruata poterit absoluere quilibet Confessarius.

CONSECTARIVM VII.

An concessa facultas à casibus reseruatis extendatur necessariò ad absolutionem à censuris reseruatis?

Ratio dubitandi petitur ex superiori consectatio, si enim cum potestate absoluendi à peccatis mortalibus, datur quoque potestas absoluendi à censuris non reseruatis, vna etiam cum potestate absoluendi à casibus reseruatis, dabitur iurisdictio absoluendi à censuris reseruatis, & sanè alioquin esset inutilis hæc potestas absoluendi à casibus reseruatis, quia cùm habeant annexam censuram reseruatam, illa prius soluenda erit, antequam peccata absoluantur.

℞. Quoties casus aliquis non erit reseruatus nisi propter annexam ipsi censuram reseruatam, concessa facultas absoluendi ab eiusmodi casibus reseruatis extendetur quoque ad censuras reseruatas, quia alioqui, vt sapienter obiiciebatur, esset inutilis tota ea facultas, quando autem reseruatur censura non reseruato peccato, aut ita reseruatur peccatum & censura ei annexa seorsim, vt reseruatio peccati non pendeat à reseruatione censuræ, tunc potestas absoluendi à peccatis non extenditur ad censuras reseruatas, cùm sint duæ distinctæ facultates, vt patet; atque ideò, quia nullus casus Pontifici reseruatur nisi ratione censuræ reseruatæ ipsi annexæ, qui habet potestatem absoluendi à casibus reseruatis Pontifici, potest quoque absoluere à censuris eidem reseruatis, nisi aliquæ peculiari iure excipiantur etiam in concessione generali, vti diximus alibi; at verò quia casus Episcopis reseruati non habent annexam necessariò censuram reseruatam impositam, quia non reseruantur ratione censuræ, idcircò licet Episcopus faciat alicui potestatem absoluendi à casibus sibi reseruatis, non propterea concedit, vt absoluat à censuris sibi reseruatis. Ita communiter DD. cum Nauarr. cap. 27. n. 261. Suar. disp. 7. s. 4. n. 12. Alteri. lib. 4. disp. 3. cap. 4. Verùm quamuis non diffitear has duas facultates absoluendi à peccatis & à censuris reseruatis diuersas esse, neque ex concessione vnius inferri necessariò concessionem alterius per se loquendo, aliunde tamen videtur alicuius censuræ reseruatæ absolutio cum absolutione peccati reseruati necessaria quadam consequutione connecti, quoties enim inutilis erit facultas absoluendi à peccatis reseruatis, nisi simul habeatur potestas absoluendi à censura eidem peccato annexa & reseruata, eo quod durante illa censura nequeat aut validè, aut saltem licitè absolui peccatum, quia censura impedit eiusmodi peccati absolutionem quamuis nō reddat illud peccatum reseruatū, toties necessariò cum potestate absoluendi à peccatis reseruatis concedēda erit potestas absoluēdi à censuris illi peccato annexis, etiamsi reseruatæ sint, si quandiu durant illam peccati absolutionem impediant; sicuti contingit in excommunicatione quæ facit sacrilegam tum receptionem, tum administrationem Sacramentorum atque ipsius etiam pœnitentiæ, ita vt non modò excommunicatus peccet suscipiens Sacramentum, sed etiam illud ipsi ministrans; qui itaque accipiet potestatem absoluendi à peccato reseruato, cui fuit imposita excommunicatio quoque reseruata, si nequeat ab ea excommunicatione reseruata absoluere inutiliter accipiet potestatem absoluendi à peccato reseruato, quod fuit illius materia, quia durante excommunicatione illa non potest eum pœnitentem absoluere, quamuis enim, vt diximus disq. 7. q. 3. propofit. 1. 3. p. si pœnitens ex ignorantia probabili aut alia legitima causa excusetur à sacrilega susceptione Sacramenti pœnitentiæ, excommunicatio non impediat eius valorem, ac proinde eo casu, qui habuerit facultatem absoluendi à peccato reseruato, validè absoluet, etiamsi non absoluat ab excommunicatione reseruata, quia reuerà ad id non habet sufficientem iurisdictionem, peccabit tamen, si eam excommunicationem sibi reseruatam nouit, & dicitur in iure non posse agere, qui sine peccato agere non potest, idcircò potestas absoluendi à peccato reseruato, & non à censura, quæ illius peccati absolutionem impedit & inualidam aut sacrilegam reddit, inutilis omninò dicenda est, cum ea sine graui peccato exerceri nequeat. Quarè communem illam doctrinam Nauarri ita explicandam esse existimo, vt quoties peccata non reseruantur ratione censuræ facultas absoluendi à peccatis reseruatis non extendatur ad censuras reseruatas, nisi censura impediat absolutionem peccati, priusque tolli debeat, quàm absoluatur peccatum, tunc enim, ne inutilis sit concessio potestatis absoluendi à peccatis reseruatis ad censuras etiam reseruatas porrigetur, vti contingit in excommunicatione reseruata, si tamen contingeret aliquo casu impensam fuisse absolutionem à peccato illo reseruato, non posset posteà absolui à censura reseruata adhuc durante ab eo, qui habet tantùm potestatem absoluendi à peccatis reseruatis si non essent reseruata ratione censuræ.

CONSECTARIVM VIII.

An nominatim Excommunicatus & denuntiatus absolui possit per concessionem absoluendi à censuris reseruatis Pontifici?

22 ℞. posse cum Vgolin.tab. 1.cap. 10. §.4. n. 4. Sayr. lib. 2. cap.10. n. 19. & aliis ab ipso relatis, quia in ea facultate absoluendi à Censuris omnibus in iubilæis, & aliis eiusmodi bullis aut priuilegiis nihil planè est, vnde colligatur nominatim denuntiatos excludi ab eo beneficio; deinde quia frustra daretur facultas absoluendi à peccatis, propter quæ fuit inflicta excommunicatio, nisi & illa prius tolli posset, vti dicebamus in superiori consectario, atque ita non obtineretur finis, quem sibi præfigit Pontifex, dum eam absoluendi facultatem præcipuo quodam fauore concedit in iubilæis nimirum vt in gratia contumaciæ peccata lapsi & censuris innodati, iubilæi indulgentiam lucrari possint, nisi enim à peccatis absoluantur, id non obtinebunt, non potest autem impendi peccatorum absolutio perseuerante Excommunicatione, quod autem fuerit denuntiata nihil prorsus obstat cum ex ea denunciatione censura non magis liget, vt alibi monuimus, & hæc absolutio valeat tantùm in foro interno, non in externo ad quod spectat denuntiatio, vti fuit explicatum q. 2.

CONSECTARIVM IX.

An Iudex, à cuius sententia fuit appellatum possit nihilominùs absoluere à Censura quam tulit?

23 ℞. Appellationem quamuis legitimam non priuare iudicem, à quo ad superiorem fuit prouocatum potestate reuocandi grauamen, quod sua sententia posuerat, vti definitur cap. si à iudice de Appellationib. in 6. estque manifesta ratio, cum enim non prouocetur ad superius tribunal nisi vt iniqua sententia ab inferiore iudice lata cassetur, & onus ab ipso impositum excutiatur, nulli facit iniuriam ille iudex, si ipsemet quod imposuit, tollat, quare quod dicitur in cap. cum Appellationib. in 6. iudicem Appellationi deferentem abdicare se omni iurisdictione, ita intelligendum est, vt semper retineat potestatem reuocandi grauamen à se positum, immò sæpè vt dicitur cap. si à iudice, remittitur Reus ad ipsum, vt intra terminum præfixum grauamen reuocet: quæ omnia veriora sunt in grauamine per Censuram inflicto, quod proinde tollere poterit per absolutionem, quamuis enim Appellatio deuoluat controuersiam ad superiorem, circa quam iudex, à quo fuit appellatum, nihil innouare potest in damnum excommunicati, quæ in eius tamen fauorem faciunt & iuuant ad impetrandum, quod quærit à iudice superiore sua appellatione non prohibentur, vt patet. Et sane cap. ad reprimendam de officio ordinarij superior, qui excommunicationem ab inferiore latam, validam & iustam fuisse cognouit, iubetur remittere Reum appellantem ad suum iudicem ordinarium, vt ab illo absoluatur, nisi fortassis periculum sit in mora; vnde videas iudicem, à quo fuerat appellatum, adhuc retinuisse iurisdictionem sufficientem ad absoluendum à se excommunicatum, neque illam per appellationē amittere. Quæ ratio valet non modo in iudice ordinario, sed etiam in delegato, qui etiam post appellationem ab excommunicatione à se lata poterit absoluere contrà quàm docuerit Panorm. in cap. Quæstioni. de appellationib. n. 7. cui, vt ipsemet testatur cæteri DD. repugnant, & deinceps docuere recentiores. Suar. disp. 7. s. 2. n. 32. Bonac. disp. 1. q. 3. p. 1. n. 9. Alteri. lib. 4. disp. 2. cap. 5. dub. 4. & alij.

CONSECTARIVM X.

Quis possit absoluere ad Cautelam?

℞. imprimis concessa alicui facultate absoluendi à Censuris non intelligi concessam fuisse facultatem absoluendi ad cautelam. Ita glossa in cap. Capitulum de Rescriptis, ℣. relaxetis. & ibid. Panorm. n. 8. atque DD. communiter in cap. solet. de sentent. Excomm. in 6. Ratio est perspicua, quia hæc absolutio extraordinaria & contra iuris dispositionem inducta fuit, vti monuimus q. 2. & ideò nomine absolutionis simpliciter acceptæ non significatur. 14

℞. 2. quando non dubitatur de nullitate Censuræ iuris, eum omnem, qui potest absoluere à Censuris iuris posse etiam hoc modo absoluere. ita Sayr. lib. 2. cap. 17. n. 14. vnde ait quemlibet ordinarium Confessarium ita absoluere posse, & sanè absolutio, quæ præmitti solet absolutioni peccatorum, eiusmodi est, vti monuimus; & graue profectò onus foret, si pœnitens, qui dubitat, an inciderit in Censuram aliquam iuris, ratione illius dubij ad alium Confessarium remittendus esset, cùm tamen si absque dubio incurrisset eandem Censuram, ab illa liberaretur à suo confessario.

℞. 3. Ab excommunicatione aliaue Censura ab homine lata absoluere posse ad cautelam tum ipsummet Excommunicatorem, tum eius superiorem, ad quem fuerit appellatum, non tamen inferiorem quamuis ordinarium. Ita Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 12. n. 8. Et de ipsomet excommunicatore concedunt omnes, neque vlla ratio dubitandi apparet; de superiore verò ad quem delata fuerit controuersia per appellationem definit Pontifex in cap. solet. de sentent. excomm. in 6. Est tamen quæstio, an id intelligendum sit de superiore tātùm ordinario, an etiam de delegato nisi fortassis specialem ad id facultatem acceperit à Principe delegante: vtrique enim tribuit Nau. cap. 27. num. 278. secutus Panorm. in cap. præsentiam. de officio delegati. n. 3. & alios quosdam Canonistas quia iudicibus delegatis vnà cum principali committitur accessorium; alij verò soli ordinario id concedunt cum glossa in cap. solet citatum. ℣. superiorem, nisi fortassis ad effectum ferendi testimonium, atque hanc opinionem receptiorem esse dixit Couarr. Qui tamen ibidem distinguit inter iudices delegatos in curia, & extra curiam, quia enim in curia facilis est aditus ad principem, commissiones factas delegatis strictius interpretari solemus, idcircò in curia non datur absolutio ad cautelam sine speciali commissione, vnde curia post absolutionem concessam dat tantum litteras significatorias, quod sit absolutus, non præceptorias, quibus præcipiat haberi pro absoluto. Extra curiam verò passim datur absolutio

ſolutio ad cautelam abſque ſpeciali commiſſione, quod etiam dixit Felin. in cap. Apoſtolicæ. de exceptionib. n. 19. & ex Rotæ deciſionibus probant Couarr. Riciul lib. 4. cap. 67. n. 24. & Sayr. lib. 2. cap. 17. num. 15. quod autem dixi ordinarium inferiorem eo, qui excommunicauit, non poſſe abſoluere à Cenſura ad cautelam, tradunt Couarr. & Ricciul. locis citatis, exemplum eſt in Canonico Collegiatæ excommunicato, qui tamen interfuit electioni, cuius confirmationem petit à Capitulo Cathedralis, aut Archidiacono, aliove prælato inferiore, ſi enim obiiciatur ipſi excommunicatio, ipſeque eius nullitatem excipiat, ab eaque abſolui petat ad cautelam; ab eo prælato, à quo petit confirmationem remittendus erit ad ſuperiorem; cuius Ratio euidens eſt, quia ille Archidiaconus aliuſue prælatus inferior, à quo petitur confirmatio electionis factæ, eſt quidem ordinarius in cauſa confirmationis, non tamen eſt ordinarius ſimpliciter excommunicati aut excommunicantis, quarè nullam in ipſos iuriſdictionem habet, præterquam in cauſa confirmationis.

CONSECTARIVM XI.

Quis poßit abſoluere ad Reincidentiam?

25 ℞. Cùm abſolutio ad Reincidentiam propter non impletam conditionem ab abſoluente imperatam, non ſit ſimpliciter abſolutio, ſed ſimul contineat præceptum cum interminatione pœnæ, nouæ nimirum Cenſuræ niſi pareatur, vti fuit expoſitum q. 2. quo loco requirebamus nouam culpam, quod communiter quoque docent Canoniſtæ relati à Ricciul. lib. 4. de iure. cap. 66. n. 14. Ille ſolus poterit hanc impertiri abſolutionem, qui poterit impetrare Reo eam conditionem, aut ſi à iure ſit iam impoſita, qui eius violationem cenſura ſimili plectere poterit, cuiuſmodi eſt ipſemet excommunicator, aut eius ſuperior, vel delegatus, cum poteſtate quoque excommunicandi, aut per priuilegium, in quo fiat expreſſa mentio huius abſolutionis, neque quidquam intereſt, an Cenſura fuerit lata à iure, aut ab homine, vt quis abſoluere queat ad reincidentiam cum noua Cenſura & pœna in ea abſolutione infligatur, niſi ipſamet reincidentia iniuncta eſſet à iure, & annexa abſolutioni, quam in tali caſu impendi permittit ab aliquo, vt cùm qui abſoluitur ab inferiori propter neceſſitatem v. gr. in articulo mortis, & manet onus ſiſtendi ſe ſuperiori ſub pœna reincidentiæ ſiue illa exprimatur ab abſoluente, ſiue non, tunc enim ſicut iſte ex quodam priuilegio & delegatione iuris abſoluit, ita & intelligitur imponere pœnam reincidentiæ, niſi opus quod imperatur à iure fiat, aut potius ille tantùm abſoluit, pœna verò nouæ Cenſuræ infligitur à iure, à quo etiam quidpiam Reo ſic abſoluto fieri mandatur.

Quando verò abſolutio iſta ad reincidentiam fit ſine vllo imperato opere ad tempus aliquod determinatum, quo elapſo ſententia prior, quæ interea ſuſpenſa fuerat, denuò Cenſuram operatur, videbitur fortaſſis alicui ea abſolutio impendi poſſe ab eo omni, qui poteſt ſimpliciter abſoluere, cùm non requiratur poteſtas denuò excommunicandi. Verùm cùm tunc ſit ſuſpendenda ſententia potius, quàm tollenda Cenſura per propriam abſolutionem, eademque ſententia denuò ſuos omnes effectus habitura ſit, non exiſtimo niſi illum, qui eiuſmodi Cenſuram & ſententiam tulit, aut qui eius ſuperior vel delegatus eſt, id præſtare poſſe, quæ omnia ex hac & ſuperiori quæſtione neceſſario ſequuntur, quamuis alij aliter ſentiant; quia aliter de natura huius abſolutionis opinantur, quam nos ſtatuerimus q. 2.

CONSECTARIVM XII.

An Excommunicatus ab vno Prælato poßit ab alio conſentiente parte abſolui vel ſimpliciter, vel ad reincidentiam?

℞. Non poſſe, quia conſenſus partis non tribuit iuriſdictionem abſoluenti, ſi aliunde eam non habeat, vt manifeſtum eſt, atqui diximus propoſitione 2. vnum Prælatum non habere iuriſdictionem in eum, qui ab alio Prælato non inferiore, aut prædeceſſore fuit excommunicatus, ergo non accipiet illam à parte, ad cuius inſtantiam fuerat lata excommunicatio, eſtque conſtans omnium aſſertio in cap. de cauſis. De officio delegati, partes non poſſe ſupplere, quæ ex iuris præſcripto ſunt neceſſaria; conſenſum item partium non facere, vt quis reincidat in cenſuram, à qua fuerat abſolutus ſuperius monuimus. Vide Alten. lib. 4. diſp. 2. cap. 5. dub. 3. 26

CONSECTARIVM. XIII.

Quis poßit abſoluere ab Excommunicatione per violationem monitorij contracta?

℞. Hanc Excommunicationem ferri per ſententiã generalem pro futuris culpis, vt conſtat ex iis, quæ diſq. 2 qu... diximus de natura monitorij; in noſtra verò propoſitione 2. huiuſce quæſtionis, hanc Cenſuram per ſentẽtiam generalem pro culpis futuris comparauimus cum Cenſuris iuris & Canonis, vel igitur Excommunicatio, quam comminatur monitorium eſt reſeruata, vel non eſt reſeruata; ſi primum, quod eſt frequentiſſimum, ſolus ille qui monitorium, aut eius ſuperior, aut ſucceſſor, aut delegatus poterit ab illa abſoluere, quod ex vtraque noſtra propoſitione conſtat, quia porrò Epiſcopus executor Pontificij monitorij non agit tãtùm vices præconis declarando duntaxat Pontificis voluntatem, & legem, ſed reuerà ipſemet fert illud monitorium, quamuis authoritate tantùm ſibi delegata à Pontifice, cuius vices ſuſtinet, ita eadem authoritate poterit abſoluere ab excommunicatione propter illud contracta, atque ita interpretor DD. quos eam in rem congeſſit Barboſa. allegat. 96. de poteſtate Epiſcopi. n. 42. 27

Si autem Excommunicatio iſta reſeruata minimè fuerit poterit relaxari ab eo omni, qui poteſt Cenſuras iuris ſoluere cuiuſmodi eſſe diximus eum omnem qui poteſt abſoluere à peccatis mortalibus.

CONSECTARIVM XIV.

Quis poßit abſoluere ab Excommunicatione minori?

℞. Quoad forum internum omnem Confeſſarium id poſſe, qui proprij Epiſcopi aut Sacerdotis perſonam ſuſtinet, illis enim eſt permiſſa abſolutio ab omnibus cenſuris iuris non reſeruatis ex cap. Nuper. de ſentent. Excommu. atqui excommunicatio minor non niſi à iure lata eſt 28

rr

vt alias explicauimus; quarè nihil attinet in hanc rem laud.re DD. qui nemine excepto consentiunt. Atque hæc absolutio valida etiam est in foro externo, sicut & absolutio à cæteris Censuris canonis non reseruatis ab ijs, quibus eam permittit c. Nuper impensa, in eodem quoque foro externo quilibet Iudex Ordinarius Ecclesiasticus eandem excommunicationem re laxabit.

An verò etiam quilibet sacerdos, qui potest à venialibus absoluere, possit quoque à minori excommunicatione propter culpam venialem contracta absoluere, dissensio aliqua est, id enim affirmant Nau. cap. 27. num. 39. & in cap. placuit. de pœnit. dist. 6. num. 25. & Tolet. lib. 1. cap. 17. sub fin. neque improbabile existimat Bonac. disp. 2. q. 3. num. 15. In praxi quoque tutam esse eam sententiam existimat Villalob. tom. 1. tract. 17. diffi. vltima num. vltimo. quia cùm quilibet sacerdos possit absoluere à venialibus, potest quoque absoluere à censura, quæ illam absolutionem impedit. Contrarium tamen asserunt communiter DD. Henriq. lib. 13. cap. 28. Sylu. ℣. Excommunicatio. 1. num. 3. & 5. & eod. ℣. 4. num. 2. casu. 9. Petrus de Ledesma. tract. de Censuris. c. 8. dub. 10. Couarr. in cap. Alma mater 1. p. §. 12. numer. 6. Caietan. ℣. Excommunicatio minor. Auila. 2. P. cap. 7. disp. 1. dub. 1. Vasq; dub. 25. Excommunic. n. 2. Vgolin. tab. 3. cap. 4. §. 5. n. 2. Suar. disp. 7. s. 4. num. 57. Layman. lib. 1. tract. 5. 2. p. cap. 3. num. 6. & alij passim. Ratio est, quia Iurisdictio absoluēdi à peccatis non est per se & necessariò coniuncta cum Iurisdictione absoluendi à Censuris, quamuis fiat, vt quis impediatur ab vsu potestatis, quam habet absoluendi à peccatis, quia nequit absoluere à censuris, quæ tamen sacramentalem absolutionem illicitam aut inualidam faciunt, quamdiu non tolluntur; vnde benè inferebamus superiùs, quoties Ecclesia alicuius peccati absolutionem alicui permittit peculiari quodam priuilegio, etiam facere facultatem absoluendi à Censura illi annexa, alioquin quamdiu perstabit Censura, à qua ipse nequit absoluere, peccatum manebit illi reseruatum per accidens ratione coniunctæ Censuræ, quarè nisi Ecclesia in cap. nuper. de sentent. Excommunic. permisisset proprio Episcopo & proprio sacerdoti, quo nomine intelleximus omnem Confessarium publicè expositum, vt loquuntur, absoluere à Censuris Iuris non reseruatis, etiamsi haberent Iurisdictionem sufficientem ad relaxanda peccata mortalia ipsis non reseruata, non potuissent tamen ab illis absoluere, vbi habuissent annexam aliquam censuram Canonis, à qua isti non potuissent absoluere. quarè illa eorum Iurisdictio in peccata, per accidens impediretur, non esset tamen inutilis, quia sublata Censura ab alio quopiam ipsi deinde vi suæ potestatis laxarent illa peccata. Eadem omnino ratio est de peccatis venialibus, à quibus licet possint absoluere quilibet sacerdotes, non propterea autem à Censura minoris excommunicationis propter illa contracta, cùm hæ duæ potestates diuersæ sint, & nullibi concedatur ista absolutio à minori Excommunicatione cuilibet sacerdoti, nisi fortassis consuetudo, de qua tamen non constat, id ferat, maximè cum absque absolutione sacramentali possint remitti venialia; atque ita non fuerit necesse coniungere potestatem remittendi hæc peccata cum potestate absoluendi ab excommunicatione minori, cùm etiamsi peccata mortalia debeant necessariò subijci clauibus in sacramento pœnitentiæ, tamen potestas absoluendi ab ipsis non sit ex natura rei coniuncta cum Iurisdictione absoluendi à Censuris, vt ex hactenus disputatis manifestò constat.

CONSECTARIVM XV.

Quis possit absoluere à suspensione an Episcopus, an parochus?

Diximus aliàs suspensionem aliquando pœnam esse, aliquando censuram.

Quando igitur suspensio Censura est, egetque absolutione vti ostendimus q. 1. & fusissime disserit 29 Suar. disp. 29. s. 2. à num 6. atque ex ipso Alteri. disp. 8. de suspens. cap. 2. si reseruata non fuerit, & imponatur à Iure, relaxari poterit à proprio Episcopo ex communi DD. sensu, qui facultatem circa absolutionem excommunicationis à Iure latæ & non reseruatæ factam in cap. nuper. de sentent. Excommunic. extendunt quoque ad suspensionem cum glossa in cap. cupientes. §. cæterum. de sentent. Excommunic. in 6. ℣. suspensos. & Panorm. in cap. nuper citatum, atque alibi & sane ratio quam affert suæ concessionis eo loco Pontifex omnibus censuris communis est.

Hanc facultatem negant ijdem DD. proprijs parochis, quamuis circa excommunicationē illis tribuat Pontifex illo c. Nuper vti euicimus proposit. 1. atq; ita censent Nau. 1. c. 27. n. 162. Antonin. 3. p. tit. 28. cap. 4. Henriq. lib. 13. cap. 35. n. 2. Auila. par. 3. disp. 6. dub. 1. con. 2. Layman. lib. 1. tract. 5. pa. 3. cap. 4. num. 3 Reginald. lib. 32. tract. 2. n. 46. Hurtad. tract. de suspens. diffic. 12. Alteri. disp. 8. de suspens. cap. 3. concl. 5. in 2. parte. Tolet. lib. 5. cap. 46. num. 3. vbi solius Episcopi meminit; sicut & Sayr. lib. 4. cap. 17. num. 12. rationem reddunt, quia Excommunicatio priuat receptione sacramentorum & impedit absolutionem peccatorum non verò suspensio, vnde fit, vt ijs, quibus ordinaria confertur potestas absoluendi à peccatis, indulta etiam fuerit potestas absoluendi ab excommunicatione non reseruata, & à Iure lata, vnde nulla sequitur Iudiciorum perturbatio, vti contingeret, si liceret ab excommunicatione hominis passim absoluere, quæ ratio cùm non vrgeat in suspensione, nihil necesse fuit eius absolutionem ita passim cuilibet ordinario confessario & parocho concedi.

Hæc nihilominus sententia difficilis mihi videtur, nam imprimis si Ius ipsum consulamus, nullibi datur vniuersalis illa potestas Episcopis absoluendi suos subditos à suspensionibus Iuris 30 non reseruatis; nam affertur dumtaxat cap. Nuper sæpius citatum, atqui ibi non agitur nisi de excommunicatione, à qua non est necessaria illatio ad suspensionem, vti aduertit Suar. disp. 29. s. 1. n. 3. propter communem illam rationem aduersariorum petitam à maiori necessitate absolutionis ab excommunicatione, quæ impedit sacramentorum receptionem priuatq; omnibus rebus sacris, atque adeò salutem maiori periculo exponit, quam suspensio.

Quod autem affertur ex c. Ex litteris. de Constitutionib. quàm à nostro negotio alienum est, ibi enim Magister quidam Parisiensis, qui quod aliquid contra vniuersitatis decreta fecisset cæterorum communione priuatus fuerat, iubetur iam ad meliorem frugem reuersus, & deposita contumacia recipi,

recipi, cùm ea priuatio perpetua non fuerit neque in Ecclefia Romana foleat poft emendationem durare. Vnde quid colligatur ad probandum fufpenfionis Cenfuram pofitam à iure, & non referuatam planè non video Neque plus habent momeoti alia quædam capitula, quæ afferri folent vt videas quàm fæpe boni Canoniftæ abutantur otio Lectoris, & tabulas, quas fæpè ex aliena fide proferunt, confulendas effe fcias.

Exiftimo 2. fi licentia facta inferioribus Prælatis circa abfolutionem excommunicationis à Canone & non referuatæ extendenda fit ad cenfuram fufpenfionis, nihil omninò effe, quod illam ad Solos Epifcopos reftringat, & excludat proprium Sacerdoté,& quidem in ipfo textu capitis,tantum habemus proprium Epifcopum & proprium Sacerdotem abfoluere poffe ab excõmunicatione Canonis, quia conditor Canonis id permittit eo ipfo, quod fibi non referuauit,quod fi hanc rationem DD. accommodant alijs cenfuris,fateantur oportet vi huius Regulæ illas nõ tantùm à proprijs Epifcopis fed etiã à proprijs Sacerdotibus in eo cafu Canonis laxari poffe,quia de vtrifque manifeftò&expreffis verbis agit Pontifex c.nuper. Ratio verò,quam affignãt propter quam tribuatur parrochis abfolutio excommunicationis& non fufpenfionis,quod fufpenfio non impediat Sacramẽtorum fufceptionem,non aliud probat,quam non effe extendendam facultatem capitis Nuper, ad fufpenfionis abfolutionem, non autem ad folos Epifcopos, exclufis parrochis ipfam pertinere, & quamuis ea ratio fortaffis oftenderet minori incommodo cogi Reum petere abfolutionem fufpenfionis ab Epifcopo, quàm excommunicationis; inde tamen non fit, vt Epifcopus poffit ab illa, quando à fuperiore lata eft, abfoluere, nifi aliquo iure ipfi concedatur poteftas in eam rem, quod nullibi fit, quam in cap. Nuper. ex quadam ampliatione, & ex fimilitudine cenfurarum, propter quam dicta de excommunicatione aliis accommodãtur,atqui præter quàm quod tota illa collectio admodum infirma eft,vt oftendi;in illo textu, tam comprehenditur Parrochus,quam Epifcopus, vti iam monui, & noftra 1. propofitione euicimus;ergo vel nullam habet poteftatem Epifcopus circa fufpenfiones latas à iure etiam non referuatas vel eandem habet parrochus.

Deinde falsò dicitur DD. negare eam iurifdictionem parrocho,& coocedere Epifcopo, nã Panorm. in cap. tam. litteris. de Conftitutionib. n. 3. & in cap. 2. de folutionib. n. 5. & Felin. in illud cap. tam litteris apertiffimè dicunt Prælatum inferiorem à fufpenfione Canonis lata propter contumaciam, fic enim eam appellaot,quæ eft propria Cenfura, quæ enim fertur propter delictum præteritum, fed & commiffum eft pœna modò non referuetur à conditore Canonis abfoluere poffe, neque vlla ratione diftinguunt inter Epifcopum & Parrochum, quos ne nominant quidem contenti voce inferioris conditore Canonis, quæ vox æque parrochum atque Epifcopum comprehendit,deinde fi hi DD. affererent, quod volunt aduerfarij mirum id profectò non effet,cùm iidem etiam negent parrochum abfoluere poffe ab excommunicatione canonis non referuata contra manifeftiffima verba capitis Nuper,quod id permitit proprio Sacerdoti. Quarè qui è veteribus Canoniftis nobis obijciuntur hoc loco, confequenter loquuti funt, & quia negauerant parrocho abfolutionem Excommunicationis, vti retulimus propofit. 1. eandem quoque circa fufpenfionem negarunt, fed fi iurifdictionem ex Indulgentia Pontificis circa excommunicationes iuris non referuatas agnouiffent in parrocho eandem quoad fufpenfiones faterentur.

Quarè tandem aio, Epifcopos non ex claro aliquo iure, fed ex confuetudine, quam communis 11
DD. fenfus teftatur, abfoluere poffe à fupenfionibus iuris non referuatis.

Quod ipfum de parrochis affirmo, nifi contraria alicubi confuetudo obftet, quia cum confuetudo & communior fenfus DD. conceffionem capitis nuper ad fufpenfionem trahat, æque ad Parrochum, quam ad Epifcopum pertinet vti oftendi; neque poteft probari confuetudinem ad folum Epifcopum reftrinxiffe hanc veniam, illa enim nobis non conftat, nifi ex DD. teftimonio, ipfi verò aut non negant de Parrocho, aut fi negant de Excommunicationis abfolutione negant. Quare Suar. difp. 29. f. 2. fub fin. dixit tantum ordinarium poffe abfoluere à fufpenfione iuris non referuata, & Fillic. tract. 17. n. 70. atque Viuald. in candelab. de fufpenfione num. 31. de quolibet ordinario idem affirmant.

Addo nihilominùs cum eodem Viualdo Epifcopos paffim folitos effe fibi referuare omnes fufpenfiones iuris, vti reuerà poffunt, & tunc inualidè ab illis abfoluerent Parrochi, qui cottidianus vfus fortaffis caufa fuit, propter quam DD. dixerunt Parrochos non poffe abfoluere à fufpenfione, qui tamen minimè accipiunt iurifdictionem ab Epifcopo, poterunt eas fufpenfiones tollere, cuiufmodi funt Regulares omnium confeffionibus audiendis expofiti. His omnibus fauent Kon. & alij, qui difputantes de abfolutione fufpenfionis dicunt eandem illius & excommunicationis rationem effe.

Quando autem fufpenfionis cenfura referuatur 12
& fertur ab homine per fpecialem fententiam non poteft nifi vel à ferente illam, vel eius fuperiore fucceffore aut deleegato laxari, vti diximus de omnibus cenfuris in vniuerfum propofit. 1. & 2. fupereft fufpenfio, quæ eft mera pœna, quia fertur propter delictum iam commiffum, fiue ad certum tantum tempus imponatur, fiue perpetua fit, fiue feratur à iure, fiue à iudice pro arbitrio puniente delictum, fiue ex præfcripto legis, quæ tali delicto talem pœnam infligi iubet.

Dicendum porrò eft, nullam fufpenfionem, quæ 13
pœna tantùm fit, laxari poffe ab alio, quàm ab eo, qui eam vel tulit, vel ferendam præfcripfit, aut ab eius fuperiore fucceffore, aut delegato, neque enim ifti diuerfi cenfentur à ferente, & quidem de pœna fufpenfionis ab homine nulla exiftit difficultas, cùm ab illo folo, qui eam tulit, eiufque fuperiore tolli poffe omnes omninò confentiant in cap. tam litteris. de teftibus, atque Summiftæ. ℣. fufpenfio, & ex his quæ de cenfura lata ab homine diximus, confirmatur, immò quamuis, fuperior, vt dixi, poffit eam pœnam relaxare, id tamen inconfulto inferiore, qui eam tulit, facere non debet, fed Reum apud fe conquerentem dimittere ad fuum iudicem, vt habetur in cap. Cùm ab Ecclefiarum. De Officio ordinar. vbi confule gloffam. ℣. non relaxes; aliquando tamen fufpenfus ab homine ne quidem ab illo, qui fufpendit, abfolui poteft, nimirum quando quis fufpenfus fuit ab officio propter adminiftrata facramenta hæretico, aut eius cadauer fepulturæ Ecclefiafticæ man-

datum

Sequitur 3. Totam difficultatem quoad relaxationem suspensionis in eo versari, vt dignoscamus, an ea pœna sit, an censura, & quidem quando in punitionem & vindictam delicti commissi duntaxat fertur, pœna est, quando autem ad frangendam Rei contumaciam, cuius emendatio quæritur, censura est; quoties etiam vel perpetua esse dicitur, aut certi alicuius temporis pœna etiam est, quia censura nullam aliam habet durationem, quam emendationem Rei, quæ omnia disq. 1. discussa
37 sunt.

Sed quæstio grauis est circa suspensionem, quæ pro delicto præterito indefinitè & absolutè fertur nulla apposita nota perpetuitatis, aut temporis determinati, an ea pœna censenda sit, an censura; pœnam enim esse contendit Panorm. & Felin. locis citat. vnde dicunt non posse per Episcopum tolli; alij verò censent esse censuram, quatenus volunt esse remissibilem ab Episcopo nisi reseruetur. Ita Innoc. relatus à Panorm. glossa. in cap. non solum. de Regularib. in 6. ℣. suspensos, & in Clem. 1. de Hæreticis ℣. Excommunicationis, & communem esse fatetur Panorm. quam sequitur Couar. in 4. decretalium. 2. p. cap. 6. initio. n. 15. Suar. Laym. Alteri. & recentiores plures.

Quibus mihi adhærendum esse censeo imprimis, quia priuatio communionis indefinitè lata tollenda esse dicitur recedente contumacia c. ex litteris. de Constitutionib. vbi quædam obseruãda sunt 1. eam pœnam non fuisse excommunicationem, sed priuationem Iurium, quæ magistris Parisiensis vniuersitatis competebant, quæ erat, vt vides, quædam suspensio; deinde eam pœnam fuisse impositam propter delictum commissum & violatas vniuersitatis leges, & nullum tempus fuisse ipsi appositum, sed indefinitè inflictam fuisse, & tamen Pontifex vult recedente contumacia illam relaxari ex consueto more, significat igitur pœnam indefinitè positam restringendam esse ad tempus quo durat contumacia, quia tunc coniectura non leuis est, eam ita pro delicto inflictam fuisse, vt aliquam satisfactionem voluerit, & saltem cum dubitari possit, an tunc ea pœna pro delicto, an pro contumacia fuerit, satius erit interpretari benignius, atque de pœna remissibili recedente contumacia, quod fatetur ipsemet Panorm. in cap. Ex litteris. de Constitution. n. 10.

2. quia certum est sæpius in iure pœnas in vindictam delicti commissi ita decerni, vt simul futuram satisfactionem exigant, nam c. si quis Episcopus. 11. q. 3. fertur imprimis suspensio indefinitè; deinde additur ita suspensos, si sacris se ministerijs ingerant, ne in alia quidem Synodo restituendos esse suo gradui, neque amplius habere locum satisfactionis, prior igitur illa suspensio, quamuis indefinitè lata erat remissibilis exhibita satisfactione, quæ conditio perpetuò subintelligitur.

3. suspensio lata pro delicto præterito aliquando expressè reseruatur sedi Apostolicæ. cap. cum quidam, cap. litteras, & cap. dilectus de tempore ordinatio, & cap. tam litteris. de testibus, quæ reseruatio superflua esset, si talis suspensio ex sua natura esset reseruata, vti reuerà esset, si pœna & non Censura foret. Quoties igitur indefinitè fertur aliqua suspensio neque perpetua dicitur, aut temporalis, etiamsi videatur esse tantùm pœna & in vindictam delicti commissi inflicta, quia tamen eo ipso, quod eius duratio non præscribitur, significatur illam admetiendam esse satisfactioni ad quam obtinendam ea fertur, censuræ naturam induit, ac proinde si à Iure lata fuerit, & non reseruatur; absolui poterit à quolibet ordinario, vti diximus.

Sequitur 4. Quàm verè dixerit Innocent. in 38
cap. 2. de solutionib. allegatus ibidem à Panorm. & alij plures: quos collegit Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 52. suspensionem certi termini non posse tolli ab Episcopo, eo quod egeat dispensatione; at verò omnem aliam tolli posse, etiamsi perpetua sit, quia existimarunt priorem illam esse solã punitionem criminis admissi; hanc verò esse Censuram, & absolutione, quam dare potest Episcopus, tollendam esse, quod nos quoque fatemur, quando est indefinita, non verò quando est positiuè perpetua, quia tunc eius duratio non debet peti ex satisfactione Rei, sed siue ipsum pœniteat, siue nõ, siue satisfecerit parti læsæ, siue non, manet obnoxius pœnæ inflictæ, & irremissibili; quarè vt reuocetur, dispensatione opus fuerit, quam dare non potest inferior in lege superioris.

Sequitur 5. Quando lex præcipit aliquod crimen puniri suspensione, si indefinitè loquatur, poterit Iudex eius tempus determinare atque illud deinde minuere, si vel indefinitè ipse quoque pœnam illam tulisset, aut etiamsi certum terminum designasset, non enim tunc in lege superioris quæ illi totam hanc durationis pœnæ definitionem liberam relinquit, sed in propria sententia dispensabit. At verò vbi Ius præscribit aliquam durationem suspensioni, illam omninò imponere cogitur Iudex, vt iam iterum monui. 39

CONSECTARIVM XVI.

A quo possit tolli Depositio & Degradatio?

Hanc quæstionem explicuimus disq. 7. q. 13. 40
consi. 6. diximusq; à solo Pontifice laxandã esse hanc pœnam, si fuerit aut degradatio, aut depositio ordinata ad degradationem: si verò fuerit depositio absoluta, quæ est veluti quædã perpetua suspẽsio, posse etiã ab Episcopo relaxari, quoties ob minora quædã crimina in quibus dispensare potest Episcopus, lata fuerit, in cæteris autem non magis ab Episcopo extingui poterit, quam perpetua suspensio, eo quod vtraq; pœna sit, & dispensatione indigeat; quarè quæ Consectario proximo dicta sunt, ad depositionem trahenda sunt.

CONSECTARIVM XVII.

Quis absoluere ab interdicto possit an Episcopus, an parrochus?

Reuocanda est hoc etiam loco distinctio inter- 41
dicti, quod mera pœna est, aut quod habet rationem Censuræ, & quod ab homine, vel à Iure latum est. Nam Interdictum ab homine per specialem sententiam inflictum siue reseruatum fuerit, siue non reseruatum, siue pœna, siue Censura sit, nemo præter eum, qui illud tulit, aut eius superiorem, successorem, vel delegatum relaxare potest, vti in vniuersum statuimus 2. proposit. nulla enim ratio peculiaris occurrit, quæ Interdictum excipiat ab illa generali Regula.

Quod verò spectat ad interdictum à Iure, aut per generalem hominis sententiam positum, hæc enim omnia æquiparantur, vt sæpius monui; quoties fertur in pœnam delicti commissi semper habet

habet determinatum terminum, quo elapsu finitur, sed antea nequit relaxari, nisi à conditore illius iuris, superiore aut delegato, quia tunc qui tulit, vult omnino illud vsque ad tempus præfixum durare, quare tolli nequit nisi ab eo, qui in ea lege aut præcepto dispensare poterit, id autem minimè potest inferior, neque opus est vlla ad hoc reseruatione, quæ eadem ratio demonstrat, neque interdictum perpetuum, si sit pœna duntaxat, quamuis nullum in iure tale reperiatur, quod non habeat præfixum suæ durationi terminum, vt obseruauit Suar. disput. 38.s.2. si tamen tale aliquod daretur, quia ferretur tantùm in vindictam delicti commissi, quod nullum habet tractum successiuum & nulla esset adiecta conditio, quæ in futurum pendeat, quod vix in hac pœna fieri posse existimat ibid. Suar. non tolleretur nisi ab eo, qui in lege illud ferente posset dispensare, ac proinde nihil posset Episcopus, nisi in iis casibus in quibus super crimine, pro quo latum esset tale interdictum, dispensare posset, vt in adulterio, & aliis criminibus non enormibus, vti diximus consect.15. Neque aliud volunt, si qui videantur concedere Episcopo relaxationem huius interdicti, vbi reseruatum minimè fuerit.

Iam verò interdicta, quæ Censuræ sunt à iure impositæ, vel localia vel personalia, eaque generalia, aut particularia existunt; & quidem interdicta localia siue generalia, siue particularia sint ab Episcopo proprio tolli possunt modò non sint reseruata; quia cap. nuper. de sentent. Excommunic. etiam interprete glossa valet in reliquis censuris. Itáque censent Auila 5.p. disp.6. dub.5. con.8. Suar. disp. 38.s.2. & alij passim cótra Henriq. lib.13.c.51.n.3.

Parrochus nihilominus nequit vllum locale interdictum tollere, quia caret omni iurisdictione pro foro externo, & habet tantum pro foro interno, cuius incapax est locus.

Interdictum personale generale non reseruatum & à iure positum potest ab Episcopo laxari, non à parrocho. de Episcopo patet ex cap. Nuper. & de parrocho æquè certum est, cùm in tam communitatem interdictam nulla polleat Iurisdictione, cum illa vt sic non sit capax pœnitentię sacramentalis, ratione cuius datur iurisdictio parrocho. Quarè neque Regulares, aut alij, qui ex priuilegio possunt absoluere ab omnibus censuris iuris pro foro conscientiæ poterunt ab vllo Interdicto locali, aut generali personali absoluere, cùm in istis absolutio in foro conscientiæ impendi non possit, vt patet, vnde quoque vlterius sequitur, neque singulas personas, quæ quatenus includuntur in ea communitate interdicta, & ipsæ interdicuntur, absolui posse à parrocho, aut alio confessario, quouis Iubilæi, aut bullæ alterius priuilegio, quia per ea priuilegia nisi aliud exprimatur, non datur iurisdictio in communitatem, quæ tamen necessaria esset, quandin enim manebit interdicta communitas, eius quoque personæ interdictæ erunt, alioquin possent singulæ personæ alicuius communitatis absolui, & tamen maneret communitas interdicta, quod absurdum & ridiculum foret, sic enim inane esset illud interdictum, vt patet.

Denique quod spectat ad interdictum personale particulare, illud ab Episcopo & parrocho alioue cófessario ordinario absolui poterit, vbi à iure non fuerit reseruatum, Ex cap. nuper, neque vlla afferri potest dissimilitudo inter excommunicationem & interdictum istud hoc loco; cum etiam illud impediat absolutionem sacramentalem, quæ erat causa propter quam dicebant DD. interdictum locale non posse tolli à parrocho, etiamsi ab eo posse excommunicatio auferri ex eod. cap. Nuper atque ita docent Suar. disp. 38. s.2. Kon. disp. 17. dub.6. con.3. Alteri disp. 51. de interd. cap.4. Bonac. d.6. p. vlt. n.6. Hurtad. tract. de interd. diffic. 14. Layman. lib.1. tract.5. pa.4. cap.5. contra Auil. dub.1. cit. con.2. & Henriq. ab illo allatum, atque Sayr. lib.5. cap.55.o.22. Neque propterea sequitur parrochum absoluere posse eum, qui causam dedit interdicto locali aut generali personali, quia illud interdictum est formaliter & simpliciter generale, aut est adiunctum locali, quamuis respectu alicuius habeat quoque efficaciam interdicti personalis particularis; quare non poterit remitti nisi ab eo, qui iurisdictionem habet in interdictum locale, aut generale personale.

Obseruandum porrò est nullum interdictum in iure esse reseruatum, quod Auila & alij aduertunt, quamuis dari aliquod possit vt videmus in interdictis latis in bulla Cœnę, vbi ea viget, sed dubium est an Censuræ in ea bulla inflictæ sint à iure, an ab homine.

Non reseruatur tamen interdictum, etiamsi illi annexa sit excommunicatio reseruata, quia cum excommunicatio & interdictum sint diuersæ censuræ, quamuis propter idem crimen ferantur, vna reseruari poterit, alia non reseruata, cùm ea in se non habeant vllam necessariam connexionem, immò ex eo quod reseruatio exprimatur in vna censura, & taceatur in alia, significatur eam minimè reseruari.

CONSECTARIVM XVIII.

An & à quo censura suspendi possit

Quæstio non est de Pontifice, quem certum est 41 id posse, cùm & alias instituere censuras, & illis vim operandi dare, aut auferre pro volútate possit, quandoquidem leges & præcepta, siue sententiæ non operantur nisi secundum intentionem ferentis, quoties qui eas fert, non obligatur lege illis vim & efficaciam præscribente, vti contingit in Pontifice, qui legibus Ecclesiasticis non ita obligatur, vt agere cótra illarú præscriptum validè non possit, vt verò vno verbo dissidentes DD. circa hanc controuersiá, quę maximè de interdictò excitatur, sententias explicé, & si patiantur, inter sese conciliem.

Obseruandum est cum Auila 5.p. disp.6. dub.4. aliud esse interdictum, aliamue censuram suspédi, aliud verò illam ad tempus absolui; nam in posteriori isto casu pro toto aliquo tempore tollitur censura; quare mirum non est, si interea nihil operetur, nullasque habeat effectus, cùm reuerà non existat etiamsi eo tempore elapso reditura sit, quæ est modus quidam absolutionis ad reincidentiam, vt monuisse me memini q.1.n.11. quando autem suspenditur interdictum aliave censura, ipsa reuerà manet, sed non habet effectum.

42. Igitur & *Dico* 1. Interdictum aliamve omnem censuram tolli posse ad aliquod tempus per veram absolutioné, ita vt toto illo tempore non maneat Reus ampliùs interdictus, suspensus aut excommunicatus, quod ostendi q.1. citata, est enim tunc tátùm absolutio ad reincidentiá, atq; ita interpretor Nauarr. c.27.n.165. dum affirmat Excómunicationem posse suspédi, loquitur enim de impropria suspensione, quę est vera absolutio ad tempus, per quod tollitur tota ista censura & excommunicatio, quæ deinde redit post terminum assignatum

vi

vi prioris sententiæ, quæ adhuc perseuerat, licet aliquamdiu fuerit suspensa, nunc tamen denuò operatur aliud siquidem est suspendi sententiam excommunicationis alteriusue Censuræ, aliud suspendi ipsammet Excommunicationem & Censuram, vti eo loco fuit explicatum; communis autem sententia, quæ Nauarrū impugnat, loquitur de suspensione propriè dicta quæ non tollit censuram, sed illam relinquit in subiecto quamuis impediat, ne quidquam tunc operetur; quarè potest illa innodatus actiones sibi alioquin vi Censuræ prohibitas licitè & validè facere, nisi quidpiam aliud obstet, quàm censura, qua manet adhuc innodatus, immò etiamsi fortassis propter prauam animi dispositionem peccet celebrando tunc actiones ordinis sacri, quia nondum recessit à peccato, propter quod fuit inflicta censura, sed obstinato animo pergit esse contumax, non tamen idcircò incurret Irregularitatem, quia non violatur per eas actiones censura, cuius efficacitas suspensa est, & quæ nihil operatur.

Dico igitur 2. Excommunicationem non posse ab vllo alio, quàm à Romano Pontifice ex plenitudine potestatis propriè suspendi suspensione mox explicata. Ita Sylu. ℣. Excommunicatio. 3. n. 6. Couarr. in cap. Alma mater. 1. p. §. 11. numer. 6. & alij communiter contra Nauarr. allatum videntq; manifestò colligi ex c. cùm desideres. de sent. excommun. vbi prohibetur ne vnquàm excōmunicatus admittatur ad aliorum communionē, & ne alij, ipseque adeò Episcopus cum ipso communicent ante absolutionem, inde enim apparet, non posse excommunicationē suspendi quoad suos effectus, quarè vel omnino auferenda est, vel si perduret in subiecto, suos omnes in illo effectus habebit, quod aduertit quoq; glossa. in c. Dilectis. de Appellationibus. ℣. suspendendum, & in c. præsenti. de sententia excommun. in 6. ℣. declaramus. Huc faciunt omnia, quibus docuimus disq. 7. q. 11. prohibitionem communicandi cum excommunicato omnes obligare ipsumque adeò ferentem, etiamsi Episcopus sit; quarè nisi tollat excommunicationem ad tempus peccabit cum excommunicato à se & nominatim denuntiato agendo, incurretq; minorē excommunicationē quod verum non esset, si posset ad aliquod tempus excommunicationem suspendere.

Dico 3. Nihil haberi in Iure, quod prohibeat, vel permittat Episcopo Interdictum aliquod siue locale, siue personale, generale aut particulare suspendere suspensione propriè dicta, de qua loquimur.

Et quidem quod attinet ad prohibitionem huius suspensionis eam nullibi in Iure reperiri circa Interdictum assero contra Auilam. dub. 4. citat. vbi existimat probabilius *Stando in puncto Iuris*, nullum Interdictum locale aut personale posse suspendi, quod iam pridem dixerat. Panormit. in c. Adhæc. quoniam. de appellationib. 5. allegans Ioan. de Lignan; quoad interdictum personale speciale, quod existimat Sylu. ℣. Interdictum. 3. n. 8. & latè Calderin. tract. de Interdicto.

Et probat imprimis Ioann. de Lignano, quia in sententijs censuræ primus actus non est separabilis à secundo, hoc est, interprete Panorm. l. c. effectus sententiæ non est separabilis ab eius substantia in Censuris, quia illæ trahunt secum exequutionem, quarè non poterit remoueri effectus Censuræ ista perstante. ℞. Communem illam Iuristarum propositionem in cap. pastoralis. §. verum de Appellationib. sententiam Censuræ secum afferre exequutionem nihil aliud velle quàm non esse opus actione vllius ministri ad mandandam exequutionem eam sententiam, cùm seipsa statim producat priuationem, quam intendit in suo subiecto, inde tamen minimè sequitur hâc exequutionē minimè pendere à volūtate Iudicis ferentis sententiam, qui possit & sententiā tollere, & eius quoq; effectum suspendere.

2. probat Panorm. l. c. & in cap. vt priuilegia. de priuilegijs, quia maior est vis appellationis in suspendenda sententiæ efficacitate, quàm ipsius Iudicis post latam sententiam, nam Iudex nequit impedire, quominus sit infamis quē ipse furti damnauit, ex l. non potest. ff. de furtis, & tamen appellatio impedier, illam infamiam, atqui appellatio ab Interdicti censura non potest illam impedire, ergo neq; sola Iudicis voluntas. Hanc ratione meritò leuem dixit Couarr. in c. Alma mater. 2. p. §. 2. n. 4. & Decio reprobatam in c. Adhæc quoniam. de appellationib. quamuis ibid. opinionem Panormit. sequi maluerit; & sanè facilis est responsio, nam quod appellatio non suspendat Censuræ sententiam, habemus ex perspicua definitione iuris, quod consentaneè harum sententiarum naturæ prohibuit eam suspensionem fieri per appellationem eo quod iam sententia sit exequutioni mandata sed nullibi prohibuit eam suspensionem fieri à Iudice eam ferente, & sanè sicut potuisset Ius definire vt interiecta appellatio exequutionem sententiæ suspenderet, neque id esset contra naturam sententiæ Censuræ, quæ secum trahit exequutionem, neque vllo alio indiget, modò non impediatur, sed si eius efficacia retardetur, aut ad tempus aliquod suspendatur nihil plane efficiet, & voluit quidem Ius hāc efficacitatem sententiæ non obtundi per appellationem, per voluntatem autem Iudicis, qui ipsam sententiam tulit eam suspensionem fieri nullibi vetuit; quarè falsò dixit Panorm. suam sententiam in subtilitate Iuris veriorē esse; quod Cōfirmatur, quia ipse Panorm. existimat Interdictū locale, atq; etiam personale generale suspendi posse; atqui quæ ipse affert contra suspensionem istam æquè pugnant cum interdicto locali & generali personali, cùm vtrumque sit vera Censura, cuius sententia secum trahit exequutionem, quarè magis cohærenter loquuntur Ioann. de Lignano & Auila, qui nullum omnino Interdictum à Iudice suspendi volunt.

II. Pars nostræ assertionis erat, nullibi etiam in Iure hanc suspensionem interdicti alteriusue censuræ Iudici permitti, quod fatetur Suar. disp. 38. §. 3. n. 5. contra communem sententiam, quæ id saltē de Interdicto locali & generali personali asserit, verùm neque omnes eius authores obstinatè asserunt id in Iure definiri, neq; vllus quidquam affert, quod persuadeat. Objiciunt 1. c. Dilectis filijs. de Appellationibus. §. quia vero. vbi Pōtifex ita approbat suspensionem Interdicti localis, vt si durante illa fuerit appellatum non possit deinde sententia ad pristinum statum reuocari; quarè glossa ibid. ℣. suspendendum, Innocent. & passim Canonistæ, atq; adeo ipse Panormit. l. c. fatentur efficaciter suspensionem Interdicti localis ex eo textu colligi. ℞. 1. ibi non esse sermonem nisi de suspensione interdicti secundum aliquem effectum, de quo non disputamus, cùm enim effectus interdicti non sint connexi necessario, neq; ex sua natura, neq; ex Iuris dispositione possunt separari à ferēre, atq; etiā postquā latum est Interdictum, poterit vnus aliquis effectus tolli ad aliquod tempus.

℞. 2. Non tā fuisse ibi propriā suspensionē de quo modò disp. quam verā Interdicti relaxationem quæ

quia erat tantùm ad tempus; quo elapso absque noua sententia rediturum erat interdictum, nominatur suspensio; vnde benè infert Pontifex interiectam appellationem impediuisse, ne deinde sententia prior quæ fuerat verè sublata, rediret, hunc enim habet effectum appellatio, neque enim tunc suspendit censuram non latam & perdurantem, sed impedit eius reuiuiscentiam.

℟. 3. Hoc interdictum fuisse latum sub aliqua conditione, quod obseruat ibidem glossa. ℣. suspendendum, suspendit enim Ecclesiam, quandocunque Episcopus esset præsens, & præter effectum illius sententiæ illam in diem protulerat idque significant illa verba, *priusquam Episcopus appellasset, sententiam tulerat, cuius effectum ad tempus duxerat suspendendum*, Ita enim tulerat interdictum, vt nollet habere effectum, nisi post aliquod certum tempus, existimabat autem subsequutam appellationem non impedire deinde effectum huius sententiæ priùs latæ ex communi iure nimirùm appellatione non suspendi censuram iam positam, sed fallebatur, quia vt ait glossa citata, cùm appellatio interposita fuerit ante diem conditionis, non debuit posteà, neque potuit ferre, nec exequi sententiam interdicti, talis enim sententia conditionata & in diem suspenditur per appellationé ante euétum conditionis, & diem, vti diximus disqu. superiori. quæst. 6. ex capite, præterea requisiti. 50. de appellationibus, & fusius ostendit Ricciul. lib. 4. de iure personarum, cap. 64. n. 25. quia Iudex in illis sententiis satis ostendit nequaquam velle se interdictum aliamue censuram à se latam habere effectum ante euentum conditionis, aut diei; quando autem euenit dies, & purificatur conditio, nequit operari, quia præcedit appellatio, neque fingi potest sententia efficaciter lata ante appellationem, quia censuræ non retrotrahuntur ex glossa in cap. cùm quis de sentent. excomm. in 6. ℣. incurrit & aliis communiter, nisi fortassis excipiatur excõmunicatio pro simonia reali & extr. 2. de simonia. Falsò igitur iste Decanus, vt eluderet appellationem obiiciebat se ante illam tulisse sententiam interdicti quamuis illam quoad effectum suspendisset ad tempus; Pontifex autem ait eum Decanum non debuisse procedere ad suam sententiam exequendam neglecta appellatione; quarè nihil inde colligent aduersarij.

Obiiciunt 2. censuras ligare ad nutum Iudicis eas ferentis, qui sicut potest eas omninò tollere, ita & suspendere poterit.

℟. Hanc obiectionem iam sæpius reiectam esse, nam licet in arbitrio Iudicis sit ferre, aut non ferre aliquam censuram, nequit tamen efficere, vt vbi semel posita est non habeat suos effectus, vt patet in excommunicatione, & quamuis tollere valeat, quas posuit, non tamen ipsis remanentibus vires adimere, nisi quatenus ipsi concedit ius.

45 Dico 4. Non negandam tamen esse facultatem Episcopis suspendendi interdicta omnia, quæ ipsi tulerunt, aut quæ à iure lata sunt; excipio enim quæ à pontifice vt homine, non vt conditore iuris posita sunt, aut ab alio Episcopo in sua Diœcesi, in quam alij non habent iurisdictionem. Dico omnia interdicta, quia non placet excipere personale particulare, vti faciunt Sylu. Calderin. Panorm. & alij, quia possunt esse graues caussæ, propter quas illud quoque suspendendum videatur, vt Couarr. Suar. & alij aduertunt.

Hanc autem sententiam probat mihi communis ferè DD. consensus & glossæ, vbi refert Couar. §. 2. cit. n. 4. vbi enim neque ius neque ratio repugnat aliquid authoritati virorum illustrium dandum videtur, immò cùm non prohibeat ius hanc suspensionem interdicti, & aliunde non ostendatur repugnare non videtur neganda Iudici illam censuram ferenti; vnde hanc opinionem Panormit. in praxi tenendam esse dixit, atque etiam Auila 5. p. disp. 5. dub. 4. eo quod consuetudo iam illam induxerit, eamque consuetudinem ex tam constanti DD. sensu colligere licet; quanquam, vt verum fatear, de suspensione impropria & vera relaxatione superius exposita tum DD. tum communem consuetudinem liceret exponere, neque quidquam afferri aut excogitari potest, quod veram & propriam suspensionem postulet, eam enim non colligunt nisi ex eo quod elapso tempore suspensionis redeat interdictum vi prioris sententiæ absque vlla noua Iudicis actione, quod totum in absolutione ad tempus fieri ostendimus, eamque ob causam nominari suspensionem impropriam.

Hinc elicies quam verè dixerit glossa in cap. Ad hæc quoniam de appellationib. ℣. interdictum, & eam sequuti communiter DD. solum Romanum pontificem permittere posse, vt in loco interdicto celebretur, non verò Episcopum; id enim Couarr. l. c. interpretatur de Episcopo respectu interdicti ab alio Episcopo lati, non verò de eo, quod ipsemet posuerit, quod ad tempus suspendere secundum suos omnes effectus, ant secundum aliquem tantùm potest. Alterius tamen disp. 11. de interdicto. cap. 5. sequutus Panormit. in cap. Ad hæc quoniam n. 4. concedit hanc celebrationem Missæ in loco interdicto ad solum Romanum Pontificem pertinere, negat tamen Episcopum non posse suspendere effectum interdicti, quia prius illud ius verat non posteriùs; sed reuerà cùm suspensio interdicti nihil aliud sit, quam permissio faciendi, quod vetabat interdictum, qui potest illud suspendere potest quoque actiones ab illo vetitas permittere, vt sine peccato & pœnæ obnoxietate fiant. 46

An verò posita suspensione interdicti appellatio interposita habeat vim prorogandi eam suspensionem vsque ad finem causæ quæstio est discutienda ex disputatione de iudiciis, vbi plenam doctrinam de appellationibus trademus. Placet interim affirmare eam prorogationem suspensionis cum Auila. dub. 4. cit. Alteri. cap. 5. sub fin. Layman & aliis.

CONSECTARIVM XIX.

Quis possit relaxare cessationem à diuinis.

℟. cessationem à diuinis cùm pœna sit, & semper feratur ab homine, ab illo solùm, qui eam tulit, eius superiore, aut delegato auferri posse; quarè eodem modo de illa, quo de censuris ab homine latis sentiendum est. 47

Nunquàm fertur ad certum tempus, quia imponi tantùm solet immò neque aliter fortassis potest, vt à contumacia recedatur, & satisfiat Ecclesiæ quæ iniuriam, quam passa est, eo loco testatur, quarè semper subintelligitur ferri cum tacita ea cõditione, donẽc sit satisfactum Ecclesiæ, vnde fit vt nunquam desinat absque relaxatione Iudicis, si enim exhibita satisfactione, quæ requiritur, desineret absque vllo Iudicis actu, semper ita desineret, neque vnquam foret necessaria iuridica relaxatio, nisi fortassis durante contumacia reuocaretur, quod nunquàm fieri solet, neque debet.

Appellatio

Appellatio subsequens eius sententiam eam minimè suspendit;quia ipsa secum affert exequutionem,eaque ex parte similis est censuræ ; appellatio verò ante sententiam illam impedit,non suspendit, vti explicuimus disq.9.q. 6. suspendi porrò potest ab eo,qui illam tulit,vel tota, quæ est veluti absolutio ad reincidentiam,vel secundum aliquem effectum,quia id neque iure prohibetur,neque naturæ huius pœnæ repugnat,cùm sit pœna & prohibitio quædam, in qua potest dispensare , qui illam tulit, nisi ab aliquo impediatur, à nullo autem impediri potest nisi à iure,quod hac in parte prorsùs silet, & si quid reperiatur in iure, illud est tantùm circa peculiarem aliquam cessationem,quam noluerit tolli, aut suspendi quoad aliquem effectum Pontifex vt cap.non est vobis de sponsalib. vbi tamen non fert legem aliquam generalem circa cessationem diuinorum officiorum;valentque omnia,quæ dicta sunt superiùs circa interdictum. Vide Suar. disp.39.s.4. Villalob.tom.1. tr.20.diffic.5.Alteri.disp.2.de Interd.cap.9.& alios passim.

QVÆSTIO IV.

Quid præstandum sit à Reo qui absoluendus est à censuris?

Quæ disputanda forent hoc loco de conditionibus requisitis in eo, qui à censura qua irretitur, absoluendus est,magnam partem explicata sunt in scientia canonica n.1.tractatu de iudiciis,quarè recensendæ potius sunt hoc loco istæ conditiones, quam fusius explicandæ.

1. Conditio Rei absoluendi est subiectio absoluendi .n. 1.
2. Conditio Rei absoluẽdi est eius cõsensus.n.2.
An sit ea conditio necessaria.n. 3.
Quandonam possit dari inuito absolutio. n. 4.
3.Cõditio Rei absoluẽdi est eius præsentia.n. 5.
4. & 5. Conditio,ne per fraudem aut iniuriam extorqueatur absolutio. n.6.
6.Cõditio,satisfactio exhibẽda parti lesæ.n 7.
Iuramentũ de parendo mandatis Ecclesiæ.n.8.

1. Conditio Rei absoluendi est subiectio absoluenti.

1. igitur requiritur, vt absoluendus subditus sit absoluenti aliqua ratione secundum forum,in quo debet illa absolutio prodesse, siue illa subiectio sit debita ratione dignitatis absoluentis , siue ex commissione & delegatione iurisdictionis illi facta; vnde nemo seipsum absoluere potest , quomodo verò alteri dare valeat potestatem ipsum absoluendi diximus loco citato quomodo etiam defunctus sit capax absolutionis diximus hoc tractatu disq.4.

2. Conditio Rei absoluendi est eius consensus.

2. Ex communi lege debet Reus postulare exolutionem à censura, qua ligatur , vt glossa & DD. docent in cap.significasti , de eo qui duxit in matrimon. quam polluerat &c. ibi enim Innoc. III. mandat Episcopo Spoletano,vt absolutionem iuxta formam consuetam Ecclesiæ impendat nescio cui excommunicato si petierit;sed quæritur an iste consensus Rei absoluendi sit omnimodè necessarius.

R. P. Ioseph. Gibal. de Cens.

Qua in controuersia communis quidem sententia est non consentienti , immò & dissentienti atque inuito impendi posse absolutionem ab excommunicatione, aliaue censura , vt videbis fusè apud Felin.in cap. Apostolicæ de exceptionib. n. 1.& 2. Ricciul.lib.4. de iure personar.cap. 69. n. 2. Sayr. lib. 2. cap.21. n.5.& alios , cùm enim censura sit pœna,non culpa, quæ in inuitum infligitur, ab inuito quoque tolli poterit , nam etiam peccans potest non puniri,aut pœnis impositis eximi.Quia tamen aliqui id concedunt tantùm circa censuras ab homine,non à iure latas,alij eam facultatem absoluendi inuitum ad summum Pontificem restringunt,& illam negant inferioribus Prælatis ; alij excipiunt hæresim,& quædam alia peccata, à quibus inuitus nequeat absolui,alij volunt Reum saltem à peccato & contumacia recessisse , quamuis neque propterea petat,neque fortassis sollicitus admodum sit de absolutione,immò eam contemnat ; alij denique eiusmodi absolutionem validam sed non licitam agnoscunt ; vt hæc dissidia more nostro componamus obseruandum est Reum posse esse inuitum duobus modis, negatiuè tantùm , quia neque petit , neque consentit huic absolutioni , etiamsi non dissentiat positiuè,quia v.gr. ignorat aut suam excommunicationem, aut tractatum de sua absolutione , aut quia ex supina quadam animi socordia eam negligit , cùm tamen facilè eam obtinere posset, si vellet.

2. Aliquando Reus est positiuè inuitus , quia actualiter non vult absolui , cum qua nolitione & dissensu positiuo nonnunquam est coniuncta voluntas obstinata perseuerandi in delicto,quod censura punitum fuit,aliàs autem est quidem voluntas emendationis;immò iam est posita emendatio, cessatumque est à peccato, atque susceptus animus parendi deinceps Ecclesiæ , quia tamen Reus iste non vult subiici tali Prælato,aut quempiam alium ob finem siue bonum,siue prauum non vult adhuc absolui, duæ enim illæ voluntates absolutionis & perseuerandi in peccato , atque legis Ecclesiasticæ violatione distinctæ sunt,vt vides&non necessario connexæ ; quarè & coniungi simulque poni & separati possunt.

Circa voluntatem autem perseuerandi in crimine commisso obseruandum est crimen , quod fuit causa censuræ,aliquando vno actu consummari neque aliquid aliud relinquere post se nisi obligationem pœnitendi & satisfaciendi parti læsæ,quam tamen non satisfactionem Ecclesia non punit aliqua censura noua , etiamsi non soleat contractæ censuræ absolutionem nisi posita ea satisfactione, aut alia quapiam conditione impertiri,eiusmodi est iniuriosa clerici percussio , virginis Deo dicatæ constupratio , aliaue similia , quæ vnico actu consummantur ,neque perseuerantia in censura propter illa contracta inducit aut requirit nouũ actũ, quia non emendatio, siue non pœnitentia illorum, non est continuatio quędam consequentium actionum,quædã verò crimina sunt,quæ habent tractum successiuum , quia perseuerantia in illis est noua culpa,aut prioris saltem augmentum,illaque perseuerãtia noua censura punitur à iure, quia quamdiu Reus non emẽdat suum illud crimẽ,continuò violat legem Ecclesiasticã imponẽtem excõmunicationem aliamue censuram illi crimini , aut obstinatæ voluntati in eo perseuerandi : eiusmodi sunt hæresis,Apostasia à Religione, detentio rei alienæ , incarceratio iniuriosa personæ Ecclesiasticæ , in quibus vides non tantùm non tolli à Reo

causam censuræ semel positam, sed illam continuò poni cum tota illa temporis successione eodem peccato actualiter peccet, & non tantùm iam initio peccauerit, quando enim peccatum non pendet in futurum, neque vt loquuntur Iuristæ, tractum habet successiuum, quamdiu non emendatur non dicitur continuari, etiamsi eius macula habitualiter perseueret, dicaturque illud moraliter durare eo quod non fuit emendatum, neque retractatum, reuera tamen actio ipsa peccaminosa non continuatur, sicut in hæresi & aliis allatis.

Quoties igitur Reus vel negatiuè tantùm inuitus est, vel etiamsi positiuè dissentiat, non perseuerat tamen in peccato, quod dedit causam censuræ vultque seruare legem Ecclesiasticam, absolui poterit, quia inuitis benè fieri potest cap. & qui emendat d. 45.

2. Quoties quis in contumacia perseuerat, quia non pœnitet ipsum de peccato commisso, neque illud emendat, vti necesse foret, si peccatum illud non pendeat in futurum, & ius non puniat illam non emendationem, aut non satisfactionem noua censura, absolui poterit etiam inuitus, quamuis cẽsura lata fuisset à iure, neque enim propterea mutat speciem. Ratio est manifesta ex natura censuræ quæ pœna est, non culpa, vnde non requirit necessariò expiationem culpæ, vt ipsa tollatur; quod autem dicitur in cap. legatur 24. q. 2. Nunquam sub cœlo auditum esse, quod detur venia non correcto, & Regula, peccati. de regulis iuris in 6. de venia culpæ, non pœnæ accipiendum est.

3. Vbi peccatum perdurat, habetque tractum successiuum, quia non vnico actu ita perfectum fuit, vt desierit, & illi continuationi ius censuram imponit, illa tolli non potest nisi ab eo qui potest & vult eam legem reuocare, atque ita fateor, quod dixit Vgolin. tab. 1. cap. 10. §. 2. hæreticum non recedentem ab hæresi & inuitum absolui non posse, sed id commune est omnibus, vt dixi criminibus tractum successiuum habentibus, quoties ipsorum continuatio est materia censuræ ex lege Ecclesiastica; repugnat enim manere & continuo committi crimen, cui inflicta est censura lege Ecclesiastica; & tamen tolli illam censuram lege eadem obligante, & quamuis pro aliquo momento solueretur censura, sequenti deinde iterum rediret, quia eo etiam momento committitur peccatum, cui lex Ecclesiastica, quæ viget, neque abrogata, neque suspensa est, censuram infligit: atque ita capies cap. damnationis. 24. q. 2. sumptum ex Leon. Ep. 13. ad Pulcheriam contra Eutychianos, vbi negat ab vllo damnationis sententiam in hæreticos latam relaxari posse, quamdiu illi in suo sensu permanere voluerint, & hæresim non abiurarint; ad eam enim censuram eo casu soluendam necesse est legem, eam infligentem suspendi aut reuocari, quod soli R. Pontifici & non inferioribus Prælatis circa ius commune conuenit, quarè ille solus posset hæreticum inuitum & adhuc in hæresi perseuerantem ab excommunicatione propter hæresim contracta soluere. Idem dicendum est quando propter non positam aliquam conditionem negandam esse absolutionem statuit ius, tunc enim Reo non ponenti eam conditionem, & non emendato inualidè dabitur absolutio ab alio, quam ab eo qui potest legem refigere, quando verò iudex tulit censuram, non tamen ex legis præscripto, poterit quoque in uitum & non emendatum, atque adeò contumacem absoluere, quia potest suum præceptum tollere, aut in eo dispensare & suam sententiam cassare absque Rei consensu ipsoque reluctante.

4. Quamuis valida sit absolutio collata inuito modo hactenus explicato, ea tamen passim licita minimè est, tum quia bono communi per eam facilitatem nocetur, daturque occasio contemnendi censuras, & liberiùs peccandi, tum quia contrarius est Ecclesiæ sensus, quæ & hortari solet Reos vt absolutionem petant, & pertinaces grauioribus pœnis, nouisque censuris vrgere, vt videmus in c. Ad Apostolicæ. de re iudic. in 6. vbi tamen caussa aliqua grauis vrgebit, non modò licitè poterit conferri absolutio inuito, sed etiam aliquando debebit, vti tradit S. Thom. in 4. d. 18. qu. 2. a. 5. quem allegat & sequitur Ioann. Andr. in cap. 1. de sententia excomm. in 6. & alij deinceps.

1. Quando per excommunicationem & obstinationem Rei impeditur commune Ecclesiæ bonum, vt Panorm. in c. Apostolicæ. de exceptionib. n. 1. obseruat. 2. quando lis pendet super nullitate excommunicationis, Felin. in cap. veniens de testibus. n. 23. & 14. 3. si constet iudici iniustam fuisse censuram, tunc enim debet reuocare errorem suum. cap. sacro. de sentent. Excomm. Felin. in cap. veniens cit. n. 23. 4. si Reus exhibita satisfactione vellet tamen diutius pœnitere. Panorm. in cap. ab excommunicato. de rescriptis. n. 20. 5. si Reus per censuram redditur deterior & obstinatior. Felin. in cap. Apostolicæ. de Exceptionib. n. 2. quo pertinent, quæ diximus disq. 2. de censura, quæ præuidetur obfutura, an ferenda sit. 6. quando absolutio est tantum conferenda ad effectum testificandi, & instar ille, cuius interest illum testificari, eo quod alij testes desint. Ita Felin. in cap. veniens de testibus n. 23. & 24. cauendum nihilominus est in hac absolutione inuito collata ne fiat præiudiciũ tertij, ne scandalo & contemptui clauium detur occasio, vt remedia, quæ ad curandam, vel frangendam rei peruicaciam ius adhiberi constituit, prius adhibeantur. Denique quando dubium est de vtilitate huius absolutionis, vel ratione Rei ipsius, vel ratione boni communis, aut metus, ne ea facilitas veniæ noceat, in his enim casibus danda omninò non est, vti latè ostendit Martinus de Laude. tractatu de conscientia. q. 1. relatus à Felin. in cap. Apostolicæ. de Exceptionib. n. 2.

Obseruat ad extremum Auila. 2. p. cap. 6. disp. 2. dub. 2. ex. Henrique lib. 13. cap. 29. num. 1. hæc intelligenda esse de absolutione, quæ datur per potestatem ordinariam, non autem per priuilegium & bullam datam in fauorem pœnitentis, cuiusmodi est bulla Cruciatæ & iubilæum, cùm nemo inuitus vtatur priuilegio sibi facto, quando autem pœnitens his bullis vti non vult, non habet confessarius vi illarum potestatem ipsius absoluendi, quod non contingit, quando priuilegium fit ipsi Confessario; verùm quamuis hæc omnia verissima sint, tamen non pertinent ad limitationem doctrinæ traditæ, quæ non agit de absolutione dãda in foro pœnitentiæ, constat enim in ea inuitum, & cõtumacem absolui non posse, quandoquidem absolutio censuræ tunc non permittitur nisi in ordine ad remissionem Sacramentalem peccati.

3. Conditio Rei absoluendi est eius præsentia.

Ea tamen minimè necessaria est, nam & validè & 5
licitè poterit absolui absẽs siue per litteras, & nuntium, siue per procuratorẽ, vt ex omniũ DD. mente tradunt Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 11. n. 14. vbi ad ipsam hæresim id extendit cum communi eorum, quos allegat ibid. Suar. disp. 7. s. 7. n. 4. & s.

9. sub

9. sub fin. Laym. lib. 1. tract. 5. pa. 2. cap. 2. nu. 9. Auila. 2. p. cap. 7. disp. 2. dub. 1. Henriq. lib. 13. cap. 29. n. 1. Sayr. lib. 2. cap. 21. n. 12. & sequentib. Alteri. lib. 4. disp. 6 cap. 1. suadetque tum ipsa communis Ecclesiæ praxis, tum ipsius natura Censuræ, vt enim absenti infligi potest, ita & ab ipso tolli, maximè cum eius impositio & ablatio pendeat omninò à voluntate imponentis & tollentis modo humano, modò sit exteriùs expressa, quando autem glossa in cap. damnationis. 24. q. 2. ℣. non mortuos, negat absentem excommunicari posse, & probat ex cap. absens. 3. q. 9. agit de absente, qui non fuerit monitus ex Canonum præscripto, vbi enim ea monitio præcessit, absentem excommunicari certissimum est, quidni igitur & absolui poterit.

Leuis porro quæstio mihi videtur, an iste absens sit absolutus statim atque Iudex illum absoluit, an verò tantùm vbi ad eum peruenerint litteræ, aut nuntij absolutionis concessæ, id enim totum pendet ab intentione absoluentis, vtrum velit suam absolutionem Reo innotescere, antequàm habeat effectum. quod ex eius verbis alijsque circumstantijs, quæ aliquando certum tempus, aut conditionem ante cuius euentum non sit valitura absolutio, includunt coijciendum erit, si enim illam simpliciter pronuntiet, statim habet effectum, quamuis Reus debeat se gerere pro excommunicato, neque se immiscere rebus sacris, donec ipsi de sua absolutione constiterit, immò & quamdiu dubius fuerit, tunc enim melior est conditio Excommunicationis & Censuræ, quæ certa est, quàm absolutionis, quæ dubia tantùm existit. Eodem modo qui absens excommunicatus fuit, neque peccat, neque puniendus est, si sacra vsurpet, antequam se excommunicatum esse nouerit.

Hinc soluitur vulgaris alia quæstio, an si Reus moriatur, antequam suæ absolutionis nuntios acciperat, denuò sit post mortem absoluendus; si enim reuerà concessa fuerit absolutio simpliciter & absque vlla conditione, à cuius euentu penderet effectus absolutionis, aut si ea conditio posita sit ante rei obitum, nulla erit necessitas ipsum absoluendi quanquam ad tollendum scandalum debeat declarari data absolutio.

Quod attinet ad procuratorem sine interpositam personam, per quam quis absoluitur, debet speciali mandato instrui, vti glossa in cap. qui ad agendom. de procurat. in 6. ℣. vel pasci sci. Vgolin. tab. 1. cap. 19. §. 1. nu. 3. & alij omnes consentiunt; vnde fit, vt neque Prælatus pro suo capitulo absolutionem petere possit absque eius speciali mandato ex Felin. in cap. Nonnulli. §. sunt & alij. de Rescriptis. num. 18. & in cap. Cum M. de Constitutio. num. 25. neque etiam Prior pro suis monachis ex Innocent. in cap. cùm desideres. de sentent. Excomm.

Debet quoque Iuramentum aliàque omnia præstare, quæ ipsemet excommunicatus, si adesset præsens præstiturus erat; vnde fit, vt etiam omnes cerimoniæ, quæ in solemni absolutione vsurpari solent, retineri possint præsente tantùm procuratore; quarè ex earum solemnitatum obseruatione malè aliqui colligel ant necessitatem præsentiæ absoluendi, quanquam non diffiteat regulariter & ordinariè non nisi præsenti impendi absolutionem, nisi legitima aliqua causa excuset; vnde solet alicui committi facultas absoluendi Reum in loco vbi consistit, quando nequit adire superiorem ordinarium. Hinc porrò colligit Auila 1. Consulto facere Prælatos ordinum Regularium, qui in capitulis generalibus ita dant absolutionem à Censuris vt eam extendant ad absentes.

Colligit 2. cum Henriq. & Nauarro Confessarium, qui oblitus est pœnitentem absoluere à Censuris, aut qui tunc non habebat ad id potestatem, quam deinde accepit à superiore posse illum absentem absoluere, si ad se minime accersere possit, quod tamen ampliandum non esse ad absolutionem à peccato reseruato monet sapienter Layman, quia sacramentalis absolutio Rei præsentiam requirit.

4. & 5. *Conditio, ne per fraudem aut Iniuriam extorqueatur Absolutio.*

Hæ duæ Conditiones explicatæ sunt alibi, vbi 6
quæsiuimus, an quæ per errorem & metum iniuriosum gesta sunt, valida sint, & lib. de dispensationibus extortis per fraudem aut vim plurima dicentur; quarè ex illis liquebit, absolutionem, quæ ita per fraudem & dolum quæsita fuit, vt circa causam finalem commissa fuerit fraus, nullam esse; validam autem si dolus contigerit tantùm in causa impulsiua. Quoad metum grauem & iniuriosum, quæstio est an inualidam reddat actionem Iurisdictionis, eo quod careat sufficiente libertate, quæ per eiusmodi grauem iniuriam minuitur, vti fuit eo loco explicatum; certum tamen est absolutionem ita datam nullam esse ex cap. vnic. de ijs quæ vi, in 6.

Conditio sexta, satisfactio exhibenda parti læsa.

Hæc Conditio resarciendæ iniuriæ & reparandi 7
damni illati proximo vt obtineatur absolutio Censuræ, quæ propter crimen cum illa iniuria & damno coniunctum lata fuit, æquissima est, & colligitur ex cap. 2. de sentent. Excomm. in 6. Nomine autem partis non intelligitur Iudex aut Ecclesia, sed tertius aliquis, cui vel damnum, vel iniuria fuit illata, vti obseruant Gutierr. lib. 1. qq. Canonic. cap. 5. num. 29. & alij passim. Hinc etiam fit, vt quando absolutio datur Iudicialiter, sit præmittenda citatio partis, ne illi fiat iniuria in ea absolutione; qua de re latè disputat Ricciul. lib. 4. cap. vltimo. si tamen Reus realem satisfactionem exhibere nequit, cautionem dare cogetur fideiussoriam, aut pignoratitiam, quod si nihil horum possit, dabit saltem iuratoriam, illam enim sufficere eo casu constat ex Regula generali, nimirum Iuramentum sufficere quoties aliquis cautionem quam Iura postulant, dare non poterit, vti late ostendimus lib. de Iudicijs, interim adi Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 13. num. 23. & lib. 10. de matrim. disp. 18. num. 38. & 42. & sanè quicquid sit, de illa generali doctrina certum videtur non posse negari absolutionem Reo, qui quantum potest satisfacit. quia impossibilium nulla est obligatio, & tunc sufficienter est emendatus, quod primùm intendit Ecclesia quæ compelli vult Iudicem ad dandam absolutionem emendato, cap. qua fronte. de appellationib. vbi tamen sapienter obseruat Panorm. Iuramentum non sufficere, etiamsi nequeat exhiberi tunc satisfactio realis, si coniecturæ & suspicio non leuis sit, ne suum iuramentum violet in contrario quoad forum internum, simplicem promissionem & fidei interpositionem attenta quarundam personarum conditione sufficere aliquando vult Layman. lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 2. num. 8. si tamen fidem dein-

de aut Iuramentum cautionemque præstitam fallat, aut negligat, non reincidet in Censuram nisi id in ipsa absolutione appositum fuerit ab eo, qui cum ea reincidentiæ clausula absoluere potuerit. Ratio est, quia cùm iam verè fuerit sublata Censura, non redibit, nisi iterum à Iure vel ab homine imponatur, poterit tamen denuò excommunicari ex c. ad reprimendum de officio ordinarij. Quandonam dicatur Reus non posse realiter tunc satisfacere vel ex toto, vel ex parte, & quando ad id teneatur petendum erit ex principijs generalibus, de obligatione satisfaciendi & restituendi, neq; enim ad ea modò digrediendum est, satis enim nobis est tradidisse regulam vniuersalem, nimirum, absolui posse à Censuris Reum nondum exhibita satisfactione reali, totali, aut partiali, quando tunc nequit moraliter aut physicè loquendo vel ex toto, vel ex parte satisfacere, & aliunde vrgent graues rationes non differendi absolutionem, nisi enim cautione aut iuramento contentus esse poterit absoluens modo explicato.

Si porrò hæc conditio satisfactionis, aut cautionis promissionisque exigendæ omittatur à Iudice, peccabit ille quidem, & contra Ius, quod ita præcipit, & contra proximum, cuius Iura tueri tenetur ex officio, an verò teneatur ipsemet ad restitutionem inquiremus alibi, valida nihilominùs erit absolutio ex cap. venerabilibus. §. fanè de sentent. Excomm. in 6. & fane cum absolutionis efficacitas pendeat ex intentione ferentis, non est, vnde huius absolutionis inualiditas colligatur defectu satisfactionis non exhibitæ parti læsæ quamois inde benè inferatur eius Iniustitia.

Neque vllus de hac validitate dubitat, quoties agitur de potestate ordinaria absoluendi, neq; etiam de delegata iure ambigi potest quando ea simpliciter & nulla adhibita conditione aut clausula *satisfacta parte* conceditur, quia tunc ille gerit vices ordinarij sibi simpliciter & absque vlla limitatione commissas; vnde si ordinarius validè absoluit, non satisfacta culpabiliter parte, & iste quoque delegatus, qui idipsum, quod ordinarius potest, validè absoluet; at verò si delegario facta fuerit cum conditione exhibendæ satisfactionis, grauis quæstio est, vtrum ea conditione deficiente delegatus validè absoluat à Censuris, pendetq; ex ea vniuersaliori controuersia, an conditio apposita delegationi Iurisdictionis illam limitet, certum enim est, non posse eam facultatem extendi vltra limitos sibi præscriptos, an verò moneat tantùm Commissarium, quid ab eo seruandum sit; quam difficultatem excussimus disputantes de iurisdictione diximusque conditionem in ea delegatione appositam, quoties requiritur à Iure communi, non limitare iurisdictionem delegatam, vnde etiam intulimus validam esse absolutionem à Censuris datam ab habente potestatem delegatam, etiamsi non fuerit exhibita satisfactio, quam ea potestatis delegatio requirebat, nisi addita quoq; fuerit clausula irritans, quæ secus gestafuerint; vnde quædam etiam alia circa istam absolutionem colligebamus. sed de tota ista satisfactione adi Sayr. lib. 2. cap. 18. à num. 6. ad 17.

Ad hanc quoque conditionem reuoco Iuramentum, quod à Reo absoluendo præstandum est de parendo mandatis Ecclesiæ, quoties crimen propter quod fuerat censura innodatus, graue & enorme erat. c. Ex tenore. c. de cætero. cap. cùm desideres de sentent. excomm. si tamen apertè constaret de Iniustitia excommunicationis, non posset compelli ad hoc iuramentum Reus, quia tunc absolutio impendi debet absque grauamine c. cap. sacro. de sentent. excomm. §. caueat ac glossa ibid. ỷ. absque grauamine, atque Panorm. in idem cap. num. 12. & Felin. num. 7. obligatio autem iuramenti præstandi onus quoddam est. Pueri quoque impuberes iurare non tenentur; sapienter verò aduertit Sayr. lib. 2. cap. 18. num. 4. manem illam quæstionem esse, an Iuramentum debeat præstari de parendo Iudici an Ecclesiæ, cum non pateatur Iudici, nisi quia repræsentat Ecclesiam, cuius etiam legibus imperata Iudicis conformia esse oportet; neque enim Iuramentum hoc loco est personale respectu Iudicis, cùm Reus, qui iurat attendat Iudicem vt Iudex est, & se duntaxat vitaturum illud crimen, vti sanctiones Ecclesiasticæ iubent, promittat, neque enim aliud nomine mandatorum Ecclesiæ capiendum est hoc loco, alioquin quoties deinceps contra quodlibet Ecclesiæ mandatum peccaret, periurus esset. verùm de Iuramento, quod à Reo exigi potest, plura disputando Iudicijs.

QVÆSTIO V.

Quænam sit forma Absolutionis à Censuris?

Propositio n. 1.
Expositio & Confirmatio propositionis. n. 2.
Confess. 1. An ad absolutionem à Censuris sufficiant ista verba. Ego te absoluo. n. 3.
Conf. 2. An iisdem verbis absolutio à censuris & à peccatis dari possit. n. 4.
Conf. 3. An Causa Censuræ sit exprimenda in eius absolutione. n. 5.
Ritus Accidentalis Absolutionis. n. 6.

Quæ de forma Censuræ dicta sunt, magnam lucem afferunt huic quæstioni, quæ paucis omninò absolui potest.

PROPOSITIO.

Nulla certa forma absolutionis in Iure determinata est, quarè sufficiet per verba quæcunque, aut scripturam, aut alia quæcunque signa sensibilia exprimi voluntatem absoluentis à Censuræ vinculo ad valorem absolutionis præscribuntur tamen aliqui ritus accidentales seruandi in publicis & solemnibus Censurarum absolutionibus, qui vel ex consuetudine, vel ex rationabili causa prætermitti facilè poterunt. 1

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO PROPOSITIONIS.

Tota hæc propositio perspicua manet, neque ferè indiget vlterion probatione; vel enim attendimus Ius naturale, vel Ecclesiasticum, primùm Non requirere vlla certa verba, quibus impendatur absolutio statim appaiet, cùm enim actus Iurisdictionis ad sui valorem non requirat ex natura rei, nisi vt voluntas Iurisdictionem habentis & obligare, aut obligationem soluere volentis innotescat ijs, ad quos dirigitur, nihil afferri potest, quarè hic actus Iurisdictionis in danda absolutione à Censura 2

fura potiùs aliquam eiufmodi certam formam verborum tanquam fibi effentialem poftulet.

De Iure porrò Ecclefiaftico idem omninò conftat, cùm nullibi ea forma effentialis præfcribatur, vt volenti libros, quibus illud Ius continetur, patebit & vnanimi confenfu teftantur DD. omnes.

Vnde fequitur verba quæcunque modò exprimant voluntatem efficacem actu abfoluentis à Cenfura, qualia plurima excogitari facilè poterunt; fiue ipfa per fe ita fignificent, & Cenfuram, à qua fit abfolutio, atque illum, qui abfoluitur actumque ipfum folutionis defignent, fiue generaliora fint, quæ tamen ex varijs adiunctis, ad eam, quam dixi, fignificationem determinentur, vti fæpius contingit, qui enim petit abfolutionem ab excommunicatione, reuerà ab ea liberatur, etiamfi fuperior, à quo petit, refpondeat duntaxat, Ego te abfoluo.

Non effe quoque neceffarium, vt verba proferantur ore fatifque effe fi fcribantur, liquet ex jis, quæ diximus de abfolutione impertienda abfenti per nuntium aut per litteras, neque qui huius rei frequentem in Ecclefia vfum aduertit, dubitare de ipfa poterit.

Maior difficultas eft circa alia figna fenfibilia, nam aliqui negant adhiberi poffe ex eo quod fint ex natura fua indeterminata & inepta ad hunc effectum fignificandum, cùm vix alia exhiberi poffint, quàm ea quæ fignificant, Eum, qui Cenfuram tulerat, aut qui illã relaxare poteft eodẽ modo fe gerere cũ innodato Cenfuris, atq; fi vel illas non incurriffet vnquam, vel ipfis iam fuerit expeditus, quia v. gr. cũ excommunicato cõmunicat ficut cum abfoluto, aut non excõmunicato, at verò ifta minimè fufficiunt ad abfolutionem, alioquin quoties illa exhiberentur excommunicatus habendus effet pro abfoluto, quod negauimus aliàs diximufq; ipfum etiam Pontificem excipientem menfa excommunicatum non cenferi illum abfoluiffe: alij verò tribuunt hanc poteftatem abfoluendi per nutus aliaue figna fummo Pontifici, negant autem inferioribus Prælatis.

Mihi certum eft dari poffe abfolutionem per fola figna fenfibilia diftincta à verbis, vti diximus de fententia ipfius Cenfuræ quam ea quoque ratione ferri poffe contendebamus, & de fummo quidem Pontifice negandum omninò non eft, fi femel pofuerimus ex natura rei illud non repugnare. Quoad inferiores autem Prælatos, fateor quoque teneri vfurpare verba aut fcripturam, ita enim iubet cap. cùm defideres & cap. fi aliquando. de fentent. excomm. obferuauitque gloffa in Clement. vltimam eod. tit. fi tamen vrgente aliqua neceffitate, vt quia mutus factus eft Epifcopus, & captus articulis, nihil prohiberet aliter fuam voluntatem quempiam abfoluendi aut excommunicandi exprimere, fi v. gr. roganti an Titium abfoluat ab excommunicatione, annuat, immò addidetim feclufa neceffitate peccaturum quidem Prælatum, qui abfque verbis, aut fcriptura abfolueret, validè tamen abfoluturum, quia ius ita requirit locis allatis verba, vt tamen non annullet abfolutionem, quæ alijs fignis collata effet.

CONSECTARIVM I.

An ad abfolutionem à Cenfuris fufficiant ifta verba. Ego te abfoluo?

3 ℞. fufficere modo ex adiunctis ea verba determinentur ad cenfuram foluendam, vt quia præceffit quæftio de Cenfura, aut eius explicatio, aut petitio, qua de caufa in pœnitentiæ facramento ea verba fufficiunt, etiamfi non addatur à peccatis, quia cùm præiuerit confeffio & expreffio peccatorum, ea verba, *Ego te abfoluo*, determinantur ex fubiecta materia ad remiffionem peccatorum, fi autem effent aliqua verba, quæ vel ex fe indifferentia effent ad abfolutionem, vt aufero, tollo, & alia fimilia, vel licet fint determinata ex fe ad abfolutionem, tamen manent adhuc indifferentia ad nodos & vincula, à quibus fit folutio, addenda omninò effet Cenfuræ vox ad complendũ orationis fenfum, & perficiendã fignificationẽ rei determinatæ. Quare cũ præmittitur abfolutio cenfuræ abfolutioni facramentali peccatorum, fi nulla fuerit antea Cenfurarum mentio, vt & in alijs cafibus in quibus detracta Cenfuræ voce, non fatis fignificatur ille effectus abfolutionis, & Iudicis abfoluentis voluntas, videtur ea vox pertinere ad fubftantiam formæ, vt docet Suar. difp. 7. f. 9. numet. 5. quamuis non damnet contrariam opinionem quam fequutus eft Vgolin. tab. 1. cap. 23.

CONSECTARIVM II.

An iifdem verbis abfolutio à Cenfuris & à peccatis dari poffit?

℞. poffe fi Intentio abfoluentis in vtramque illã materiam feratur, & ad illam verba determinentur ex adiunctis, cùm enim nulla certa verba requirantur & quæuis abfolutio ab excommunicatione fupponatur ante abfolutionem à peccatis, eo quod excommunicatio impediat fufceptionem facramentorum, nihil oberit illi prioritas illa vel fimultaneitas verborum, quæ vtramque abfolutionẽ à Cenfuris & peccatis exprimunt, quia femper prior erit effectus vnius abfolutionis, quàm alterius prioritate naturæ, vti fæpiùs contingit in phyficis & in iftis moralibus multò facilius eft. 4

Itaque prudenter agit Confeffarius, qui animã agenti vtramque fimul conferet abfolutionem, fi metuat, ne tempus vtrique feparatim impertiendæ minimè fufficiat, vti monet Auila. 2. p. c. 7. difp. dub. 3. Bonac. difp. 1. de Cenfu. q. 3. p. 5. n. 4.

CONSECTARIVM III.

An caufa Cenfuræ fit exprimenda in eius abfolutione?

℞. neque ex natura Rei, neque ex Iure Ecclefiaftico requiri, quia intentio abfoluentis ferri poteft in aliquam determinatam Cenfuram, etiamfi caufam, ob quam contracta fuerat, non exprimat, & nullibi ea expreffio præfcribatur. 5

Aliquando tamen poterit ea expreffio caufæ videri neceffaria ad determinandam abfolutionem ad vnam è pluribus, quæ fola intenditur. Vti fufiùs exponit Suar. difp. 7. f. 9. n. 6.

Ritus Accidentalis Abfolutionis.

Varij præfcribuntur, quos dabit Sayr. lib. 2. cap. 18. nam in excommunicatione abfoluendus ftat flexis genibus, abfoluens autem fuperpelliceo & ftola ornatus pfalmum 50. aut alium ex pœnitentialibus recitat, & deinde illum fcapulis nudatum flagellis excipit, quanquam neque mulieres neq; viri nobiles nudandi fint immò cùm fola confue- 6

tudine

tudine induucta fuerit, hæc cærimonia facilè omittitur. Dum autem defunctus absoluitur, eius cadauer aut tumulus flagellatur, sequitur absolutio, & denique illius introductio in Ecclesiam, in qua ei communio redditur; publicatur atque denuntiatur absolutio, si fuerat publica excommunicato, neque in priuatis absolutionibus ista seruanda sunt, nisi secundum ea quæ occultè & facilè fieri possunt; quando Episcopus ipse solemniter absoluit excommunicatum, alia quædam adhibentur notata in cap. cum aliquis. 11. quæst. 3.

Atque hactenùs de censuris, earumque natura, causis & effectibus, quantum suscepti instituti ratio postulabat. Ex illa enim vniuersalitate doctrinæ facilè fuerit singulares quæstiones, occurrentes explicare, vti nos sæpius in toto isto opere fecimus. Neque aliud addendum videtur præter sequentem synopsim, quam ita collegimus, vt liceat illam ab hoc tractatu seorsim breuiori forma excudere, Enchiridij cuiusdam instar, ad plures difficultates quæ sæpiùs animam pulsant solidè & paucis dissoluendas.



SYNOPSIS

SYNOPSIS OMNIVM CENSVRARVM, ET POENARVM, QVÆ VARIIS criminibus infliguntur à iure.



Xplicata natura, causis, & effectibus censurarum, postularet doctrinæ methodus, vt ad singulas singillatim exponendas delaberemur: verùm cùm minutioris, & infinitæ id sit operæ, & si quæ circa nunnullas occurrat difficultas, ea ferè consistat in percipienda mente legis, qua feruntur, vbi eius verba minùs clara fuerint, idque ex generalibus regulis toto isto tractatu traditis dignosci possit, atque lota hac in parte obscuriora in iure, pertractata, & explicata à nobis in superioribus disquisitionibus fuerint. Nun placet eruditi lectoris abuti otio inutilibus repetitionibus in singularum censurarum propria explicatione, quare illas recensere contenti erimus, & controuersias si quæ occurrant compendio dirimere indicatis locis, in quibus fusiùs illas agitauimus: diuersam porrò rationem in istis indicibus pertexendis plerique tenuerunt. Quidam enim attendunt personas in quas feruntur cẽsuræ, itaque varias conficiunt series: aliæ siquidem Laicos, aliæ Clericos feriunt: aliæ omnibus tum Laicis, tum clericis communes sunt, quas singulas subinde species veluti subalternas in alias infimas partiuntur. Alij spectant iura, quibus feruntur censuræ, itaque diuidunt in eas, quæ sunt in corpore iuris (vt loquuntur) hoc est quæ aliquo libro, aut loco iuris canonici continentur; & in eas, quæ sunt extra corpus iuris, quia indicuntur variis constitutionibus pontificiis, quæ in vulgatis, & communibus iuris Ecclesiastici collectionibus non reperiuntur: priores illas iterum diuidunt pro ratione librorum iuris, in quibus habentur: aliæ traduntur in decreto, quædam in decretalibus, quædam in sexto decretalium, quædam in clementinis, & demùm in extrauagantibus. Alij considerant facilitatem, aut difficultatem absolutionis, itaque singularum vulgatarum censurarum geminos conficiunt indices: vnum videlicet excommunicationum summo Pontifici reseruatarum, alterum non reseruatarum, quod idem in suspensionibus, & interdictis præstant. Alij denique recensent pro varietate criminum, quibus infliguntur, quæ ratio omnium commodissima mihi visa est, & criminum quibus infliguntur: quia breuior est, neque importunis repetitionibus molesta: deinde opportunior ad vsum; qui totus ferè consistit, vt certò dignoscamus; vtrum reus sit censura aliqua innodatus, & quali; vt Iudex tum in foro sacramentali, tum in externo iuditiali rectè pronuntiare possit, & doctor consultus absque errore respondere. quud totum facilius assequemur, cùm tradiderimus crimina; quibus aliqua censura inflicta est, & simul indicabimus quænam illa sit, an latæ, an ferendæ sententiæ, an eius absolutio sit reseruata, an non: an ad plures quasdam personas ratione eiusdem criminis, ad quod aliqua ratione proximè, aut remotè, physicè, aut moraliter concurrerint, extendenda sit; ane ad vnam tantùm personam restringenda: an quodlibet eiusmodi scelus illa puniatur, an verò duntaxat in certis circunstantiis admissum: an in certo tantum malitiæ gradu, aut opere. Denique an vna tantum, an pluribus censuris siue specie, siue numero differentibus; vnum, & idem crimen puniatur: quæ omnia contingere posse superioribus disquisitionibus ostendimus. Hæc nos singula in nostro hoc indice; & compendio indicabimus; ea denique breuitate singularum censurarum quæstiones explicabimus: quia verò nun censuris duntaxat, sed aliis quoque pœnis eadem crimina punit Ecclesia, illas simul annotabimus, non alia methodo, quàm recensione criminum ordine Alphabetico.

Notationes ad hanc Synopsim.

Repetendum verò est, quòd disq. 1. de natura censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ, earumque inuicem distinctione, & de latæ, ac ferendæ sententiæ censuris disputauimus. Deinde aliàs esse censuras à iure, alias ab homine, vti ibidem diximus, quia vel lege, & statuto quodam feruntur, vel à Iudice per præceptum aliquod, aut sententiam. Denique ex censuris à lege latis aliæ continentur in corpore iuris, aliæ extra illud: in quibus attendendum erit, an ea iura sint omnibus communia, an quibusdam regionibus propria. Deinde an vel nouo iure rescissa, vel desuetudine, aut contrariis etiam moribus reuocata: an alicubi nunquam aut promulgata, aut recepta fuerint, an contrariis priuilegiis elisa.

Inter censuras extra corpus iuris contentas nobilissimæ sunt quæ singulis annis Feria 5. maioris

hebdomadæ

hebdomadæ noua constitutione, & bulla, quæ idcircò cœnæ nominantur feruntur, & durant donec alia similis, siue ab eodem, siue ab alio Pontifice edicatur, vel noui processus (vti appellant) publicentur, qua de causa has censuras esse ab homine potiùs, quàm à iure dixit Suar. disp. 21. de censu. sect. 1. n. 2. Tolet. lib. 1. cap. 18. Becan. de fide cap. 15. q. 8. n. 6. quibus præiuerat Sotus in 4. d. 22. q. 2. a. 3. sequutusque quondam fuerat Nauarr. in Manu. Hispanico cap. 27. n. 74 quia hæc bulla, & constitutio non fertur, nisi ad certum tempus, quo elapso non valet, & absque vlla reuocatione cessat. Alij verò nolunt esse censuras à iure, quia perpetuitatem quandam habent, neque enim mortuo conditore extinguuntur, donec noua fiat constitutio: quæ etiam vox vti etiam illa clausula, ad perpetuam rei memoriam, huius edicti firmitatem ostendit. Itàque argum entatur Sylu. ℣. excommunicatio. 7. n. 76. Nauarr. in Enchirid. Latino, in explicat. bullæ huius, n. 21. & cap. 23. n. 23. Viuald. in simili explicat. ℣. *volentes*, Bonac. de censur. in particul. disp. 1. q. 1. punc. 5. n. 2. Alteri lib. 5. disp. 1. cap. 4. & disp. 2. cap. 1. Duard. lib. 1. cap. 3. q. 7. conc. 3. n. 28. Auila 2. parte, cap. 1. dub. vn. Salas de legib. disp. 1. sect. 9. n. 62. & alij: mihi verò in leui admodum quæstione placet sententia Sayri lib. 3. Thes. cap. 1. n. 18. Reginald. l. 9. praxis, n. 230. & Ferdin. à Castro disp. 3. de censur. punc. 1. n. 3. has censuras participare rationem censurarum ab homine, & à iure simul, ac proinde esse medij cuiusdam generis, quod in istis moralibus insolitum videri non debet. Sanè cùm censuræ perpetuæ non sint, & absque vlla reuocatione, aut iuris antiqui recissione cessent, dum noua bulla publicatur, quæ si easdem censuras, quas vetus non ferat, etiamsi illas non refigat, desinant tamen illæ obligare, non possunt esse censuræ à iure; neque etiam sunt ab homine, quandoquidem mortuo conditore, non expirant, sed perseuerant vsque ad nouæ bullæ publicationem, habent nihilominus aliquam affinitatem cum censuris à iure, quia feruntur per legem, & statutum generale, & cum censuris ab homine, quia feruntur ad certum duntaxat tempus, quo elapso non valent, absque vlla alia vt dixi reuocatione.

Huius bullæ originem à Martino V. circa ann. 1420. post Bohemorum hæreses à Concilio Constantiensi damnatas, deducunt aliqui: quod probat, quia neque S. Thomas, neque alij antiquiores scholastici, eiusmodi constitutionis meminere. Verùm Tolet. lib. 1. c. 19. refert in bibliotheca Vaticana reperiri similes processus Gregor. XI. qui vixit ann. 1370. atque hoc antiquior Clem. V. qui creatus est ann. 1305. & obiit an. 1315. testatur Clem. 1. de iudic. Romanos Pontifices solitos fuisse solemnibus anni diebus quosdam processus generales facere; quod ipsũ dixerat Bonifac. VIII. eius decessor in constitutione, cuius rigorem temperat Clem. de citationibus instar edictorum prætoriorũ factis, etiam extra dies solẽnes, in quibus Romani Põtifices processus generales facere consueuerant. Obseruat verò glossa ibid. in ℣. *solẽnes*, hos processus factos fuisse die Cœnę domini, die Ascẽsionis, & mẽse Nouẽbri die dedicationis Basilicæ S. Petri, ait prætereà in ℣. *generales*, hos processus fuisse contra hæreticos, cõtra deferentes arma Saracenis, Piratas, imponentes noua pedagia, falsantes litteras Apostolicas, & similes: cõtra quos omnes bulla Cœnę solet promulgari. Lapsu subinde temporis desierunt fieri frequentes illi processus, & semel tantum in anno feria quinta maioris hebdomadæ publicari, quod suo tempore factitatum refert Cardinal. in capite, quod olim de iudic. & Antonin. 3. part. tit. 25. cap. 72. de tempore Martini v. cuius processum ibid. refert, cum hoc titulo. *processus annualis, qui fit annuatim in curia, in cœna Domini.* Hostiens. tit. de crimine falsi. §. qualiter committatur. videtur huius quoque bullæ meminisse, dum ait falsantes litteras Apostolicas quidpiam distrahendo, aut addendo incurrere ex ipso facto excommunicationem sedi Apostolicæ reseruatam. *ex canone facto in curia*, qui canon sanè alius non est, quàm hic processus curialis, siue constitutio. vnde fit vsum huius bullæ antiquiorem esse Clem. IV. & Vrbano IV. quandoquidem Hostiensis vixit sub Innoc. IIV. & Alexand. IV. circa annum 1254. verum quisquis primus hunc vsum induxerit, constans hodiè est, & singulis annis eiusmodi processus publicantur, qui cum sint generales, non indigent speciali citatione, & nomine bullæ, significantur.

Quamuis autem magnæ authoritatis sint isti processus in curia Romana, non tamen vbique vigent, & recipiuntur, vti obseruat Ferdin. à Castro l. c & alij passim. sanè in Gallia non admitti, certum nobis est: quare & eius consideratio à nobis præteriri potuisset, ne tamen manca, & mutila sit hæc synopsis, & exteris quoque vtilior reddatur, eius meminerimus in hoc indice, vbi crimen aliquod illa plectet.

Nonnulla tamen obseruanda sunt. in primis easdem censuras aliquando eidem sceleri tum in iure, tum in hac bulla infligi, non idcircò tamen multiplicantur eiusmodi censuræ, neque reus alicuius criminis, quod ius, & bulla excommunicatione plectit, geminam excommunicationem incurret, quia quamuis censuras solo numero multiplicari in eodem subiecto nihil prohibeat (vti docuimus) id tamen non contingit, quandò eadem res, ex eodem fine à pluribus, aut ab eodem sæpiùs præcipitur, neque alia est coniectura, & argumentum talis multiplicationis, quam idcircò in nostro casu sapienter negant Nauarr. in cap. ita quorundam de Iudæis. notab. 11. gloss. vlt. n. 4. & 37. Reginal. lib. 9. n. 228. Suar. disp. 21. de censur. sect. 1. n. 3. Bonac. de cens. in partic. disp. 1. q. 1. punc. 5. n. 3. & de censur. in genere disp. 1. q. 1. punc. 4. n. 11. vbi & alios plures allegat, quibus nos nuper adhæsimus. Hinc fit multò minùs pluribus cẽsuris innodari illum, qui quidpiam in pluribus bullis Cœnæ, & sæpiùs vetitum admisit, quia priores omnes illæ bullæ cessarunt obligare, & sola vltima viget.

Non tamen desinente bulla, quæ censuram aliquam imponebat alicui, cui eandem imponebat ius commune, desinit censura à iure communi imposita, sed remanet in eodem statu, in quo ante cõditam bullam nunc extinctam erat: quæ obseruant Sayr lib. 3. Thesa. cap. 2. n. 5. Filluc. trac. 13. cap. 1. n. 16. Nauarr. Reginal. Ferinand. à Castro ll. citatis.

Quæstio tamen est an ius commune, quod fuerat per bullam reuocatum, cessante bulla robur pristinum recuperet, quod concedit Sayr l. c. quoties illud ius fuerat legitima consuetudine abrogatũ, vel interruptum, quia per bullam illa interruptio, vel abrogatio cessarat, & ius reuixerat, quod deinde cessante bulla persistit in suo vigore, & obligat: verius tamen existimarim cum Ferdin. à Castro, cessante bulla, ius antiquum in eodem prorsus statu manere, quo existebat ante bullã, siue reuocatũ fuisset, siue extinctum consuetudine, aut alia quapiam ex causa,

sa. quia quandiu obligat bulla, quæ illud ius antiquum, siue recissum aliàs, siue interruptum, siue extinctum innouauit, eius iuris obligatio vrgebat: at verò cessante ea bulla, cum innouatio iuris cessarit, & interruptio contrariæ consuetudinis pro tempore bullæ, eo tempore elapso, omnia pristinum statum recipiunt: neque enim bulla vult obseruari illud ius, nisi pro tempore, quo ipsa obligabit, & alioquin non esset *annualis processus*, sed perpetuus. Et si effectum perpetuum haberet conderetque nouum ius perpetuum, non cessaret eius obligatio, absque reuocatione noua, & non per publicationem nouæ bullæ, licet eius non meminerit. atqui ius extinctum, aut legitimè interruptum reuocare, est inducere obligationem perpetuam, quæ ampliùs non durat, & firmitatem, ac perpetuitatem illi dare, quam ipsamet bulla (vti sæpiùs monuimus) non habet.

Idem censeo de reuocatione priuilegiorum cum Sayro, contra Bonac. locis citatis, nimirum priuilegia, quæ per vnam bullam cœnæ reuocata sunt, si aliæ bullæ consequentibus annis eius reuocationis non meminerint, recuperare suum antiquum vigorem, eo, quod ipsorum reuocatio, vnà cum bulla annuali reuocante cessarit, & sanè ea reuocatio non fuit absoluta, sed quo vsque noua bulla promulgetur: quare quod obiicit Bonac. priuilegium semel extinctum non reuiuiscere absque noua concessione, verum est de priuilegio prorsus, & absolutè extincto, & non ad aliquod tantùm tempus siue determinatum, siue indeterminatum, siue certum, siue incertum.

Qui verò incurrit in excommunicationem vi bullæ Cœnæ, etiamsi illa deinde cesset per nouæ publicationem, quæ eiusmodi excommunicationem omisit, non tamen eo ipso desinit esse excommunicatus, cum neque excommunicatio, neque alia censura semel contracta tollatur, nisi per absolutionem, vti ostendimus disquisit. decima, & obseruant hoc loco Sayr. Filluc. Reginald. Bonac. locis notatis.

Cœtera quæ pertinent ad huius bullæ cœnæ Domini obligationem, vel communia sunt aliis omnibus constitutionibus, vel si quid proprium habent, implicant alias controuersias, quæ hoc loco commodè explicari non possunt, & nobis qui scribimus in Gallia, vbi eius obseruatio non viget, vix vsui esse possunt, quare his omnibus omissis venio ad nostram Synopsim, ordine alphabetico (vti monui) conficiendam.

A

Abbatissa, quæ intra annum à sua confirmatione munus benedictionis sua culpa, & absque rationabili causa, non susceperit, priuatur ipso iure suo beneficio, & de alia Abbatissa canonicè prouidere debent, ad quos ea cura pertinet. Clem. *attendentes §. statuimus de statu monachor.* quænam verò sit rationabilis causa differendi eiusmodi benedictionem explicat ibid. gloss. videlicet valetudo, & infirmitas benedicendæ, recusatio Episcopi sæpiùs requisiti, vacatio sedis, nondum sine culpa inita possessio. si corrupta propter fuisset, per eum qui ea in re posset dispensare, illa enim quamuis legitimè promota, benedici nunquam debet. hæc porrò benedictionis necessitas intelligenda est in monasteriis, in quibus Abbatissæ solent benedici, (vt ibidem monet Pontifex) cuiusmodi non sunt temporariæ, siue quæ perpetuę non sunt, nisi expresso aliquo iure id caueatur, quod obseruauit Miranda in manu. par. 3. q. 7. art. 7. sub. fin. quænam verò ex aliis benedici soleãt consulẽdam esse consuetudinẽ quadraginta postremorũ annorum monet gloss. in Clem. citatã. ℣. bened. & Azor. 2. p. l. 13. c. 10. q. 4. Maior difficultas est, an ad eam pœnam necessaria sit sententia saltem declaratoria criminis. quod mihi probabilius videtur in ipso etiam Episc. omittente consecrationem suam tempore præscripto, vt dicam inferiùs. De benedictione porrò Abbatissarũ adi Tãburin. de iur. Abbatiss. disp.

Abortus fœtus animati causantes, siue procurãtes effectu subsequuto, excõmunicantur ipso facto, ex constitutione Sixti v. quæ incipit. *Effrenatam* vbi huius excõmunicationis absolutionẽ Pontifici reseruat; Greg. verò XIV. in simili cõstitutione, qua Sixtianæ rigorẽ molliuit, solis Episcopis & locorũ ordinariis reseruauit, atque ad abortum fœtus animati restrinxit. ab hac igitur excommunicatione non modo locorũ ordinarij possunt absoluere (quod tradũt Barbos. alleg. 50. de potestate Episc. n. 136. Filluc. tr. 29. n. 100. Homob. 6. de cas. reseruat. pat. 3. casu. 6. sed etiam omnes prælati iurisdictionẽ Episcopalem in suos habentes ex Roderic. tom. 2. qq. Regula. q. 33. A. 4. immò addit Diana par. 2. trac. 2. resolut. 13. adducens Sanch. & alios, eos qui ex priuilegio possunt absoluere ab omnibus casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, ab ista posse quoq; absoluere, quia licet ex nouo sacræ cõgregationis decreto nequeant absoluere à casibus Episcopalibus, id intelligitur de casibus, quos ipsi sibi Episcopi reseruant, non de illis, quos illis ius vult esse reseruatos.

2. Hoc idem crimen plectitur in clericis ab iisdem Põtificibus Sixto V. & Grego. XIV. priuatione omnis priuilegij clericalis, & omnium dignitatum, officiorũ, & beneficiorum Ecclesiasticorum, quę perpetuo manent sedi Apostolicæ reseruata, quæ tamen pœnæ non obligant ante sententiã declaratoriam, vt pluribus adductis probat Anton. Thesaur. in praxi de pœnis Ecclesiastic. par. 1. c. 27. & 28.

3. Incurrunt infamiam iuris, qui de hoc crimine cõdemnatati fuerint, quia damnatus de crimine publico, est ipso iure infamis l. infamem. D. de public. iud. hoc verò crimen siue iudicium publicum est. l. Corneliæ. D. De siccariis, vt ex communi docet Farinac. q. 122. n. 146. addit Thesau. par. 2. de pœnis Eccles. ℣. abortus. cap. vnico n. 4. omne crimen depositione dignum quale est illud, de quo agimus si fuerit notoriũ, & publicum facere infamem. Verum ad hoc opus esse sententia condemnatoria, alioquin fore tantùm infamiam popularem ostẽdimus lib. de irregul. cap. 5. q. 4. consect. 6. n. 16.

Quartò deniq; qui causam fœtus animati abortioni dederint, irregulares fieri constat ex capite *sicut ex litterarum de homicidio*, atque ex constitutionibus Sixti IV. & Gregorij XIV. iam sæpiùs allatis, qua de re fusiùs diximus lib. de irregula. c. 4. consectar. 2. quid verò in dubio fœtus animati sentiendum sit, quæsiuimus ibid. consecta. 7. sicut & an qui non nititur impedire abortũ, quem scit meditari mulierem à se corruptam cõsectar. 14. quod idem dicendũ erit de parẽtibus, qui non impediunt simile crimen quod filiam cogitare vident. an sit quoq; irregularis qui non potuit dissuadere fœminæ abortũ, cuius ipsi priùs author fuerat, definimus consectario 12. & deniq; an qui causam dedit abortui fœtus animati si mater inde pereat eod. c. 4. q. 2. consectar. 6. Ad extremum monet Thesaur. par. 2. ℣. aborsus, supplicantem in pœnitentiaria pro irregularitate ex aborsu occulto, teneri exprimere vtrum fœtus ille à se genitus esset, alioquin gratiam fore subreptitiam ex stylo pœnitentiariæ ip-

sius

sius, & facultatibus illi tribo nali factis.

Absolutio 1. clericus non Sacerdos absoluens sacramentaliter, fit irregularis, vt & omnis qui exercet ordinem, quem non habet. ex cap. 1. & 1. *de cleric. non ordin. ministra.* de qua irregularitate & intelligentia citati iuris pluribus egimus lib. de irregul. cap. 5. qu. 1. proposit. 3 num. 53. Dixi clericum, quia Laicus exercens actum aliquem annexum ordini sacro, non fit irregularis, vti ibid. consecta. 1. docuimus, quare neque absoluens Sacramentaliter erit irregularis: ea Bulla 21. Gregorij XIII. Præter irregularitatem verò, quam hic clericus incurrit, suspectus de hæresi redditur, possûtque aduersus eum fidei inquisitores procedere, quod monet Thesaur. par. 2. praxis. ℣. absolutio cap. 1. quam pœnam ad laicum quoque eiusdẽ criminis reum extẽderem.

2. Sacerdos non approbatus, aut sine sufficienti licentia, & auctoritate absoluens alienum subditum, *gradus sui periculo subiacebit* ex decreto Vrbani 11. can. *placuit de pœnit. dist.* 6. & *c. placuit* 9. q. 2. id est suspendi poterit ab officio: neque enim illud verbum *subiacebit* latam sententiam, sed ferendam eo loco indicat, vti docet Nauarr. in citatam dist. 6. in princ. contra Tiraqnell. qui contendit ex communi sententia verbum subiaceo etiã in futuro prolatum, continere latam sententiam. in l. si vnquam: c. de reuocand. donat. n. 148. sanè nullus eorum, qui accuratiùs recensuerunt censuras ipso iure latas, hanc suspensionem numerarunt, quia omnes ferendam duntaxat existimarunt.

Addit Thesaur. ℣. absolutio. c. 1. hunc reum incurrere in crimen falsi, & puniri posse pœna arbitraria. l. *Cornelia. de falsis.* sicut qui fingit se militem cum non sit, & qui vsurpat officium, quod non habet. *l. eos. D. ad l. Corneliam de fals.* vbi. DD. id tradunt, cum Bart. qui id ipsum asserit de vsurpante gradum doctoris, quod ipsum tradit Felin. in c. *tertio loco. n.* 1. *de probat.* vbi etiam agit de clerico faciente actum ordinis, quo caret: alij tamen malunt eiusmodi sacerdotem teneri potiùs crimine stellionatus, cum Menoch. de arbitra. casu 320. n. 4. & vlt. verum quocumqoe crimine istorum teneatur, poterit damnari l. Cornelia. atque adeo infamis erit, & consequenter post eiusmodi damnationem, & infamiã iuridicam irregularis, qua de re vide nostrum lib. de irregula. cap. 5. q. 2.

3. Religiosus absoluens absque legitima facultate sibi per priuilegia indulta excommunicatum à canone, aut sententiis per statuta prouincialia, vel Synodalia promulgatis, excommunicatur ipso iure, & vt talis statim est denuntiandus ab ordinariis locorum omni exẽptionis priuilegio: cuius excommunicationis absolutio sedi Apostolicæ reseruatur. Clem. *religiosi de priuileg.* nomine verò *sententiarum* glossa intelligit non modo excommunicationem, sed suspensionem qooque, & interdictum, alioqnin numero singulari vsus fuisset Pontifex quod argumentum imbelle profectò est, cum enim per varia statuta Synodalia excommunicationes infligi possint, non male nomine plurali sententiarum locutus est. Deinde cum ipsam excõmunicationem expresserit, cur & alias censuras æque non expressit, contentus nomine vniuersali sententiarum, quod ad rem, de qua proximè actum fuerat nempe ad excommunicationem restringendum esse, ipsa textus series docet, immò & ratio euincit. Quis enim credat Põtificem plus fauoris, aut authoritatis indulsisse statutis prouincialibus, aut Synodalibus quam Pontificum, & Conciliorum legibus, quod tamen fecisset ex mente glossæ quandoquidem puniret solam absolutionem excommunicationis à canone, id est lege Pontificia, & conciliari latæ; non vero absolutionem aliarum censurarum suspensionis, & interdicti à canone Latarum & tamen punit absolutionem omnium censurarum, quas statuta Prouincialia & Synodalia tulerint, si à Religiosis absque debita licentia conferatur. Denique cum ex his omnibus dubium sit, an verbis Põtificis sola excommunicatio, an aliæ quoque censuræ contineantur atque in dubio pœnæ restringẽdæ potiùs sint quàm amplıandæ. Dicendum est solius excõmunicationis absolutionem prohiberi à Clemente quod tradunt Siluest, ℣ excommunicatio 7. num. 38. Sayr. lib. 3. Thesau. c. 29. num. 27. & 37. Suar. disp. 22. sect. 4. n. 16. Alteri. lib. 5. disp. 22. c. 3. Filluc. trac. 15. c. 8. n. 189. Bonac. disp. 2. de cens. in particul. q. 9. punc. 5. Ferdinand. à Castro disp. 3. de censu. punc. 25. n. 15. qui omnes obseruant, nullã absolutionem censuræ ab homine latæ hac clementina puniri, quia illæ censuræ differunt à cẽsura à canone vel statuto lata, de qua sola loquitur Clemens.

4. Eadem Clementina excommunicantur religiosi, qui à culpa, & à pœna absoluere quemquam præsumpserint; hoc est plenariam indulgentiam, & remissionem peccatorum concedere vti omnes interpretantur, ex vulgari loquendi modo, quare non opus est hanc absolutionẽ esse Sacramentalem à culpa, modo sit cõcessio remissionis plenariæ peccatorum, quod aduertunt Syln. ℣. excommunicatio 7. num. 31. Caietan. ℣. eodem. cap. 64. Sayr. lib. 3. c. 29. n. 38. Suar. disp. 22. sect. 4. n. 19. Alteri. lib. 5. disp. 22. c. 3. Bonac. disp. 2. qu. 9. punc. 5. n. 23. Ferdin. à Castro disp. 3. punc. 25. n. 16. Thesaur. 2. par. praxis. ℣. indulgentia. cap. 1. hanc verò pœnam comprehendere etiam absolutionẽ fictam, siue animo tantùm decipiendi, & non indulgentiam concedendi datam, sapienter aduertunt Bonac, & Ferdinand.

5. Absoluentes ab excommunicationibus in bulla cœnæ latis, non seruatã forma ibidem præscripta, præstanda nimirum caotione de stando mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendo parti læsæ, excommunicantur reuocatis omnibus prioilegiis contrariis, quamuis per aliquod generale Concilium concessa fuerint, Absolutionem præterea impertitam nullam esse declarat Pontifex, quare priuilegium à Tridentino factum Episcopis absoluendi ab hæresi, & casibus occultis, per hanc particulam reuocatum esse contendit Ferdin. à Castro trac. 4. disp. 4. punc. 3. §. 1. n. 22. in articulo mortis si neque satisfactio realis, neque cautio dari possit à reo, sensibus v.g. destituto. omittenda tamen non erit absolutio, vti monent Sayr. lib. 3. c. 25. n. 4. Suar. disp. 21. sect. 3. n. 2. Bonac. disp. 1. q. 22. punc. 3. Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 22. num. 3. immò etiamsi non fuerit data valida cautio, valida nihilominus erit absolutio, si defectus potestatis non obsit, quia Pontifex requirit tantùm cautionem, & eius speciem non exprimit, inquit Suar. l. c.

Excommunicationem porrò, quam incurrunt indebitè absoluentes reseruatam olim fuisse dicit Caietan. ℣. excommunicatio. c. 77. Armilla, Felin. & alij quidam relati à Thesaurum ℣. absolutio. c. 3. quod iure negant Naua. c. 27. n. 74. Tolet. lib. 1. c. 31. Sayr. lib. 3. c. 25. n. 7. Suar. disp. 21. sect. 3. n. 6. Duard. in in hanc bul. lib. 3. §. 3. q. 1. n. 2. Alteri lib. 5. disp. 22. cap 3. dub. 2. Filluc. trac. 16. cap. 7. qu. 8. num. 124. Bonac. disp. 1. de cens. q. 22. punc. 3. num. 8. Ferdinand. à Castro punc. 22. citato num. 5. sacra tamen congregatio Cardinald. Episcop. & regularium causis præsidens decreuit, Clem. VIII. iussu ann. 1601. 9. Ianuarij. omnes in

Italia

Italia extra vrbem siue regulares, siue irregulares præsumentes respectu priuilegiorum à casibus clarè, aut dubiè in ea bulla contentis, aut aliàs Papæ reseruatis, aut ab ordinarijs locorũ reseruatis, absoluere nisi obtenta in scriptis licentia, & ordinarijs exhibenda, præterquã in mortis articulo incurrere excommunicationem reseruatam pontifici, præter priuationem omnium officiorum, beneficiorum, & dignitatum, inhabilitatẽ ad confessiones audiendas & ad quæcunq; officia, beneficia, & prælaturas, quarum omnium pœnarum relaxatio penes solum pontificem esset, huius tamen decreti rigorem molliuit eadem sacra congregatio, eodem Clemente iubente an. 1602. Nouemb. 26. & hanc censuram, ac pœnas restrinxit ad solã absolutionẽ à casibus bullæ cœnæ, & à violatione immunitatis Ecclesiasticæ, clausuræ monialium ad malum finem, duellantium, & prouocantium ad duellum, inijcientiũ manus in clericos, simoniæ realis, & confidentiæ beneficiorũ; & deniq; à casibus, quos sibi ordinarij reseruassent, pœnasque alias minuit, quod confirmauit deinde Paul. V. additis pluribus alijs clausulis derogatorijs an. 1607. 7. Ianua. de quo vide Barbos. 50. nu. 186. Homobo. de casib. reseruat. par. 1. Dian. 2. pa. trac. 2. resolut. 13. & trac. 4. resolut. 73. Deniq; eadem congregat. ex mandato Vrban. VIII. nullibi extra Romã vult prætextu priuilegiorũ absoluere quemquã à casibus ab ordinario reseruatis, neq; ab excõmunicationibus bullæ cœnæ, sanè in bulla cœnæ Vrbani non reseruari hanc excõmunicationem, de qua agimus, obseruat Ferdin. l. c. & addit cũ Bonac. Clementem, aliosq; Pontifices nõ agere nisi de absolutione, quæ datur prætextu priuilegiorum, nam si vel ex malitia, vel ex ignorantia, aut aliqua alia ex causa detur, nõ incurreretur ea excommunicatio.

6. clerici absoluentes excommunicatum à Pontifice, incidunt in excommunicationem eidẽ Pontifici reseruatam, quia tunc cum illo participant in diuinis scienter, & sponte, cui participationi infligitur eiusmodi excommunicatio. c. *significauit. de senten. excommu.* de quo textu plura diximus, disputantes nuper de communicatione sacra cum excommunicatis, hoc loco dumtaxat necessarium esse, vt hic excommunicatus, qui ad diuina admittitur, sit nominatim, & iudicialiter excommunicatus à Pontifice, atq; adeò denuntiatus, ita Nauarr. c. 27 nu. 93. Sayr. lib. 3. c. 29. n. 6. Suar. disp. 10. sect. 2. n. 9. A uila 2. par. c. 6. disp. 10. dub. 2. Filluc. trac. 15. c. 7. q. 1. n. 168. Barbo. allegat. 50. n. 88. de potestate Episcopi. Bonac. disp. 2. de censur. in particul. q. 5. punc. 3. n. 3. Ferdin. à Castro disp. 3. punc. 24. n. 3. deinde qui admittit hunc excommunicatum ad diuina sit clericus oportet vt l. c. diximus, quia ipse textus apertè loquitur de clericis, quibus etiã solis competit ad diuina admittere: nomine verò clericorum hoc loco, vt pote in materia odiosa, non comprehendi religiosos, monuit Bonac. punc. citato. n. 5. deniq; hæc cõmunicatio debet esse in participatione, & admissione ad diuina officia, vti ipse textus habet, qui modum illius participationis exprimit quare clericus, qui tanquam vnus de plebe assisteret diuinis officijs, cum eiusmodi excommunicato à Pontifice, & denuntiato, non incurreret hanc excommunicationem, ita Caietan. ✠. excommunicatio c. 58. Sayr. Bonac. Barbos. & Ferdinan. adducti, qui etiam requirunt in hoc participante notitiã excommunicationis Pontificiæ, quia Pontifex postulat, vt hæc admissio scienter fiat, & Sponte, hoc est, absque metu, & timore.

7. absoluens excommunicatũ denuntiatũ interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, & nequit absolui, nisi satisfaciat ad arbitrium eius, qui censuram tulerat. c. *Episcoporum* de priuileg. in 6. satisfaciet verò confessarius vel monendo pœnitentẽ, se non fuisse validè absolutũ, (qua de re vide Suar. disp. 22. de pœnit. s. 6. n. 3. vel obtinendo facultatem eum licet absentem absoluendi, posse enim à solis censuris impertiri absenti absolutionem diximus disq. 10. adi etiam Thesaur. in praxi prima par. cap. 21.

8. absoluens sacramẽtaliter interdictum nominatùm denuntiatum, interdicitur ipsemet ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfecerit arbitrio eius, qui sentẽtiã tulerat. c. *Episcoporũ de priuileg. in 6.* quæ eadem pœna infligitur cuilibet clerico admittenti interdictũ, ad diuina, qua de re adi Sayr. li. 5. vbi de interdicto c. 14. n. 34. Suar. disp. 33. nosq; diximus agentea de pœnis violãtiũ interdictũ, vbi quoq; quæsiuimus, an aliquã suspensionem & irregularitatẽ incurrant, & iterum indicabimus in hac Synopsi ✠. Censura.

9. Gregori. X. c. *absolutionis, de his quæ vi &c. in 6.* eos qui vi aut metu absolutionem excõmunicationis, alteriusue censuræ extorquent, excõmunicationis sententiæ subjacere decreuit. ipsamq; absolutionẽ viribus omninò destitui, idẽ constituit aduersus extorquentes reuocationem, censuræ alicuius, cum verò Pontifex ad hanc excommunicationẽ incurrẽdam velit extorqueri vi aut metu absolutionẽ, vel reuocationem censuræ, illã non incurrẽt qui eiusmodi extorsionem mandant, aut consulunt, illiusq; tantùm causæ morales existũt, neq; enim verè dici possunt, & propriè extorquere: quod aduertit sapienter Bonac. disp. 2. q. 2. p. 15. sub fin. debet præterea extorsio fieri per vim, aut metum, alioquin non plectitur hac pœna, quia Pontifex modum extorsionis designat, isque metus, aut vis iniustè incuti debent, alioquin de actione iusta extorsio malè vsurparetur, & puniretur absq; culpa; leuem porrò metũ sufficere existimant Caietan. ✠. excommunicatio. c. 4. Nauarr. c. 27. n. 125. Reginal. li. 9. n. 346. cæteri tamen passim metum grauẽ requirũt Silu. ✠. excommunicatio 9. n. 43. Sayr. lib. 3. Thesau. c. 34. n. 12. Suar. disp. 23. s. 4. n. 11. Filluc. trac. 14. c. 4. q. 7. n. 59. Bonac. punc. 15. citato. n. 2. Ferdinand à Castro disp. 3. pũc. 33. n. 7. quia metus absolutè prolatus, de graui intelligendus est, cũ leuis vix existimetur à iure, maximè vbi de eius punitione agit, alioquin litibus innumeris locum daret, diximusq; disq. 10. absolutionem censuræ, leui extortam metu validam esse, quod de ista negat Grego. quare agit omninò de graui metu. non satis porrò erit metum, aut vim adhibuisse ad extorquendam eiusmodi absolutionem, vel reuocationẽ censuræ, nisi ipsa data fuerit, cum Pontifex absolutionem, vel reuocationem extortam esse requirat; extorta autem non est, si nõdum concessa fuit: in pœnalibus enim verba improprianda, & amplianda non sunt, vti sæpiùs toto hoc tractatu monuimus, atq; ita sentiunt laudati DD. Suar. Filluc. Sayr. Bonac. Caietan. & Ferdin.

Maior videri posset difficultas, an extorquens absolutionem, aut reuocationem minoris tantũ excõmunicationis, puniatur à Pontifice hoc loco excõmunicatione maiori: ita enim visum fuit Bonac. citato. punc. quia Pontifex punit extorquentem absolutionem, vel reuocationem excommunicationis, quæ vox simpliciter, & absolutè prolata vtramq; excommunicationem maiorẽ scilicet, & minorem cõplectitur, placet tamẽ cũ Ferdin. Sayro. Filluc. Sylu. citatis, & Angel. ✠. excommunicatio. 7. n. 18. de sola maiori excommunicatione loqui Pontificem, quã etiam solam ea voce significant iura, nisi aliquid addant, vnde ad minorem ampliandam esse

vocem colligatur. In casu verò, de quo agimus, manifestum est, Gregorium loqui solùm de maiori excommunicatione: minoris enim absolutio à quocumque impendi potest, ac proinde nihil necesse est, eam vi, & minis extorquere, deinde agit de sententia excommunicationis, cuius absolutio, & reuocatio, per vim obtinetur, atqui maior excommunicatio nunquã per sententiam ab homine imponitur.

Dubitatur tamen iure merito, vtrum absolutio, censuræ iniustæ puniatur hoc loco à Pontifice, quia Pontifex punit modum illum obtinendi absolutionem, per vim, & metum, vt pote iniuriosum Ecclesiæ: quod æque contingit siue iusta, siue iniusta fuerit censura, vnde Sayr, aliique ita sentiunt, quod durum omninò videtur, quia cum is, qui iniustam censuram inflixit, iniustitiam commiserit, & tibi iniuriam irrogarit, licet omninò illam iniustitiam remouere, atque iniuriam repellere; quod si non possis obtinere, nisi vi, & metu, illum incutere iure poteris, non enim iniusta erit incussio metus, sed iusta: ac proinde neque erit extorsio (vt monebamus) sed defensio tui iuris; cum itaque nullã iniustitiam commiseris, neque iniuriam Ecclesiæ irroges, puniri non debes tam graui pœna, quàm est excommunicatio; neque irritari debebit absolutio, quæ iniustitiam priùs commissam emendauit, & quam ex iustitia impendere tenebatur, qui eam negabat, & quam non extorsi, sed iure merito poposci, atque hanc tandem sententiam probabilem existimat Ferdinand. Acastro, & mihi omninò certa est, si priùs tentata sunt omnia media necessaria, & legitima, ad obtinendam absolutionem iniustæ censuræ: illa enim obstinata negatio est continuatio iniustitię, & iniuriæ, quam continuò infert qui continuò tenet alium iniustè ligatum, quem soluere posset, & obligatur soluere, ad emendandam iniuriam, quam intulit, quæque perseuerat, quãdiu iniqua illa censura innodatus manet. non displicet tamen distinctio allata à Ferdin. quia dissidia DD. componit, nempe extorsionem hanc absolutionem à censura iniusta simul & inualida non puniri à Pontifice, qui agit de vera absolutione, & veræ, ac propriè censurę, quandoquidem absolutionem ita extortam reddit irritam, & censuræ vinculum manere vult, atqui censura inualida vera non est, neque ligat, eiusque absolutio præsumpta duntaxat existit. quare ita docent Bona, disp. 2. q. 2. punč. 15. n. 6. Filluc. tr. 14. c. 4. q. 7. n. 59. Suar. disp. 23. sect. 4. n. 12. quãdò verò cẽsura iniusta quidẽ fuit, sed valida, ac proinde eius absolutio fit vera absolutio, eius extorsioné tãquã Ecclesiæ iniuriosam puniet iure merito Pontifex: sed placet perstare in nostra sententia.

Ad extremum moneo, hanc excommunicationem non esse reseruatam.

10. Clem. VIII. in quodam decreto, quod magna ex parte refert Ferdinand. Acastro disp. 3. punc. 10. n. 19. excommunicat excommunicatione sibi reseruata eos qui verbo, vel scripto docuerint licere obtinere absolutionem per litteras ab absente confessario, & illi vicissim absenti per litteras confiteri, eamque opinionem vt minùs, tanquam temerariam, falsam, & scandalosam damnauit, neque tantum illicitam, sed inualidam quoque dixit illam absolutionem: quia tamen non pronuntiauit vt hæreticam talem opinionem qui illam doceret, non subiacet hæreticorum pœnis.

Accusatio. Omnis qui in causa criminali criminaliter accusat alium petendo vindictam, fit irregularis sequuta eius morte, ex cap. 2. de homicidio in 6. de hac irregularitate fusius disputauimus lib. de irregula. cap. 4. q. 3. confecta. 7. diffic. 11.

Idem disputaui de Aduocato in causa sanguinis ibidem diffic. 16. vid. locum.

Adulterium, Adulter. 1. An adulter fiat irregularis si maritus occidat vxorem, propter adulterium commissum, vti plures existimant cum Nau. cap. 27. n. 238. pluribus disputaui lib de irregularit. c. 4. q. 2. consectario 3. consectario vero 4. an qui marito adulterium vxoris aperit, quam ille deinde perimit, fiat quoque irregularis, & denique adulter, qui maritum se inuadentem occidit, cum aliter se tueri non possit, eandem pœnam incurrat, inquiro eod. cap. 4. & q. 3. consect. 5. & difficultate prima.

Agni cerei. De his vide tractatum eruditum Theophili Raynaudi, Gregori. XIII. constitutione sua, quę incipit *omni studio*, excõmunicat eos, qui agnos cereos à Põtifice benedictos pingere, miniare, deaurare præsumpserint, aut tales vendere, vel retinere, excommunicantur igitur 1. qui ita depingunt illos agnos ex malitia, nã si sit inculpabilis ea coloratio, reuera non plectetur tam graui pœna: deinde ignorantia etiam crassa excusabit, quia Pontifex requirit scientiam, cum ait, ne qualibet de causa ista facere quis audeat: quod in similibus clausulis appositis eiusmodi legibus pœnalibus, atq; in hac ipsa censuratum materia superiùs monuimus cum Sanc. lib. 9. de matrim. disp. 32. n. 38. & Suar. disp. 21. de censu. sect. 3. sub. fin.

2. Excommunicantur qui has omnes actiones circa eiusmodi cereos fieri mandarint, in his autem actionibus non continetur liquefactio ipsorum, & cum puluere reliquiarũ permixtio, ex quibus fit vna quędã massa, quę deinde in varias imagines figuratur, quia (vt obseruat Bonac. disp. 2. de censur. in particul. q. 2. punc. 29. n. 34.) illa non est agnorum cereorum miniatio, vel coloratio, sed liquefactio, & noua confectio.

3. Excommunicantur qui eiusmodi agnos ita depictos, miniatos, aut deauratos vænales habent. quod de venditione simoniaca intelligendũ, est, eo quod ratione benedictionis pluris vendantur: non verò si ratione laboris, aut expensarum, in iis conficiendis, pingendis, aut Romã asportandis carius væneant: quod docent Sanch. lib. 2. in decal. cap. 43. n. 29. & Bonac. loco citato, contra Azor 1. p. lib. 9. c. 9. q. 4. neq; multum abest Filluc. trac. 14. c. 6. q. 8. denique damnantur qui hos agnos retinent ad vendendum scilicet, alioquin illos destrui iuberet, quod aduertunt Sanch. & Bonac. cum Ferdina. Acastro disp. 3. punc. 37. n. 21. Dian. 2. p. trac. 6. Miscellan. resolut. 12. non esse porrò hanc Gregorij constitutionẽ receptam, aut saltem contrario vsu maximè extra vrbem abrogatam fuisse monet Filluc. trac. 14. n. 95. & sanè videmus passim absque vlla religione illam non seruari, quidquid contrarium sentiat Fagund. in præc. Eccles. præcep. 1. lib. 1. cap. 4. n. 25.

Alienatio. 1. Iure antiquo deponendus erat. Episcopus, qui sine necessitate res Ecclesiæ alienabat. *c. si quis Episcopus* 10. *q.* 2. & *c. Apostolicos* 12. *q.* 1. eadẽ pœna infligẽda dicitur, si episcopus absq; licentia, Primatis, aut Metropolitani, & suffraganeorũ alienet. *c. nullus res* 17. *q.* 4. clerici quoq; & Abbates, qui sine licentia sui Episcopi alienãt, simili depositione puniendi dicuntur. *c. Abbatibus* 12. *q.* 2. hæc antiqua iura tẽperauit Paul. II. in extrau. Ambitiosæ de rebus Eccles. non alienand. & prælatos alienantes bona Ecclesiastica siue immobilia, siue mobilia pretiosa, quæ seruãdo seruari possunt, absque debita forma ibidem præscripta, & extra casus iure permissos, mulctat ingressu Ecclesiæ, si Episcopi, aut Abbates sint, & nisi intra menses se eo interdicto absolui curarint, suspendit à regimine, &

& administratione suarum Ecclesiarum, clerici verò inferiores Episcopis, & Abbatibus priuantur beneficio, cuius bona alienare præsumpserunt, & præterea excommunicationem incurrunt, quam etiam infligi Episcopis, & Abbatibus dixerunt Quaranta ♈. alienatio. & Naua.consil. 3. de rebus Eccles. non alienand. sed falsò, vti docent Bonac. trac. de alienat. punc. 5. n. 1. Filluc. tracta. 44. cap. 6. Ferdin. Acastro Palao.trac. 12.punc. 15. §. 6. n. 7. & disp. 3. de censur.punc. 35.n.4. Hæc porrò excōmunicatio quemcunq; tandem feriat, reseruata non est: quod volunt Tolet.li.1.c.40.Suar.disp.23.s.6. n.3.Sayr.lib.3.c.32.n.22. aliique passim, qui inter non reseruatas numerant. ad illam verò incurrendā requiritur scientia, & quælibet ignorātia etiā crassa excusabit, eo quod Pontifex requirat præsūptionē.

Moneo ad extremū, hanc constitutionem vsu receptam non esse quoad pœnas: quod monent Sylu. ♈. alienatio. q. 15. Vasq. in simili opusc.c. 2.c. 1. dub. 7. n. 32. Bonac. disp. 3. de contrac. q. 8. punc. 4. n. 14. Suar. disp. 23. de censur. s. 6. n. 3. Nauarr. c. 27. n. 149. Barbo. allegat. 5 0. n. 173. de potesta. Episc. Ferdin. Acastro tract. 12. punc. vlt. n. 7.

2. iudices cōmissarij, qui cōsenserint alienationi in detrimentum, & grauamen Ecclesiæ, aut illi authoritatem præstiterint, vel decretum de ea fecerint, si inferiores sint Episcopis excommunicātur, Episcopi autem suspenduntur ab Executione officij, ea vero excōmunicatio reseruata nō est, ita edixit Paul. II. constitutione sua 2. quæ incipit *cum omnibus iudicijs*, si verò ista alienatio non fit in detrimentū Ecclesiæ, etiamsi permittant iudices fieri contra cōcessionem Pontificis, aut sine illa, non incurrent hanc pœnam iudices delegati, aut commissatij, quamuis ipsi cōsensum, auctoritatēq; præstiterint, quod monent Suar. disp. 22. s. 6. n. 4. Alteri. & cæteri. non requiritur autem, vt iudex metu, aut muneribus inductus vel corruptus consenserit ad hanc excōmunicationē, quia Pontifex punit consensum, & authoritatem tali alienationi noxiæ præstitam; neq; modum eius specialem requirit, sed non existimatim infligi hanc pœnam antequā alienatio sit reipsa facta, cum ex regula à nobis posita requiratur scelus consummatum ad has pœnas.

3. procurantes dolosè alienationē Ecclesiæ grauē, aut decretum alienationis plectuntur excommunicatione Pontifici reseruata ab eod. Paul. II. in constitutione citata, cum autē Pontifex requirat dolum, debet qui procurat eam alienationem, scire eam cedere in detrimentum Ecclesiæ.

4. omnes cuiuscumq; gradus, & dignitatis fuerint etiā Episcopalis, & Cardinalitiæ, qui quocūq; prætextu tractauerint, consuluerint, aut verba fecerint de infeudandis, & alienandis ciuitatibus, & locis ad sedē Apostolicam immediatē pertinentibus, eumq; in finem oratorem ad sedem Apostolicā elegerint, excommunicantur excommunicatione pontifici reseruata ipseq; orator qui id munus susceperit, eadē pœna plectitur: ita Pius V. in bulla 3. quæ incipit *admonet nos*, quam confirmauit Vrbanus VIII. an. 1623. pridie. Kal. Octobr. bulla, quæ incipit, *sacrosancti*, Excipiuntur tamen hæc loca, quæ propter delicta fisco pōtificio fuerint addicta, iuxta bullam Gregorij XIII. quæ incipit *tanta, tamq; horrenda*, & Sixti V. quæ incipit *Hoc nostri pontificatus initio*; vel quæ à Baronibus empta fuerint primo triennio ex bulla Clem. VIII. 41. quæ incipit *iustitiæ ratio*. noluit nēpe pontifex eiusmodi tractatibus cogi ad alienationē, quam deinde negare sine magnis turbis aliquando non potest, verum de hac bulla Pij V. & Vrbani VIII. vide Thesaur. 2. p. ♈. alienatio. cap. tertio & quarto.

5. Clem. 1. de rebus Eccles. non alien. Prælati religiosi monasterijs regularibus, Ecclesijs, & administrationibus præsidētes, qui alienant ad longū tēpus iura, redditus, vel possessiones monasterio:ū, & Ecclesiarū, quibus præsunt absq; sufficienti necessitate & vtilitate Ecclesiæ; vel monasterij, ipsiusq; connētus, aut si conuentū nō habet, superioris assensu suspenduntur ab officio, hoc est tum ordinis, tum iurisdictionis, cū ea vox absolutè posita vtrumq; istud officium comprehēdat, vti in hoc casu monet Suar. disp. 21. sect. 6. n. 8. & Bonac. disp. 3. de censur. q. 8. punc. 7. sub fin. & Ferdin. Acastro disp. 4. punc. 10. n. 3. vbi de hac censura disputant. adi quoq; Nau. c. 27. n. 157. Henriq. lib. 13. c. 40. n. 1. Sayr. lib. 4. cap. 13. n. 12. Filluc. trac. 17. c. 9. n. 169. & glossam clementinæ citatæ.

6. quia plerique religiosi gaudebant priuilegio alienandi absq; licentia sedis Apostolicæ, vti testantur Molin. tract. 2. disp. 468. Roderiq. tom. 1. qq. regula. q. 27. n. 3. Suar. tom. 4. de relig. lib. 4. cap. 18. n. 13. ne quis tamen abusus ex huiusmodi priuilegio subreperet, sacra congregatio concil. Trident. iussu Vrbani VIII. die 7. Septembr. an 1624. hoc priuilegium sustulit, & ne quis absq; licentia sacræ congregationis alienaret, sanciuit, alioquin eiusmodi contractus annullauit: alienantes verò religiosos priuauit. 1. omnibus officijs. 2. omni iure vocis actiuæ, & passiuæ. 3. inhabiles reddit ad hæc omnia recuperāda 4. in his pœnis solū Pontificē, aut sacrā congregationē dispensare posse voluit. 5. dantes, & accipientes percutit excōmunicatione, si Episcopis, & Abbatibus inferiores fuerint: ipsos autē Episcopos, & Abbates interdicto, vel suspensione, vt in extrau. Ambitiosæ, & nos nuper diximus.

Anno deinde 1626. 21. Maij eadem S. Congregatio eiusdē Vrbani mandato, idem decretū ampliauit, & illo comprehendi voluit regulares accipientes pecunias ad cambiū, aut mutuo, sub lucro cessante, quia inde grauātur domus religiosæ, hæc porrò Sacræ congregationis iussio de alienationibus, in Gallia recepta non est

Ambitus. 1. in electione Pontificis, de illo dicemus inferiùs, ♈. electio;

2. nuntij Apostolici ambientes fauores, litteras, & commendationes principum, ad quos mittuntur, vt sibi, aut suis obtineant à pōtifice officia, dignitates, beneficia, administrationes, aliaq; eiusmodi siue Ecclesiastica, siue sæcularia, excōmunicantur à Pio IV; constitutione *etsi Romani Pontificem*, quæ est 96; excōmunicatio hæc non est reseruata deinde priuātur ipso facto omnibus dignitatibus, officijs; beneficijs sæcularibus, & regularibus; ad quæ fiunt perpetuo inhabiles, notanturq; infamia, de hac constitutione vide Barbos. de potesta. Episc. allegat. 50. n. 134. & Bonac. de cēsur. in particul. disp. 2. q. 6. punc. 3. ratio illius est, ne nūtij ea spe præiudiciū aliquod faciant negotijs Ecclesiæ, & præuaricentur, vt sibi principum fauorem, & commendationē apud Pontificem demereantur: quare sic quidem sponte, & vltro oblatis à principe eiusmodi commēdationibus, vti voluit nuntios apostolicos Pius, dicante nimirū legatione, & ad aliquid à pontifice obtinendū, quare non violabunt eiusmodi cōstitutionem, si quidpiam ab alio, quàm à Pōtifice illis litteris alicui velint, neq; etiā si principibus spōte hæc præstantibus non contradicant, nō præcipitur enim illa cōtradictio, sed sola procuratio, & vsus cōmendationū istarum prohibetur, quod aduertit Ferdinand. Acastro disp.

disp. 3. de censur. punc. 37. n. 13. reliqua de ambitu vide ℣. beneficia, & ℣. electio.

Annona 1. Clemens VII. an. 1523. constitutione *ad Sacram.* quæ est V. confirmans Sixti IV. & Iulij II. constitutiones excommunicat absolutione sibi reseruata, Barones, & Domicellos Romanos, aliasque personas Ecclesiasticas, aut sæculares, quacumque dignitate, etiam cardinalitia fulgentes, fundos intra quinquaginta milliaria ab vrbe possidentes, qui à suis subditis frumenta, & blada præterquam pro suæ familiæ vsu, & necessitate emere, & ad vrbem deferri præsumpserint, aut ad alia loca, sine licentia sedis, aut cameræ apostolicæ deferre ausi fuerint. qua pœna constringi quoque vult, eos, qui auxilium, consilium, fauorem occultè, vel publicè, directè, vel indirectè quouis quæsito colore præstare attentarint, si fuerint Episcopi, aut alij prælati suspensionem à diuinis incurrent. in his porrò omnibus agitur de vrbe Roma, nō de curia Romana, quæ aliquandò extra Romã existit, vide Bonac. disp. 1. de cẽs. in partic. q. 9. punc. 1. n. 12.

2. Aduersus eos, qui annonam ex statu Ecclesiastico, & multò magis ex vrbe Roma extrahũt, plurimæ sunt editæ constitutiones Sixti IV. Iulij II. Clem. VII. Pij V. Gregor. XIII. Clem. VIII. & Paul. V. de quibus consule Bonac. disp. 2. q. 3. punc. 42. cum enim Vrban. VIII. 12. Kal. Nou. ann. 1614. constitutione, quæ incipit *superni.* priorum Pontificum Sanctiones innouarit, & in quibusdam emendarit, huic vni standum est. excommunicat igitur Vrban. eos, qui frumentum, blada, legumina, & oleum ex statu Ecclesiastico extrahũt, hoc est ex locis Ecclesiæ Romanæ immediatè subiectis, ad loca extra Ecclesiam, imo ad loca Ecclesiæ mediatè subiectæ transferunt, mercimonij causa.

Prohibetur igitur extractio huiusmodi annonæ mercimonij causa, quare si res illæ extrahuntur ob alium quemdam finem, quàm negotiationis, vt ad alendam familiam, non violatur lex, neq; incurritur pœna, quã infligit, quia verba illa *mercimonij causa* restringunt prohibitionem, dispositionem, quod obseruauit Bonac. citato punc. 42. n. 8.

Res, quæ extrahi prohibentur, sunt frumentum, blada, legumina, & oleũ. quia licet singula ista non expresserit Vrban. cum tamẽ confirmarit, & innouarit cõstitutiones Pij V. Gregor. XIII. Clem. VIII. & Pauli V. in quibus ista continentur, ea omnia, sua quoq; constitutione cõprehensa esse sine dubio voluit Paul. quidẽ V. in bulla anni 1606. quę incipit *pro peculiari,* olei non meminit: verum ea bulla cõfirmatoria est eius quam anno præcedenti tulerat, & in qua olei fecerat mentionẽ: præterquã quod in illis verbis *& id annona genus*, oleum comprehendi sapienter annotarũt Filluc. trac. 15. c. 6. q. 9. n. 160. & Bonac. laudato pun. 42. n. 6. vbi etiã n. 3. nomine frumenti, & bladi intellexit triticum, hordeum, auenã, far, siliginem, & quęcumque semina aristas emittẽtia, non autem pyra, poma, nuces, cœpas, & similes fructus. nomine leguminũ significatur quidquid in siliquis nascitur, vt fabæ, cicer, lentes, & similia. nomine deniq; olei liquor ille qui ex oliuis exprimitur, non autẽ ipsæmet oliuę, vt nonnulli existimarunt, eo quod oliuis extractis censeatur extrahi oleum, quod in ipsis continetur: quod verius erit si oliuę in finem exprimendi olei extrahantur, ideóq; maturæ, & idoneæ oleo conficiẽdo, nõ verò acerbæ transferãtur, persto tamẽ in sententia allata, quam sequitur Ferdin. à Castro disp. 5. punc. 30. sub fin. extractionem oliuarum non prohiberi, quia specie differunt ab oleo, cuius proinde nomine non veniunt, nisi ad modũ impropriè & figuratè designari: in statutis autem pœnalibus voces impropriandę nõ sunt, deinde vix oleæ, ad conficiendum oleum extrahuntur, neq; in ea quantitate, quę ad id necessaria foret, quare non erat cur earum extractionem Pontifices tã sollicitè cauerẽt.

Dices inde sequi, neque extractionem farinę prohiberi, quia illa frumentum non est, à quo specie differt, eius itaque nomine nõ significatur, nisi impropriè, quam impropriationem cauendam esse in pœnalibus iam sæpiùs monemus, itaque hanc farinę extractionem impunè fieri permittunt nonnulli, apud Azori. 1. pa. lib. 5. cap. 26. q. 2.

℟. cum eodem Azor. Filluc. trac. 15. cap. 6. q. 9. n. 158. Duard. in bulla Cœnæ lib. 1. cap. 3. q. 4. n. 4. Bonac. disp. 2. q. 3. punc. 42. Ferdin. punc. 30. cit. n. 23. frumenti nomine farinã cõtineri, quę verè frumentum est, sed tritũ, & comminutũ in minimas partes: deinde lex põtificia inutilis esset, neq; annonæ caritatem caueret, vti intendit, prohibita extractione frumenti si farinę translatio licita foret: licet verò legem ad casum non expressum extendere, quandò absque ea extensione inutilis redderetur.

Non placet tamen Filluci. qui. panem etiam coctũ sub frumento contineri vult hoc loco, atq; eius adeò extractionem prohiberi, verius enim id negat Ferdin. à Castro adducens Bartol. in l. quæ fœlicis. §. illud. D. de legatis 3. vbi ait appellatione materiæ non venire materiatum, siue ex materia confectum, fauetque l. sicut lana. D. eod. quæ negat lanæ appellatione venire lanam netam, hoc est in filum redactam, multò minùs diceret telam, aut pannum lanæ nomine significari: at verò æque panis differt à frumento, atque pannus à lana, & tela à lino, neq; redderetur inutilis constitutiò pontificia si impunè extrahatur panis, quia nunquã in tanta quantitate extrahi solet, vt annonę caritatẽ, quam vitare vult Pontifex, afferat, & si quando id contingeret, facilè tunc id aduerti posset, & prohiberi.

Hæc porrò omnia extrahi debent in magna quantitate, quę sufficiat ad p. m. contra legẽ, & ad excõmunicationem incurrendam: quod omnes quidem concedunt, dissident tamen in assignanda illa quantitate, cum alij maiorẽ, alij minorem definiant, rem totã prudẽtis arbitrio relinquo, cum Bonac. & Ferdin. cum hac certa regula, leuitatem, & grauitatem materię hoc loco ex fine constitutionis desumendam esse: ille porrò est, vt vitetur in statu Ecclesiastico caritas frumenti, leguminũ, & olei, ea igitur extractio, quę huic fini grauiter obstabit, & eiusmodi caritatẽ annonę inducere potest, cẽsenda erit grauis, & huius excommunicationis materia.

Hæc porrò excommunicatio licet in Bulla Vrbani VIII. minimè reseruetur, cũ tamen ea Gregor. XIII. & Paul. V. constitutiones innouet, ac confirmet, eademque sub iisdem pœnis prohibeat, & illi hanc excommunicationem sibi reseruatam voluerint, hodiè reseruata manebit, vti Filluc. & Ferdin. contra Bonac. argumentantur.

3. In bulla Cœnæ §. vel canone 8. anathematizantur, omnes, qui inuadunt, aut impediunt deferentes victualia, aliaq; necessaria, ad Romanam curiã, qui ne ea adducantur prohibẽt, impediunt, perturbãt, vel similia præstantes defendunt per se, vel per alios, ferit autẽ hęc excõmunicatio omnes cuiuscumque fuerint ordinis, pręeminentię, conditionis, status, etiamsi pontificali, vel regali, & alia quauis Ecclesiastica, vel mundana fulgeant dignitate.

Quia verò hæc prohibitio tendit in defensionem, honorem, & potestatem Ecclesię, idcircò qui illam

illam violant tum iniustitiæ tum sacrilegij damnaot Caietan. ✠. excommunicatio, cap. 19. Sayr lib.3.cap. 12.n.2. Reginald.lib. 9. n. 207. Filluc. tract.ibid.n.155. Duard.in exposit. huius bullæ & canonis q. 10.n.3.Filluc.disp. 1.q.9.p.1.n.15.Ferdinand.disp.3.punc. 9. o. 2. quod non placet diligentius examinate.

Nomine victualium intelliguntur,quæ ad esum, potum, vestitum, & quæ curialibus tum ad habitandum,tum ad negotia gerenda necessaria sunt, in iisque Bona.comprehendit litteras, quibus continetur chirographum, quo pecunia Romam cambitur:alij verò id intelligunt solùm de litteris, quæ ad curiam Romanam diriguntur, non verò ad priuatas personas, sua quoque priuata negotia illic gerentes.

Impedite verò fraude,aut dolo,vel vi, & prohibere ne illa victualia, aliaque necessaria ad curiam Rom.deferantur,& voleñtes deferre perturbare,impedire, & prohibere ne deferant, & denique hæc omnia facientes defendere per se, aut alios sunt actiones, quæ manifestam iniustitiam continent, ideòque graui pœna plectuntur: quarè si quando similes actiones ab iniustitia excusarentur, vt qnia princeps, aliusue suæ ciuitatis, aut ditionis necessitati consulit, non incurreretur hæc pœna, esset enim iusta suorum defensio,& protectio;licet ex ea sequatur, ne in Romanam curiam victualia deferantur,quod monent.Caietan.✠.excommunicatio, cap.19.Nanar.cap.27.n.64.Sayr lib.3.cap.12.n.4. & Suar.disp. 21. sect. 2. n. 61. addit autem Ferdinand.cùm Bonac.id verum esse, quamuis princeps hæc omnia iniquo animo præstaret, quia non punitur hac constitutione prauus animus, & iniqua intentio,sed iniustum impedimentum delationi victualium ad Romanam curiam, quod reuerà tunc non ponitur.

Quæritur autem, quis sit iustus titulus ponendi hoc impedimentum,vt à culpa,& censura quis excusetur:nam eiusmodi titulum certum, & non dubium esse volunt Suar. Filluc.Duard.& Bonac. locis citatis;quia in eo dubio possessio fauet legi,quæ certa est, quod non probatur Ferdinando à Castro, qui sapienter vidit tunc æque fauere posse possessionem impedienti:præterquam quod æquum non videtur, vt stante dubio princeps præstans illud impedimentum,priuetur ea potestate quamuis dubia, per legem: pro ea enim potestate æque ac pro lege stat possessio:vti in eo qui dubitat, an compleuerit 21. annum,ideoque ex certa lege teneatur ieiunare:ad illud enim ieiunium nemo illum damnabit:quarè id totum arbitrio prudentis excussis diligenter omnibus causis relinquendum censeo, in foro tamen externo ferè semper præsumitur iusto titulo impedimentum fuisse appositum à persona publica, secùs verò à persona priuata, vt obseruat Bonac.disp.1.q.9.punc.3.n.2. quia persona publica, quæ suorum subditorum necessitatibus prouidere debet,plerúmque habet ius detinendi victualia publica, ne extra ditionem asportentur, quod non habet persona priuata, vnde colligit Ferdinand. quoties impedimentum ponitur à persona publica,onus probandi iniustum fuisse, tale impedimentum, incumbere impedito:secùs verò si fuerit impositum à persona priuata,illa enim probare debebit se iustè impediuisse,quia tunc præsumptio fauet impedito,non impedienti, neque quidquam interest,an victualia,quæ ad Romanam curiam deferri impedit princeps, vt suis subditis prouideat, ex sua ditione educantur, aut per ipsam aliunde transuehantur,& an curia Romana æqualẽ,ant grauiorem necessitatem patiatur;vti sapienter Vgolin. Duard.& Ferdinand.in exponenda hac lege docent, contra Bonac. quia nullam tunc facit Iniuriam curiæ Romanæ princeps, cum curia nullum ius strictum in illa victualia habeat, immò princeps aliqua ratione iam in illorum possessione existat.

Adde hoc impedimentum debere directè, & per se apponi, & non tantum per accidens: qui enim hostem hæc victualia deferentem occidit, vt iniuriam vlciscatur, vnde fit vt victualia non deferantur,hanc pœnam non incurrit,quia illa occisio fuit per se primò actio vltrix iniuriæ, & per accidens tantùm impeditiua trãsuectionis victualium in Romanam curiam, quod Viuald. Bonac. Duard. Sayr. Ferdinand. in expositione bullæ affirmant.

Deinde impediri debet translatio victualium ad Romanam curiam:nam si determinatè deferantur ad aliquam personam etiam curialem,non censentur deferri ad Romanam curiam, sed solum dum omnibus qui in curia in eo loco existente, illis vti voluerint, vt Viuald.Reginald.Sayr. Ferdin.Duard. citati tradunt,contra Bonac.denique quantitas victualium,quæ impeditur, debet esse grauis spectato fine præcepti,& rerum, quæ deferuntur qualitate,ac demum curiæ necessitate.

Mandantes, approbantes, & consulentes hanc impeditionem, non feriuntur hac pœna,quia de illis bulla non egit; sed solùm de impedientibus, quod physicè intelligendum est,non moraliter, & de defensoribus iniustè impedientes: quod contra Vgolin.tradunt laudati DD.

Apostasia triplex est, à fide,à Religioso statu, & ab ordine vti diximus aliàs 2.2.&in scientia canonica,quibus locis ab hæresi distinximus apostasiam à fide, quamuis illa grauior sit, ipsamque contineat, ideoque omnes hæresis pœnas, & censuras, maximè excommunicationem incurrat,quod eo loco tradidimus cum Sanch.lib.2.in decalo, cap.7.n. 18.& Canonistis in cap.1.de Apostatis.

2. Apostasia à Religioso statu,nisi coniuncta sit cum dimissione habitus, non plectitur à iure communi excommunicatione: si autem apostata suum dimittat habitum,excommunicatur *cap.2. ne clerici,vel Monachi* de quo textu vide Sanch. lib. 6. in decalog.cap.8.à n.37.immò nullæ pœnæ antiquo iure,ipso facto imponebantur Apostatis istis, sed imponendæ relinquebantur à Iudice Ecclesiastico, nam publicæ pœnitentiæ subijciebantur, vt iubet Leo ep. 92. ad Rusticum Narbon. cap.22.& deinde non poterant ad clericatus officium admitti,vti disertè tradit conc. Arelaten.2.c.25.de istis Apostatis agens,& lib.6.capitular.c.139.totidẽ verbis refert, neq; poterat ille post pœnitentiam habitũ secularem resumere, alioquin ab Ecclesia alienus habendus erat,id est excõmunicandus,vti edicit conc. Arelat. citatũ,sed de iis, aliisq; pœnis,quas antiqua disciplina tũ Ecclesiastica, tũ regularis iubebat imponi,tum viris, tũ fœminis à religione ad seculum apostatãtibus egimus fusiùs tr.de clausura regulari, disq.2.c.3.§.3.§.verò 4.de eorundẽ pœnis iure nouo disputaui,ostẽdiq; n.30. quod statim monebam, nullam à iure cõmuni inflictam esse censuram huic crimini,ipso facto incurrendam, quamuis enim cap. finali de Apostatis suspendantur ab exercitio sacri ordinis in Apostasia suscepti, licet ad meliorem deinde frugem redierint; ea tamen suspensio non est pœna apostasiæ, sed susceptionis ordinis, in tam propudioso statu suscepti, quod eo loco demonstrauimus, pluribusque locum illum

Oo 4 illustrauimus

illustrauimus, denique Pauli IV. constitutionem, *postquam diuina bonitas*, quę varias pœnas apostatis infligit, vsu receptam non fuisse monuimus cum Sanch. Ferdinand.& aliis ibidem allatis, in singulis tamen ferè religionibus, ex priuato iure censuræ ipso facto incurrendę infliguntur: sed de his plura v. habitus, & religio, interim adi Sanch. cap. 8. citato.

3. Apostasia ab ordine clericali est, cum sacris initiatus statum clericalem deserit,& laicalem amplectitur, vel vxorem ducendo, vel habitum clericalem dimittendo,& immiscendo se negotiis sæcularibus, non enormibus, aut enormibus (vt loquuntur) & cum statu clericali prorsus pugnantibus.

Si igitur sacris ordinibus initiati tentauerint matrimonium, ipso iure excommunicantur Clem. I. de consanguin. & affinit. quæ excommunicatio facta separatione reseruata non est, vt pluribus probat Sanch. lib.7.de matrim.disp.48.quem omninò adi, neque enim breuis nostra synopsis patitur eiusmodi obuias difficultates hic definire, obseruo tamen cum eodem Sanche ad hanc censuram non sufficere matrimonium fictè tantum contractum, quod etiam tradit Suar. disp. 23. de censur. sect. 5.n. 17.

2. Priuantur omni beneficio, & officio cap. decernimus,& cap. de his 28. distinct. non tamen ipso iure, sed per sententiam priuandi sunt, docent Sanch. lib. 7.de matrim.disp.43. n. 3. & Ferdin. à Castro trac.57.disp. 1. punc. 17.n.14. Filluc. tracta. 10. n.154.Garc.de benef.par.11.cap.8. n. 17. Barbosa all.57.n.107. de potesta. episco.

3. Quidam affirmant, ipsos contrahere suspensionem, quod veriùs negant Suar. disp.49. sect. 5. n.4.& Sanch. lib.7.de matrim.disp.85. n. 2. quia nullus textus id clarè asserit.

4. Clericus in minoribus constitutus contrahens matrimonium ipso iure priuatur beneficiis, neque aliis renuntiare potest, quia iam contrahendo matrimonium ipsis renunciauit: quod colligunt ex cap. 1. de cleric. coniugatis, & passim docent Gutier. qq. practic.q.104. Naua. cap. 25. n. 129. Couarr. in 4. decretal. 2.p. cap.6.§.3.n. 6. Sanch. lib. 7.de matrim.disp.44. Ferdinand. punc. citato. num. 15.

5. dicunt communiter incurri ab his clericis in sacris constitutis vxorem ducentibus, irregularitatem ex bigamia quadam similitudinaria, alij verò propter delictum commissum de quibus omnibus vide Sanch.lib. 7. de matri. d.85.Suar.disp.49. & alios, nos neque bigamiam similitudinariam inducere irregularitatem, neque inualidum coniugium facere bigamiam, neque hos clericos esse irregulares, sed solùm per aliquod tempus suspensos fusissimè, & solidè docuimus lib.de irregul. cap.4.q.4. propositione 3.& 4.

6. Clericus in minoribus constitutus si fiat miles, eodem modo priuatur suis beneficiis, sicut per matrimonium, vt communiter tradunt DD. in c. qualiter, de cleric. coniug. & c. fin. de cleric. non resid.

Qua verò ratione clericus teneatur habitum clericalem, & tonsuram deferre,& an huius defectu priuetur priuilegio fori,& canonis, alibi tractandum erit, adi Thesaur. 2. p.praxis ℣. Apostatæ cap. 4.

Appellatio, Appellantes à mandatis,& ordinationibus Romani Pontificis ad futurum concilium generale, excommunicantur, cuiuscumque gradus, status, atque conditionis fuerint,& qui appellationi eiusmodi auxilium, vel fauorem præstiterint, vniuersitates verò,& collegia, capitula, atque communitates quocumque nomine vocentur, interdicuntur, ita edixit Pius II. an. 1459. Kalend. Februa. constitutione *execrabilis*, quam deinde Iulius II. constitut. *suscepti regiminis*, confirmauit, comprehendique voluit Reges, Cardinales, communitates, & parlamenta, atque omnes, qui consilium, auxilium, fauorem etiam indirectè præstiterint: quod tradunt Sylu. ℣. excommunicatio 7. in fin. Caietan.℣. eod. cap. 45. Sayr lib. 3. Thesaur. cap. 6.n.3. Toler. lib. 1. cap. 21.n.4. Suar.disp.21. sect. 2.n. 11. alijque passim, denique eadem excommunicatio est 3. in bulla Cœnæ, nomine mandatorum, seu ordinationum Pontificis, à quibus prohibetur appellatio, intelligendæ sunt sententiæ, leges, præcepta, censuræ, pœnæ siue generaliter, siue specialiter latæ, cùm hæc omnia ordinationes quædam sint: quod obseruant Duard. Bonac. Ferdin. à Castro, alijque bullæ Cœnæ interpretes, cum Vgolino de censur. Papæ reseruat. 2.p. cap. 1. ratio eius excommunicationis est, quia eiusmodi appellatio grauem iniuriam infert sedi Apostolicæ, quam concilio generali tanquam superiori subiicit, appellatio siquidem est à minore Iudice ad maiorem prouocatio, vti tradit gloss. *in cap. non putamus*, ℣. *officiali. de consuetudine in 6.* hinc fit, vt licet mandatum, & ordinario pontificia iniusta sint, ab iis tamen appellare non liceat ad concilium, quia iniustitia mandati non impedit iniuriam appellationis à mandante ad inferiorem iudicem: quarè in ea quoque appellatione ab iniusta ordinatione incurri hanc excommunicationem, contendunt Suar. disp. 21.sect.2.n.15. Reginald. lib.9.n.263. Bonac. disp. 1.q.3.n. 10. vbi & alios refert Ferdinand. à Castro disp.3. punc.3.n.4. qui postremus sapienter obseruat n. 6. contra Gambatuptam de excomm. bullæ, cap. 2. n. 11. hac excommunicatione non teneri appellantes ad præsens concilium generale, aut ad futurum prouinciale, quia illa appellatio non est reuerà eadem cum appellatione ad futurum concilium generale, quæ prohibetur, & licet in vtraque illa appellatione, eadem fiat iniuria Pontifici, à quo ad inferiorem appellatur: in pœnalibus tamen non licet ob identitatem rationis à casu expresso, ad non expressum extendere legem, hæc verò appellatio ad concilium generale futurum, est prohibitio non autem appellatio ad concilium generale præsens, sapienter omninò, quia vt ait Sayr. lib. 3.cap. 6. n. 4. appellatio ad futurum concilium frequentior est, & origo schismatis; dum verò concilium præsens est, illi Pontifex per se, aut per suos legatos præsidet, quarè ipse etiam causam diiudicat vnà cum concilio.

Appellandum porrò est à mandatis, & ordinationibus Pontificis, quatenus Pontifex, hoc est in causis spiritualibus, non temporalibus: quod docet Reginaldus lib. 9.n. 263.& pluribus confirmat Ferdinand. à Castro punc. 3. citato. n.5. neque tandem improbabile iudicat Bonac. disp. 1.q. 3. punc. 2.n.3

Excommunicantur porrò auxilium, & fauorem præstantes huic appellationi, sed quod duo requirunt Suar. Bonac. Sayr. Ferdinand. citati cum Nau. cap. 27. n.58. nempe vt auxilium, & fauor causa sint illius appellationis, & vt appellatio reipsa subsequatur, negantque nomine auxilij comprehendi consilium; in bullis tamen Pij V. & Iulij II. initio laudatis, consulentes quoque hanc appellationem,

pari

pari modo excommunicantur; approbantes autem appellationem factam, aut post illam fauentes appellantibus, illisque auxilium dantibus, non ligantur hac censura, quia verba legis id non ferunt, sed damnant præstantes auxilium ad appellationem: ita Suar. Duard. Bonac. Ferdin.

Denique ad interdictum, quod infligitur communitati aliquid istorum committenti, sufficit si maior pars communitatis id admiserit; si tamen in illa communitate aut Cardinalis, aut Episcopus fuerint, non interdicentur cum ipsa communitate, etiamsi rei sint, quia eorum non fit expressa mentio, vti tamen fieri oporteret ex *c. quia periculosum de sentent. excomm. in 6.* & fusiùs diximus in hoc tractatu, si tamen hæc omnia commiserint Cardinales, aut Episcopi, excommunicabuntur, quia in pœna excommunicationis illi exprimuntur, in bulla, quam exponimus.

2. Appellantes à litteris sedis Apostolicæ, aut illius iudicio ad potestatem laicam excommunicantur, cap. 13. bullæ Cœnæ.

3. Appellantes ab ordinationibus Iudicis Ecclesiastici ad curiam sæcularem, excommunicantur, c. 16. eiusdem bullæ, verùm quia in his omnibus implicantur plures, eæq; graues omninò controuersiæ, quę breui Synopsi definiri nequeũt, eas omninò erudito Lectori apud DD. examinãdas relinquimus.

4. Idem mihi faciendum censeo circa prohibitionem sub pœna excommunicationis reseruatæ factam quibusdam regularibus appellandi à suis Prælatis, etiam ad Papa immediatè, siue per saltum (vt loquuntur,) nam & ea in re plura expendenda forent, quæ alibi commodiùs explicabuntur, interim adi Sanch. lib. 6. in decalog. cap. 8. n. 107. Dian. 2. p. tract. 2. resolut. 54. qui alios indicabit.

Arma: 1. Qui præbet arma poscenti illa ad homicidium fit irregularis effectu subsequuto, ex communiori sententia, quam expendimus, & temperauimus lib. de irregula. cap. 42. q. 2. consect. 10. nisi enim illa præstatione armorum proximè, & directè ita cooperetur ad homicidium, vt dici possit verè peccasse contra quintum decalogi præceptum, non erit irregularis, quamuis suspicaretur à se peti arma in malum vsum, qua ratione interpretor Farinac. q. 13. num. 7. vbi pluribus ostendit illum pœnis homicidiorum in foro externo subiici posse.

2. Monachi retinentes arma intra septa Monasterij, sine licentia Abbatum excommunicantur Clement. *ne in agro §. quia verò de statu Monacho.* arma dicuntur, quæ communiter ad vsum belli & pugnæ siue defensiuæ, siue offensiuæ vsurpari solent: quarè qui lapides, ligna, aliaque similia ad pugnandum, & iniquo animo retineret, non tamen incurreret hanc censuram, quia illa communi armorum nomine significari non solent, ita Suar. disp. 23. sect. 5. n. 8. Sylu. ✠. excommunicatio 9. n. 38. Ssyr lib. 3. cap. 33. n. 29. Tolet. lib. 1. cap. 39. n. 5. Filluc. tract. 14 cap. 8. q. 6. n. 141. Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 34. n. 5. Bonac. disp. 2. q. 8. punc. 16. n. 4. immò illa ipsa arma propriè dicta seruari debent ad vsum pugnæ, non ad aliquem alium finem, v. gr. cultellum ad vsum coquinæ, quia alioquin non erit formalis retentio (inquiunt Sayr. & Tolet.) Hæc censura Monachis infligitur, ac proinde illa neque clerici regulares neque alij Religiosi non Monachi, hac lege comprehenduntur, quia edicta pœnalia strictiùs interpretanda sunt, & in materia odiosa nomen Monachi ampliandum non est; immò solos Monachos nigros & Benedictinos percelli hac censura dixerunt Angel. ✠. excommunicatio 7. casu 28. Suar. disp. 23. sect. 5. n. 4. Filluc. tract. 14. cap. 6. q. 8. n. 139. Quia Pontifex in superiori censura illius Clementinæ, atque in ea tota non agebat, nisi de Benedictinis, & monachis nigris: sed verius est, licet ex malis Benedictinorum moribus Pontifex sumpserit occasionem condendæ huius constitutionis, cùm tamen simpliciter, & absolutè, nullaque prorsus distinctione in ferenda lege, monachis ista prohibeat, complecti omnes monachos siue nigros, siue albos: quod tradit Panormi. in illam Clem. n. 9. Sylu. ✠. excommunicatio 9. Tolet. lib. 1. c. 39. n. 12. & Ferdinand. citato punc. 34. n. 4. debent hęc quoque arma retineri intra septa Monasterij, extra quod scilicet monachi nequeunt egredi sine licentia, neque externi, maximè mulieres ea subire, quarè si in villis, aut in aliis domibus pertinentibus ad monachos, quæ Monasteria non sunt, seruentur arma, non incurretur excommunicatio ista, quæ reseruata non est, & ad quam Pontifex requirit præsumptionem, ideoque ignorantia, crassa licet, & supina (quod sæpius obseruauimus) ab illa excusabit.

3. Arma Saracenis, aliisque infidelibus Christiani nominis hostibus deferre sæpius sub grauibus pœnis prohibitum fuit: nam cap. *ita quorundam de Iudæis*, excommunicantur ipso facto, qui Saracenis deferunt ferrum, arma, & lignamina galearum, qui illis necessaria ad Christianorum impugnationem ministrant, quiq; in galeis, & piraticis ipsorum regimen, & curam gubernandi exercent 2. *in cap. quod olim eod. tit.* excommunicantur qui cum Saracenis mercimonium habent, & per se, vel per alios eis naues, & alia subsidia, vel consilia impendunt, quandiu ipsis cum fidelibus bellum fuerit: tempus porrò belli, etiam induciarũ tempus continet, quia nondum pax confirmata est, & illis aliquando durantibus, ad bellum se parant, ex cap. *ad liberandum de Iudæis*. 3. in extrau. *multa de Iudæis* ex Clem. V. excommunicantur ipso facto, qui Sarracenis arma, equos, lignamina, ferrum, victualia, aliasque merces deferunt, aut qui deferri permittunt, vel ad id auxiliũ, aut fauorem præstant, estq; ea excommunicatio reseruata, neq; ab illa quis absolui potest, nisi tantùm terræ sanctę exoluerint, quantum ad Saracenos detulerint aut deferri permiserint, tandem in bulla cœnæ excommunicatione 7. hæc prohibitio innouatur, & pœna, quia excommunicat hæc omnia arma deferentes quibuscumq; infidelibus, atq; etiam hæreticis à sede Apostolica expresſè, vel nominatim declaratis. 2. eos qui certiores faciunt infideles de statu Christianæ reipublicæ, & 3. qui ad ista auxilium, consilium, & fauorem quomodolibet pręstiterint, vnde fit, bullam cœnæ aliqua ex parte, veteri iure rigidiorem esse, in aliis autem benigniorem: quod singillatim ostendit Ferdin. à Castro disp. 3. p. 8. n. 3. de hac tota excommunicatione, & canone bullę Cœnę adi Suar. Sayr. Vgolin. Duard. Bonac. Ferdinand. à Castro, aliosque eius commentatores, nos ex ipsis, aliisque pauca ista obseruauimus.

Et 1. quidem inter ea, quorum delatio prohibetur, non censeri vestes, pecunias, merces, & victualia: vti Panorm. in cap. *significauit de Iudæis*. Caietan. ✠. excommunicat. cap. 10. Nauarr. in caput, *ita quorundam de Iudæis*. Notabili. 10. num. 13. 32. 37. Sayr. lib. 3. cap. 11. numero 32. Toletus lib. 1. cap. 26. num. 10. docent neque improbabile putat Ferdin. à Castro punc. 8. citato.

8. citato. n. 6. contra Suar. disp. 21. sect. 2. n. 56. & Bonac. disp. 1. q. 8. punc. 2. n. 4. quia istis non oppugnantur formaliter christiani, illaque non deseruiunt per se ad impugnandum, sed ad alios vsus: quamuis autem istis detur auxilium, & fauor pugnantibus, quod auxilium, & fauor prohibetur, illa prohibitio intelligenda est de auxilio, & fauore per delationem armorum, & aliorum, quæ in bulla enumerantur.

2. Si ista non transtulisti per te, sed per alium, & auxilium illi translationi dedisti, te non incurrere hanc pœnam existimant Tolet. lib. 1. cap. 23. n. 7. & Sayr lib. 3. cap. 11. n. 25. neque abnuit Ferdinand. n. 8. quia illa verba bullæ, *illisque ad id auxilium, consilium, fauorem quomodolibet præstant*, interpretantur de iis qui hæc omnia præstant catholicis mouentibus infideles, & hæreticos de statu christianæ reipublicæ.

3. Qui hæc omnia prohibita deferunt ex vno loco infidelium ad alium, aut ex dominio Principis infidelis, ad alterius eiusmodi Principis ditionem, non incurrit hanc excommunicationem, quia ea arma, & reliqua non magis fiunt infidelium, quam ante essent: ita Silu. ỿ. excommunicatio. 7. n. 64. Tabiena ỿ. eod. 6. n. 7. Filluc. tract. 14. n. 132. Alteri. in exposit. huius bullæ disp. 8. cap. 2. sub fin. quod saltem verum erit, quandò ex ea delatione à ditione vnius infidelis, ad ditionem alterius, non sequetur grauius damnum christianis, alioquin eiusmodi delationem ista censura contineri sapienter iudicauit Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 8. n. 6. cum Naua. in cap. *ita quorundam de Iudæis* notab. 6. n. 27. Tolet. lib. 1. cap. 23. n. 6. Sayr. lib. 3. cap. 11. n. 19. Regin. lib. 9. n. 300. Bonac. disp. 1. q. 8. punc. 2. n. 17. Duard. in expo. bullæ. lib. 2. can. 7. q. 8.

4. Si hæc prohibita non deferas ad infideles, sed ea illis vendas, aut cum illis permutes, eadem distinctione vtendum erit: nam si venditione, & permutatione eiusmodi fortiores reddantur infideles, ad oppugnandos christianos, erit delatio virtualis onerosa, & nō gratuita, sed omninò prohibita, & patet ex fine legis; si verò non fiant inde potentiores infideles aduersum christianos, licita erit venditio, vel permutatio. ita Naua. in cap. *ita quorundam de Iudæis* notab. 8 n. 23. Reginald. l. c. n. 298. Sayr. Bonac. & Ferdinand. nuper adducti, quibus adde Azor 1. pa. lib. 8. cap. 23. q. 9. Viuald. in exposit. bullæ. casu 7. n. 13. Gambarup. in simili opere. n. 12. & 17. Duard. q. 9. qui ijdem docent venditionem hanc in ditione Principis christiani factam infidelibus licitam esse, quia illa non est transmissio ad infideles, qui etiam aduersus christianos, in eiusmodi terris, illis armis vti non poterunt, idque vsus quotidianus probare videtur, infidelibus enim ad portus christianorum appellentibus passim omnia sine religione venduntur. Ferdinand. tamen n. 12. vtitur solita distinctione; si enim ex ea venditione etiam in terris fidelis Principis facta infidelibus, immineat grauius damnum christianis, illicita erit, & huic obnoxia censuræ: quod dixerunt quoque Duard. Vgolin. Bonac. & alij, in expositione huius bullæ.

5. Poterit nihilominùs Princeps catholicus aduersus alium Principem catholicum bellum gerens in auxilium vocare infideles, illisque arma præbere, in sui defensionem, neque ea armorum traditio cedit in damnum christianitatis, sed principis tantum alicuius christiani iustè oppugnati, & in commodum, atque auxilium principis item christiani se se ab illata iniuria defendentis, cur igitur diceretur potiùs eiusmodi concessio armorum cedere in damnum christianitatis, ob principem christianum oppugnatum, quàm in fauorem eiusdem christianitatis, propter Principem iustè defensum: quare istam traditionem armorum eo casu, secluso scandalo simpliciter, & absolutè licitam esse pronuntiant huius bullæ expositores Alteri. Duard. Bonac. & Ferdinand. à Castro, qui eos dabit n. 13. & 14.

6. Cum prohibentur arma deferri ad hæreticos nominatim à sede Apostolica denuntiatos, atque ad infideles: de hæreticis, qui singillatim proprio nomine, aut æquiualenti sunt excommunicati intelligendum est, quare non sufficit nomine generico Lutheranorum, v. g. aut Caluinistarum designari: ita Ferdinand. n. 15. contra Bonac.

Neque etiam violant hanc legem qui arma deferunt schismaticis, quia illi nomine hæreticorum non comprehenduntur, & potest schisma esse sine hæresi vt 2. 2. docuimus, quamuis & hoc loco distinguant Ferdinand. Nauarr. Duard. Bonac. velintque censuram valere, si ex ea delatione armorum impugnentur veri catholici, eo quod illam impugnationem impedire maximè velit Pontifex sua prohibitione.

7. Excusat ab hac censura leuitas materiæ, quæ prudentum arbitrio iudicanda relinquitur, ita Nauarr. Sayr, Viuald. Duard. Reginald. Bonac. Ferdinand. in expositione huius capitis bullæ.

Compensatio præterea æqualis boni quod ex ea delatione armorum speratur: cum v. g. aut in redemptionem captiuorum, aut ad obtinendum aliquod priuilegium christianis, vt liberum commeatum, & commercium; neque aut pecunia, aut aliis muneribus ista possūt obtineri. ita Nauarr. Say. Viuald. Duard. Vgolin. Reginald. Ferdinand. adducti.

8. Cum eadem lege prohibeatur dare notitiam infidelibus de statu reipublicæ christianæ, ne inde illam oppugnandi causam capiant: vti exponunt Vgolin. Duard. Sayr. Bonaci. & Ferdinand. dubium tamen est, an ea lege comprehendatur tabellarius qui litteras defert, si conscius sit. ita enim affirmant Suar. disp. 21. sect. 2. n. 58. Vgolin. in hoc casu bullæ. Duard. in hunc canonem 7. q. 31. n. 1. & q. 38. n. 16. Bonac. disp. 1. q. 8. punc. 1. sub fin. negat tamen Ferdinand. n. 19. quia qui litteras mittit & physicè, & moraliter reuelat: at non tabellarius, qui litteras reuelationem continentes defert, neque se habet sicut qui applicat ignem, qui deinde physicè agit. quod si quis secretum istud reuelaret alicui fideli quem sciret reuelaturum infideli, illum hac censura percelli volunt Vgolin. Duard. q. 31. n. 1. & q. 34. n. 2. Alteri. lib. 5. disp. 8. cap. 10. Bonac. q. 8. cit. punc. 1. quia saltem mediatè reuelat, verum rectiùs negant Suar. disp. 21. sect. 2. n. 58. & Ferdinand. punc. 8. citato. n. 16. quia iste neque per se, neque per alium reuelat, cum ille, qui re ipsa reuelat, nomine proprio reuelet.

9. Prohibetur auxilium, consilium, & fauor præstari hæc prohibita facientibus, sed dubitant DD. an damnentur qui fauent, aut iuuant deferentes arma, & alia prohibita infidelibus, an verò qui fauent, consulunt & opitulantur fidelibus statum christianæ reipublicæ manifestantibus infidelibus, pro vt enim explicabitur hæc clausula, aliter, atque aliter de quibusdam iam dictis sentiendum erit: verum quomodocumque ea clausula capiatur, certum est requiri, vt damnum reipsa

Christianis illatum fuerit, vi auxilij, consilij, & fauoris infidelibus præstiti, vt censura ista locum habeat.

10. Eacusari porrò à dando hoc auailio, consilio, & fauore, propter vitæ, ant alterins grauis damni periculum, docent Nauarr. in cap. *ita quorundam, de Iudæis* notab. 8. n. 26. Petrus à Nauarr. lib. 3. de restitut. cap. 4. dub. 4. Sayr. lib. 3. cap. 11. n. 18. Corduba in sum. q. 137. Azor. 1. par. lib. 2. cap. 7. q. 6. Rodriq. in hanc bullam §. 9. n. 85. Ferdinand. punc. 8. cit. n. 22. & alij relati à Sanch. lib. 1. in decalog. cap. 7. n. 18. qui tamen contrarium censet, cum Molin. tract. 2. disp. 115. concl. 4. Suar. disp. 21. de censu. sect. 2. n. 60. Lessi. lib. 2. c. 9. dub. 18. n. 123. & Reginald. lib. 9. n. 299. Ratio nostra est, quia licet Ecclesia possit obligare Christianos, vbi agitur de bono communi totius christianitatis, suum priuatæ etiam vitæ postponere, & reuera qui infidelibus opitulantur in damnum christanitatis peccent, illudque peccatum potuerit Ecclesia punire censura, quod vnum probant rationes aduersarinrum, id tamen fecisse non docent, neque ex bulla satis euidenter colligitur, essetque alienum à pietate, & benignitate in tanto periculo constitutos, eiusque metu delinquentes tam rigidè castigare.

Denique quoad priuilegia aliàs concessa, quæ per hanc constitutionem reuocantur, consulendi sunt DD. qui suarum gentium priuilegia norunt.

4. Pius IV. & Pius V. in suis bullis, quæ incipiunt *cum vices* excommunicant, variisque pœnis plectunt deferentes, aut retinentes arquebusetos breuioris palmæ mensuræ duorum palmorum. eadem pœna plectit iudices, & gubernatores status Ecclesiastici, qui ista permiserint: verum quia hæ constitutiones feruntur tantùm pro statu Ecclesiastico, vti obseruat Comitol. lib. 6. respons. q. 12. non est quod in illis ampliùs immoremur, vide Enid. Comitol. Ferdinand. disp. 3. punc. 37. num. 14. & Thesaur. 2. p. praxis ℣. arma. cap. 9. cap. verò 10. cit. de iis qui armatorum collectas faciunt in statu Ecclesiastico.

B

Bannum. Subditi temporales Ecclesiæ Romanæ receptantes, aut receptari pennittentes bannitos propter crimen capitale, aut de illo diffamatos, nempe diffamatione, quæ æquiualeat banno, excommunicantur à Gregorio XIII. constit. 65. *tanta, tamque horrenda*, quæ excommunicatio reseruata erat. eam tamen sustulit Sixtus V. in bulla 6. hoc nostri §. 1. quod obseruauit Scortia in constit. Pontific. theorem. 355. & in alias pœnas commutauit, vt in priuationem feudorum, & beneficinrum Ecclesiasticorum, atque inhabilitatem, ad aliqua eiusmodi obtinenda.

Baptismus. Baptizatum ab hæreticis irregularem aliqui faciunt ex Innoc. I. ep. 22. cap. 3. sed lib. de irregularit. cap. 5. quæst. 2. proposit. 2. dub. 1. hanc quæstionem agitauimus, & ostendimus, infantes ita baptizatos non esse irregulares, adultos verò arceri à sacris ob suspicionem comunicationis in hæresi, quam vbi absterserint, admitti possint.

2. Baptizati in articulo mortis, dicuntur à quibusdam irregulares: verum loco citato dub. 2. docuimus, canones, qui afferuntur, duci suspicione ficti baptismi, & metu duntaxat extorti: quæ suspicio vbi remota fuerit, nulla apparet fuisse irregularitas.

3. De irregularitate ex ficto baptismo ibidem diximus, si enim omninò fictus, atque adeò nullus fuerit baptismus, statim constat sic fictè baptizatum aliorum sacramentorum incapacem esse.

4. De irregularitate ex rebaptizatione, tam quoad baptizatum, quàm rebaptizantem, si iteratio baptismi culpabilis fuerit, fusissimè disputauimus eod. cap. 5. & q. 1.

5. De clerico non sacerdote, qui solemniter baptizat, an fiat irregularis, diximus alibi, & loco citato, in 2. propositione 2. parte. consect. 2.

Bellum. Quandonam à clericis militantibus, aut assistentibus in bello iusto tum aggressiuo, tum defensiuo, contrahatur irregularitas fusissimè disputauimus lib. de irregula. cap. 4. q. 3, consecta. 6. diffic. 5. & diffic. vltima.

Beneficium. 1. Paul. IV. constit. 15. *inter ceteras curas*, eos, qui ad obtinenda beneficia in curia Romana varias fraudes, & sordes committunt, excommunicat eacommunicatione sibi reseruata. 1. qui simulant alienam personam, & pro illa se eaamini subijciunt. 2. qui impetrant beneficia pro alio etiam ignorante spe pensionem, aut aliquod temporale commodum acquirendi in quo debet reperiri aliqua ratio simoniæ, alioquin non incurritur hæc pœna, vt ait Ferdinand. disp. 3. punc. 30. num. 8. 3. qui pro seipsis beneficia impetrant animo illa resignandi in fauorem alterius, quæ resignatio debet continere aliquod vitium. v. g. quod fiat absque venia Pontificis, vti contra Bonac. disp. 2. quæst. 3. punc. 28. n. 6. monet Ferdinand. punc. 30. citato. denique addit ibidem Bonac. hanc constitutionem non videri vsu receptam, nisi quoad priorem illam fraudem qua quis alium se esse simulat: quæ fraus etiam aliis pœnis eadem constitutione plectitur, nullitate nempe prouisionis. deinde beneficium illud manet reseruatum Papæ tanquam vacans in curia, quod tamen non nocere patrono Laico dixit Lessi. lib. 2. cap. 34. n. 36. priuatur denique hic simulator omnibus beneficiis, & inhabilitatem ad illa incurrit. verum de hac bulla vide Filluc. tract. 15. n. 101. & Garciam de benefic. par. 11. cap. 3. n. 592.

2. Interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, qui Episcopatum, Abbatiam, aliamue dignitatem, aut beneficium de manu laica acceperint. cap. *si quis deinceps* 16. q. 7. ad quod exigitur, vt reipsa dignitatis illius fuerit capta possessio: ita Suar. disp. 37. de censur. sect. 1. num. 9. Alteri. lib. 5. disp. 12. cap. 2. Filluc. tract. 18. num. 145. Bonac. de. censur. in particul. disp. 4. q. 2. punc. 2. n. 2. Ferdinand. disp. 5. punc. 8. §. 3. n. 3. indicat textus Gregorij VII. dum ait, *illi ita promoto locum esse deserendum, quem ambitione obtinuerat*, & durat illud interdictum vsque ad eam loci malè obtenti desertionem: vnde fit, vt ex regulis nuper traditis, hoc interdictum, cui certum tempus præscribitur, non sit propria censura, sed de hac materia vide Comitolum lib. 1. q. 78. & Thesaur. 2. p. praxis, ℣. Beneficium. cap. 8.

C.

Camera Apostolica: Paul. 3. constitutione 40. *cùm sicut accepimus* excommunicat excommunicatione non reseruata omnes officiales obnoxios reddendæ

reddendæ rationis cameræ Apostolicæ, si illam fideliter non reddant, & damnat dupli partitæ omissæ, aut non solutæ. ad hanc censuram requiritur dolus, vt colligunt DD. ex verbo *audeant*, quo vtitur Paul.

De confiscationibus applicandis cameræ Apostolicæ intra statum Ecclesiasticum, & excommunicatione, vel suspensione, qua secùs facientes puniendi sunt, extat constitutio Pij I V. 43. *decet Romanos*. Sixti V. & Clem. VIII. 5 *inter cæteras*. consule Thesaur. ꝟ. camera. capite a. qui alios dabit.

Cardinalis: Qui interficiunt, mutilant, vulnerant, percutiunt, capiunt, carcerant, detinent, vel hostiliter insequuntur, vel à suis diœcesibus, dominiis, terris eiiciunt S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos & nuntios, quique ista mandarint, aut ad illa auxilium, consilium, fauorem præstiterint, vel qui eiusmodi crimen factum probauerint, illiusque reos receptauerint, & defenderint, excommunicantur excommunicatione reseruata. cap. *fœlicis de pœnis in 6.* immò iubet Pontifex quandiu in sua contumacia perseuerarint, singulis diebus festis, & dominicis pulsatis campanis, & candelis accensis per omnes illius loci in quo facinus fuerit attentatum, & ciuitatum, ac diœcesium vicinarum Ecclesias publicè excommunicatos denuntiari, & à solo Romano Pontifice extra mortis articulum absolui posse. Denique Principes, rectores, consules, & Magistratus, &c. & eorum officiales, qui hanc constitutionem infra mensem ab eius notitia non fecerint obseruari, excommunicat, sed excommunicatione non reseruata, de quibus omnibus vide Nauarr. cap. 27. n. 110. Tolet. lib. 1. cap. 35. n. 10. Bonac. disp. 2. q. 3. punc. 7.

Clemens V. in Conc. Vien. *Clem.* 1. *de pœn.* eos qui Pontificem quemlibet, seu Episcopum iniuriosè vel temerè percusserint, cœperint, bannierint, vel ista geri mandauerint, aut facientibus auxilium, consilium, fauorem, receptionem, aut defensionem præbuerint, excommunicat, solique Pontifici reseruat absolutionem, variisque alis pœnis subiicit, quas ibi legere fas fuerit: ciuitates, quæ ista commiserint, subiicit interdicto, sicut & terras delinquentium: hic verò Episcopus debet esse consecratus, & non solùm electus, aut confirmatus, quia ante consecrationem verè non sunt Episcopi, sed tantùm tales designati, & episcopali iurisdictione gaudent, suntque in materia odiosa, & pœnali strictiùs accipiendæ voces: ita Sayr. lib. 3. cap. 15. n. 4. Caiet. ꝟ. excommunicatio cap. 12. Vgolin. in bull. Cœnæ, casu 11. Bonac. disp. 1. q. 3 a. punc. 2. n. 7. Filluc. tractat. 16. cap. 9. q. 5. n. 240. Suar. disp. a 1. sect. a. n. 69. Ferdin. à Castro disp. 3. punc. 12. n. 7. contra Graffis 1. par. decisio. lib. 4. cap. 18. n. 101.

Eadem omnia in fauorem dignitatis Cardinalitiæ, & Episcopalis plenius cōstituit Ioan. XXII. in extrauag. *super gentes*. Leo deinde X. in bulla *temerariorum* pœnas dicti capitis *fœlicis, de pœnis in 6.* extendit ad eos qui siue tempore conclauis, siue extra illud domum Cardinalis etiam in Pontificem electi armata manu, & vi inuaserint, & quidpiam eadem vi subripuerint, & inibi existentes vulnerarint, eorumque fautores similiter plectit. Debet itaque esse inuasio domus Cardinalis, & hostilis bonorum direptio, vel personarum inibi existentium vulneratio.

Bulla verò Cœnæ in hoc casu hæc omnia edicit, quæ in *cap. fœlicis, & Clem. citata*; atque Leo sanciuerant, quibusdam vel additis, vel detractis.

Denique Pius V. constitione 93. *insolens sæculi*. hæc omnia & confirmauit, & ampliauit in eos, qui scientes conspirationem in Cardinalem non reuelauerint R. P. si in curia extiterint, vel ordinario loci extra curiam existentes, contraria tamen praxi abrogatam, vel fortassis nunquam in vsum inductam fuisse hanc Pij V. constitutionem monent Filluc. tract. 14. capite 6. numero 99. & Bonac. disputatione 1. quæstione 12. punc. 3. fine.

Ad extremum aduerte malè Armill. ꝟ. excomm. num. 2. Sayr. lib. 3. cap. 15. num. 1. & alios quosdam existimasse offendentes modis nuper explicatis, Clericum, aut Religiosum è familia Cardinalis, Episcopi, Legati, & Nuntij incidere in excommunicationem hactenus explicatam, eo quod ea iniuria in Cardinalem, Episcopum, Legatum, & Nuntium refundatur. Verum esto iniuria afficiatur tunc Cardinalis, non tamen aut vulneratur, aut percutitur, aut aliquid aliud patitur, propter quod lata fuit ea excommunicatio. deinde in cap. *fœlicis de pœnis in 6.* quod obiiciunt aduersarij, ita delinquentes relinquuntur puniendi iudicio Ordinarij, pro ratione culpæ: non verò excommunicantur ea excommunicatione, quæ fertur in eos, qui ita in ipsummet Cardinalem delinquunt. An verò tunc sit locus excommunicationi inflictæ percussioni clerici, non disputo modo, sed nego duntaxat excommunicationem, quæ in offendentes Cardinales fertur locis hactenùs explicatis, extendi aduersus eos, qui eorum familiares clericos, aut religiosos eodem modo offenderent, quod etiam negarunt Alteri. lib. 5. disp. 12. cap. 3. dub. 7. Duard. lib. 2. in expos. bull. Can. 11. q. 10. Bonac. disp. 1. q. 12. punc. 2. num. 11. Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 12. num. 5.

Censura 1. Qui sententiam excommunicationis profert non sufficienti monitione præmissa, prohibetur ingressu Ecclesiæ per mensem, & alia pœna arbitraria puniendus relinquitur in *cap. sacro. de sentent. excommunic.* de hac re fusè disputauimus disqui.

2. Eadem censura infligitur Iudici, qui sententiam excommunicationis ex scripto non recitauerit, *cap.* 1. *de sentent. excommunic. in 6.* quod quomodo sit intelligendum declarauimus citata disqui.

3. communicans cum censura excommunicationis innodato incurrit excommunicationem minorem, modo non communicet in crimine criminoso, tunc enim maiorem excommunicationem contraheret, verùm de tota ista communicatione prolixè disputatum à nobis fuit disquis.

4. De pœnis violantium censuras, quascumque egimus, tum explicando singularum effectus disquis. tum in vniuersum disquis.. quare nihil est quod hoc loco repetamus.

5. Qui propter aliquam censuram latam vexauerint ferentes illā, aut procurantes, dando licentiā quidpiam in ipsorum personis, aut bona audendi, & qui ea licentia vsi fuerint, aut simile, quid ipsi sua spōte fecerint, excommunicantur, c. *quicūq; de sent. excommunic. in 6.* hæc excōmunicatio percellit etiā mandantes hæc omnia, contrà quam velit Bonac. disp. 2. q. 8. punc. 16. n. 6. quia quamuis Pontifex

agat

agat tantùm de concedente licentiam, cum tamen mandans non possit obligare, nisi sit superior, mandando dat licentiam faciendi, & amplius aliquid præstat; quod dixit Ferdinand. disp. 3. punc. 25. sub fin. sequutus Sylu. ℣. excommunicatio 7. n. 27. & Sayr. lib. 3. cap. 29. n. 23. post duos menses hæc excommunicatio reseruatur Pontifici: debet autem censura, propter quam quis vexatur, fuisse valida: vt Bonac. l. c. & Suar. disp. 22. sect. 3. n. 7. monent.

Clausura regularis: Ita prohibetur mulieribus ingressus in Monasteria virorum, vt Pius ℣. an. 1566. constitutione regularium, reuocarit omnes licentias hactenus concessas à sede Apostolica, & omnes fœminas etiam comitissas, marchionissas, aliasque illustres, quæ earum facultatum prætextu ingrederentur eiusmodi monasteria, excommunicarit excommunicatione sibi reseruata, quam subinde an. 1570. declarauit constitutione *Romanum Pontificem*, & ad omnes fœminas etiam, quæ prætextu eiusmodi licéntiarum non vterentur, pœnas extendit. Hæc tamen posterior bulla declaratoria, nunquam fuit publicata, ideoque non ligat, & sanè Gregori. XIII. qui priorem Pij constitutionem confirmauit an. 1575. constitut. *vbi gratiæ* illius declaratoriæ posterioris non meminit, & solùm agit de fœminis, quæ prætextu licentiarum à sede Apostolica factarum ingrederentur: quarè si quæ censura incurratur, hoc casu ea potiùs ex quodam iure non scripto, atque ex variis regularibus constitutionibus colligitur. Quæ omnia fusiùs ostendi de clausura regulari disq. 2. cap. 5. §. 2.

2. Ex bulla Pij V. qui admittunt mulieres intra Monasteria virorum, suspenduntur, sed ea suspensio non est reseruata ex Sanc. lib. 6. in decal. cap. 17. n. 35. Gregori. autem XIII. in constitutione nuper allata, excommunicat excommunicatione sibi reseruata ita inducentes mulieres, sed videtur comprehendere solos superiores, & agere de introductione prætextu licentiarum obtentarum, neque requirere dolum, sed latam culpam duntaxat: cùm tamen Pius dolum, & audaciam, atque præsumptioné exigat, ac proinde excusetur quæuis ignorantia etiam crassa, eiusmodi mulierum introductio, addidit Gregori. priuationem officiorum, & beneficiorum, atque inhabilitatem ad illa: verùm cùm non satis constet inter DD. de mente Pontificum, intelligentia, atque vi harum constitutionum, vix aliquid certi desiuire licebit, vti l. c. expendebamus.

3. Moniales illicitè & culpabiliter à clausura egredientes excommunicantur à Pio V. constitut. *decori, ac honestati*, qui eius absolutionem sibi reseruat, deinde licentiam illicitam exeundi concedétes, comitantes, & recipiétes, siue Laicæ, siue Ecclesiasticæ, siue consanguineę personę sint, eadem percelluntur excommunicatione. Denique tum moniales egredientes, tũ licentiã facientes priuat omnibus dignitatibus, officiis, & administrationibus, atq; ad has õnes reddit inhabiles, quę omnia quomodò sint intelligenda exponimus disq. 1. de clausura c. 7. §. 2.

4. ingredientes Monasteria mulierum absque licentia in scriptis obtenta, excommunicantur à Trid. sess. 25. de regula, cap. 5.

Deinde qui prætextu facultatum olim concessarum ingrediuntur, excommunicantur à Gregorio XIII. bulla citata *vbi gratia* 3. illæ ipsæ, quæ habent à Pontifice licentiam, excõmunicantur, nisi habeãt consensum Monasterij capitulariter, per secreta suffragia præstitũ ab Vrban. VIII. die 27. Octob. 1624. motu proprio sacrosanctũ Apostolat. ministeriũ. 4. qui obtenta facultate à superiore prę sumit ingredi extra casum necessarium, incurrit excommunicationem, priuationem beneficiorum, & inhabilitatem ad illa: quarè cessante causa necessaria, cessat statim facultas.

5. Prælati, qui sine necessitate ingrediuntur Monasteria monialiũ sibi subditarum, prima vice interdicuntur ingressu Ecclesię: secũda munere Põtificali, & à diuinis suspenduntur, ac deinceps ipso facto excommunicantur: at verò regulares omni officio, & ministerio priuati, excommunicantur similiter, ita Gregori. XIII. an. 1581. 23. Decemb. constitutione *dubiis quæ emergunt*, edixit

6. Denique moniales, quæ aliter, quàm necessitatibus vrgentibus ingredientes admittere prę sumũt, excõmunicantur à Gregor. XIII. in motu proprio de quibus omnibus vide quę diximus loco citato. §. 2.

Cõceptio B. Virginis: 1. Sixtus IV. extrau. *graue nimis, de reliquiis, & venerat SS.* excõmunicat eos, qui dixerint, hęresim, vel p. m. esse credere aut tenere B. M. Virginé fuisse à peccato originali prę seruatã. Si quis igitur diceret illud esse peccatum veniale, non incurreret hanc pœnã: quod notauit Bonac. disp. 2. q. 3. punc. 34. n. 1. 2. qui affirmãt peccare eos qui Cõceptionis officiũ recitant, aut audiunt concionãtes illam fuisse p. originalis immuné, licet auté Põtifex non agat de festo, sed tantũ de officio, cũ tamen non possit dãnari festũ, quin dãnetur officiũ, & ex vtraq; illa assertione sequatur scãdalũ, quod Põtifex vitare vult, vtrãq; illã dãnat, vt ait Suar. disp. 21. s. 5. n. 35. Filluc. tr. 15. n. 95. Bonac. disp. 2. q. 9. pũc. 34. n. 2.

3. Excõmunicat eos, qui libros continentes eiusmodi propositiones pro veris legere, vel tenere & apud se habere deinceps ausu temerario prę sumpserint. 4. qui ausi fuerint asserere tenentes contrariam opinioné hęresim, vel peccatũ mortale committere. Hanc constitutionem innouauit, confirmauitque Trident. sess. 5. de peccato origin. ad fin.

2. Pius V. cõstitutione *super specula* prohibuit sub pœna suspẽsionis ipso facto, priuationis omnis gradus, dignitatis, & administrationis, atq; inhabilitatis ad illa in popularibus concionibus, vel in cœtibus promiscuis virorũ, ac mulierũ de hac quæstione in alterutrã parté disputare, confirmãdo suã, & alteram impugnãdo, vt népe eã euertas: licebit auté ex hac cõstitutione & tuã sententiam docere, sine aduersariæ euersione, & vtroque etiam modo controuersiam agitare, in scholis, & academiis, coram doctoribus, & aliis eruditis auditoribus.

3. Paul. V. ann. 1616. & 1617. 31. Augusti pœnas Pij V. innouauit, in eos, qui alterutrã opinione dãnarent, prohibuit tamen in publicis lectionibus, cõcionibus, conclusionibus, aliisque eiusmodi actibus publicis asserere B. M. Virginem in peccato originali conceptam fuisse.

4. Denique Gregor. XV. constitutioné edidit, quã integrã refert Bonac. disp. 3. q. 6. punc. 4. quæ prædecessorũ decreta confirmans, vetuit in priuatis etiã cõgestibus, sermonibus, aut scriptis, affirmare B. Virginé peccato originali maculatã fuisse, de eaq; opinione quacũq; ratione tractare, eã népe laudãdo defendẽdo, siue positiuè cõfirmãdo, siue negatiuè obiecta aduersus eã diluendo, absq; sedis Apostolicæ licentia, quã eandé Gregor. fecisse PP. Dominicanis constitutione sua *eximij* 28. Iunij, an. 1628. dicitur in priuatis colloquiis, & conferentiis, non tamen inter alios hanc opinionem sequi, asserere, & agitare valeant.

Concilium prouinciale: qui ad concilium prouinciale vocatus venire negligit, aut eo nõ finito recedit, alienum se à fratrum communione nouerit,

neque eum recipere liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus. can. *si quis autem* 18. *dist.* vbi aliqui excommunicationem latæ sententiæ, alij suspensionem quandam, sed partialem ferri contendūt: non ponam esse, & priuationem quandam nuper fusiùs docuimus de excōmunicatione disputantes.

Concubinatus clericum concubinarium esse ipso iure suspensum, plures existimant: quod inquisiuimus disq. 7. q. 1. consect. 35. & negauimus lib. de irregularit. c. 5. q. 4. consect. 7. vbi etiā irregularem non esse nisi admittamus, illum fuisse suspensum, & in ea suspensione celebrasse, diximus, quo ad suspensionem autem, quam colligunt aliqui ex can. *ministri* 81. *dist.* c. *quæsitum vlt. de cohabitat. clericor. & mulier.* inprimis certum videtur, eam suspensionem *quo ad alios* (vt loquitur cap. *quæsitum*) non incurri nisi id crimen sit publicum per sententiam, aut confessionem in iudicio, aut ita notum vt nulla tergiuersatione celari possit, vt habetur eod. cap. *quæsitum*, quod ostendit Garc. de benefic. part. 7. c. 14. n. 15. deinde dissident. DD. an ea suspensio clericos omnes etiam in minoribus tantùm constitutos afficiat, vti volunt Silu. v. concubinarius. §. 4. Antonin. 3. part. tit. 27. cap. 3. & Nauarr. c. 25. n. 76. an verò ad clericos sacris initiatos restringenda sit: quod contendunt probabilius Couarr. in Clem. si furiosus. 2. p. §. 1. n. 5. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 18. punc. 1. Rodriq. in sum. tom. 1. cap. 202. n. 3. & alij. 3. nouo iure Tridentini certum est, nullam esse suspensionem ipso facto, ac proinde quidquid sit de iure antiquo, huic posteriori standum esse, nam Tridentin. sess. 25. cap. 14. de reformat. iubet, clericos mulieres suspectas neque domi, neque alibi habere, alioquin pœnis à iure statutis puniantur. deinde si post monitionē, quæ specialis, & nominatim facienda est, vti ex declaratione Cardinalium obseruat Barbosa in collectaneis ad illum locum conc. non paruerint, tertia parte omnium suorum fructuum, cuiuscumque generis sint, ipso facto priuantur: & si secundæ monitioni non obsequantur, omnibus omninò fructibus priuantur, tum in crimine obstinati ab omni administratione suspendendi sunt. ac deniq; si necdum emendentur, omnibus spoliantur beneficiis, & ad illa redduntur inhabiles: si verò nulla beneficia aut pensiones obtineant, alijs pœnis arbitrarijs pro quantitate criminis, puniendi erunt: nempe pœna carceris, suspēsionis ab ordine, inhabilitatis ad beneficia, & alijs eiusmodi. quare ex his omnibus vides, hos clericos nulli suspensioni ipso facto subijci: quod affirmant DD. à nobis illo c. 5. de irregularitate relati, quibus adde Auil. de censur. 3. p. disp 5. dub. 2. conc. 1. Filluc. trac. 17. c. 7. 123. Ricci. in collectan. decisi. 4. par. collect. 857. Bonac. disp. 1. de censur. in particul. q. 7. punc. 4. Ferdin à Castro Palao disp. 4. de censur. punc. 10. §. n. 5. Episcopi tamē si eiusmodi crimine non abstinuerint, & à concilio prouinciali moniti non se emendauerint, ipso iure suspenduntur, ex eiusdem Tridentini decreto. quæ suspēsio cum sit absoluta, est ab officio, & beneficio, vti notant Henriq. li. 13. c. 36. Auila 3. p. de cens. disp. 5. dub. 2. Suar. disp. 31. s. 5. n. 2. Bonac. disp. 3. q. 7. p. 4. n. 4. Filluc. trac. 17. c. 8. n. 159. præterea in *c. habuisse* 33. *dist.* suspenditur Episcopus carnaliter cognoscens eam, quam ante Episcopatum concubinam habuerat; ea tamen suspensio ferenda tantū est: quod monet Filluc. l. c. & Ferdinand disp. 4. punc. 10. §. 4. n. 10. cæterum quantopere huius criminis periculū cauerint PP. facilè colliges ex seueriori antiqua disciplina, circa contubernia mulierū, & clericorum, ne ex illis aut lapsus occasio, aut famæ læsio nasceretur. multa in hāc rem eruditè pro more congessit Theophil. Raynaud. de sobria alterius sexus frequentatione c. 15. §. 2.

Confessio sacramentalis. 1. qui docere, vel pertinaciter asserere, vel publicè disputando defendere præsumpserit confessionem sacramentalem non esse necessariò præmittendā Eucharistiæ sumptioni ab eo qui fuerit conscius peccati mortalis, eo ipso excommunicatus existit ex conc. Trid. sess. 13. can. 11. Hæc excommunicatio reseruata non est. Hoc porrò decretum non est factum contra opinionem Caietani, & aliorum quorundam, qui affirmabant confessionem peccati mortalis solo iure Ecclesiastico esse præmittendam Eucharistiæ. quia licet ea Caietani opinio temeraria sit, quod ostendimus 3. p. cum Soar. ibid. tom. 3. disp. 66. sect. 3. §. sed quæres ea tamen non negat absoluté confessione esse præmittendam, immo id ipsum affirmat: sed solum negat ius, & præceptum diuinum, & solum Ecclesiasticum agnoscit obligans ad præponendam confessionem peccati mortalis Eucharistiæ. Concilium vero damnat simpliciter eos, qui affirmarunt non esse necessario præmittendam confessionē: neq; agit de aliqua specie necessitatis, & vtrum iure diuino, aut Ecclesiastico sit necessaria: neq; quidquam definit, itaq; damnat duntaxat hæreticos, qui existimabant solam contritionem etiam in conscio peccati mortalis, esse sufficientem dispositionem, ad sumptionem Eucharistiæ, absque præuia confessione, quamuis eius copia foret. Ita Filluc. trac. 14. c. 6. n. 84. Bonac. disp. 2. q. 2. punc. 14. Suar. disp. 23. s. 7. n. 5. Hoc porro decretum cum sit dogmaticum omnes obligat, etiam in locis, in quibus non est receptum, ibi tamen vt in Gallia, pœna excōmunicationis inflicta non valebit, quia decreta pœnalia, & præceptiua non ligant existentes in locis, in quibus receptum non est: quod tradit Bonac. punc. 14. citato sub fin. & Ferdin. à Castro disp. 3. punc. 36. n. 2. quod diligenter obseruandum est.

2. Confessionis sacramentalis sigillum reuelans deponendus est, & tota vita ad ignominiosam peregrinationem damnandus: ita edixit S. Gregor. can. *sacerdos de pœnit. dist.* 6. eandem depositionis pœnam infligi iubet Innocent. III. in Conc. Lateran. cap. *omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss.* & præterea in arctum monasterium, ad peragendam pœnitentiam detrudi.

Confiscatio Clem. 2. *de hæreticis.* excommunicantur excommunicatione Pontifici reseruata inquisitores, & alij Episcoporum, aut capitulorum sede vacante commissarij, qui attentarint Ecclesiarum bona propter delicta clericorum, Fisco applicare etiam Ecclesiæ.

Consistorium edixit Leo X. an 1514. bulla 7. *superna dispositionis arbitrio*, nequis Cardinalium vota in consistorio data, & ibidem gesta, aut dicta, quæ in alicuius odium, præiudicium, aut scandalum cadere possunt, dicto, scripto, aliaue ratione reuelet sub pœna periurij, atque inobedientiæ & præterea si quando alicui Pontifex super aliqua re silentium indixerit, alioquin excommunicationem latæ sententiæ incurrere. Hanc excommunicationem receptam esse affirmat quidem communis sententia. dubitant tamen Suar Nauarr. & Caietan in illius explicatione solos Cardinales afficit, contra quam voluerit Bonac. disp. 2. q. 7. punc. 2. quare si quidpiam eiusmodi à Cardinale, qui tibi reuelando peccauit, alteri prodas nequaquam hanc excommunicationem incurres.

Curia

Curia Romana. 1. canone 9. bullæ cœnæ, excõmunicantur omnes, qui accedentes ad sedem Apostolicam, & eius curiam, aut ab ea recedentes, vel in ea commorantes, per se, vel aliorum opera offendunt, mutilant, interficiunt, capiunt, detinent, spoliant. quæ excommunicatio cum lata sit in defensionem auctoritatis apostolicæ, qui illam incurrunt, præter iniustitiam, sacrilegium quoque committunt, ex mente Caietani ✠. excommunicatio c. 14. Sayr. lib. 3. c. 13. & Bonac. disp. 1. q. 9. p. 1. n. 14. ad illam verò opus est, vt qui offenditur, tunc offendatur quandò accedit ad sedem Apostolicam, aut ab ea recedit, aut denique in ea commoratur, non autem antea, aut postea, id autem contingit quando accedit causa alicuius negotij apud Pontificem tractandi, vt litis prosequendæ, soluendi tributi, obtinendi beneficij, aut alicuius gratiæ, aut priuilegij, & aliorum eiusmodi, quæ cum Pontifice, vel eius officialibus agitanda sunt: si verò ob aliquam aliam causam accedat ad sedem Apostolicam, non comprehenditur ille accessus hoc canone. quod communi consensu tradunt DD. Caietan. cap. 14. citato. Nauarr. cap. 27. num. 65. Toler. lib. 1. cap. 26. num. 3. Sayr. lib. 3. Thesaur. cap. 13. num. 3. Vgolin. in expositione bullæ cap. 9. Duard. ibidem can. 9. q. 1. Suar. disp. 21. sect. 2. num. 66. Filluci. trac. 16. cap. 7. q. 6. num. 164. Bonac. disp. 1. q. 10. punc. 1. num. 3. Ferdinand. à Castro Palao disp. 3. de censur. punc. 10. nu. 3. qui omnes volunt contra Alteri. lib. 5. disp. 18. cap. 2. dub. 4. nomine sedis Apostolicæ, eiusque curiæ comprehendi Pontificem, non modò quà Pontifex est, sed etiam qua dominus temporalis, quia eius curia, & tribunal secundum vtramq; iurisdictionẽ constituitur, estque vna curia.

Necessarium porrò est ad hanc censuram, vt offendantur accedentes ad sedem Apostolicam animo impediendi illum accessum, non verò alia quapiam de causa, vt vlciscendi iniuriam, quandoquidem totus fauor, qui fit accedentibus ad sedem Apostolicam, fit intuitu sedis apostolicæ & eius maiestatis, non verò accedentium, nisi secundariò. itaque sentiunt Caietan. ✠. excommunicatio. cap. 15. Duard. in hunc canon. 9. n. 2. & in can. 10. q. 10. n. 2. & Gambarupta in expositione eiusdem bullæ. cap. 9. contra Vgolin. in ead. bull. c. 9. §. 1. n. 3. Viuald. ibid. n. 85. Alteri. lib. 3. disp. 11. c. 1. Reginald. lib. 9. c. 19. n. 309. Bonac. disp. 1. q. 10. punc. 2. n. 13. & Ferdinand. punc. 11. citato. n. 6.

Sapienter tamen hi omnes cum Suar. Sayr. & Toleto nuper adductis obseruant discrimen inter accedentes ad sedem apostolicam, vel ab ea recedentes, & in ea commorantes: nam quisquis siue priuata, siue publica auctoritate offenderit modo explicato accedentes, vel recedentes, contrahit hanc censuram: at offendens commorantes in curia, debet id facere vsurpando authoritatem ordinariam, vel delegatam sedis Apostolicæ. id enim satis apertè explicant verba bullæ, si legantur attentiùs.

Hæc censura extenditur ad mandantes fieri, quæ illa prohibentur, non tamen ad consulentes, ratum habentes, non impedientes, aliaue ratione auxilium præstantes, quia Pontifex damnat eos, qui sua, vel aliorum opera præstant quæ ibi enumerat, & vetat, mandans verò vtitur opera mandatarij, qui nõ suo, sed mandantis nomine agit: quod dici nequit de consulente, non impediente, approbante, neq; enim isti dicuntur vnquam, aut verè sunt executores alterius. quare in his consentiunt Vgolin. Suar. Duard. Filluc. Alteri. Bonac. Ferdin. nuper laudati, & alij passim. Dissentiunt tamen iidem DD. an qui vexarit infideles ad apostolicã sedem accedentes, incidant in hanc excommunicationem: id enim negant Duard. in expofit. bullæ can. 9. q. 24. Gambarupta li. 4. de immunit. Ecclesi. c. 7. & 8. quibus præiuerat Couar. lib. 2. varia. c. 20. n. 11. neque enim æquum est, Ecclesiam tegere suis legibus eos, qui illã oppugnant, alij verius censent etiam hanc infidelium offensionem eo casu prohiberi, quia ea tota prohibitio, & infidelium quoque protectio cadit in fauorem, & maiestatẽ ipsius sedis Apostolicæ, ita Viuald. Vgolin. Alteri. Bonac. Ferdinand. Filluc. & ipse Sylu. ✠. excommunicatio 3. n. 2.

2. hæc eadem excommunicatio contra offendentes eos, qui recurrunt ad curiam Romanã, pro suis negotijs, & causis reperitur, sed cum ampliatione, & exaggeratione c. 12. eiusdem bullæ, quæ ampliatio ex ipso textu patet, eiusque sententia, ex ijs, quæ proximè dicta sunt perspicua manet, adi eius commentatores Vgolin. Alteri. Bonac. Duard. Sayr. Ferdinand. Filluc. & alios omnes, qui singillatim censuras explicant, ij enim eandem bullã interpretantur. moneo dũtaxat, iã olim similẽ legem latam fuisse, nam Eugeni. IV. *in extrauag. 3. de priuil.* subijcit excõmunicationi, suspensioni, & interdicto Iudices, ordinarios, aliosue superiores, qui censuram aliquã, aliãue pœnam infligunt officialibus in obsequijs Papæ, aut sedis Apostolicæ existentes, vel venientes ad sedem Apostolicam, pro suis aliorumq; causis prosequendis, & in ea curia commorantes, quamdiù durat prosecutio causarum; secùs verò facta inania, & irrita decernit. Hæc quoque excommunicatio extenditur ad inuadentes, & offendentes eos, qui accedunt ad Conciliũ generale in conc. Constanti. c. *sacrosancta synodus*, & in Basileensi sess. 1. c. *sacrosancta generalis synodus*.

3. can. 13. bullæ cœnæ excommunicantur, qui per se, vel per alios publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, in genere, vel in specie prohibent, statuũt, mandant, ne alij pro quibusuis negotijs prosequendis seu gratijs, vel litteris impetrandis recurrant ad Romanam curiam, id tamen intelligendum est, vt ad incurrendam hanc censuram, debeat quis præsumptiuè procedere, id est animo iniusto impediendi dictum accessum, seu recursum, litterarum impetrationem, illarumue vsum, vti docent Alteri. lib. 5. disp. 14. c. 3. Bonac. disp. 1. q. 14. punc. 3. Sayr. lib. 3. c. 17. sub fin. Duard. in hunc canon. 13. q. 9. n. 17. Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 14. n. 16.

Non est verò censendus peccare in hanc prohibitionem Episcopus, aut impedire epistolarũ Apostolicarum vsum, eo quod, an veræ sint, an subreptitiæ inquirat, maximè si aliqua subreptionis suspicio subsit, potestque denegare executionem donec ipsi de veritate constet, aut informetur Pontifex, ita Reginald. lib. 9. n. 321.

4. Clement. *multorum de pœnis*. procurantes capi viros Ecclesiasticos, vt renuncient beneficijs, vel vt citati ab homine, vel à iure non vadant ad curiam; præter pœnam excõmunicationis, quam per canones antiquos incurrunt, si sint prælati à perceptione fructuum per triennium suspenduntur: in feriores verò beneficijs sunt priuati, eandem pœnam incurrunt ipsi citati, qui se capi procurant, resignatio etiam sic facta, non tenet, etiamsi per Prælatos recepta fuerit, & ratificata. Ita Ioan. Andr. eam Clementinam compendio reddit.

5. Monachi, & Canonici regulares, qui nullã administrationem habent, si curias principum adeãt, vt suis prælatis, aut conuẽtibus noceant, excommunicantur

cantur 1. §. *quia verò de statu monachor.* monachorum nomine nigros duntaxat, & Benedictinos intelligunt hoc loco Suar. disp. 23. sect. 5. Angel ✝. excommunicatio 7. casu. 38. Filluc. tract. 14. cap. 8. qu. 6. num. 139. quia de illis tantùm Pontifex superiùs egerat. verum licet vt in simili casu nuper monebam, occasionem sumpserit Pontifex ex prauis monachorum nigrorum, & Benedictinorum moribus sanciendi legem, sua tamen lege, & sanctione om prehendit omnes monachos, & legem condit vniuersalem, cum nihil addat, vnde necessariò colligamus verba illa indefinita, & vniuersalia legis, ad quosdam duntaxat monachos restringenda esse. Ita Tolet. lib. 1. cap. 39. n. 3. Silu. ✝ excommunicatio 9. n. 78. Sayr. lib. 3. Thesaur. cap. 37. n. 26. Bonac. disp. 2. qu. 8. puuc. 9. n. 12. & Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 34. num. 4. quibus præiuerat Panormita. in hanc Clem. n. 9. debent autem hi monachi carere omni administratione, vt ex accessu ad curias principum prohibito incurrât hanc excommunicationẽ, quia qui aliquid administrandum habent aliquando coguntur frequentate principum curias, ad negotia, quæ geruntur, quæ occasiones non possunt esse aliis, qui priuati degunt, & administrationi pro qua nonnunquam imploranda sit opera principum, se nullo modo immiscent: nomine administrationis intelligo tum spiritualem, tum temporalem, nam etiam pro hac administratione necesse interdum est principes adire, aut illorum patrocinium postulate. Quod gloss. Panorm. ll. cc. & alij plures fatentur, debent autem isti malo animo nempe nocendi suis aut prælatis, aut consentibus curias adire, alioquin non incidunt in hanc censuram, quamuis sine licentia, atque adeo cum peccato, illoque aliquandò grauiori audiant: non tamen idcircò ista censura excommunicationis innodantur, quod omni dubio carere videtur. Vtrum verò cum monachus obtenta licentia, propter quædam necessaria negotia curiam adit, cum eo tamen malo animo, quem dissimulat, ipsa hanc incurrat censuram, dissentiunt DD. maior tamen pars ita affirmat, quia Pontifex prohibet accessum ad curiam cum malo animo, & non meminit licentiæ, quare sine cum licentia, siue sine licentia, siue ad vera negotia, siue ad præsumpta, vel ficta adeat, si prauus animus nuper descriptus adest, incidit in censuram, quia Pontifex non prohibet absolutè, & simpliciter itationem ad curiam, nequè licentiæ necessariæ, aut nõ necessariæ vlla ratione meminit, sed solum prauum animum, sine itationem ex illo prauo animo susceptam damnat, & hac censura punit. ita gloss. Panor. & Card. in hac clement. Suar. disp 23. sect. 3. n. 8. Nau. c. 27. n. 138. Tolet. lib. 1. c. 39. n. 3. Bonac. d. 2. q. 8. pu. 9. n. 6. Sayr lib. 3. c. 33. n. 27. placet tamen cum Ferd. p. 34. n. 4. non incurri censurã hoc casu, quod non obscurè ex ipso textu colligit. Põtifex enim prohibet monachis & canonicis regularibus aliquã administrationẽ non habentibus, ne curias principum absque speciali Prælatorũ licentia adire præsumant. addit deinde, quod si vt suis prælatis, vel monasteriis dãnum inferant, curias principum adire præsumant, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto; nempe si sine licentia, & cum eo malo animo ad curias se conferant, priori enim clausula licentiam Prælatorum requirebat; posteriori requirit quoque bonum animum, alioquin si sine licentia, & cum malo animo curias adeant, excõmunicationi subijcit. Itaque nisi vtrumque illud adsit, nempe defectus licentiæ, & prauus animus nocendi prælatis, aut monasteriis suis, non excommunicantur: si v. g. sine licentia principem adeat, sed non malo animo, peccat, non tamen incurrit excommunicationem: quod idem dico, si malum quidem nocendi animum habeat, licentiam tamen habeat consetendi se ad curiam, ob alia quædam negotia. Quare nun punitur tantum ille malus animus hoc loco, sed accessus ad curiam ex illo animo peruerso, & absque licentia, alioquin si solus iste nocendi animus puniretur, etiam illi qui aliquam administrationem haberent & cum eo animo nocendi Monasterio, aut suo Prælato curiam adirent, excommunicarentur, quia in hac posteriore clausula, in qua fertur excommunicatio, non magis fit mentio administrationis, quàm licentiæ: quare æque diceretur, illum, qui habet aliquam administrationem, & cum malo animo nocendi Prælatis, aut cõuentui, eandem curiam adit, excommunicari, quia in clausula ferentente censuram neque licentiæ, neque administrationis vlla mentio fit. Qua igitur ratione hanc posteriorem clausulam cum priore, in qua agitur de administratione iungunt aduersarij: ita cum eadem ratione licentiæ connectimus, quandoquidem simul & specialis licentiæ, & administrationis meminit. Præterquam quod nuper disputantes de causa censuræ, fusiùs ostendimus nunquam illam ferri propter externam actionẽ bonã, quæ denominatiuè tantum à prauo animo, & intentione, eaque occulta mala est, quandoquidẽ tota illa malitia iudicium fori externi fugit, à quo proinde puniri nequit, atqui accessus monachi ad curiam ex speciali, & expressa sui Prælati licentia, ad negotia ibidẽ tractanda, cum occulto tamen nocendi animo externus bona est neque à quoquã iudicio dãnari, aut impstoi ari potest, cum neque nocendi animus noueat, & quamuis nouisset, quãdiu se ille per aliquã actionẽ externa malam non proderet, à iudice plecti nequaquã posset.

Maior dubitandi ratio videretur, an qui bono animo accessit ad curiam, & ibidem deinde existens mutat animum, & nocere intendit, incidat in hanc excommunicationem, quia Pontifex discretè agit de adeuntibus curiam, non de ibi existentibus, & leges pœnales strictiùs interpretandæ sunt. Deinde qui cum praua intentione se ad curiam contulisset, licet deinde inibi existens mentem mutaret, incidisset reuera in excommunicationem; illa igitur punit malum illum accessum ad curiam, non existentiam, aut commorationem in ea, ita Bonac. disp. 2. de censu. q. 8. punc. 9. n. 4. verum attendenda est causa, & finis huius prohibitionis; nempe vitatio damni, quod aliqui Monachi suis Prælatis, aut monasterijs, vel religioni, atque toti ordini creabant apud principes, & eorum curias, ad quas ea de causa itabant; cum autem prauus ille animus executioni mandari nequiret, nisi accessu ad Principes, & commoratione aliqua in ipsorum curijs, vtrumque prohibuit sine dubio Pontifex, & nomine accessus tum itet ad curiam, tum moram in illa significauit: neque enim nocete poterant eundo, nisi ibi aliquamdiù subsisterent. Si quis igitur monachus in curia existens, ibidem suscipiat animum nocendi Prælatis, aut monasterijs suis, eaque de causa ibidem commoretur, incidit in hanc excommunicationem eodem prorsus modo; atqui si cum eodem prauo affectu ad curiam accideret: ita Suar. disp. 23. sect. 3. num. 6. Filuci. tract. 14. cap. 8. q. 6. num. 141. Ferdinand. punc. 34. citato. n. 4.

sub

sub. fin. vnde colligo, quod si accessus malus etiam cum licentia superioris susceptus, erat materia huius censuræ, vti docebat nuper communis sententia; commoratio quoque in curia cum praua nocendi intentione, licet superior commorandi ad alia negotia veniam fecerit, erit materia eiusdem censuræ, quod si licentia accessus impediat excommunicationem, quamuis ille accessus coniunctus fuerit cum animo nocendi: ita etiam licentia commorandi in curia, quamuis & ipsa fiat animo nociuo, excusabit ab incurrenda censura.

D.

Decima Clem. 1. *Religiosi. de decimis.* Religiosos, qui sibi decimas Ecclesiæ debitas vsurpare præsumpserint, vel suis familiaribus, pastoribus, aut colonis decimarum solutionem prohibuerint, aut non permiserint, suspendit ab officio & beneficio; quod si beneficijs, & administrationibus, à quibus suspendi possint, caruerint, excommunicationi subijcit, quam tamen sibi non reseruat. Plectitur igitur his pœnis duplex actio. 1. est vsurpatio, siue appropriatio decimarum, tanquam eæ debitæ non sint, si enim non soluas, & retineas dumtaxat, aut etiam subripias; si tamen eas tibi non appropries tanquam non debitas, nequaquam incidis in has pœnas (vt patet) & sanè neque ipsi laici, ob eam non solutionem, aut retentionem aliqua censura plectuntur ipso facto: quod aduertunt Sayr. libr. tertio capit. 33. numer. vigesimoquinto Tolet. libr. primo. capit. 39. unmer. quarto, Bonac. disp. 2. quæst. 8. punc. duodecimo nomer. 10. II. actio, quæ damnatur, est impedire verbis, aut factis, ne serui, familiares, aut coloni soluant debitas decimas Ecclesijs, si tamen intra duos menses Ecclesijs damnum illatum ex vsurpatione, & appropriatione decimarum emendarint religiosi, vitabunt suspensionem, vel excommunicationem; atque etiam si intra mensem destiterint à prohibitione facta suis colonis, & familiaribus, ne decimas soluant, disputant tamen Doctores, à quo tempore computandus sit iste terminus duorum mensium, non quoad mensem in prohibitione solutionis, decimarum facta colonis; certum est illum computandum esse à die requisitionis à parte factæ, vt ab illo impedimento Religiosus cesset, id enim expressis verbis significat Clem. quoad terminum duorum mensium in vsurpatione, & appropriatione, illum computandum esse à die vsurpationis voluerunt Sayr & Bonac. locis citatis. Alij verò probabilius dicunt cum glossa in hanc Clement. *per. duos menses*, & Cardin. ibid. nomer. vigesimoquarto Suar. disp. 31. sect. 6. numer. nono & Alteri de suspens. disp. 17. cap. secundo, desumendum hunc terminum à die monitionis: quia illa verba *post monitionem*, posita in principio clausulæ, referuntur ad omnia contenta in clausula.

Denuntiatio. quænam crimina denuntianda sint à scientibus, sub pœna excommunicationis, dicetur in singulis eiusmodi criminibus præter ea quæ dicta sunt hoc opere de monitorijs denuntiationem, & reuelationem impedientibus.

Depopulatores agrorum nocturni priuantur

R. P. Ioseph. Gibal. de Cens.

immunitate Ecclesiastica, ita vt ex loco sacro, in quem confugerunt extrahi possint *cap. inter alia de immunit. Eccles.* idem edixit Gregor. XIV. constitutione septima *Cum alias nonnulli*, neque distinguit inter depopulatorem diornum, aut nocturnum, quod notat Farinac. tract. de immunit. num. 561. & Barbos. in collectaneis ad cap. *inter alia* citatum.

Depositum. qui apud ædes sacras deposita Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum personarum vbilibet *arrestauerint*, *saisiuerint*, *vel occupare præsumpserint*, vel hæc mandauerint, vel arrestata receperint, vel prædictis scienter dederint auxilium, consilium, vel fauorem, vel publicè, vel occultè, excommunicantur excommunicatione Papæ reseruata. vniuersitates verò, quæ in prædictis culpabiles fuerint, eo ipso interdictum Ecclesiasticum incurrunt in cap. *clericis.* §. *nos igitur de immuni. Eccl. in 6.* Hæc tamen Bonifacij VIII. constitutio reuocata est per Clem. 1. *de immu. Eccles.* & communi interpretum sensu, vide Barbo. in collectan. ad illud cap. clericis.

Duellum. 1. clerici duellantes siue obtulerint, siue acceptarint duellū, siue victi siue victores euaserint, *deponendi* sunt: si tamen neque cædes, neque mutilatio fuerit subsequuta, poterit Episcopus cum illis misericorditer dispensare. *cap.* 1. de cleric. *pugnant. in duell.* Vnde non benè colligunt aliqui Summistæ v. suspensio. Sylu. n. 51. Angel. n. 12. Armilla 10. Tabiena n. 7. hos clericos duellantes incurrere suspensionis pœnam ipso facto, nam reuera suspendendi, & deponendi sunt duntaxat: quod viderunt Nauarr. cap. 27. nom. 156. Suar. de censur. disp. 31. sect. 4. n. 48. Henriq. lib. 13. cap. 39. num. 23. Sanch. lib. 2. in decalog. cap. 39. num. 18. Barbosa in collectan. ad illud caput 1. de cleric. pugnant. in duello.

2. Omnes alij duellantes, & non solùm clerici varijs pœnis, tum temporalibus, tum spiritualibus, puniuntur iure nouo Trident. sess. 25. cap. 19. de Reformat Pij IV. Gregorij XIII. & Clem. VIII. constitutionibus quæ à Sanche loco citato, aliisque referuntur. Et pœnæ quidem spirituales sunt, 1. excommunicatio reseruata Pontifici, saltem ex constitutione Clementis. 2. priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ, si in conflictu decesserint. 3. interdictum loci, in quo scientibus eius dominis, pugna commissa est. 4. in clericis priuatio beneficiorum. 5. inhabilitas ad illa. Pœnæ verò temporales sunt, 1. priuatio dominiorum, quam patiuntur Principes subiecti Romanæ Ecclesiæ, nam si subiecti ita non sint, dominia feudalia redeunt ad proprios Dominos supremos. 2. infamia perpetua. 3. pœnæ criminis læsæ Maiestatis. 4. pœnæ rebellionis, quis hoc crimen, & læsæ Maiestatis, & rebellionis esse dicitur. Ex his pœnis sola excommunicatio, & interdictum sunt latæ sententiæ, neque indigent Iudicis sententia: qood idem de inhabilitate ad beneficia obtinenda Sanch. cap. 39. citato num. 32. affirmat. negat tamen veriùs Fillnc. tract. 29. n. 167. alias verò omnes non incurri ante sententiam iudicis saltem declaratoriam, fatentur passim Doctores.

Personæ, quæ his sanctionibus comprehenduntur, sunt. 1. Domini temporales etiam Re-

ges, & imperatores, qui locum ad monomachiam inter Chriſtianos concellerint, ij enim Dominiis eorum locorum priuantur modo explicato, & præterea excommunicantur. 2. pugnantes, eorumque patrini excommunicantur; priuantur ſepultura Eccleſiaſtica, ſi in duello deceſſerint, perpetuo infames exiſtunt; eorum bona fiſco addicuntur, & vt homicidæ puniri iubentur. 3. excommunicantur qui conſilium dederint, aut quacunque ratione duello fauerint. 4. prouocantes, diffidentes, comitantes, & ſpectantes ſimili feriuntur cenſura, obſeruandum porrò eſt. 1. licet hæc omnia poſteriora iura loquantur de duello etiam non ſolemni, & non formato, ſed priuato; debet tamen eſſe verum duellum, hoc eſt pugna ex condicto loco, & tempore. quare qui offenſus, ſtatim ac calore iracundiæ prouocat aduerſarium ad pugnam, & iubet ſtringere enſem, non incurrit has pœnas, vt ait Sanch. num. 28. ſi verò locum, & tempus pugnæ illi conſtituat. v. g. veni in talem locum, accipe enſem, hic præſtalabor, iam duellum indicit. Qui verò tantum diceret aduerſario, quem videt eſſe in Eccleſia, aut in alio loco parum oportuno, exito hinc, neque tamen expreſſe ad pugnam inuitaret, non cenſeretur prouocare, neque ſi nihil aliud contingeret, hanc excommunicationem incurreret.

2. Quamuis hæc excommunicatio ſit reſeruata ex Clem. VIII. conſtitutione, vbi illa recepta fuit, poterit tamen ab ea abſoluere Epiſcopus, ſi duellum occultum ſit, ex Tridentino, cui non intelligitur fuiſſe abrogatum per hanc bullam: ita Sanc. lib. 2. in decal. capite 39. num. 27. Bonac. de cenſur. diſp. 2. quæſt. 6. punc. 2. num. 15. Barboſ. allegat. 50. num. 120. de poteſtate Epiſco. Ferdinand. à Caſtro tract. 6. diſp. 5. punc. 7. num. 59. qui idem dicunt de bulla cruciatæ, vi cuius hæc abſolutio impendi poterit: quod de priuilegiatis aliis tradidit quoque Filluci. tract. 29. num. 167.

3. Excuſantur Principes ab ea excommunicatione Tridentini, qui vel locum conceſſerint infidelibus, & non Chriſtianis, vel iuſtam aliquam cauſam permittendi duelli, habuerint, qualem poſſe nonnunquam contingere dubium non eſt, cum aliquandò minora mala, ad maiora vitanda, permittere liceat.

4. Spectantes duellum, qui ſua præſentia, & viſione non faciunt audentiores, aut nihil ad duellum conferunt, vt ſi fortuitò in duellantes incidant, videantque pugnantes non incidunt in has cenſuras, idem de comitantibus ad pugnam dices, ſi animo impediendi id faciunt, aut ſi aliunde ad einſmodi comitatum obligentur, ſine animo pugnandi, aut ad pugnam iuuandi, & quidpiam conferendi, quia comitatus, qui punitur à Conc. & PP. eſt ille qui continet auxilium, aut fauorem duelli.

Denique videndum erit, an ea ſtatuta pœnalis vigeant, & recepta ſint, vt obligent: nam in Gallia noua iſta iura non admittuntur, innouata tamen fere ſunt per Epiſcopos, & tunc vt ſanctiones Epiſcopales obligant, quamquam non deſint grauiſſimæ pœnæ, quibus Chriſtianiſſimi Reges in hoc crimen animaduerterunt, & leges ſuas ſanciuerunt etiam imminutione magnorum capitum.

E

Electio 1. Iulius II. conſtitutione, *cum tam diuino*, excommunicat excommunicatione reſeruata Cardinales, qui ſimoniam in electione ſummi Pontificis promittendo, vel recipiendo commiſerint, Electionem irritam eſſe decernit, ſic electos, & electores dignitate Cardinalitia, omnibuſque beneficiis, & officiis priuat, niſi intra octo dies, poſtquam fuerint requiſiti, cum aliis à ſimonia immunibus, ad nouam electionem ſe, coniunxerint. Veniam facit Clero populóque Romano recedendi ab obedientia Pontificis ſic electi, poſſuntque Cardinales implorato etiam auxilio brachij ſæcularis ipſum à ſede, ad quam ſe intruſit, remouere, aliumque eligere, vnà etiam cum illis, qui ſimoniaci fuere. atque hanc excommunicationis, priuationis beneficiorum, & officiorum, atque inhabilitatis pœnam extendit ad eos, qui quoquo modo in prædictis adiutores fuerint, & ad illos qui huic conſtitutioni aliqua ratione contradicere fuerint auſi. Hanc bullam in conc. Lateran. ſeſſ. 5. ſub Leone X. receptam fuiſſe contendit Sanch. lib. 2. conſili. cap. 3. dub. 104. num. 12. Ferdinand. à Caſtro diſp. 3. de cenſu. cap. 28. n. 2. cum Caietano, & aliis. quia ibidem fertur excommunicatio reſeruata aduerſus eos, qui ſimoniacè curant ſe eligi in Pontificem, quare derogabit antiquo iuri, in quo veriùs, & communiori ſenſu dicunt Canoniſtæ in C. *licet.* de *electio.* non fuiſſe irritam Pontificis electionem Simoniacam; neque ſi alioquin canonicè & à duabus partibus Cardinalium vnanimi voce facta, fuiſſet, potuiſſe de ſimonia aduerſus illam excipi. ita Antoni. 2. par. tit. 3. cap. 11. Cardin. in dictum c. *licet.* & alij quos adducit, & ſequitur Sanch. l. c. Verum hodiè exceptionem illam validam eſſe dicunt Caietan. ℣. excommunicatio. cap. 24. Redoan. tract. de ſimon. par. 2. cap 34. num. 15. Azor. 2. par. lib. 4. cap. 5. qu. 7. & alij cum Sanch. l. c. Quod tamen negant Suar. de Simonia c. 57. num. 5. & 7. Tanner. tom. 3. diſp. 5. qu. 8. num. 98. & 110. quod etiam probabile dicunt Leſſi. lib. 2. cap. 35. num. 145. Filluc. tract. 45. cap. 13. eo quod Iulij conſtitutio non eſt recepta cum eo rigore. Quod quàm vere dicatur non video, cum Cardinales in conclaui ipſo ingreſſu iurent ſe illam obſeruaturos; neque conſuetudo huic conſtitutioni derogaſſe potuit, quia nunquam à Iulio II. hic caſus contingit. Addunt ſeruata hac conſtitutione Eccleſiam nunquam futuram certam de ſuo capite. Verum optimè reſpondet Leſſi. quandiu ſimonia fuerit occulta, talem habendum eſſe in verum Pontificem, illique ſpiritum ſanctum aſtiturum, propter titulum coloratum. Denique Suarez vult, Iulij II. conſtitutioni derogaſſe Pium IV. conſtitutione 63. *in eligendis.* Cum tamen Pius §. 28. confirmet bullam Iulij II. cum ſuis pœnis, eamque initio conclauis iurari præcipiat. §. quidem 29. nullum Cardinalem excludi vult à voce actiua, vel paſſiua prætextu cuiuſuis cenſuræ, ne ſchiſmatis detur occaſio, quod iamdiū ſtatuerat Clem. *ne Romani.* §. *pen. de electiom.* & nuper confirmauit Gregori. XV. conſtitut. 13. *æterni Patris*, quod non fauet Suari, quia in noſtro caſu exceptio non fieret ratione cenſuræ, ſed ratione criminis, & decreti irritantis. Noſtrum non eſt in hac breui ſynopſi tantam litem dirimere, obſeruo duntaxat, ſtante Iulij II. conſtitutione

ductione excommunicationem illam incurri, etiamsi non fuerit perfecta electio, sed solum attentata, pœna verò priuationis beneficiorum, & inhabilitatis ad illa, requirit perfectam electionem, quod ex ipso contextu subtiliter colligit Caietan. ✠. excommunicatio. cap. 24.

2. Paul. IV. constitut. 16. *cum secundum Apostolum* excommunicat sibi reseruata excommunicatione eum, qui viuente Pontifice procurauerit se media simonia in Pontificem eligi: & eum qui viuente, & inconsulto Pontifice, per se, vel per alium verbis, vel scriptis, aut nuntiis tractauerit de futuro Pontifice, extenditque has pœnas ad hos, qui hanc in rem quidpiam contulerint.

3. Gregor. XV. constitutione *æterni patris*, quam confirmauit Vrbanus VIII. præscribit formam electionis pontificiæ seruandam sub pœna excommunicationis, & electionem aliter factam, irritam esse decernit.

4. Leo X. bulla 7. *superne dispositionis arbitrio* excommunicat reuelantes vota in consistorio data, aliaque ibi gesta, & facta, dum in alicuius offensionem caduht, de qua bulla diximus nuper ✠. consistorium.

5. Gregor. XIV. constitutione 81. *cogit nos*, confirmat bullam Pij IV. *in eligendis*, & excommunicat eos omnes, qui pactum quodpiam inierint super futura creatione summi Pontificis, ipso viuente, aut sede vacante.

6. Qui litteras, & cuiusuis generis scripta, nuntium, notam, aut signum mittere ad Cardinales in conclaui existentes, ausi fuerint, excommunicantur à Pio IV. constitut. 63. *in eligendis*. qui & absolutionem sibi reseruat. Finis huius prohibitionis est libera electio Pontificis: quarè non videtur prohiberi missio litterarum, quæ ad quidpiam aliud, quam ad electionem Pontificis pertinebunt quod aduertit Ferdinand. à Castro Palao disp. 3. punc. 28. n. 6. ibidē agit Paul. de colloquio cum externis, vbi fuerit clausum conclaue, & contra illud furtiuè intrantes, in quibus omnibus confirmat, & ampliat constitutionē Gregorij X. in Concilio Lugdunensi. in c. 3. de elect. in 6. vbi excommunicationem imponit quamuis non reseruatam, in eos, qui cum aliquo Cardinali secreto loquuti fuerint, aut illi nuntium, vel scripturam miserint durante conclaui, quæ censura non attingit ipsos Cardinales nuntium vel scripturam mittentes, vel secretò alloquentes: quia Pontifex manifestò distinguit Cardinales in conclaui existentes, ab illis qui nuntium ad illos mittunt, ita Caietan. ✠. excommunicatio c. 55. Sayr. lib. 3. c. 35. n. 3. Suar. disp. 21. sect. 4. n. 2. Filluc. tr. 14. c. 4. q. 2. n. 54. Bonac. disp. 2. q. 2. punc. 34. si tamen Cardinalis extra conclaue existens, nūtium, aut scripturam mitteret, subiiceretur huic excommunicationi, vti sapienter aduertit Ferdin. disp. 3. punc. 31. n. 1. an verò hæc missio nuntij, & scripturæ secreta esse debeat, sicut & locutio secreta ad hanc excommunicationem, dissentiunt DD. nam secretum in vtroque casu requirunt Geminian. Archidiac. Ioan. Andr. in illud caput 3. *vbi periculum. de electione in 6.* Sylu. ✠. excommunicatio 9. n. 34. Angel. ✠. eod. 7. casu. 13. Tabiena ✠. eod. 5. casu 16. quia vox illa *secretò*, æque ad nuntium, atque locutionem referri potest in textu, & nulla est ratio, cur potiùs secretum in missione, quam in locutione requiratur, alij tamen solam *loquutionem secretam* esse oportere, & quamlibet missionem secretam, & non secretam subiici censuræ volunt cum Caietan. ✠. excommunicatio, cap. 55. Tolet. lib. 1. cap. 38. n. 1. Sayr. lib. 3. cap. 35. n. 3. Suar. Filluc. Bonac. & Ferdinand. adductis, quia textus ipse manifestè id docet, & missio ferè semper secreta est, non autem locutio, si hæc porrò fiant ex consensu cæterorum Cardinalium non incurritur excommunicatio ista.

7. Cap. *cum in cunctis*. §. *clerici. de electione*. clerici qui scienter aliquem ad Episcopatum, Rectoratum, aut beneficium, cui cura animarum annexa est, eligunt contra formam in illo cap. *cum in cunctis* præscriptam, suspenduntur triennio à beneficiis illius Ecclesiæ, in quam deliquerunt eligendo indignum. Vide Suar. disp. 31. sect. 5. n. 10. Bonac. disp. 3. de censur. in partic. quæst. 4. punc. 5. num. 8. quod si nulla beneficia in illa Ecclesia obtineant, non suspenduntur quidem à beneficiis, sed pœnis arbitrariis, puniendi sunt, priuantur tamē verò potestate eligendi pro ea vice Episcopi qui in has electione delinquunt; non suspenduntur quidem, quia in ea prohibitione non exprimuntur, vti fieri oporteret. Quod alibi diximus, priuantur tamē potestate illa beneficia, & officia conferendi, vti habetur citato cap. *cum in cunctis*, & puniri debent suspensione, quæ ferenda tantùm est ex cap. *nihil est de electione*: quod notant Suar. & Bonac. adducti. Obseruat denique Ferdinand. à Castro disp. 4. punc. 10. §. 3. n. 1. electionem, quæ punitur eo capite, debere esse vitiosam, eo quod fiat contra formam ibidem præscriptam: nam si aliunde sit vitiosa, non incurretur suspensio ibidem lata.

8. Electores, qui per abusum sæcularis potestatis eligūt aliquem ad beneficium Ecclesiasticum, suspendendi sunt per triennium ab omnibus officiis, & beneficiis, cap. *quisquis de electione*, quam suspensionem esse ferendæ duntaxat sententiæ, obseruant Suar. disp. 31. sect. 3. n. 12. & Bonac. disp. 3. q. 4. punc. 5. n. 3. quo etiam tempore priuantur iure eligendi, quam priuationem vocis actiuæ, & potestatis eligendi incurri ipso facto malè existimauit Suarez: Rectiùs enim glossa ✠. *tunc*. Bonac. citat. Alteri. disp. 16. de suspens. sub fin. Ferdinand. à Castro disp. 4. punc. 10. §. 3. n. 2. viderunt non incurri hanc priuationem, nisi posita suspensione ab officiis, & beneficiis; illa siquidem durante eligere nequeunt, alioquin actum aliquem sui officij, aut beneficij exercerent, à quo tamen suspensi esse dicantur, quandiu igitur non ponetur suspensio, neque etiam consequetur illa priuatio potestatis eligendi. Episcopi quoque non subiiciuntur huic pœnæ, cùm illorum non fiat expressa mentio, vti fieri deberet, & quia aliis pœnis ibidem puniri iubentur.

Qui suæ electioni hoc vitio factæ consentit & electionis commodo caret: & ineligibilis est ad omnem aliam dignitatem absque dispensatione.

9. Qui confirmarit electionem vitiosam indigni ætate, scientia, moribus, ad beneficium animarum curam habens, suspenditur à fructibus beneficij, & priuatur iure confirmandi primum electi successorem. Hanc suspensionem esse latæ sententiæ dixit glossa in cap. *nihil est de electione*. Henriq. lib. 13. cap. 39. n. 2. Viuald. tit. de suspensione n. 97. Sayr. lib. 4. cap. 12. num. 33. quam tamen ferendæ tantum sententiæ, esse veriùs docuerunt. Bonac. quæst. 4. cit. punc. 4. & Ferdinand. citat. §. 3. numero 3. qui id ex verbis *careat, suspendatur*, quæ futuram indicant, colligunt.

10. Clericus qui aliquid malitiosè opponit

aduersus electum ad dignitates, personatus, & canonias, in probatione deficit, suspenditur per triennium à beneficiis.cap *statuimus*.§. *adiicientur, de electione in* 6.& cap.*si compromissarius,eod.tit. & lib.* hæc verò suspensio non est, nisi à beneficiis, quæ obtinet in illa Ecclesia, cuius electionem impugnauit. ita glossa in cap.*si compromissarius*.℣. *illius beneficiis*. Suar. disp.31.sect. 3. n. 11. Filluc. tract.17.cap.6.q.8. Bonac. disp.3.q.4.punc. 9. n. 8.& Ferdinand. §. 3.citato n.5. si tamen durante suspensione temere se beneficiorum administrationi immiscuerit, illis perpetuo priuatur, sine spe vlla veniæ, nisi manifestissimis indiciis conster, ipsum à calumniæ vitio, probabili aliqua ratione excusari.Ad hanc tamen priuationem opus est sententia saltem declaratoria criminis, quia nemo tenetur ius quæsitum à se abdicare, nisi ad id per sententiam compulsus fuerit:quod aduertit Bonac. disp.3.q.4.punc.9.n.9.

Impugnans electionem non ob defectum electi, sed electorum,aut ob omissam formam in electione seruandam, nisi plenè probauerit, condemnabitur ad expensas factas à parte. ex eod. cap. *statuimus*, quod idem dicendum est, si deficiat in probatione defectuum,quos electo obiicit.

Magnum tamen discrimen inter duas istas impugnationes electi, aduertit Ferdin. §. 3. citato. n. 5. quod impugnans electionem ob defectum formæ, plenè probare debeat suam impugnationem, vt euitet condemnationem ad expensas, at verò impugnanti electionem ob defectum electi, satis fuerit, illum semiplenè probasse. quia tunc dici nequit calumniator. quare neque incurret suspensionem, si semiplenè defectum, quem obiicit electo, probauerit: quod glossa in cap. *statuimus* ℣. *qui verò in probatione* tradidit, vbi refert Archidiac. & Hostiens. quibus adhæsit Suar. disp. 31. sect.3. n.11.plenam nihilominùs probationem requirunt, ad vitandam hanc suspensionem, Gemînian. in illud cap. *statuimus*. n. 5. Ancharan. ibid. n. 2. Alteri.disp. 13. cap. 4. de suspens. Bonac. & Ferdin.relati, mihi videtur ex eo cap. *statuimus*, si duntaxat attendamus necessitatem plenæ probationis, ad vitandam suspensionem,non posse certò colligi, at verò ex interpretatione, quam tradidit Gregori.X. in cap. *vt circa de electione in* 6.id manifestè constare: ibi enim constitutionem Innocentij IV. relatam in cap. *statuimus*. sic confirmat, & interpretatur: *illa sanè quæ fœlicis recordationis Innocentius Papa quartus, contra non plenè probantes ea, quæ in formam, vel in personam obiecerunt, voluimus in suo robore permanere.* vbi vides probationem in vtraque impugnatione in formam, & personam exigi à Gregorio; itaque illam interpretari prædecessoris sui Innocentij dicta, & nihil inter duas istas impugnationes distinguere.Adde, illum, qui plenè non probat deficere in sua intentione, quia irritationem, & cassationem electionis obtinere nequit: quod notat glossa in *Clem. constitutionem*.℣.*fides. De electione*.

Excusatur tamen ab hac censura impugnans electionem. 1. si inculpabiliter deficiat in probatione,quia v.g.testes nolunt deponere, vel electus ab obiecto defectu,fuit occultè liberatus. 2.si ex obiectis pluribus defectibus, vnum plenè prober, qui sufficiat ad electionem annullandam: quod fatetur glossa in cap. *statuimus*.citatum ℣.*deficere*: vbi & alios refert. Denique hoc caput non agit de electione ad quodcumque beneficium, sed tantùm ad dignitates, personatus, & canonias, vti initio retulimus, nomine dignitatum comprehendi quoque Episcopatum, qui suprema dignitas est, tradunt laudati DD.

11. Electores Episcoporum, qui culpabiliter omiserint electionem præsentare electo,intra octo dies, enumerandos non à puncto electionis, sed ab eo tempore, quo illam iam factam commodè potuerint præsentare, ab omnibus beneficiis, quæ possident in Ecclesia, de cuius electione agitur, suspenduntur per triennium, quo triennio durante si se ipsorum administrationi ingesserint, illis in perpetuum priuantur. cap. *cupientes*.§. *cæterum. de electione in* 6. & ibidem glossa, & DD. Silu. ℣. suspensio.n.25. Henriq. lib. 13.cap.39.n.2. Paludan.in 4. d.18.q.7. casu.1.Suar.disp.31. sect. 45. n. 4.Sayr.lib.4.Thesaur.cap.15.n.12. Bonac.disp. 3. q. 4. punc. 8. Ferdinand. à Castro Palao. disp. 4. punc. 10.§.2.n.6.

12. Eadem omninò suspensio triennalis à beneficiis, & modo explicato,imponitur illo cap. *cupientes*. Electoribus se se opponentibus electioni nisi infra tempus, & secundum tempus ibidem præscriptum, ad sedem Apostolicam per se, aut procuratores, ad reddendam totius negotij,& causæ rationem accesserint. Quod idem seruandum erit, cum quis postulatur ad aliquam Ecclesiam. verum cum vix vllibi istæ electiones sint hodie in vsu,cessant quoque ferè vbique istæ censuræ:quod etiam monuit Suar. disp. 31. sect. 3. n. 5. sanè in Gallia multæ fiunt electiones Episcoporum, eorum quippe nominationes ad Regem eximio iure pertinent.de quo dicemus alibi.

13. Cap. *si compromissarius de electione. in* 6. compromissarius, qui scienter, aut ex ignorantia culpabili eligit indignum ad Episcopatum, aut superiorem aliquam dignitatem, non verò ad inferiorem, suspenditur triennio à beneficiis in Ecclesia, in quam peccauit, possessis. compromittentes verò, qui scienter ratam habuerint eam indigni electionem, priuantur ea vice iure eligendi; non suspenduntur tamen, quia neque in citato c.*si compromissarius*,neq; alibi infligitur ea suspensio.Vide gloss.ibi.Suar.disp.31. sect. 3. n. 9. Alteri.disp.13.de suspens.cap.2.Bonac.disp. 3. q.4. p. 3. Ferdinand. à Castro disp. 4.punc. 10. §. 2. n.17.

14. Idem Gregori.X.in cap.*sciant cuncti,de electione, in* 6. excommunicat eos omnes, qui per se, vel per alios grauant spoliando, vel iniustè persequendo electores Ecclesiasticos, aut ipsorum consanguineos, vel Ecclesias, seu loca pia, in quibus ius eligendi habebant, eo quod noluerint eligere eum, pro quo rogabantur. Hæc porrò vexatio debet esse iniusta, cum Gregorius appellet *iniustam persecutionem*, & omnis grauatio iniustitiam contineat: quod tradunt Naua. cap. 27.n.122.Siluest. ℣. excommunicatio 5.n.27.Sayr.lib.3.cap. 34. n. 8.Tolet.lib.1.cap.38.n.3.Suar.disp.23.sect.4.n.3. Filluci.tract. 14.cap.4.q.3.n.55.Bonac.disp. 2. q. 2.punc. 19.Ferdinand. disp.3.punc.31.n.3.deinde debet hoc grauamen inferri electoribus Ecclesiasticis, de quibus solùm agit Pontifex, non de sæcularibus: sufficit autem vt inferatur vel eorum personis, vel in aliis ad ipsos pertinentibus, ratione quorum reuera pati grauamen dicantur; vt in consanguineis, qui non debent extendi vsque ad septimum gradum, vti existimauit glossa in illud cap. & Tolet. cap. 38. citato. n. 3. cum Sayr.loco etiam citato. n 7.sed solum ad quartum gradum: quod Suarez,Filluc. Bonac. & Ferdinand. adducti docent,

docent, quia iore canonico, cui hoc loco stare debemus, vltra gradum illum nulla est consanguinitas, qui etiam benè aduertunt, nomine consanguineorum non intelligi affines in hoc capite, quod pœnale est, ac proinde strictiùs interpretandum si tamen ea vexatio affinis alicuius, electoris, eo quod noluerit acquiescere electioni rogatæ, einsmodi esset, vt per illam verè grauaretur elector, locus esset excommunicationi isti non quia affinis Electoris vexatus est; sed quia ipse elector iniustam in eo patitur persecutionem. Denique in hoc capite nomine electionis, comprehenditur quoque præsentatio, collatio, & postulatio, tum quia cum hæc constitutio faueat libertati Ecclesiæ, amplè interpretanda est; tum quia etiam in iure hæ omnes actiones aliquando electionis voce designantur quod Nauarr. Suar. Sayr. Filuc. & Bonac. locis nuper adductis obseruatunt.

55. cap. *prouida de electione in 6.* confirmatur constitutio Concilij Lugdunensis relata in cap. quamuis.eod.tit. & lib. quæ prohibebat in electionibus Episcoporū, in quibus fuerat ad sedem Apostolicam appellatum, quemquam illam confirmare, aut electum conseruare, etiāsi partes ab appellatione recesserint, antequàm inquisiuerint, an absq; simonia, & prauitate vlla recessum fuerit ab ea appellatione, atque renuntiatum, qui secùs fecerint, suspenduntur per annum à munere confirmationis, & consecrationis; quamquā in textu non dicatur hanc suspensionē ferri aduersus Episcopos; id satis tamen ex subiecta materia intelligitur, cum neque confirmatio, neq; consecratio electi Episcopi, ad alium, quàm ad Episcopos de iure pertinere possit, vti ratiocinantur Suar. disp. 31. sect. 5. n. 8. Filluc. trac. 17. c. 8. n. 147. Bonac. de censur. in particula disp. 3. q. 4. punc. 6. o. 6. Ferdinand. disp. 4. punc. 10. §. 5. n. 3. Maior difficultas est, an ob solam confirmationem, vel ob solam consecrationem Episcopi, absque illa inquisitione factam, hæc suspensio incurratur, quia in cap. *prouida.* habetur particula *&*, quæ est coniunctiua. *ad confirmandas* (inquit) *electiones, & consecrandos electos temerè procedende.* Vtraque igitur actio requiritur, responderi tamen potest, eam coniunctionem esse appositam, ad exprimendam integram actionem prohibitam: cæterum definitio quæstionis ex ipsomet textu petenda est, cum enim dicatur infligi per annum suspensio à confirmatione, & consecratione, vt pœna delicto proportionetur: dicendum est eum, qui confirmarit hanc electionē in hoc casu suspendi per annum à munere confirmationis; qui consecratit sic electum, etiamsi non confirmarit, suspendi per annum à munere consecrationis: qui vtramque actionem fecerit, ab vtroque munere suspendi, & sanè aliquandò non est eiusdem confirmare, & consecrare quo casu neque confirmans electionem, neque consecrans incurreret hanc pœnam, quia neuter vtramque actionem eo textu prohibitam poneret, vnde inutilis foret ea prohibitio, in casu admodum frequenti, ita Suar. Bonac. Ferdin. locis citatis, quibus adde Alteri. disp. 16. de suspens. cap. 5. Glossam in dictum cap. *prouida.* Gemioian. ibid. num. 6. & Francum n. 2.

56. Cap. *indemnitatibus. §. postremo. de electione in 6.* excommunicantur omnes siue clerici, siue Laici, siue viri siue fœminæ, qui vocati ad dirigendas Moniales in suis electionibus, aliquid fecerint, vnde discordia in eiusmodi electionibus oriri, aut iam orta nutriri possit. hæc excommunicatio, sicut & superior reseruata nō est. Obserua porrò vocem *qui vocati*, nam si quis non vocatus siue à superioribus, siue à Monialibus, siue à iure, siue ab Officio, aut alia quacumque ratione; illi tamen electioni se ingesserit, & turbas, ac discordias excitabit, grauiter quidem peccabit, huic tamen censuræ minimè subiicietur, qui Pontifex agit tantùm de vocatis, ita Silu. ♈. excommunicatio 9. n. 45. Angel. ♈. eod. 7. casu 16. Caietan. ♈. eod. cap. 38. Nauarr. cap. 27. n. 124. Suar. disp. 55. sect. 4. n. 8. Filluc. tract. 14. cap. 4. q. 5. n. 57. Bonaci. disp. 2. q. 2. punc. 5. Ferdinand. disp. 3. punc. 33. n. 5.

17. Religiosus, qui sine licentia sui Superioris petita, vel obtenta, præsumpserit consentire electioni de se factæ, ad prælationem aliquam extra suum ordinem, vel Ecclesiam, priuatur omni iure vi illius electionis quæsito, quia illa electio ipso facto viribus omninò vacuatur, in capite *si Religiosus 27. de elect. in 6.* & extrau. *si religiosus eod. tit.*

Denique electio officialium, & superiorum regularium heri debet per secreta suffragia, alioquin est irrita, ex Trid. sess. 25. de Regula cap. 6. de quo decreto alibi in materia electionis dicendum erit.

Episcopus. 1. Si Episcopus à paucioribus quàm à tribus consecretur, consecratio erit nulla, ex glossa *in capite nec Episcopi, de temporib ordinand.* quam communiter à Canonistis probari testantur Azor 2. p. lib. 3. cap. 30. q. 3. Sanch. lib. 7. consilior. cap. 1. dub. 55. n. 26. probaturque ex can. *porrò 66. distinc.* contrarium tamen sententiam veriorem esse docent idem Sanch. & quos ibidem adducit cum ipse canon Apostolorum mandet hanc consecrationem fieri à duobus, vel à tribus.

2. In cap. *nec Episcopi. de temporib. ordinand.* neque Episcopi sine Metropolitani permissu, neque Metropolitanus sine duobus, aut tribus Episcopis comprouincialibus præsumant Episcopum ordinare, ita vt alij Episcopi significent saltē epistolis se consensisse, & si quis Episcopus sine sui Metropolitani consensu, & Metropolitanus sine consensu Primaris consecretur, non recipit exequutionem, sed maner suspensus donec dispensetur, valebit tamen consecratio, ita Innoc. in cap. *ne Episcopi,* citatum, n. 2. Silu. ♈. consecratio 1. n. 2. Sanch. dub. 15. citato. n. 28. Verum hęc omnia iura silent hodiè, cum consecrationes fiant ex commissione speciali Pontificis Romani.

Conc. Chalcedon. vti refertur can. *quoniam quidam 75. distinc.* sic edicit Episcopus qui vltra tres menses à die electionis suæ distulerit, absque necessaria causa suam consecrationem, condemnationi Ecclesiasticæ subiacere debebit, & fructus Ecclesiæ viduatæ apud œconomum seponendi erunt. Pelagius deinde in can. *quoniam quidam 100. distinct.* illum Episcopum communione priuari iubet, donec aut Episcopatum dimittat, aut se consecrandum offerat; quod si per quinque menses distulerit, non consecretur amplius, sed sui Metropolitani iudicio cedat, quæ omnes pœnæ ferendæ sunt, vt vides, non ipso iure latæ, & vix in vsu hodiè mutata electionum ratione. Tridentin. sess. 23 cap. 2. de reformat. omnes etiam Cardinales, qui munus consecrationis intra tres menses non receperint, fructus perceptos restituere vult: & si totidem aliis mensibus consecrationem neglexerint, Ecclesiis eo ipso

priuatos

priuatos esse statuit præterea, oe vltra sex menses prorogetur dispensatio differendi consecrationem, quare si quis eam à sede Apostolica obtineret, absque speciali derogatione Concilij Tridentini ea in parte, oon valeret ea gratia: quod obseruat Sanch. lib. 7. consilior. cap. 1. dub. 15. n. 13. addit Thesaur. 2. par. prax. ℣. Episcopus. cap. 2. sub fin. Vrbanum VIII. in Breui de reformatione sacræ pœoitentiariæ prohibuisse maiori pœnitentiario, aliisque Officialibus in his pœois Concilij Tridentini dispensare, hoc est titulum reualidare, vel fructus condonare.

Ao verò hæ pœnæ restitutionis fructuom, & priuationis beneficij obligent in conscientia, aote sententiam declaratoriam, lis est. affirmat Nauarr. cap. 25. n. 118. & eum sequutus Thesaur. cap. 2. citato, quia constitutus est Episcopus sub ea conditione, & modo, quem non impleuit. negant tamen probabiliter Henriq. lib. 10. cap. 23. n. vlt. & lit. x. & Lessius lib. 2. cap. 304. num. 103. quia est lex pœnalis priuans iure quæsito, quo nullus se abdicare tenetur ante sententiam.

4. Prælati Ecclesiarum, & monasteriorum, qui litteras à sede Apostolica, suæ promotionis, confirmationis, aut consecrationis obtinere debent, si illis literis non expeditis, aut ostensis ingerant se regimini illarum Ecclesiarum; priuantur omnibus fructibus, & prouentibus interim suarum Ecclesiarum; quæcumque gerunt, irrita sunt; capitula conoentus, & alij quicumque ipsos sine eiusmodi literis recipientes, & tanquam prælatis parentes suspenduntur à suis omnibus beneficiis, donec gratiam à sede Apostolica recipiant. ita habetur in extrau. iniunctæ de electione inter communes.

Alexander V. & Iulius II. constitut. 4. *Romani Pontificis*, obligat omnes eiusmodi prælatos intra annum à die prouisionis sibi factæ, literas in curia Romana expedire facere, easque recipere prohiberque interea se vlla ratione ingerere regimini illarum Ecclesiarum, bonorumve administrationi, sub pœna priuationis illarum Ecclesiarum, & omnis iuris ex prouisione pontificia quæsiti, ipso facto incurrendæ, & omnia, ac singula acta, irrita esse decernit.

Obseruat tamen Sanch. lib. 2. citato. cap. 1. dub. 29. n. 1. si quis per triennium bona fide, ea sola signatura Ecclesiam sibi collatam possederit, reualidari titulum, & oulla alia prouisione indigebit; allegatque decisiones Rotæ, Rebuff. & Gomez quod veriùs multò fuerit de fructibus booa fide toto illo trieonio præscriptis.

His quoque Alexandri, & Iulij constitutionibus non comprehendi Cardinales, qui ante captam possessionem, & ostensionem literarum, possunt iurisdictionem exercere, pluribus allatis ostendit Barbos. in collectaneis, ad citatam extrauag. *iniunctæ*. n. 5. & de potestate Episco. par. 1. tit. 1. cap. 4. n. 9. vbi etiam aduertit Azor. 2. par. lib. 3. cap. 29. his constitutionibus Alexand. & Iulij correctum esse ios antiquum. cap. *nihil* 44. *de electione*, Episcopi extra Italiam poterant ante confirmationem, iurisdictionem exercere.

4. Innocent. III. in Conc. Lateran. cap. quoniam. de officio. ordinar. prohibet oe in voa Diœcesi, aut ciuitate, etiam diuersarum linguarum, & rituum, sint duo Episcopi: sed si necessarium fuerit, Episcopus sibi Vicarium constituat, pro vnoquoque ritu, & lingua, qui singulorum saluti inuigilet. *Si quis aliter se gesserit, excommunicationis se nouerit mucrone percussum, & si nec sic resipuerit, ab omni officio Ecclesiastico deponendum, adhibito si necesse fuerit brachio sæculari, ad tantam insolentiam reprimendam.* Hanc excommunicationem esse latæ sententiæ, sapienter ex ipsamet littera colligit glossa ibid. fertque aduersus solos Episcopos, voluit Nauarr. cap. 27. n. 114. & Barbosa de potestate Episco. allegat. 50. n. 170. Verum illa percuti quoscumque clericos in eiusmodi ciuitatibus præsulatum vsurpantes, probabilius docent Bonac. dis. 2. q. 4. sub fin. Filluc. trac. 14. cap. 7. q. 2. Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 32. n. 1. quia Innocent. vult prouideri viros idoneos, qui prædictis diuina officia celebrent, & sacramenta ministrent, deinde excommunicationis mucrone percellit, qui aliter se gesserint. ergo illi, qui tanquam præsules in eo officio se ingerent, excommunicatione plectuntur.

5. Episcopi, qui in aliena diœcesi pontificalia exercent sine licentia ordinarij, priuantur ab exercitio pontificalium, & ab coordinati, ab exercitio ordinum, à Tridentin. sess. 6. cap. 5. de reformat.

6. Qui in loco exempto iurisdictionem exercent, variis pœnis plectuntur: sed hac de re plures sunt qq. alibi tractandæ.

7. Qui per pragmaticam, id est imperialem sanctionem curauerit prouinciam in duos metropolitas diuidi, proprio gradu cadat, ea conc. Chalcedon. vti refertur *cap. 1. dist.* 101. sed de his alibi, circa electiones metropolitanarum, aut etiam episcopaliom.

F

Falsificatio. 1. Falsificatio auri, aut argenti per chimiam, damnatur, in extrao. *vnic. inter comm. de crimine falsi.* Quique illud aut fieri mandant, aut in monetam cudunt, plectuntur eo ipso infamia iuris, & iubentur tantuodem probæ monetæ, aut probi metalli restituere pauperibus, quæ restitutio debetur in conscientia, & iure naturali, illi ipsi, cui facta fuerit fraus, aut damnum illatum, si verò is non comperiatur, an tunc restitutio fieri debeat pauperibus, alibi disquirendum est. hanc porrò extrauagantem non esse intelligendam, nisi dum aurum, aut argentum chymicum pro vero exhibetur, aut sopponitur: alioquin enim chymia non iure damnatur. Alij verò intelligunt hanc constitutionem quandò opera dæmonis fit aotum aut quia supponitur per eam artem non fieri posse verum aurum, aut denique fraudes quæ in ea committuntur plectuntur.

2. Falsantes monetam in Regno Galliæ, aut vicinis locis, aut illam in idem regnum importantes, cudentes quoque extra Regnum, aut in vicinis locis, sub signo Regis *Caroli*, excommunicantur excommunicatione Papæ reseruata à Ioann. XXII. *extrauag. vnic. de crimine falsi.* existimat porrò Filluc. tract. 15. n. 76. hanc constitutionem hodie cessare, vt quæ condita fuerit in gratiam Caroli Regis, vt eo regnante non cuderentur eiusmodi nummi cum eius iniuria. Bonac. tamen disp. 2. q. 3. punc. 50. rectiùs censet, etiam hodie obligare, quia licet Caroli rogatu lata fuerit, regni tamen commodum spectauit.

3. Falsarij literarum Apostolicarum per se, vel per alios, eorumque fautores, & defensores excommunicantur: & si quidem hi falsarij fuerint omnibus officiis, & beneficiis Ecclesiasticis perpetuò priuantur; atque si ipsimet falsarij fuerint, degradari

dari iubentur, & sæculari potestati tradi puniendi. Qui verò eiusmodi falsis literis vtuntur si clerici sint, priuari debent suis omnibus beneficiis, & officiis Ecclesiasticis. Laici autem excommunicandi sunt, donec competenter satisfecerint; idemque circa impetrantes falsas literas obseruandum erit. ita habetur in cap. *ad falsariorum, de crimine falsi.* Hæc constitutio innouata, & confirmata est in bulla Cœnæ cap. 6. vel excommunicatione 6. cum aliquo tamen discrimine, vti passim bullæ commentatores obseruant, nam 1. excommunicatio bullæ reseruatur Pontifici, non verò ea quæ habetur in citato cap. *ad falsariorum.* quare vbi ista bulla non est recepta, neque eiusmodi excommunicatio erit reseruata. 2. bulla nõ solùm cõprehẽdit falsificãtes literas Apostolicas, sed etiam supplicationes, atq; etiã falsò eas literas, vel supplicationes signantes, cùm tamen in cap. *ad falsariorum*, sola falsitas in literis Apostolicis puniatur. 3. cap. citatum, non solùm falsificantes literas istas, sed etiam illis falsis, aut falsificatis vtentes punit; deinde per se, aut per alium falsantes, aut falsitate commissa vtentes, denique fautores, aut defensores falsariorum, quas tamen omnes personas bulla non attingit, 4. in citato cap. clerici de falsitate conuicti priuantur in perpetuum suis beneficiis, & officiis; & si per se vitium falsitatis exercuerint, sunt degradandi, & potestati sæculari puniendi, Laici verò iudicis arbitrio puniendi, quæ priuatio clericorum, & punitio laicorum non habetur in bulla.

Nomine porrò falsarum literarum non intelliguntur hoc loco, quæ per subreptionem, aut ex falsa aliqua causa sunt impetratæ, istæ enim sunt veræ literæ Apostolicæ, & à Pontifice concessæ, quamuis delusus fuerit, & ei per subreptionem quidpiam fuerit impositum: quod sapienter obseruauit Silu. ℣. excommunicatio 7. §. 9. Caietan. ℣. eod. cap. 26. Tolet. lib. 1. cap. 21. n. 10. Suar. disp. 21. sect. 2. n. 49. Sayr lib. 3. cap. 2. n. 5. & alij passim. Illæ igitur sunt falsæ literæ, quæ verè a sede Apostolica non emanarunt, aut saltem non eo tenore, quo conscriptæ sunt, sed immutatæ ea immutatione quæ sensum alium faciat, aliamve mentem Pontificis, quam reuera expressa esset, prodat, & deinde hæ literæ sic immutatæ, & falsatæ tãquam legitimæ supponuntur, & exhibentur, falsarij itaque sunt, qui vel supponunt eiusmodi litteras, & fingunt vel in veris, vel aliquid addunt, aut tollunt, ex quo sensus illarum alius omnino efficiatur: nam si sensus idem; mutatis licet verbis retineatur, non erit falsificatio neque falsitatis indicium: nam etiam rasura in loco non suspecto, *non inducit falsitatem* cap. *ex conscientia, de crimine falsi.* ita docent Nauarr. cap. 27. n. 62. Tolet. Suar. Bonac. & Sayr laudati, quibus accedunt Ferdin. à Castro disp. 3. punc. 7. n. 3. Graffis 1. p. decis. lib. 4. cap. 18. n. 78. Viuald. in exposit. bullæ n. 54. contra Hostiens. lib. 5. tit. de crimine falsi. §. *qualiter committatur.* Panorm. cap. *ex litteris, de fide instrum.* Siluest. ℣. excommunicatio 7. n. 8. Caietan. ℣. eodem. cap. 26. sub fin. sanè olim in bulla alia, adhibebatur hæc clausula. *excommunicamus vos, qui mutant punctum, aut litteram &c.* quæ deinceps merito omittuntur, inde tamen colliges, cur aliquando concessum fuerit summo pœnitentiario priuilegium absoluendi ab excommunicatione incursa, propter immutationem verborum retento litteræ sensu, non requiritur autem, vt ex hâc falsificatione sequatur aliquod damnum parti, aut alicui alteri, quia ea sola damni vitatio non est causa huius pœnæ falsificationis, sed authoritas pontificia, cui eiusmodi falsificatione grauis infertur iniuria, vt Bonac. disp. 1. quæst. 7. punc. 2. n. 5. docet.

Grauior difficultas est, an correctio secundum mentem Pontificis, quam malè expresserat Notarius, dicenda sit falsificatio, & huic pœnæ obnoxia v. g. petita erat dispensatio in consanguinitate, aut in impedimento secundi gradus, Notarius per errorem scripsit, affinitatem, aut tertium gradum, atque in hac mutatione censuram agnoscunt Suar. disp. 21. sect. 2. n. 47. Alter. lib. 3. disp. 7. cap. 2. proposit. 2. quia verè mutatur sensus litterarum illarum, & non intendit Pontifex errorem à Notario commissum emendari per alium, quàm per notarium, alias æque licet nouas litteras emendare, atque iam latas corrigere, negant tamen falsitatem hoc loco Vgolin. in expositione bullæ. Reginald. lib. 9. n. 288. Sayr lib. 3. cap. 10. n. 12. Bonac. punc. 2. citat. & Ferdinand. à Castro punc. 7. n. 5. quia illa mutatio, quæ menti Pontificis consentanea est, mutatio respectu illius dici nequit, & mutatio sensus attendenda est secundùm mẽtem Pontificis bullam expedientis, & non secundùm verba bullæ, deinde si licet manifestum errorem sensu retento emendare; cur non licebit corrigere similem errorem contra sensum Pontificis positum? neque litteræ sic correctæ falsæ dici possunt, quæ menti Pontificis conformes omnino existunt.

4. Ad vitandam omnem præsumptionem falsificationis litterarum Apostolicarum prohibetur in cap. *dura, de crimine falsi.* ne quis eiusmodi litteras, nisi de manu officialis constituti, capiat; excipiuntur tamen personæ magnæ authoritatis, quę nuntium ad hanc rem poterunt mittere ad cãcellarium, alioquin Laicus excommunicationi subiacebit eo ipso, quæ excommunicatio reseruata non est, clericus verò suspendetur.

Hæc prohibitio nõn obligat nisi curiales, qui possunt immediatè de manu officialis litteras accipere, vti obseruat Panorm. in illud cap n. 2 imò tota in desuetudinem abiit: quod ex communi sensu testatur Altenus lib. 5. disp. 7. cap. 5 sub fin.

PROFESSIO FIDEI, ET IVRAMENTVM fidelitatis.

1. Constituit Pelagius cap. *quoniam.* 100. *dist.* vt Metropolitanus, qui intra tres menses à die suæ consecrationis, non miserit ad sedem Apostolicã pro facienda professione fidei, & accipiendo pallio, commissa sibi careat dignitate, & post trinam monitionem Canonicam, de alio Metropolita prouideri queat: hæc priuatio est latæ sententiæ id enim sonat verbum *careat,* ex Tiraq. in *l. si vnquam.* ℣. *reuertatur.* n. 162. 166. *C. de reuocand. donationib.* opus erit tamen trina monitione, & tunc erit deponendus.

2. Extrauag. 1. *de electione* inter commun. Episcopi, & Abbates, aliique Prælati Monasteriorum, nihil de prouentibus suarum Ecclesiarum, & Monasteriorum percipere possunt, donec solitum fidelitatis, & obedientiæ iuramentum S. sedi præstiterint, & omnia eorum acta irrita sunt: quare non possunt toto illo tempore iurisdictionem exercere, cum Pontifex nondum illis ius perfectum concesserit, nisi sub eo onere, & conditione, licet titulum dederit,

vnde

vnde hæc fructuum, & iurisdictionis priuatio non videtur prop iè esse pœna, ac suspensio quædam, sed quidpiam necessarium, & naturaliter consequens ex non posita conditione, & impleto onere, sub quo iurisdictio, & possessio facta fuit, quare frustrà quæritur, vtrum hæ pœnæ obligent in conscientia, quod negant Valerus, Barbosa, & alij. cum sint quædam inhabilitates ex defectu positæ conditionis, sub qua data fuerat iurisdictio, & possessio, siue fructus beneficij, expectandumque omninò est, vt ponatur hæc conditio.

Nono porrò iure hæ constitutiones non obtinent, quia Episcopi, & alij omnes promoti ad dignitates consistoriales præstant fidei professionem, & iuramentum fidelitatis, ante literas prouisionis expeditas, & tempore informationum: quod patet ex Trident. sess. 24. cap. 1. de reformat. & constitutione 6. *onus* Gregorij XIV

3. Ex eod. Trident. ead. sess. 24. cap. 12. promoti ad beneficia curam animarum habentia, debene intra duos menses coram Episcopo, aut eius Vicario, vel officiali, fidei professionem facere, & iurare obedientiam Romanæ Ecclesiæ. promoti verò ad Canonicatus, & dignitates Ecclesiæ Cathedralis, ea omnia etiam coram capitulo præstare tenentur; alioquin hi omnes non faciunt fructus suos, neque ipsis possessio suffragatur: quare tueri se non poterunt regula de triennali, vti sapienter monet Sanch. li. to secundo in decalog. cap. 5. num. 11. & 12. fauebit tamen illa quo ad titulum, quem non amittunt, ex omissa fidei professione: quod aduertit Garcias 3. par. de benefic. cap. 3. num. 33. debet quoque hæc omissio facta fuisse ex mortali negligentia, ex eod. Garc. n. 68. & Sanch. num. 10. vbi verò poterit ista præstare, omninò tenebitur: sufficiet verò si post ademptum eiusmodi beneficium aliqua alia de causa, eiusmodi professionem, & iuramentum p æstiterit, ve accipiendo doctoratum, quamuis nihil de Tridentini p æcepto cogitarit: quod Nauarr. & Sanch. loco citato, tradunt, requiruntque præterea sententiam declaratoriam ad priuationem fructuum incurrendam.

4. Pius IV. bulla 89. *iniunctum*. Tridentini decretum cum iisdem pœnis extendit ad Prælatos Monasterius, conuentibus, domibus, aliisque locis regularibus quorumcumque ordinum, & militiarum, hanc tamen constitutionem quoad regulares prælatos vsu receptam non esse, plurimi docent, quos affert, & sequitur Diana 2. par. tract. 2. resolut. 78. quod sanè verum est de Prælatis regularibus quibus non confertur à sede Apostolica dignitas illa, maximè ad vitam, si enim à sede Apostolica prouideri deberent, tenerentur Pij constitutione, qua ratione conciliantur dissidia DD.

5. Promoti ad gradus doctoratus, Cathedras, & regimina vniuersitatis, tenentur ex bulla Pij IV. 88. *in sacrosancta*, professionem fidei, & iuramentum fidelitatis summo Pontifici facere in manibus Episcopi, Vicarij, aut officialis, secundùm formam in eadem constitutione præscriptam, quo iure obligantur quoque regulares ad eadem promoti, alioquin qui ita promouent sine ea professione, & iuramento; si Episcopi sint, interdicuntur ingressu Ecclesiæ: inferiores verò subiacent excommunicationi latæ sententiæ, priuanturque omnibus beneficiis, & dignitatibus, ac feudis Ecclesiasticis, ad illaque fiunt inhabiles.

G

Gratia. 1. de iis, qui Literis non expeditis à sede Apostolica aut non ostensis, vtuntur gratia beneficiorum, ecclesiarum, aut monasteriorum, diximus ✠. Episcopus n. 4. quibus adde ex Paul. III. bulla 49. cum nobis eum, qui ante literarum expeditionem acceperit possessionem beneficij prætextu mādatorum ab officialibus curiæ factorum iuxta formam supplicationum signatarum amittere fructus beneficij, quos si perceperit, tenebitur in vtroque foro restituere, ad illudque perpetuo inhabilis ipso facto redditur.

2. Iulius III. cuius constitutionem refert Azor 2. par. lib. 7. cap. 1. qu. 2. & Barbosa de potestate Episc. allegat. 57. n. 248. statuit eos, qui impetrantes quæcumque beneficia à sede Apostolica, ante litteras expeditas illorum possessionem acceperint, cadere omni iure quæsito ad illa beneficia, quæ reseruata manent Pontifici teneriquе ad restitutionem fructuum perceptorum, neque iuuari triennali possessione. Hæc constitutio non agit de Episcopatibus, sed de aliis beneficiis inferioribus, & est extensio constitutionum superiorum, vt vides.

3. idem Iulius citata constitutione voluit, eos qui promoti ad Episcopatū, aut Abbatiam obtinent à sede Apostolica facultatem retinendi antiqua beneficia, quæ noua illa promotione eo ipso vacabat, si ante litteras expeditas, etiam supplicatione signata possessionem capiant incurrere has pœnas. 1. tanquam intrusi non faciant fructus suos, ad eorumque restitutionem teneantur. 2. non iuuentur triennali possessione. 3. nulla fit gratia, ea beneficia retinendi, ad illaque fiant inhabiles. Non tamen idcircò cadent a beneficio, ad quod fuerant promoti.

4. Qui gratiam, & prouisionem alicuius beneficij obtinuit, & accepit litteras expeditas, non potest tamen propria authoritate, & sine ministerio executoris possessionem capere, alioquin habetur pro intruso, & eo ipso amittit omne ius, quod in eo beneficio habebat. ex cap. *cum qui de prabendis in 6*. vide Nauarr. consil. 1. de renunc. non priuatur tamen iste titulo beneficij, neque hac pœna tenetur ante sententiam declaratoriā, vt Archidiacon. Geminian. Ioann. Andre. & Franc. commentantur in illud cap. quod sanè punit tantùm violentum possessorem, qualis non est iste, de quo agimus, sed est furtiuus quodammodo, sed de his plura tractatu de beneficiis. adi interea Ferdinand. à Castro Palao tract. 13. disp. 2. punc. 33.

5. Pensionarius qui ante litteras expeditas etiam supplicatione signata capit possessionem priuatur omni iure suo: quod licet aliàs negarit Gigas de pensionibus. q. 34. n. 4. aliique, hodie tamen certum est ex clausula, quæ adhiberi solet à tempore Gregorij XIII. vti latè refert. Garci. par. 5. de benefic. cap. 2. a n. 39, quem vide, vt & Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 29. num. 6. quo ad hanc exactionem pensionis. de quibus tractat. de beneficiis dicturi sumus fusiùs.

H

Habitus. 1. Clerici, qui absque rationabili causa, posito habitu clericali, vtuntur veste Laica suspenduntur à perceptione beneficiorum obtentorum per sex menses à commisso delicto, vel per annum

annum pro grauitate delicti, & personæ. Clem. 2. *quoniam, de vita, & honest. cleric.* clericis in sacris constitutis, & non beneficiatis indicitur inhabilitas ad beneficia per idem tempus. Hæc porro suspensio non incurritur, nisi eiusmodi vestes laicæ, publicè, & non tantùm domi induantur absque nulla legitima causa: quod expressè positum est in textu, & diligenter aduertendum esse monent Glossa ibid. uar. disp. 31. sect. 3. num. 1. Bona.. dispu. 3. de censur in particul. quæst. 6. punc. 6. num. 2. deinde non sufficit semel, aut iterum gestasse eiusmodi vestes, sed frequenter, quia verbum *uti*, & *usus* frequentiam indicat. ita laudati DD. cum Nauarr. cap. 27. n. 159. Filluci. trac. 17. cap. 6. num. 106. & Ferdinand. à Castro disp. 4. de censur. punc. 10. §. 3. num. 12. qui aduertendum monet cum Suar. ferè omnia, quæ in illa Clement. constituuntur de vestibus clericalibus, esse abrogata; & illa duntaxat vigere, atque obligare, quæ clericum omnibus ignotum redderent, & tanquam laicum exhiberent.

Sixtus V. constitutione 92. *cum sacrosanctum*. clericos omnes etiam in minoribus constitutos, imò & coniugatos, nisi vestes talares deferant, priuat priuilegijs omnibus clericalibus, omni officiu, beneficio, & pensionibus de qua constitutione longæ lites.

4. Bonifacius VIII. omnes religiosos tacitè, vel expressè professos, temerè suæ religionis habitum dimittentes excommunicat. capite secundo *aut periculosa. ne clerici vel Monachi in 6.* quæ excommunicatio reseruata non est. De ista porrò dimissione habitus, fusiùs disputauimus disquisit. 2. de clausura regulari.

Heresis. 1 Excommunicantur hæretici, qui suam nempe hæresim exteriùs prodiderunt. cap. *Achatius vigesimoquarto. quæst. prima* & cap. *ad abolendam.* cap. *excommunicationem.* primo *de hæreticis.* & *cap. nouerit. de sentent. excommun.* quibus locis non est reseruata hæc excommunicatio, vt fatentur Caietan. ✠. excommunicatio. capite primo, Sanch. libro secundo in decal. cap. nono, numer. secundo & alij. reseruatur nihilominus capite primo bullæ cœnæ. Quid ad illam censuram incurrendam requiratur, fusè diximus in scientia canonica, vt & de alijs hæreticorum pœnis. Moneo duntaxat, neque infamiam, neque proinde irregularitatem, neque pœnas temporales incurri, vbi passim tolerantur hæretici, quod in libro de irregularitate confirmauimus.

2. Caret immunitate loci sacri hæreticus ex constitutione Gregorij XIV. tertiò Sacerdos qui semel abiurauit, manet semper inhabilis ad confessiones sæcularium, ex decreto Pauli IV. quod refert Maiol. libro quinto, capite quadragesimosexto numero tertio & sexto. Quarto conuictus aliquando de hæresi nunquam eligi potest in Reuerendissimum Patrem alioquin electio est nulla, & licet cuique ab eius obedientia discedere, etiam absque sententia declaratoria. Paul. IV. constit. 19. *cum ex Apostolatus*, vide Azor. secunda part. libro quarto, capite quinto quæst. 7.

3. Excommunicantur credentes hæreticorum ead. bulla cœnæ, quia ipsorum erroribus assentiuntur, & hæretici sunt; & solùm claritatis causa expressi sunt, vti obseruant eo loco commentatores.

4. Excommunicantur ibidem receptatores hæreticorum, qui animo fauendi hæresi, & ne vt hæreticus puniatur, illum recipiunt. Qua de re in nostra scientia canonica, neque enim in breui istu synopsi, eiusmodi difficultates explicari possunt; sufficit eas indicare.

5. Idem dico de defensoribus hæreticorum, qui eadem bulla excommunicantur, ea siquidem defensio debet esse quatenus hæretici sunt.

6. Pœnitentiati à sancto officio, propter hæresim formalem, confessam in iudicio, aut extra illud, manent irregulares, sed non affertur ius expressum, vide Simane. in Catholic. institut. de irregularitate.

Homicidium. 1. quomodo ex homicidio, & ex quali incurratur irregularitas, disputatum à nobis est lib. de irregularitate.

2. Qui clericum occidit, vel mutilat, excommunicationem Papæ reseruatam incurrit. c. *si quis suadente.* de quo inferiùs.

3. Ecclesiæ, Patroni, Vicedomini, Aduocati, aut Beneficiarij, si eius Ecclesiæ rectorem, vel clericum interfecerint; ius patronatus, vicedominatû, aduocatiam, feudum & beneficium amittunt. c. *in quibusdam de pœnis.* vbi etiam ijsdem iuribus priuantur illorum delinquentium hæredes: deinde eorundem reorum posteri vsque ad quartam generationem, neque in collegium clericorum admitti, neque ad regulares prælationes euchi poterunt, ac proinde ab aliquibus dicuntur irregulares: verùm cum ab ea inhabilitate dispensari possint per Episcopum, vti fatentur isti DD. malè dicuntur irregulares. quidquid vero sit de nomine, hæc pœna non afficit nisi posteros illorum delinquentium per lineam masculinam; & præterea sententiam declaratoriam requirit.

4. Presbytericida conuictus *militia cingulo careat, & absque coniugij spe maneat.* cap. 2. *de pœnit. & remissio.* vnde inferunt. DD. hunc presbytericidam, si sit religiosus militaris, perdere militiam, & clericale priuilegium, manereque tanquam laicum. vide Roderiq. tom. 2. qq. regula, q. 62. A. 5. impedimentum verò illud matrimonij, erat tantum impediens, & non dirimens quod tandem consuetudine abrogatum est, neque illa opus habet dispensatione. ita Sanch. lib. 7. disp. 17. num. 8. Konin. de Sacram. disp. 30. nu. 25. Layman. de impedim. matrim. cap. 15. quod ipsum quoque dicendum videtur de pœna priuationis militiæ. quia cum hæ pœnæ imponerentur ratione publicæ & solemnis pœnitentiæ, qui enim illam egerant, neque matrimonium contrahere poterant, & hodie solemnis ista pœnitentia cessarit, hæ quoque pœnæ ipsam consequentes omnino cessarunt.

4. Qui quempiam Christianum per assassinum interfici curauerit, aut mandauerit, incidit in excommunicationem, & alias pœnas. c. 1, *de homicid. in 6.*

Hora canonica. 1. clericus beneficiatus, qui post sex menses ab obtento beneficio horas canonicas non recitarit, tenetur ad restitutionem fructuum, & illam in fabricas, aut eleemosynas erogare, ita constituit Leo X. in conc. Lateran. sess. 9. §. *statuimus* quod decretum deinde declarauit, confirmauit, & ampliauit Pius V. constitut. 138. *ex proximo.* primis autem sex mensibus etiamsi omissum fuerit officium, Ecclesia condonat illã restitutionem fructuum, vt ibidem indicat Pius, & obseruat Sanch. libr. 2. consili. cap. 2. dub.

81. num. 7. & 10. de hac porrò quæstione adi Suar. lib. de horis canonicis cap. 30. Layman. lib. 4. tractat. de beneficiis, cap. 5. Garcias 3. par. de benefic. cap. 1. n. 7. & alios.

2. Pensionarius, qui habet pensionem clericalem, si officium paruum B. Virginis ad quod tenetur, omittat, ad eandem restitutionem Fabricæ illius Ecclesiæ, in qua pensionarius est, aut pauperibus obligatur à Pio V. citat. constit. vide DD. laudatos.

I.

Illegitimus. 1. est irregularis defectu natalium cap. 1. *de filij presbitero*, & cap. 1. end. tit. in 6. de qua irregularitate fusius egimus lib. de irregula. Si tamen suscipiat ordines, non erit propterea suspensus: quod sapienter obseruauit Sayr. lib. 6. Thesaur. cap. 10. num. 37. sed manet irregularis, & impeditus ab exercitio ordinum.

2. Illegitimus est inhabilis ad beneficia, dignitates, & prælatutas Ecclesiasticas, quia est irregularis, nisi vel cum eo sit dispensatio, vel legitimatus fuerit, qua in re plures sunt controuersiæ, alibi disquirendæ.

3. Illegitimis neque à clericis bona Ecclesiastica, neque à Laicis bona etiam patrimonialia testamento aut donatione relinqui possunt, ex constitut. 117. *quæ ordini* Pij V. qua de re consule Thesaur. 2. par. praxis ṽ. illegitimus cap. 3.

4. Plurima circa illegitimos statuerat Sixtus V. constitutione *sanctum, & salutare*, & constit. 71. *cum de omnibus*, quæ emendauit Gregori. XIV. & ad terminos iuris communis reduxit, constitutione *circumspecta*

Immunitas. Qui contra immunitatem Ecclesiasticam, vi extraxit reum à loco sacro, puniendus est capitali supplicio iure ciuili, l. *præsenti. c. de his qui ad Eccles. confug.* traduntque passim DD. atque Menoch. de arbitra. lib. 2. cap. 360. num. 68. Farinac. de carcerib. q. 28. n. 2. & in append. de immunitat. cap. 20. n. 309. Tusch. ṽ. Ecclesia. conc. 4. num. 1. & 4. Azor 2. pa. lib. 9. cap. 9. q. 11. Suar. lib. 3. de religio. cap. 13. n. 7. Bonac. disp. 3. de imm. q. 7. §. 6. num. 5. qui duo postremi obseruant, consuetudine abrogatam esse hanc pœnam; & sanè in puniendo hoc crimine standum esse iuri canonico, non ciuili monent Farinac. de carceri. q. citata, & Couarr. lib. 2. variar. cap. 10. n. 3. iure igitur canonico punitur hoc crimen mulcta triginta librarum examinati argenti, aliàs nongentorum solidorum, poteritque Iudex minuere, aut augere hanc pœnam, pro delicti, & delinquentium conditione, ex cap. *si quis contumax* 17. *quæst.* 4. quod tradidit ibid. Hostiens. & in sum. titul. de immunit. n. 14. Farinac. locis citatis, & Gutierr. practica. qq. ciuili. lib. 3. q. 4. n. 11. neque hanc pœnam esse antiquatam, vt aliqui contendebant, ostendit Farinac. Tusch. Bonac. nuper adducti, quia vt argumentatur Ferdin. à Castro Palao tract. 11. disp. vnic. punc. 12. n. 2. omnes pœnæ contra immunitatis Ecclesiasticæ violatores latæ renouantur à Concil. Trid. sess. 25. cap. 20. & Gregorio XIV.

2. Imponenda erit pœnitentia publica his reis.

3. Sententia excommunicationis feriendi, cap. *sicut antiquitas, cap. frater, cap. definiuit* 17. q. 4. quibus locis habetur quidem excommunicatio, sed ferenda tantum: quod ex communi tradunt Farinac. & Suar. adducti, quibus adde Ferdinand. à Castro. l. c. & Sanch. lib. 3. consili. capite vnico dub. 32. vbi & tradit praxim pro iis locis, in quibus non est recepta constitutio Gregorij, de qua mox, in iis enim non est lata sententia, sed ferenda.

4. Gregorius igitur in sua constitutione 7. *cum alias*. §. 19. omnes pœnas antiquis canonibus latas contra istos violatores innouat, & censuras ipso facto incurrere vult, quibus verbis ostendit pœnas, quæ quondam ferendæ tantum erant, & incurrebantur duntaxat per sententiam, nunc ipso facto incurri: quia verba aliquid operari debent, ne inutilia existant: quare cùm olim censuræ aliquæ, & excommunicatio promulgata fuisset contra hos reos, nunc eam ipso facto incurrent ex Gregorio, quod etiam declarasse Clem. VIII. & Paul. V. testatur Bonac. disp. 3. quæst. 7. de immunit. punc. 6. & alij, hancque censuram incurrunt tum Iudex, aliusue, qui mandat Reum è loco sacro extrahi, tum qui extrahunt siue sua, siue aliena authoritate, quod ex constitutione Gregorij manifestè colligitur. Denique qui aliquid horum attentare præsumpserint, puniuntur à Gregorio, est tamen difficultas, in quo consistat ea attentio, præterquam quod lex pœnalis est, ac proinde strictiùs interpretanda hoc loco, & non solet conatus effectu non subsequuto puniri, præsertim graui pœna, & multo minus illa ipsa, qua ipsummet crimen attentatum punitur, si perfectum foret, probabilius tamen est, solum conatum hoc casu puniri: quod docet Diana 1. par. tracta. 1. resolut. 15. & ita explicat Ferdinand. à Castro tract. 11. disp. vnic. punc. 12. num. 5. vt illa attentio, aut conatus ad actum proximum extractionis accesserit, v. gr. acceprasti mandatum tibi factum extractionis, & operi te accinxisti, Ecclesiæ fores infringere, aut aperire aggressus, quamuis id non potueris, neque proinde Reum extrahere, & simile quid suscepisti, quo extractionem perficeres: neque tamen propter occurentes difficultates perficere valuisti: neque nonum est conatum effectu non subsequuto puniri: quod in pluribus casibus singillatim ostendit Menoch. de arbitra. libro secundo, cap. 360. num. 68. de hoc ipso nostro casu disputans.

Hanc excommunicationem Pontifici Romano reseruatam esse plurimi contendunt sequuti Farinac. in append. de immunit. cap. 20. num. 315. 1. quia Paul. II. extrauag. 3. *de pœnit. & remiss. inter commu.* inter casus sedi Apostolicæ reseruatos numerat offensam factam Ecclesiasticæ libertati. Clem. VIII. inter eiusmodi casus reseruatos collocat violationem immunitatis Ecclesiasticæ, in terminis bullæ Gregorianæ, de qua agimus, idemque sancinit Paul. V. 3. ipsemet Gregori. infligit hnic crimini censuras omnes aduersus libertatis Ecclesiasticæ violatores, atqui adnersus illos fertur excommunicatio reseruata in bulla cœnæ. 4. ita definiuit Congregatio Cardinal. qui interpretandis Concilij Tridentini decretis præsunt an. 1617. mense Decemb. denique ita refert receptior, vulgatiorque curiæ stylus: quod testatur Thesaur. 2. p. praxis, ṽ. immunitas, cap. 1.

Nihilominus minimè reseruatam esse hanc censuram, & à quolibet confessario tolli posse, vbi fuerit incursa, veriùs docent Diana 1. p. tract. 1. resolut. 41. alios adducens. Bonac. disp. 3. in prim. decalog. præc. quæst. 7. de immun. §. 6. n. 8. & Ferdin. tr. 11. disp. vn. punc. 12. n. 7. quia cen-

suræ

furæ referuatio affirmari nequit sine expresso iure, quale nullum affertur hoc loco, vt expendenti quæ adduntur, facilè constabit. nam 1. Paul. II. in extrauag. cir. agit in vniuersum de violatoribus Ecclesiasticæ libertatis; quo nomine non significatur propriè immunitas, quæ ad loca sola refertur, & libertas ad personas, vnde vna non designatur alterius nomine, nisi per impropriationem quandam, & veluti ampliationem, vti obseruauit Couarru. lib. 2. varia. cap. 20. numer. 1. alijque adducti à Ferdinand. 2. in decreto Clement. prohibetur, ne quis prætextu priuilegiorum, à casibus ibi enumeratis absoluat, sicut neque à casibus reseruatis ab ordinario, cuius proinde authoritatem augere potiùs intendit, quàm minuere; quod tamen faceret, si eam excommunicationem eo loco sibi reseruaret. 3. in bulla cœnæ damnatur quædam certa, & specialis violatio libertatis Ecclesiasticæ, de qua dicemus inferius, & non est ista, de qua agimus: stylus curiæ diuersus est.

2. Qui Lædunt immunitatem Ecclesiasticam trahendo personas Ecclesiasticas ad sæculare tribunal, contra iuris dispositionem; aut qui ea de re, statuta aliqua condunt, excommunicantur. cap. *nouerit.* de sentent. excommun. quæ censura non erat eo loco reseruata, vti deinceps reseruata fuit, per bullam cœnæ excommun. 15. de qua consule Ferdin. Suar. Bonac. Sayr. Duard. Vgolin, aliosque commentatores, vbi illa bulla viget.

3. Qui violant immunitatem, aut libertatem Ecclesiasticam imponendo decimas collectas talias, præstantias, & alia eiusmodi onera realia clericis, & Prælatis, & bonis ipsorum, atque Ecclesiarum bonis; excommunicantur Excommunicatione reseruata, in bulla cœnæ. casu siue excomm. 18. quæ explicat, confirmat, & ampliat. quæ cap. *clerici.* cap. *nouimus*, & *c. aduersus. de immuni. Eccles.* de hac ipsa re fuerant constituta. de huius censuræ materia innumeræ sunt difficultates, quæ breui synopsi explicari nequeunt. adi comm. & DD. disputantes de immunitate Ecclesiastica.

4. Pij V. constitut. ij. *dum ad vberes.* excommunicantur, qui ordinibus mendicantibus, eorumue bonis onera realia imponunt. qua de re etiam egit Gregorius XIII. constitut. 9 *in tanta rerum.*

5. imponentes tributa Ecclesiasticis personis, & illa absoluentes, excommunicantur. cap. *cleric. de immun. Eccles. in* 6. sublata verò est ea excommunicatio quo ad soluentes in Clem. *quoniam. eod. tit. iuncto* cap. *non minus* & *cap. aduersum, de immunit. Eccles.* perseuerat autem quoad imponentes, exigentesque tributa in bulla cœnæ, vti iam monuimus.

6. cap. *conquesti* 22. *de sent. excomm.* mandat Pontifex canonicis Reginensis Ecclesiæ Malasfetnam eiusque asseclas, qui quasdam Ecclesias Reginensis Episcopatus effregerant, alias verò spoliarant, nunciari tanquam excommunicatos, & deinde vitari ab omnibus, donec & pro iniuria satisfecerint, damna illata reparârint, & cum literis illorum canonicorum Apostolico conspectui se se præsentarint. quamuis autem agat duntaxat Pontifex de Ecclesijs Reginensibus, eius tamen responsionem tanquam legem vniuersalem acceperunt DD. indeque excommunicationem ferri in effractores, & spoliatores Ecclesiarum collegerunt, vti videbis apud Bonac. de censu. in particula. disp. 2. quæst. 3. punc. 12. num. 11. sed difficultas est, an sit ibi excommunicatio latæ sententiæ, an ferendæ dumtaxat. primum affirmat in illud cap. Glossa, & Panorm. Nauarr. cap. 27. num. 94. Caietan. ꝟ. excommunicatio. cap. 21. quia cum Pontifex iubeat ordinariis hos omnes excommunicatos denuntiari, *vt arctius vitentur*, vel excommunicationem alias latam, & incursam supponit, vel illam ipsa sua lege, & mandato infligit. Alij dicunt, hoc quidem loco non ferri à Pontifice censuram sed alibi latam fuisse, nempe in cap. *canonica.* 11. *quæst.* 3. vbi *Ecclesiarum Dei, violatores anathemate, & iudicio sancti spiritus, à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & consortio totius christianitatis eliminantur.* & cap. *omnes Ecclesiæ* 17. *quæst.* 4. Lucius Pontifex *omnes Ecclesiæ raptores, atque facultatum eius alienatores à liminibus S. Ecclesiæ anathematizat.* & denique cap. *quisquis ead. causa, & quæst.* ijdem violatores monentur esse communione priuati. alij tamen passim docent in illis iuribus non ferri excommunicationem, tacitè tamen *in cap. conquesti* illam, & supponi, & legi, quod postremum rectè probabat Glossa, & alij adducti ex ipsoque contextu patet. neque enim mandare potest Pontifex aliquem, qui quidpiam fecerit, nuntiari excommunicatum, atque ea de causa vitandum, nisi eo ipso illum excommunicet. primum verò nempe in alijs allatis iuribus non ferri excommunicationem. inde constat; quod in illis nulla feratur lex, sed duntaxat narretur, quid in puniendo tali delicto fieri soleat, & quomodo in illo casu procedere soleat Ecclesia. ita Axor. 1. par. lib. 9. cap. 17. q. 12. Tolet. lib. 1. cap. 35. numer. 6. Suar. disp. 22. de censu. sect. 2. numer. 12. Reginald. lib. 19. numer. 6. Sayr lib. 3. cap. 29. num. 14. Barbosa de potestat. Episc. allegat. 50. numer. 90. Bonac. disp. 2. cit. quæst. 3. punc. 12. Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 24. nume. 10. Ad hanc porrò excommunicationem. cap. *conquesti.* incurrendam opus est & effractione Ecclesiæ, & eius spoliatione, quia Pontifex illo loco, vtitur dictione copulatiua, & ideò vtramq; actionem requirere censendus est: quod obseruat Suar. Bonac. Barbosa, & Ferdinand. ad effractionem porrò est opus vel fodi, vel suffodi parietes, vel ostium, vectes, fenestras, aliudue simile effringi. neque sufficiet, violenter vectem debiliorem loco mouere: quod tamen voluit Sayr l. cit. & Silu. ꝟ. excommunicatio 7. num. 16. quia vt aiunt Bonac. & Ferdin. tunc nihil Ecclesiæ reuera effringitur, sed aperitur ipso remoto vecte: quare multo minùs effringere dicitur, qui claui adulterina fores aperuerit, vti monent ijdem DD. qui maliriosè incendit Ecclesiam, hac censura percellitur, quia simul & spoliator est, cum destruat bona Ecclesiæ, & effractor ipsam quoq; Ecclesiam destruendo: Ita Nauarr. cap. 27. num. 94. Suar. disp. 22. sect. 2. num. 16. Filluci. trac. 15. cap. 2. q. 5. nu. 53. Bonac. & Ferdin. laudati.

Nomine Ecclesiæ intelligunt passim DD. cum Nau. Toleto, Sayr. Suar. Barbos. & Filluc. allatis, monasteria, hospitalia, aliaque omnia loca pia, & non sola templa quæ Episcopi authoritate diuinis officijs deputata sunt, quia nomen Ecclesiæ latiùs accipiendum est, in constitutione ipsi fauorabili. negant tamen Bonac. & Ferdin. quia lex ista quamuis faueat Ecclesiæ, absolutè tamen pœnalis est ideoque voces in illa sunt strictiùs, & in propria significatione capiendæ. vnde vlteriùs colligit

Ferdin. contra eundem Bonac. Suar. & Barbos. ne quidem sacristiam quamuis Ecclesiæ coniunctam intelligi hoc loco nomine Ecclesiæ, quia reuera non est Ecclesia, neque valet vulgare dictum, accessorium sequitur principale, quia non est accessorium, nisi quoad ædificium, non autem quoad fauorem, aut pœnam legis, nisi disertè id exprimatur, & caueatur in ipsa lege, vti factum est in cap. *si ciuitas de sent. excomm.* alioquin qui in sacristia sanguinem humanum effunderet, aut fornicaretur, Ecclesiam polluisse diceretur, & vt talis puniendus foret.

Denique hæc excommunicatio non est reseruata antequàm denuntietur publicè ab ordinario: post eam enim denuntiationem reseruari Pontifici colligunt euidenter DD. ex vltimis verbis, cap. *conquesti:* neque sufficit generalis denuntiatio, qua omnes effractores, & spoliatores Ecclesiarum dicuntur esse excommunicati, vt malè voluit Bonac. sed omninò requiritur specialis, & expressa, per quam rei innotescant, *vt arctiùs euitari queant* (vt inquit Pontifex) ita Suar. Sayr. Barbosa, Filluti. Ferdinand.

Incendiarius. Excommunicationem in illum ipso iure latam esse colligunt aliqui, ex cap. *si quis membrum* 23. *quæst.* 8. vbi Pontifex iubet incendiarium, qui monitus ab Episcopo, damnum reparare noluerit, *Ecclesia se priuarum agnoscat*, verum illis verbis interdicit tantum illi ingressu Ecclesiæ Pontifex: nam deinde mandat excommunicari, si post secundam, & tertiam monitionem cuncta non emendauerit, quia iubet ab omni Christianorum collegio separari. Alij eandem censuram colligere sibi videntur ex cap. *pessimam ead. causa, & q.* verum ibi Innocent. II. præcipit duntaxat, excommunicari eum quem constiterit malo animo incendiarium fuisse: Denique alij cum Bonac. disp. 2. q. 3. punc. 43. n. 1. probabiliùs argumentari videntur, ex cap. *tua nos de sentent. excommunic.* vbi Pontifex ait, incendiarios ex quo per Ecclesiæ sententiam publicati sunt, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam sedem æque mittendos esse, atque eos, qui in clericos temerarias manus iniecerint: cùm igitur Pontifex incendiarios comparet cum clericorum percussoribus, quos constat ipso iure excommunicatos esse, & sibi reseruet absolutionem excommunicationis, vbi per sententiam fuerint publicati, supponit omninò illos esse excommunicatos, quia, vt nuper argumentabamur, publicatio excommunicationis, & absolutionis reseruatio, necessariò supponit excommunicationem, verum neque in illo textu fertur expresè excommunicatio in incendiarios, vt patet; neque etiam tacitè, nam non comparat Pontifex absolutè incendiarios clericorum percussoribus, sed solùm quoad absolutionis reseruationem, vbi per sententiam fuerint publicati, & damnati: nam cùm non ignoraret Pontifex, nullum incendiarium esse ipso iure excommunicatum, sed solùm per sententiam excommunicandum ex cap. *si quis membrum, & cap. pessimam* 23. *q.* 8. vti iam ostendimus, si excommunicationem latæ sententiæ infligere voluisset, expresè illud sanciuisset; neque duntaxat ex suo discursu colligendum reliquisset, & dubiam suam mentem defectu vnius voculæ variis interpretationibus permisisset, voluit igitur duntaxat illos incendiarios, vbi excommunicati, & vt tales publicati fuissent per Ecclesiæ sententiam, absolui non posse, nisi à sede Apostolica; atque ea in parte clericorum percussoribus comparari: quamuis igitur publicatio excommunicationis, & reseruatio absolutionis necessariò supponant excommunicationem, vt verè argumentatur Bonac. non tamen necessariò supponunt excommunicationem ipso iure contractam, sed vel ipso iure, vel per sententiam: satis enim fuerit, contractam esse, quocumque modo contracta sit, vt publicetur, & eius absolutio reseruetur: quarè nullum incendiarium ipso iure esse excommunicatum, sed excommunicandum docent Caietan. ℣. excommunicatio. cap. 22. Nauarr. cap. 27. num. 94. Tolet. lib. 1. cap. 36. num. 5. Suar. disp. 22. sect. 2. num. 19. Sayr. lib. 3. cap. 29. num. 8. Filluc. tract. 15. cap. 2. quæstione 5. Barbosa de potestate Episcop. allegat. 5. numero 89. Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 24. num. 5. alijque passim, neque placet hoc loco distinguere inter Ecclesiarum incendiarios, & alios; vti fecerunt glossa, & Panorm. in cap. *tua nos* citatum, & aliqui summistæ, ℣. excommunicatio. Syluest. eod. ℣. 7. num. 13. Angel. eod. 5. casu. 6. & Tabiena casu 7. qui solos incendiarios Ecclesiarum ipso iure excommunicari docuerunt: cuius distinctionis fundamentum nullum prorsus est in iure, & cap. *tua nos*, ex quo maximè colligere sibi videntur, quòd hæc excommunicatio, absolutè prorsùs, & absque vlla distinctione, de *incendiariis* loquatur.

Tenentur porrò Diœcesani, & ordinarij incendiarios excommunicare per sententiam nisi in casibus, cap. *si quis, & cap. pessimam*, quæ eiusmodi censuram ferri volunt, debet autem crimen publicum esse, & scandalosum, atque reus certus, quomodo enim si ignotus fuerit secundo, & tertio reconueniri iubetur antequàm excommunicetur; & si post excommunicationem obierit, priuari Ecclesiastica sepultura. quarè vbi fuerit ignotus reus, erit in arbitrio Iudicis ferre sententiam excommunicationis generalem, aut specialem in incendiarios, prout illi conuenientiùs visum fuerit.

In hanc autem sententiam, & excommunicationem incidet, qui malo studio, v. gr. odio, aut vindicta, ignem in res alienas iniecerit, non qui ex negligentia duntaxat, licet culpabili, sed sine malo animo id fecerit: quod euidenter, ex c. pessimam deducunt Caietan. Suar. Sayr. & Bonac. adducti, qui etiam prudenter aduertunt sufficere, vt vel semel aliquis hoc crimen admiserit, vt dicatur incendiarius, & sententiæ in incendiarios latæ subiaceat: sicut qui vel vnum hominem occidit, homicida est, & homicidarum pœnis iure merito punitur. Non dicetur tamen incendiarius qui incendium præcipiet, consulet, aut illi cooperabitur, modo ipse ignem non iniiciat: contra quam existimaret Sayr. cap. citato 29. numero 11. nam vti sapienter monet Ferdinand. citato punc. 24. numero 7. nomina homicidæ, adulteri, raptoris, incendiarij non desumuntur ex consensu duntaxat morali, sed physico.

Difficultas verò non exigua est, circa huius excommunicationis, vbi contracta, & deinde publicata fuit, absolutionem, illam enim sibi reseruat Pontifex in capite *tua nos*, citato, & tamen aliqui apud Tolet. lib.

lib. 1. cap. 35. n. 4. existimant ab ordinario eodem absolui posse. existimarim ex rigore iuris reseruatam esse absolutionem, sed illi consuetudine derogatum esse, quæ proinde consulenda erit. non sufficiet autem publicatio generalis per generalem sententiam ferientem excommunicatione incendiarios contra quam doceant Suar. Filuc. Bonac. sed omninò publicatio, & denunciatio specialis necessaria erit, vti glossa, & Panor. in cap. *tua nos.* Caietan. Nauarr. Tolet Sayr, & Ferdinand. postulant, quia vbi per sententiam generalem omnes incendiarij excommunicabuntur, eius deinde excommunicationis publicatio æque generalis, inutilis erit, quia per sententiam generalem iam omnibus notum est, incendiarios esse excommunicatos, & rei æquè ignoti manent, atque prius, neque vitari possunt; ad quam tamen vitationem, publicationem istam exigit Pontifex.

Indulgentia. 1. Religiosi concedentes indulgentiam plenariam absoluendo à culpa, & à pœna, incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam. Clem. 1. de priuileg. de qua diximus nuper ℣. absolutio.

2. Pius V. constitutione 99. *quam plenum.* Episcopos, & Cardinales suspendit ab ingressu Ecclesiæ, & perceptione fructuum: inferiores verò Episcopis, excommunicatione reseruata percellit, qui vel indulgentiam publicant, vel facultatem absoluendi à casibus reseruatis concedunt, pecuniam sibi ea de causa soluentibus. de qua excommunicatione vide Bonac. disp. 2. q. 3. punc. 30.

Iniuria. qui grauem iniuriam clerico, vel monacho intulerit in eum manus violentas injiciendo, excommunicatur; neque absolui potest extra mortis articulum, nisi à sede Apostolica: ita statuitur in conc. Lateran. sub Innoc. III. cap. 15. in concilio Romano sub Eugenio II. cap. 16. & refertur. capite *si quis suadente* 17. quæst. quarta.

Nomine Clerici intelliguntur non modo sacris ordinibus initiati, sed etiam qui minores, imò & qui primam tantum tonsuram acceperunt: quod constat ex cap. *clerici* 21. *dist.* & cap. *cum contingat.* de ætate, & qualitat. & licet excommunicati, suspensi, irregulares, atque verbaliter depositi, non priuantur tamen hoc canonis priuilegio, vti passim DD. obseruant, in cap. *ex parte. de clerico coniugato.* quibus adhærere Toletus lib. 1. cap. 31. numer. octauo. Sayr. lib. tertio Thesaur. cap. 26. num. 8. & 9. Coninch. disp. 14. de excommuni. dub. 15. numer. 157. & Ferdinand. à Castro disp. tertio de censur. punc. 23. §. 1. numer. 1. si tamen hi clerici realiter degradati forent, non gauderent huius canonis priuilegio. cap. *degradatio. de pœnis in 6.* & nos hoc ipso opere diximus.

An vero vt clerici turi, sint hoc canone, debent ordinariè tonsuram, & habitum clericalem gestare, ex licentia Episcopi alicui Ecclesiæ deseruire, aut in aliqua Academia literis vacare disputat DD. ita enim affirmant Suar. disp. 22. sect. 1. n. 11. Bann. 2. 2. q. 12. A. 1. diffic. 3. dicto vlt. Roderic. tom. 1. Summæ cap. 80. nu. 17. Coninch. disp. 14. de censur. dub. 15. n. 164. de Solis tract. de censib. lib. 2. cap. fin. n. 14. neque improbabile putauit Layman. lib. 1. tracta. 5. par. 2. cap. 5. n. 4. Ratio est, quia omnia ista requiruntur à Trid. sess. 23. cap. 6. de reformat. vt clericus gaudeat priuilegio fori igitur vt gaudeat priuilegio canonis, quod minus est, & iuris positiui; & ab eodem Tridentino sub priuilegio fori comprehenditur illo cap. 6. quandoquidem affert cap. vnic. *de cler. coniugat.* in 6. quod loquitur de priuilegio canonis.

Negant tamen hæc omnia requiri ad priuilegium huius canonis, licet ad priuilegium fori exigantur à Tridentino loco citato. Nauarr. consil. 24. de priuileg. edict. 2. Molina. trac. 3. disp. 54. nu. 9. Auila de censur. 2. p. cap. 1. disp. 2. dub. 9. conc. 3. Ferdinand à Castro, qui alios dabit. punc. 23. citato §. 1. n. 3. quia iure communi priuilegium canonis tribuitur clerico in minoribus, licet neque alicui Ecclesiæ inseruiret, neque in aliqua academia studeret. concilium autem Tridentin. cap. 6. allato. nihil innouauit, nisi circa priuilegium fori, non autem canonis, quod reliquit iuri communi, neque ab vno priuilegio licet argumentari ad aliud cum distincta sint, itaq; tandem declarauit Cardinali. Congregatio vti refert Ferdinand. l. c. dum verò dixit idem Trident. seruandam esse Bonifacij VIII. constitutionem. cap. *clerici de cleric. coniugat. in 6.* non de omnibus clericis, sed de coniugatis loquitur. isti autem non fruuntur priuilegio canonis, nisi tonsuram, & habitum clericalem deferant. cap. citato. & alicui Ecclesiæ authoritate Episcopi deseruiant. ex communi DD. quos sequuntur Konink. disp. 14. citata. n. 18. Layman. l. 1. trac. 5. par. 2. cap. 5. n. 4. Bonac. disp. 2. de excommunic. q. 4. punc. 3. n. 1. Ferdinand. §. 1. citato n. 5.

2. Hoc priuilegium non habent clerici in minoribus constituti si Bigami, siue vera, siue interpretatiua bigamia, de qua vtraque egimus lib. de irregularit. fuerint, qua de causa gestatio tonsuræ, & habitus clericalis, ipsis prohibetur. cap. vnic. de Bigamis in 6. & ibi glossa ℣. Bigamus. Conink. Layman. Bonac. Ferdinand. locis adductis. qui sapienter aduertunt in allato cap. *vnic. de coniugatis in 6.* atque in cap. *vnic. de bigamis in 6.* agi duntaxat de clericis in minoribus constitutis: quare si vel sacris sunt initiati, vel dispensatione retinebūt hoc priuilegium canonis: quod affirmant quoque gloss. in cap. vnic. de bigamis in 6. Silu. ℣. bigamus q 8. Molina trac. 3. disp. 54. n. 8. Layman. & Ferdinand. nominati superius. Bigamia deniq; similitudinaria non priuat hoc canonis priuilegio, quia bigamia non est vti lib. de irregul. docuimus.

3. Excidunt hoc priuilegio clerici, qui posito habitu varijs se ijsque enormibus delictis dedunt, vt tyrannidi, seditionibus, capite *perpendimus.* cap. *cum non ab homine. de sentent. excommunic.* quod ipsum tradunt de assassinis, Siluest. ℣. assassini. q. 3. & 4. Couarru. lib. 2. varia. cap. 20. n. 10.

4. Ioculatores, goliardi, bufones, carent hoc priuilegio, vt ex cap. *vnic. de vita, & honesta cleric.* colligunt, Suar. Layman. Molin. & Ferdin. citati. Quinto qui officia carnificum, macellariorum, tabernariorum exercent, si coniugati sunt, & ter moniti ab Episcopo non desistunt, aut dimissum officium eiusmodi, vile repetunt. Clem. primo de vita, & honestat. clerico. & docent DD. 6. qui ter moniti ab Episcopo habitum clericalem non gestant, vel à vili officio non cessant, vel sæcularibus negotiis se se immiscent. ead. Clem. & ijdem DD. tradunt, quamuis dissentiant, vtrum illi ijdem clerici in sacris constituti, & allatis criminibus laborantes, atq; notati & incorrigibiles

incorrigibiles,ad trinā illam Episcopi monitionē, priuentur ipso iure priuilegio fori: id enim negant Ioan.Monach.in additio. gloss.ad Clem.1. de vita, & honestate clerico.Suar.lib.4.adu.Regem Angliæ, Layman.lib.1.tr.5.p.2.c.5.n.4.& requirunt vel realem degradationem, vel sententiam Iudicis eo priuilegio disertè priuantis: quia cap.*cum ab homine de iudiciis*,clericus traditur potestati sæculari puniendus:ac proinde non priuatur iudicio fori ipso iure ob incorrigibilitatem,& c.*vt fame* 35.*de sent.excōmunic.*conceditur Laicis tanquā Ecclesiæ ministris ius puniendi clericos incorrigibiles, qui proinde adhuc subiecti sunt Ecclesiæ:alij verò contendunt, trinā monitionē sententiæ,priuationis, & degradationis æquiualere.ita glossa in cap. 1. de Apostatis. Couarr. c. 31. qq.practic.n.2.& alij. Mihi videtur saltem autenticam declarationem incorrigibilitatis requiri,vel quod sæpiùs fit, sententiam degradationis, aut priuationis. Verum de hoc priuilegio fori suus erit locus disputandi: nunc de solo priuilegio canonis indulto clericis,& monachis agimus,quærimusq;quid nomine clerici in eo canone designetur, siue an omnes, & quinam clerici eiusmodi priuilegio gaudeant.

Monachi nomine designantur omnes vtriusque sexus Religiosi, licet aliqui conuersi non emittant professionem.Immò & ipsi nouitij,ex cap. *religiosi de sent.excomm. in 6*.tradunt̄q; Nauarr. cap.27.n. 79.Molina tract. 3. disp. 50. n. 4. & alij passim, neque religiosi bigami excludendi sunt, quia bigamia priuat quidem clericum priuilegio clericali, (vti iam diximus) non verò religiosum priuilegio regulari. Ita Sylu. ℣. bigamos.q. 8. Sayr.lib. 5.ca. 17.n 31.Bonac.disp.2.de excomm.q.4.punc. 3.num.8. & de censur.in partic.disp.2.q.3.punc.6. sect.3.n. 8.Hoc quoque priuilegio gaudent fratres tertij ordinis S. Francisci,& S. Dominici in communi viuentes,& habitum gestantes, licet religiosi non sint, qui etiam iure fori fruuntur. Ita Felio. in cap.2.de foro competenti.Nauarr.cap.27.num.79. Tolet.lib.1.cap.31.n.10.Molina tract. 3. disp.50. n.4.Suar.disp.22.de censur.sect.1.n. 20. Bonac.l. c.& Ferdinand.disp.3.punc.23. §. 1.n. 14. Fratres verò isti, si in proprijs domibus viuant,etsi sua,seque religioni obtulerint,eiusque habitum gestant, carent hoc priuilegio:quod iidem DD.affirmant,& Rodriq. tom.2.qq. regula.q. 65. A. 5. mitanda in manuali Prælato.q. 29. Layman.lib. 1.tract. 5. 1. par. cap.5.n.4.ex quibus Roderi.Leonis X.definitionem refert.

Eadem distinctio circa Eremitas adhibenda est; si enim sub aliqua regula viuant, votumque emittant obedientiæ, & paupertatis, hoc priuilegio tuti sunt: si verò nullam obligationem susceperint, aut stabilem viuendi modum, à quo recedere non possint pro arbitrio, non teguntur hoc priuilegio, licet alioqui authoritate Episcopi alicui Ecclesiæ inseruiant,& singularem habitum ferant, ac vitam non communem ducant. Ita iidem DD. qui alios dabunt.

De commendatariis quorundam ordinum militarium, grauis excitata est controuersia, & quidem de iis, qui verè religiosi sunt, & absolutam paupertatem, castitatem, & obedientiam vouent, vt equites S. Ioannis, siue Melitenses; non potest esse difficultas quin canonis priuilegio gaudeant. Ita Nauarr. consil. 13. de regularib. Molin. disp. 50. citata Azor 1. p. lib. 13. cap. 4. quæst. 4. & qui alios dabit Sanch. lib. 1. in decalog. cap. 16. num. 11. & sanè in cap. *canonica de sentent. excommunicat.* cauetur, vt si se mutuò percusserint, absoluantur à priore, sicut & alij religiosi. Itaque controuersia solum est, de equitibus, & commendatariis,qui verè religiosi non sunt, neque in communitate viuunt, cuiusmodi sunt equites Alcantaræ, Calatrauæ, ordinis Christi in Italia, S. Lazari in Sabaudia, S. Stephani in Hetruria, & B. Virginis in monte Carmelo in Gallia: nam etiam hos omnes hoc priuilegio gaudere existimant Bonac. locis supra citatis, & Garc. 1. p. de benefic. cap. 4. num. 15. quia hi omnes sunt personæ Ecclesiasticæ, immò & beneficia Ecclesiastica quandoque possident, quamuis coniugati. placet sententia Ferdinand. qui sub finem §. 1. citati, monet consulendam esse consuetudinem, & singulorum ordinum priuilegia, testaturque Molina citata disp. 50. num. 5. se licet per plures annos quæstionem examinarit, nullum hac in parte priuilegium reperisse istorum militum in Castella, neque in Lusitania.

Actio, quæ hoc canone prohibetur, & punitur, est violenta manuum iniectio in clericum, vel monachum iniectio, siue illa fit in personam eius, siue in eius res ipsi adhærentes, vnde fiat iniuriosa illi ipsi personæ violentia, eiusque violatio, cuiusmodi est occisio, mutilatio, vulneratio, percussio, quacumque ratione, aut instrumento fiat,v. g. manu, pede, ense, fuste, loris, immò etiam veneno occultè propinato,quia illis omnibus modis illius personæ, ac corpori violentia affertur. Deinde violenta ne ex aliquo loco exeat, aut ad illum accedat detentio, violenta insecutio, quæ sit causa aut se præcipitem agendi, aut alterius grauis damni: quia hæ omnes actiones violentæ omninò sunt, & ipsi iniuriosæ, ac nociuæ, quales non essent minæ solis verbis intentatæ, etsi inde ille sibi graue damnum causaret. Denique clerici conspuatio, arundine percussio, pulueris, aut luti in eum iniectio, & consporcatio, vestium eius laceratio, detractio, & spoliatio, & aliæ eiusmodi actiones, quæ licet leuerà non lædant grauiter clerici personam, eius tamen honorem lædunt,suntque iniuriosæ, & hac excommunicatione puniuntur, quod docent communi consensu laudati DD. Nauarr. Molin. Sayr. Layman. Bonac. Caietan. ℣. excommunicatio. cap. 10. Sylu. ℣. eod. 6. num. 5. Avila de censur. 2. par. cap. 5. disp. 3. dub. 12. qui & alios dabunt, colligiturque ex cap. *nuper de sententia excommunicat.*

Debet porrò hæc actio ita grauis, & iniuriosa esse, vt seclusa hac prohibitione, existimetur prudentum arbitrio sufficere ad p.m. quod ex cap. *nemo* 11. *quæst.* 3. & verbis canonis *suadente diabolo* colligunt passim DD. quos numerare nihil attinet,& necessariò sequitur ex iis quæ hoc opere disputauimus de materia censuræ, Si itaque leuis sit percussio, aut iniuria, non incurretur ista excommunicatio.

Comprehenduntur hoc canone omnes, & singuli qui eiusmodi aliquam actionem, & facinus commiserint, cùm canon vtatur voce *si quis*, quæ vniuersalis est, & neminem excipit l. *qui filiabus* §. 1. *D. de Legatis*, l. *si necessarius*. §. *si omnia. D. de pignorat. actio.* quarè nequidem excusantur pueri, si perfectum rationis vsum habeant, & suadente diabolo operentur: quod aduertit Molina tractatu tertio, disputatione

ne quinquagesima prima, numero secundo, Bonac. & Ferdinand. §. 2. punc. 23. citato.

Quinimò clericus, qui seipsum occideret, vulneraret, percuteret, aut sui cędem, vulnus, & percussionem consuleret, vel præciperet; incideret in hanc excommunicationem, ex communi sententia, quia reuera actionem sub illa prohibitam faceret: ita Nauarr. Suar. Sayr. Layman. Koninc. Bonac. & alij, quamuis Suar. & Ferdinand. existiment contrariam sententiam nõ esse improbabilem, eo quod Pontifex loqui videatur de persona distincta, ab ea quæ offenditur. Extenditur hæc excommunicatio, 1. ad mandantes, & siue precibus, siue promissis illam offensionem iniuriosam incitantes cap. *mulieres. §. illo, de sentent. excommunicat.* 2. ad consentientes. cap. *quanta 47. de sentent. excommunic.* quamuis enim ibi agatur de ijs duntaxat, qui consentiunt offensioni rectorum Ecclesiæ: communis tamen DD. & interpretum sensus extendit ad omnes; qui cuiuslibet clerici violentæ offensioni consentiunt, vt habent Molina trac. 3. disp. 52. Nau. c. 27. n. 78. Konin. disp. 14. de cens. dub. 15. num. 171. Sayr. lib. 3. cap. 16. n. 12. Layman. & Bonac. citati. Ferdinand. §. 2. nu. 5. 3. extenditur ad ratam habentes offensionem istam. cap. *cum quis de sentent. excommunic.* 4. de consulentibus, & auxiliantibus nisi habetur in iure: hos tamen DD. cõprehendunt sub nomine consentientium. qui enim consulit aliquam actionem, aut ad illam exequendam præbet auxilium, illi maximè consentit. Ex hoc verò mandato, consilio, auxilio, consensu, debet sequi principalis actio, quæ prohibetur. 1. quod porro ad consilium mandatum requiratur, & vtrũ eius reuocatio sufficiat, ad euitandam excommunicationem: vtrum etiam non impediens, reus sit huius pœnæ, colliges ex his, quæ fusissimè disputauimus disq. de causa subiectiua censuræ. q. 3. tota.

Moneo duntaxat, quo ad ratihabitionem percussionis clerici suo nomine, aut in sui gratiam factam, illam æquiparari, mandato, quia retrotrahitur, vt expressè definitur cap. *cum quis de sentent. excomm. in 6.* ideoque necesse est fieri percussionem illo tempore, quo potuerat eam mandare qui ipsam ratam habet, nam si tunc rationis vsu careret, ob infantiam, aut amentiam, etiamsi in illius gratiam facta fuerit percussio, eamq; postea ratam habeat, non incidit in excommunicationem istam, quia eiusmodi ratihabitio, neque propria erit, neq; retrotrahi, neque mandato comparari poterit, vti tamen necesse foret, quia mandatum fieri non potuit tempore patrati delicti: ita Nauarr. cap. 27. n. 78. Suar. disp. 22. sect. 1. nu. 55. Molina trac. 3. disp. 52. num. 4. Sayr lib. 3. cap. 16. num. 25. Bonac. locis citatis, & Ferdin. disp. 3. punc. 23. §. 2. sub fin. qui monent inde non sequi delictum patratum tempore somni, aut ebrietatis alicuius, non posse ab illo deinde ratum haberi, eo quod eo tempore ab ipso tunc mandari non posset, quia somnus, & ebrietas ligant, & impediunt vsum rationis, & non tollunt, & illo ipso tempore potest ille solui somno, aut ebrietate, aut in somnum, & ebrietatem non incidisse.

Excusat ab hac excommunicatione quidquid excusat à culpa mortali sacrilegij aduersus eam prohibitionem, quia siue ratione personæ violatæ, siue ex modo violationis, & percussionis, violatio, & percussio non censetur in prudenti hominum, & vulgari existimatione grauiter iniuriosa statui, & ordini clericali.

1. Igitur ratione personæ violatæ, aut percussæ excusat Sotus in 4 dis. 22. q. 1. A. 2. pueros clericos rixantes, etiamsi pugnis se inuicem percutiant in templo, aut alibi, & sanguinem è naribus eliciant: quia censetur hoc iniuria leuis, licet aliunde percussio grauis fuerit, id tamen totum ex circumstantijs colligendum esse sapienter monent Coninc. disp. 14. dub. 13. n. 190. Layman. lib. 1. trac. 5. par. 2. cap. 5. num. 8. Molin. trac. 3. disp. 51.

2. Qui priuilegio canonis degradatione, aut priuatione nudati sunt, impunè violantur quia quamuis ea violatio grauis sit, & culpam mortalem iniustitiæ constituat: non tamen culpa sacrilegij est: quod ex omnium sententia docet Molin. disp. 54. Sayr. lib. 3. c. 27. Nau. tr. c. 27. num. 80. Bonac. de censur. in particul. disp. 1. q. 3. punc. 6. sect. 4. numer. 9. Ferdinand. punc. 23. citato §. 3. num. 2.

3. Clericus qui offensioni suæ consentit, impunè offendi existimatur à quibusdam, sed falsò quoties illa offensio iniuriosa, & status clericalis dehonestatiua fuerit, quia nequit suo consensu offensus vel illi priuilegio clericalis ordinis renunciare, vel eam iniuriæ pœnam à iure impositam remittere. eaque est communis DD. sententia Sayr lib. 3. cap. 26. n. 18. Caietan. ℣. excommunic. cap. 10. Suar. disp. 22. sect. 1. n. 58. Coninch. disp. 14. num. 168. Filuci. trac. 15. cap. 1. q. 7. nu. 33. Molin. tracta. 3. disp. 51. num. 3. Layman. loco cit. Ferdinand. punc. 23. citato. §. 2. num. 3. iste tamen clericus suæ offensioni consentiens non excommunicatur, quia non permittens offensionem, sed offendens opere, consilio, mandato, auxilio, excommunicatur: quod idem DD. colligunt ex cap. *contingit. de sentent. excomm.* vbi Pontifex ait, hunc ita consentientem esse excommunicandum. ergo nondum est iure ipso excommunicatus.

3. Ex modo percussionis excusatur 1. qui ludi & ioci causa, aut cum non plena aduertentia, aut ex subita quadam passione, & impetu, qui plenam considerationem impediuit, percussit, quia licet percussio fuerit grauis, culpa tamen leuior fuit, & non mortalis ex communi DD. sensu

2. Qui probabiliter ignorant, illum, quem percutiunt esse clericum, quia stante ea ignorantia probabili clericatus, cessat iniuria facta ordini clericali, neque committitur formaliter sacrilegium, & sanè cap. *si verò. 1. de sentent. excomm.* excusatur percussor clerici comam nutrientis, quia probabiliter existimare poterat non esse clericum. vide pluribus allatis Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 32. n. 41. neque interest quidquam, quod iste percussor cum illa ignorantia probabili, vacaret rei illicitæ, aut licitæ, vti malè aliqui hoc loco distinguunt, quia reuera non peccat in statum clericalem, vti tradit Nauarr. cap. 27. num. 80. Couarru. in cap. alma mater. 1. par. §. 10. n. 16. Molin. trac. 3. disp. 53. immo licet habeat animum percutiendi clericum, quia non punitur sacrilega voluntas, sed sacrilega & externa percussio: quod contra Couarru. citato §. numer. 15. docet Ferdinand. punc. 23. §. 3. numer. 4. Molin. disp. 53. numer. 2. & 3. Suar. disp. 22. sect. 1. numer. 54. & Coninch. disp. 14. cum. 197. quod si cum velles percutere Paulum clericum, percutias Petrum etiam clericum, quia ibi reuera est sacrilega percussio; excommunicatis; si tamen Petrus percussus non se repræsentabat tanquam clericum; neque eum gestabat

habitum clericalem, quem Paulus ferre consueuerat; non incurris in hanc excommunicationem, quia exterior actio non fuit sacrilega, & statui clericali iniuriosa, cum inuincibiliter ignorares Petrum, quem percussisti, esse clericum, licet intenderes percutere Paulum clericum: ita Molin. Suar. Conin. Layman. & Ferdinand. adducti.

4. Excusat ab hac excommunicatione iusta sui, vel alterius defensio, népe honoris, famæ, corporis, & bonorum; nulla etenim tunc vis, siue violentia fit, cap. *tenore*, *de sentent. excommunic.* & Clem. 1. *de homicidio* ita. Lessi. lib. 2. cap. 9. dub. 8. Coninch. disp. 14. n. 193. Bonac. de censur. in partic. disp. 2. q. 3. sect. 4. potest. igitur 1. mulier clericum inuadentem suam pudicitiam facto, vel verbis percutere, si nulla alia illi adsit iusta, & legitima defensio: quod communiter docent Nauar. Molin. Suar. Kon. Layman. Ferdinand. qui alios dabunt. 2. qui clericum domum suam iniustè occupantem violenter illa extrudit etiam plagis, excusatur; neque enim ibi est violentia, sed violentiæ remotio: Silu. ✠. excommunicatio. 6. n. 6. Filluci tract. 15. cap. 1. n. 20. Bonac. sect. 4. citata. Ferdin. §. 3. n. 5. 3. qui violenter extrudit clericum à sede honoratiori sibi debitâ, si alia via tuendi locum suum non suppetat, excusatur à Nauarr. consil. 40. de sentent. excommunic. & à Ferdin. l. c. 4. qui clericum furantem expellit, insequitur, ab eoque res ablatas violenter abstrahit, tunc enim iniuriam non infert, sed repellit; si tamen res sublatas potes, authoritate iudicis recuperare, si in illis recuperandis vim afferas, iniuriam facis, & incidis in excommunicationem, ex Nauarr. cap. 27. n. 76. Molina tract. 3. disp. 55. n. 3. Bonac. & Ferdin. qui supponunt sine dubio recuperationem hanc fieri posse iudicis authoritate, si enim id non possit, cur tuas res ipse non capies, & si fur vi impediat, vim illam non repelles alia vi, nam ille dum tuas res capienti obsistit, iniuriam tibi facit. 5. clericum debitorem fugientem, aut de fuga suspectum, poterit creditor detinere ad debitum recuperandum. 6. iudex qui clericum in flagranti delicto, aut illius probabili suspicione deprehendit. illum detinere poterit vt suo iudici sistat. 7. offensus à clerico in carcerem mittendo, & puniendo, illum absque excommunicationis timore vinculis alligare poterit vt sistat suo iudici intra 24. horas ad processum faciendum: quæ omnia tradunt ex communi Silu. Nauarr. Molin. Suar. aliique adducti à Ferdinand. §. 3. citato. num. 5. sub fin.

5. Excusat ab excommunicatione correctio moderata, & culpæ accommodata, ab illis qui ius habent facta.

1. Igitur Prælatus Ecclesiasticus, & magister (quo nomine intelligo cum Molina tract. 3. disp. 56. n. 3. eum omnem, qui ad aliquid docendum, aut in officio continendos clericos assumitur) poterit clericum subditum, vel discipulum etiam in sacris constitutum, pro ratione culpæ punire; & si opus fuerit vinculis constringere: quod ex cap. 1. cap. *ex tenore. cap. ex voluntate, de sentent. excommunic.* notant Nauarr. cap. 27. n. 81. Suar. disp. 22. sect. 1. n. 48. Coninch. disp. 14. n. 190. Molin. trac. 3. disp. 56. Layman. Bonac. Ferdin. aliique laudati sæpius.

2. Cui ex officio incumbit pueros turbantes diuinum officium, ab Ecclesia expellere, id vi facere poterit, ipsique clerici seniores poterunt leuiter punire iuniores turbantes officium. cap. *cum voluntate*. §. *vlt. cap. veniens*, *de sentent. excomm.*

3. Pater poterit filium in minoribus constitutum moderatè punire: quod omnes fatētur ex *cap. cum voluntate, de sentent. excomm.* verū grauis controuersia est, an etiam filium clericum sacris initiatum castigare, & punire queat: ita enim affirmant Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 1. §. 2. casu 12. Silu. ✠. excommunicatio. 6. casu 8. Bann. 2. 2. q. 65. At. 2. atque ibid. Valent. q. 9. punc. vnic. Aula de censur. 2. p. cap. 5. disp. 3. dub. 13. casu 1. Suar. Nauarr. Filluc. Coninch. quos, aliosque affert, & sequitur Bonac. disp. 2. de censur. in partic. q. 3. punc. 6. sect. 4. n. 4. quia sacer ordo non eximit filium à patria potestate, sed ipsi omnino subditum relinquit, ac proinde corrigibilem, & punibilem, vt priùs 2. licet patrifamilias iure quodam naturali delinquentes ex sua familia punire: cur igitur ob actionem naturali iure sibi permissam excommunicabitur? denique quidni licebit idem patri, quod magistro, quem nuper ostendimus posse discipulum sacris initiatum castigare.

Negant tamen hanc patris facultatem circa filium in sacris constitutum, glossa in *c. cum voluntate*, ✠. *inferiorum graduum*, *de sentent. excomm.* & ibi Hostiens. Paoormita. Antoni. de Butrio, Felin. Zabarell. aliique expositores Molin. tract. 2. disp. 228. & tract. 3. disp. 56. Angel. ✠. excommunicatio 5. casu 1. §. 10. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 5. n 9. Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 23. §. 3. n. 8. quia nullibi in iure fit ea potestas patri, & exceptio ab vniuersali Canone *si quis suadente*, immò colligitur euidenter contrarium ex illo ipso iure. 1. quia *c. cum voluntate* citato, conceditur patri punire clericos filios adolescentes in minoribus constitutos, ergo non permittitur punitio illorum, qui sacris initiati sunt: quod argumentum à contrario sensu validum omninò est hoc loco, cur enim si cuiuscumque filij clerici punitio permittitur patri, ius loquitur solùm de iis qui in minoribus gradibus constituti sunt, & Pontifex non est vsus verbis vniuersalibus; neque enim ex punitione libera inferiorum graduum colligitur punitio superiorum, alioqnin cum eod. illo cap. *cum voluntate* permittitur propinquis punitio similis clericorum in minoribus constitutorum sicut & patri, liceret colligere illis eandem fieri potestatem circa punitionem clericorum propinquorum sacris initiatorum quod nemo dixit hactenùs immò quia clericis senioribus permittitur punire iuniores in minoribus turbantes diuinum officium, colligunt omnes id illis non licere circa clericos sacris initiatos, propter appositam illam restrictionem, quæ æquiualet particulæ exclusiuæ: quidni igitur circa Patres valebit eadem illatio? quandoquidem de illis eodem modo, & cum eadem restrictione ius loquitur, denique ita indecens existimauit Ecclesia, laicum iniicere manus in clericum, etiam correctionis gratia, vt voluerit, Episcopum corrigere clericos vel per se ipsum, vel saltem per alium clericum, quare nisi expresse eam facultatem laico faciat, non debemus nos ipsis illam tribuere, etiam parenti, qui ferè semper laicus est, quod non semper contingit in magistris, qui sæpius clerici & ipsi sunt, ideoque illis eam facultatem indulsit ius, non parentibus, quia attendit id quod frequentiùs contingit: neque etiam existimat improbabile Felin. in cap. *cum voluntate* citatum, eumque sequutus Molin. disp. 56. n. 7. magistrum in gradu inferiori constitutum non posse punire iniectione manuum clericum discipulum

pulum superioris ordinis, ob indecentiam. neque faoet hoc loco parentibus ius naturale patriæ potestatis, quam sacer ordo non extinguit, quia licet inde nascatur ius correctionis, illa tamen accommodata esse debet filiorum qualitati, cuiusmodi non est percussio correctiua respectu filiorum clericorum in sacris constitutorum, itaque iudicasse Ecclesiam, non leues habemus coniecturas, vti ostendimus, existimatem igitur parentem posse aliquando ratione percussionis correctiuæ, incidere in excommunicationem huius Canonis.

Restat tamen difficultas circa punitionem à prælato factam, & Episcopo quidem, ob eximiam dignitatem prohibetur per seipsum punire iniectione manuum: sed ad id clerico vel ipsum oportet, cap. *non liceat* 86. *distinc.* prælatis alijs inferioribus iubetur, vt ipsimet correctionem, & punitionem faciant nisi grauis necessitas aliud postulet, quo casu vti debent opera alicuius clerici, cap. *vniuersitatis. de sent. excomm.* huic tamen iuris rigori derogauit coosuetudo, permisitque prælatis Ecclesiasticos & clericos punire laicorum opera, vinciendo, capiendo, incarcerando, torquendo, flagris excipiendo, & in triremibus exercendo, pro vt criminis grauitas postularit; tum ne clericorum scelera, magno religionis scandalo maneant impunita, tum ne ipsi prælati, aut etiam clerici ad eiusmodi ministeria, quæ ipsorum dignitatem omninò dedecent, se se deiiciant, fauetque cap. *vt fama, de sentent. excomm.* & cap. *si clericus, eod. titul. in 6.* docentque Nauarr. comm. 3. de regularib. sub fin. & consil. 42. alias 28. de sentent. excomm. Molin. tract. 3. disp. 52. n. 1. & disp. 56. n. 8. Suar. disp. 22. sect. 1. n. 44. quibus subscribunt Auil. Coninch. Filliuc. Layman. Bonac. quos affert, & sequitur Ferdin. §. 3. citato. n. 11. Alexand. VI. & Leo X. concessit Minoribus, vt religiosos clericos sibi subditos, castigent, & verberent, per alios Religiosos laicos, quos conuersos vocant, ita refertur in comp. priuil. Minor. v. absolutio. §. 20. & §. 27. quod priuilegium alijs quoque ordinibus fuisse communicatum aduertunt Molin. Nau. comm. & Layman. LL. E. C. cum Ferdin. qui etiam omnes idem censent permitti magistris, cum ea punitio, & correctio, neque illicita, neque violenta existat, & solis prælatis Ecclesiasticis, non autem Magistris interdictum esse ne medijs laicis clericos puniant reperiamus, cui etiam iuri consuetudo derogauit.

5. excusant ab hac excommunicatione vltro iniuriæ illatæ pudicitiæ vxoris, matris, sororis, & filiæ, si quis enim inueniat clericum turpiter agentem cum aliqua ex illis personis sibi adeo coniunctis, eiusque illudentem pudicitiæ, & illum percutiat, mutilet, aut occidat, etiamsi grauiter peccet sua authoritate vlciscendo iniuriam, non tamen incidit, in hanc excommunicationem, id enim Ecclesia, tum in odium clerici criminis, tum ob difficultatem temperandi eo casu dolorem, & vindictam, ita constituit c. *si verò. de sentent. excomm.* vbi hoc etiam ad neptem, & Auiam extendit Innoc. ad alias tamen personas consanguineas, aut affines extendi non debet, cum sit ius correctorium iuris communis, ac proinde odiosum. nomine vxoris non intelligitur sponsa de futuro, quia reuera illa vxor non est: in iure autem correctorio voces impropriandæ non sunt. vxor nondum cognita verè vxor est; filia & soror adoptiua, soror, & filia non est: vnde ad illas ampliari non debet lex. oportet porrò necesse vt clericus inueniatur in ipso actu sacrilegi concubitus, sufficietque si deprehendatur vacare tactibus, osculis, amplexibus, aut in loco suspecto, ita vt ex circunstantiis varijs, iure merito in suspicionem fœdi alicuius commercij siue peracti, siue attentati venire possit. ita Silu. v. excomm. 6. n. 5. casu 10. Nauarr. cap. 27. num. 84. Molina, Layman. Coninch. Bonac. & qui eos adducit Ferdin. §. 3. n. 13. qui igitur hoc casu percutiet, aut etiam occidet clericum, non incidet in excommunicationem, vt ait Couarru. in 4. decretal. 2. p. cap. 7. §. 7. n. 12. & alij passim, quamuis volens, & destinatò, atque ex matura deliberatione percutiat, aut occidat: quod ijdem DD. tradunt, etsi enim matura illa deliberatio reum faciat percussorem iniustitiæ, non tamen obnoxium reddit huic pœnæ, à qua illum eximit ipsa Ecclesia, quæ illam percussioni clerici inflixit.

Hæc porrò percussio, & vindicta fieri debet in continenti (vt loquuntur) siue quo tempore clericum in flagranti delicto comperis, & non diu post transactum delictum. Si verò delinquentem secretò obserues, atque expectes donec illum comperias, atque ita iam satis deprehensum percutias, excommunicationem vitabis, ex communi sententia contra Layman. vti videbis apud Ferdinand. sub fin. §. 3. nisi fraudibus & dolis eo deduceres, delinquentem vt in delicto deprehensum percuteres. quo tamen casu mihi valdè dubium foret, an censuram quis incurreret; voluit enim certò scire, an iniuriam pateretur à clerico, quem & iure potuit decipere hoc casu.

Absolutio huius excommunicationis reseruatur summo Pontifici, in ipso Canone *si quis suadente.* deinde tamen quibusdam in casibus, atque pro grauitate percussionis & violentæ iniectionis manuum, fuit concessa amplior, aut strictior potestas circa hanc absolutionem inferioribus prælatis: quare vt liquidò constet, quæ cuique competat facultas in hac parte & ad explicandas difficultates quæ cuique occurrunt.

Obseruandum est, quamuis, vt initio monui, percussio, quæ hac excommunicatione punitur, debeat esse grauis in ratione culpæ, ita vt mortalem omninò attingere necesse sit, posse tamen esse leuem, aut grauem in ratione percussionis; quæ tamen grauitas, aut leuitas comparatiuè ferè sumitur, vel in ordine ad alias percussiones, aut ad personam offensam, aliasue circunstantias, ratione quarum solet in communi prudentum existimatione iniuria, & percussio leuior, aut grauior censeri, quare distinguunt vulgo DD. triplicem percussionem, enormem vnam, siue atrocem; grauem alteram siue mediocrem, & demum tertiam leuem quamuis ad noxam mortalem sufficientem.

Percussio, vel iniuria enormis, atrox, & grauis sumitur 1. ex ipsa graui læsione corporis, & ex physica ipsa percussione, vel offensione; si v.g. sit læsio grauis corporis, nempe truncatio, aut mutilatio membri, magna eius debilitatio, vnde à functione sua impediatur, aut illam non nisi ægrè præstet, copia ingens effusi sanguinis, nisi per accidens detentus esset, & deinde idcirco copiosius flueret: cap. *cum illorum. & si quis de sentent. excomm.* & si copia illa ex læsione membri, non ex illius debilitate, aut dispositione fluat, vt contingit quandoque ex leui narium percussione: quod glossa in cap. citatum, *cum illorum*, obseruat. neque tamen ad grauem, aut etiam atrocem percussionem requiritur perpetuò detruncatio, mutilatio, aut debilitatio membri, copiaue sanguinis, cum absque his omnibus

nibus existimetur grauis, atroxque percussio, aut violentia; qualis esset si quis fustibus, aut loris excipiatur, proteratur pedibus, crebris tundatur ictibus, plagis, & flagris laceretur, diutiùs tetro, & obscuro carcere detineatur. quæ omnia singillatim afferunt Silu. ℣. absolutio. 4. Molin. tract. 3. disp. 57. num. 2. Suar. disp. 22. sect. 1. n. 89.

2. Grauis, atque adeò enormis violentia censeri solet ratione personæ offensæ, & offendentis, vt si Episcopus, Cardinalis, Abbas, Superior, Index, Herus, Patronus, aliusve in dignitate constitutus percutiatur. §. *atrox inst. de iniuriis & l. prætor. D. eod.* Si sæcularis Religiosum, si infimæ sortis nobilem Ecclesiasticum, aut in dignitate constitutum percutiat, quia in vulgari hominum consuetudine, hæ iniuriæ graues censentur.

3. Sumitur grauitas ex variis circumstantiis, & modo percussionis, quæ ratione illarum existimatur plurimum ignominiosa, vt compactio colaphi, percussio fustibus facta, protritio, aut conculcatio, vel trusio pedibus. 2. ex parte percussa, nam grauis censebitur percussio in ore, facie, oculo, quæ in alia parte leuis foret: sic depilatio, aut vulsio barbæ censetur ignominiosa. 3. ratione loci crescit, aut minuitur grauitas, vt si in foro, platea, theatro, publicove conuentu. 4. ratione temporis, si v. g. sacris vestibus indutus, diuinis vacans, aut sacrificio peragendo se accingens percutiatur. 5. ratione spectantium, si coram Rege, Prælato, aut alia persona magnæ dignitatis. 6. denique quoties ex percussione, aut eius modo graue creatur scandalum, & clericalis ordo dehonestatur; grauis erit percussio, & violentia facta clerico: an verò grauis duntaxat, an etiam enormis, & atrox iniuria, prudentis erit, expensis omnium circumstantiarum momentis arbitrari. Quod si dubius ea in re sit, iudicium erit Diœcesani, an pro foro externo, an pro foro conscientiæ danda sit absolutio; si hoc postremum faciendum sit, committetur ei, qui hanc potestatem habebit. & denique si omnibus examinatis, dubius adhuc hæret, grauem esse percussionem iudicare debet, extrauag. Ioann. XXII. *perlectis*, quã adducit Couarr. in cap. alma mater 1. p. §. 9. n. 2. docentque Nauarr. cap. 27. n. 92. Molin. tract. 3. disp. 57. n. 3. Sayr lib. 3. cap. 28. n. 8. Suar. disp. 22. sect. 1. n. 88. Ferdinand. punc. 23. citato. §. 4. n. 2. His positis, sic de his qui præter Pontificem possunt ab hac excommunicatione absoluere, statuendum est:

1. Legatus à latere à quacumque percussione poterit absoluere, tam eos qui sunt de sua Prouincia, quàm alios omnes, qui ad eum recurrerint toto tempore suæ legationis, hoc est à die, quo à curia Romana egredietur, vsque ad diem quo ad ipsam regredietur: ita glossa, & Panorm. in cap. *excommunicatis, de officio legati.*

2. Nuntius qui nón est Legatus à latere, non poterit absoluere, nisi eos qui sunt de prouincia sibi delegata, & quandiu in illa existet: quod colligitur ex eod. cap. *excommunicatis.*

3. Legatus natus, cui nempe officium legati cum dignitate nascitur, vt quondam Archiepiscopo Lugdunensi, non potest vi suæ legationis huius absoluere ab ista excommunicatione, aliter quàm cæteri Ordinarij. Molin. tract. 3. disp. 58.

4. Episcopus potest in vtroque foro absoluere suos subditos ab hac excommunicatione, propter leuem percussionem contracta: quod DD. colligunt ex cap. *peruenit, de sentent. excomm. extrauag. Ioann. XXII. perlectis.* nomine verò Episcopi, quos-

cumque qui Episcopalem iurisdictionem habent, eo loco designari sapienter dixit Ferdin. n. 4. contra Molin. tract. 3. disp. 59. n. 2. Silu. ℣. absolutio. 4. n. 5. & Panorm. in cap. *peruenit* citatum qui malè argumentantur, ex eo quod Pontifex Episcopo vt fratri eam facultatem committat; quo nomine inferiores prælati licet iurisdictionem Episcopalem habeant, non compellantur. Nam Pontifex cum ageret illa epistola cum Episcopo, nomine fraternitatis vti debuit, & sanè si voluisset, hanc potestatem soli Episcopali charactéri tribui, ipse Episcopus non posset alteri, neque etiam suo Vicario Generali, illam committere, quod tamen fieri fatetur Molina, & quotidianus vsus docet.

5. Nullus præter legatum à latere potest iure communi absoluere ab excommunicatione contracta, propter grauem, aut enormem percussionem, nisi in casibus exceptis à iure. Probatur, quia in iure non permittitur Episcopis, nisi ob leuem percussionem absolutio, vti diximus.

6. Impuberes siue mares, siue fœminæ possunt absolui ab Episcopo ob percussionem enormem, licet absolutionem petant post pubertatem, quia beneficium semel concessum non extinguitur adueniente pubertate, ita colligunt ex cap. 1. cap. *quamuis & cap. fin. de sentent. excomm.* Panorm. ibid. Sayr. lib. 3. cap. 28. n. 20. Molin. tract. 3. disp. 59 n. 3. Suar. disp. 22. sect. 1. n. 69. Ferdinand. §. 4. n. 6. aliqui tamen malè extendunt hoc priuilegium ad excommunicationem contractam in iuuentute, sed nullo firmo argumento ducti.

7. Mulieres cuiuscumque conditionis absolui possunt etiam ab enormi percussione: quod DD. communiter tradunt, cap. *mulieres, & & cap. noscitur, de sentent. excomm.* quia vt ibidem dicitur, periculosa censetur illarum peregrinatio, vt adeant sedem Apostolicam, idem sanè & potiori multo iure definit circa moniales cap. *de monialibus de sentent. excomm.*

8. Religiosi eiusdem Monasterij se se percutientes, absolui possunt à supremo superiore illius conuentus, vti Abbate, Priore, Guardiano, Rectore, Præposito, Generali, Prouinciali. cap. *monachi de sentent. excommunic.* quæ tamen facultas restringitur ad percussionem grauem, & enormis excipitur cap. *Canonica. eod. tit. nisi* (inquit) *excessus fuerit difficilis, & enormis, propter quem ad Ecclesiam Romanam recursus habendus*, itaque tradunt Nauarr. cap. 27. n. 92. Molin. tracta. 3. disp. 60. Tolet. lib. 1. cap. 32. n. 8. Sayr. Suar. Layman. citati, cum Ferdinando §. 4. citato n. 8. qui idem dicendum admonet de commendarariis S. Ioannis, siuo Melitensibus, qui à suo Priore absolui possunt.

9 Religiosus qui alterum religiosum alterius Monasterij percusserit, absolui quidem potest à suo Prælato, sed præsente prælato Religiosi offensi, atque ita vtriusque prælati consensu condigna imponi satisfactio, ex cap. *cum illorum de sentent. excomm.* ibique Hostiens. & Panorm. poterit tamen vnus prælatus alteri prælato suas partes æque delegare, atque posset alicui cuipiam, cum vtrer que iurisdictione ordinaria, sine sibi à iure concessa vtatur in eo negotio: ita Silu. ℣. absolutio, 5. n. 5. quod si hi duo prælati in imponenda satisfactione dissentiant, quòd vnus acerbiorem, alter leuiorem velit, tertius qui inter illos arbitretur aut in illis iudicet eligendus erit, absolutio tamen, & executio pœnæ competet prælato offendentis siue puniendi, atque absoluendi.

10. Religiosus, qui clericum sæcularem percussit

cussit, non à suo prælato præsente Episcopo, sed à solo Episcopo debet absolui, si percussio leuis fuerit. cap. *regiosi, de sentent. excommunic. in 6.* iuncto cap. *illorum, eod. tit.* traditque Molina tract. 3. disp. 60. n. 4.

11. Nouitius ante, vel post ingressum percutiens religiosum, aut clericum sæcularem ab eodem prælato, à quo alij religiosi absoluuntur, absolui & ipse poterit cap. *cum illorum, de sentent. excomm.* si tamen nouitius dimittat religionem ante professionem, tenebitur sistere se sedi Apostolicæ, alioquin incidet in eandem excõmunicationem: quod colligitur ex cap. *eos qui, de sentent. excomm. in 6.* quod monet Molina disp. 60. citata. n. 3. & Sayr. lib. 3. cap. 28. n. 13.

12. Consulenda sunt singulorum ordinum priuilegia, quæ enim hactenùs dicta sunt, iure communi definita sunt, aliquibus enim ordinibus indultum fuit, suos subditos absoluere ab excommunicatione, etiam ob enormen læsionem contracta, vide compend. priuil. Mino. ℣. absolutio ordinaria. §. 13. & 38.

13. Religiosi exempti possunt absolui ab Episcopo, consentiente suo prælato. nam cap. *luminoso.* 18. q. 2. Episcopus potest exercere de consensu Abbatis iurisdictionem in Monasterio exempto; & hic consensus prælati, si ipse habeat hanc potestatem absoluendi, est tacita quædam delegatio suæ facultatis itaque docent Molin. tract. 3. disp. 61. n. 4. Henriq. lib. 6. cap. 16. n. 8. & lib. 7. cap. 25. n. 2. lib. 10. cap. 20. n. 2. & lib. 14. cap. vlt. Suar. tom. 4. in 3. par. disp. 30. sect. 2. n. 43. & disp. 41 de censur. sect. 2. n. 12. & qui plures dabunt Sanch. lib. 4. in decalog. cap. 39. n. 32. & Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 23. §. 4. n. 11. qui n. 12. addit Religiosum, quoties eius prælatus nequit eum absoluere, neque tamen vult licentiam facere adeundi Episcopum, ad obtinendam eiusmodi absolutionem, posse ex tacito religionis consensu Episcopum adire: quod etiam tradit Henriq. lib. 13. cap. 16. n. 8. Sanch. lib. 4. in decalog. cap. 39. n. 35. quia Pontifex sine dubio non vult, Religiosos exemptos destitui remedio, quo gaudent non exempti, quare hic casus censetur per quandam epiichiam non comprehendi in exemptione.

14. An verò religiosus exemptus possit vel inconsulto suo superiore, vel illo negante absolutionem, quam dare posset, si vellet, adire Episcopum, & illi sese pro obtinenda absolutione subiicere, non leuis est controuersia, in qua tamen dicendum est, non posse religiosum exemptum inuito, aut inconsulto suo prælato Regulari subiicere se Episcopo ad absolutionem huius, aut alterius censuræ, aut peccati impetrandam, ita Sanch. lib. 4. in decalog. cap. 39. n. 29. 32. & 36. cum Panorm. Silu. & aliis, quos refert, quibus accellere Bonac. de censur. in particul. disp. 2. q. 3. punc. 6. sect. 5. n. 7. Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 23. §. 4. n. 13. contra quosdam adductos à Panorm. in cap. *significasti. h. 11. de foro competenti*, & à Silu. ℣. absolutio. 5. n. 2. quia cum hoc priuilegium exemptionis in fauorem religionis primò, & per se fuerit concessum, non possunt singuli religiosi pro arbitrio ipsi renunciare: id enim in magnum religionis dannum verteretur, quia quilibet religiosi se se pro libidine regulari iurisdictioni subducerent, & ad aliam, à qua subtracti sunt, confugerent, vnde magna totius regularis disciplinæ perturbatio nasceretur. Si verò in hoc casu prælatus regularis neget absolutionem subdito petenti, vel iustè, vel iniustè negat. si primum, quia v. g. criminis atrocitas postulat, vt ad sedem Apostolicam remittatur, euidens est, eum ab Episcopo absolui non posse. quod si iniustè absolutionem pœnitenti recusarit, poterit ab Episcopo absolutionem obtinere, quia vti argumentatur Ferdin. n. 14. censetur vel Pontifex vel religio iurisdictionem delegare Episcopo, ne religiosus maneat sine remedio, & ab iniusta vexatione liberari valeat: & sanè prælatus regularis tunc abutitur exemptione, in ipsiusmet religionis præiudicium.

15. Clerici qui in communitate viuunt siue propriis, siue alienis sumptibus, vt in seminariis quibusdam, possunt ab Episcopo ob percussionem grauem, modo non fuerit enormis absolui. cap. *quoniam, de vita & honestat. clerico.* vti Panorm. n. 3. Silu. ℣. absolutio 4. n. 3. Sayr lib. 3. cap. 28. n. 26. Nauarr. cap. 27. n. 91. Ferdinand. §. 4. citato. n. 15. docent, quia cum ob vitam communem facilius irascantur, æquum non fuit, illos pro qualibet iniuria, & nisi enormis sit, ad sedem Apostolicam mittere.

16. Ianitor, vel ostiarius, qui prætextu sui officij, & seruandi ostium, clericum percutit etiam animo ipsum iniuriandi, absolui poterit ab Episcopo, si percussio non fuerit enormis, ita glossa, & DD. in cap. si *verò. de sentent. excomm.* Si tamen ostiarius aliquam sibi authoritatem arrogare vellet, & ex ea sua prætensa authoritate ageret, & non quasi in defensionem sui ostij, non posset absolui ab Episcopo, quia eiusmodi iniuria facta statui Ecclesiastico grauis, & atrox existimaretur.

17. Officialis, & appatitor alicuius Magistratus etiam laici, si submouendo turbam clericum percutit, non tamen animo clericum offendendi, absolui poterit ab Episcopo, modò non *fuerit* enormis percussio. cap. *si verò* citato.

18. In articulo mortis, atque graui illius periculo, poterit à quocumque sacerdote absolui, cum obligatione tamen sistendi se sedi Apostolicæ, aut ab ipsa facultatem habenti, vbi conualuerit; alioquin in eandem excommunicationem reincidit. cap. *si quis suadente 17. quæst.* 4. cap. *dubium* cap. *ea noscitur* cap. *quod de his. de sentent. excommunic. &* cap. *qui eod. tit. in 6.*

16. Quælibet grauis necessitas, quæ reddit plurimum difficilem accessum ad sedem Apostolicam, eiusue legatum, faciet vt quis ab Episcopo validè, & licitè absoluatur: quod ex communi DD. tradit Ferdinand. §. 4. num. 18. & ex variis iuribus deducit. quare laborans tertiana, & quartana, qui neque Apostolicæ sedi, neque alteri facultatem ab ea habenti sistere se potest, absoluetur ab Episcopo. cap. *quod de his de sentent. excommunic.* 2. debilis, aut aliquo membro captus, qui sine graui incommodo conferre se ad sedem Apostolicam non valet, ab Episcopo quoque absoluetur. cap. *ea noscitur de sentent. excommunic.* 3. idem dico de nobili, & delicato, qui laborem itineris ferre non valet cap. *mulieres.* cap. *de cæter. de sentent. excommunic.* 4. excusatur quoque pauper, qui cogeretur in itinere mendicare, quod tamen solitus non est. cap. *quamuis, &* cap. *quod de his. de sentent. excommunication.* quare si neque ipse, neque eius familia grauiorem ex illo itinere molestiam, quàm ordinariam, & ipsi solitam pateretur, non excusaretur. 5. senibus, quia illis periculosa solet esse peregrinario, conceditur absolutio, cap. *quamuis,* cap. *ea noscitur de sentent. excomm.* 6. excusat

quoque

quoque periculum itineris ex bello, fame, peste, inimicorum insidiis, latronum grassationibus cap. *de cætero.* cap. *de his qui de senten. excommun.* 7. subiectio excusabit, quoties Romam iter confici non poterit sine graui damno eius, cui quis subditur, indeque excusantur vxores, liberi, serui, mancipia. *cap. mulieres*, cap. *relatum.* de *sentent. excomm.* 8. denique damnum alienum vitandum excusat maritum, ex cuius discessu vxor, & familia damnum graue patietur; qua etiam de caosa excusatur Parrochus qui non sine graui damno Parrochianorum abest à paræcia, Gubernator qui ciuitatem ægrè derelinquere potest: neque hi omnes tenentur mittere ad sedem Apostolicam, etiamsi id possint, quia ius non imponit his excommunicatis obligationem mittendi ad sedem Apostolicam, sed illi se sistendi si possint, ad obtinendam absolutionem, quare vbi non poterunt ipsi sese sistere, non obligabuntur propterea ad illam mittere, cùm hæ obligationes diuersæ sint, & in materia pœnali, atque odiosa non liceat ab vna ad aliam argumentari; idque docent Molin. tract. 3. disp. 64. n. 6. Nauarr. cap. 27. n. 90. Ferdinand. §. 4. n. 18. & alij. Verum quomodocumque detur absolutio in allatis casibus impossibilis recursus ad sedem Apostolicam, exigendum est à reo iuramentum comparendi coram Pontifice, aut alio potestatem absoluendi ab ipso habente, alioquin in eandem excommunicationem reincidet, cap. *eos qui de sentent. excomm. in 6.* Denique nouum ius Trid. sess. 24. cap. 6. de reformat. facultatem facit omnibus Episcopis, atque adeò Episcopalem iurisdictionem habentibus, ex communi interpretatione DD. absoluendi ab hac aliaque excommunicatione, vbi delictum fuerit occultum, & accessus, aut recursus ad Pontificem difficilis. Quoad priuilegia mendicantium, aliorumue hac in parte, nihil hoc loco dicimus. Sciunt illi quænam ea sint, & ad quid se extendant.

2. Iniuria in Cardinales, & Episcopum, vide ✠. Cardinalis, & ✠. Episcopus.

Inquisitionis sanctæ officium.

1 Domini, & Magistratus temporales, non adiuuantes vbi fuerint requisiti, aut impedientes inquisitionem contra hæreticam prauitatem, vel de causis sancti officii, maximè de hæresi cognoscentes, *excommunicationis mucrone se percussos esse nouerint, & si per annum in ea excommunicatione insorduerint, tanquam hæretici condemnari debent.* cap. *vt inquisitionis.* 18. *de hæretic. in 6.* quæ excommunicatio reseruata non est. Itaque ea constitutione quinque maximè prohibentur istis dominis, ac Magistratibus. 1. de hæresi directè, aut indirectè iudicare. 2. detentos hæresis reos absque Episcopi, aut inquisitoris licentia carcere liberare. 3. sententiam latam ab Episcopo, aut inquisitore non exequi. 4. eandem sententiam impedire. 5. denique aut Episcopis, aut inquisitoribus in rebus, quæ ad officium pertinent se se opponere. Debent verò isti Domini temporales hæc omnia præstare animo impediendi sanctum officium, aut fauendi hæreticis. Nam si quapiam alia ex caosa, vt odio, inimicitia, vindicta vexent inquisitores, non incident in hanc excommunicationem, quæ non fertur nisi vt tribunal inquisitoris defendatur. Ita docent Angel. ✠. excommunicatio. 7. casu 25. Sylu. ✠. eod. 9. casu. 28. numero 58. Sayr. libro 3. capite 34. numero 18. neque improbat Tolet. lib. 1. capite 38. numero 21. contra Suar. disp. 23. sectione 4. numero 44. Filluc. tract. 24. numero 159. Bonacina. disputatione secunda, quæstione 10. punc. 2. numero decimo, Ferdinand. à Castro Palao disputatione 3. punc. 33. num. 16.

2. Pius ✠. constitutione 1. *sanctissimus Dominus* excommunicat omnes Magistratus, & officiales qui eminentissimorum Cardinalium sanctæ inquisitionis mandatis non paruerint, in iis quæ ad illud officium pertinuerint. Hæc excommunicatio neque reseruata est, neque ad Principes, Barones, & Dominos temporales extenditur, quia illos eo loco Pontifex rogat, non verò illis præcipit.

3. Idem Pius V. constit. 82. *si de protegendis.* eos, qui variis artibus ministerium sanctæ inquisitionis impediunt, excommunicat, & variis aliis pœnis punit.

4. Paul. V. iubet religiosos suspectos de hæresi deferri inquisitoribus, & superiores, qui impedierint, priuat omnibus officiis, dignitatibus, & beneficiis, iure vocis actiuæ, & passiuæ, & aliis pœnis contra fautores hæreticorum latis, & præterea excommunicat excommunicatione reseruata in constitutione. *Romanus Pontifex*, anno 1606.

5. Clemens quartus in decreto *paupertatis altissimæ*, Dominicanos impedientes officium sanctæ inquisitionis exercitum à Minoritis, & Minoritas eandem molestiam inferentes Dominicanis inquisitoribus, priuat executione ordinum, donec absolutionem à sede Apostolica, vel ab eo cuius officium perturbarunt, obtineant. Ita refert Antonin. 3. p. titu. 25. cap. 4. Henriq. lib. 13. cap. 40. numero 3. Sayr. lib. 4. cap. 13. numero 13. Bonac. disp. 3. de censur. in particul. quæst. 8. punc. 16.

6. Clemens secundus *de hæreticis*, Commissarij, & Officiales Episcoporum, & inquisitorum, qui prætextu officij inquisitionis, pecunias extorserint, excommunicantur, neque absolui possunt extra mortis articulum, donec plenè satisfecerint parti læsæ quibuscumque priuilegiis exclusis. De hac censura vide Suar. disp. 23. sect. 5. num. 24. & Sanch. in decalog. lib. 2. cap. 2. n. 6. & Ferdinand. disp. 3. punc. 34. n. 9.

7. Clem. 1. *de hæreticis*, excommunicat excommunicatione reseruata inquisitores, eorumque vices gerentes Episcopo inferiores, qui contra iustitiam, & conscientiam peccarunt in suo officio, vel non procedendo contra hæreticum, aut de hæresi suspectum, vel falsò hæresim alicui, aut eius suspicionem, aut impedimentum sancti officij imponendo; si id faciant odij, gratiæ, commodi aut lucri temporalis obtentu. Quare tria requiruntur, ad hanc censuram incurrendam. 1. vt grauiter delinquant in suo officio modis allatis. 2. vt scienter ea præstent. 3. vt intuitu odij, gratiæ, commodi, vel lucri temporalis peccent eo modo: quare si vel vnum ex istis tribus requisitis desit, non incurretur hæc excommunicatio: quod obseruant DD. cum Glossa in eam Clem. ✠. *obtentu.* Tolet. li. 1. c. 86. Barbos. de potestate Episcopi, allegat. 50. n. 93. Bonac. disp. 2. de censu. in partic. quæstione 7. punc. 5. Ferdinand. à Castro disput. 3. punc. 26. numero 1. *Episcopi* porrò qui in istis deliquerint, suspenduntur ab officio per triennium, neque ab alio, quam Pontifice poterunt absolui: quod vltimum notant Bonac. & Ferdinand.

8. Eadem

8. Eadem Clem. excommunicantur inquisitores, qui prætextu illo bona clericorum applicant Ecclesiis. Vide Suar. & Sanch. atque Ferdin. locis citatis fusiùs disputantes.

Insordecentia in censuris, si annualis est, reddit 1. suspectum de hæresi. cap. *cum contumacia. De hæret. in 6.* 2. si excommunicatio lata fuerit in causa hæresis; insordescens in illa, ipso iure habendus est, vt hæreticus. Ex glossa in cap. *excommunicatus. ✠. condemnetur de hæreticis.* 3. insordescens in excomunicatione lata pro crimine, conuictus habetur de illo crimine: quod contendit Farinac. lib. 1. q. 18. num. 39. & Gonzal. in regul. 8. cancella gloss. 15. num. 106. & 108. qui alios dabunt. In ciuili causa contrarium tenendum docet ibid. Gonzal. contra communiorem. 4. non prodest insordescentibus absolutio generalis à censuris apponi solita in literis Apostolicis, ad earum effectum obtinendum. ita regula. 66. cancella. 5. insordescens in excommunicatione, & suspensione, cui erat ipso iure annexa priuatio beneficiorum, priuatus iam manet, quamuis aliqui postulent sententiam declaratoriam. 6. insordescens per annum in excommunicatione, licet in articulo mortis fuerit absolutus, posset tamen priuari Ecclesiastica sepultura. 7. insordescenti in censura sæpè illa eadem aggrauatur. v. g. excommunicatus a legato poterat ab illo intra annum à finita legatione absolui, post annum non poterit, nisi à Pontifice cap. *quærenti de offici. delegati.* vide ibid. Barbos. in collectaneis. Insordescens porrò dicitur, qui animo pertinaci, & quia noluit obedire, aut subiicere se clauibus; atque adeò in ipsarum contemptum perseuerat in censura, vti diximus hoc ipso opere fusiùs.

Interdictum. De pœnis violantiũ interdictum, vt & alias censuras diximus nuper. quas hic compendio colligo. 1. clerici violantes per actũ ordini sacro annexum, quia illum exercent in loco interdicto, vel quia ipsimet personaliter aut generaliter interdicti sunt, incurrunt irregularitatem. 2. clericus, vel religiosus violans interdictum locale, inhabilis redditur ad electionem tum actiuam, tum passiuam. 3. Religiosi violantes interdictum generale loci, quod ab Ecclesia matrice obseruatur, vltra pœnas illas excommunicantur.

Laicis violantibus interdictum, nulla est iure ipso imposita pœna, præterquam in quibusdam casibus Clem. 2. *grauis de sententi. excom.* contra nobiles & dominos, qui vel cogunt diuina celebrare in loco interdicto, vel per præcones conuocant populum ad illa tunc ibi audienda, aut impediunt ne nominatim excommunicati, aut interdicti, exeant è sacro vbi moniti fuerint. de quibus omnibus diximus nuper. Vide latè disputantem Ferdin. à Castro disp. 3. de censu. punc. 26. 2. n. 23.

Interpretationes & glossa 1. Clem. *exiui de paradiso. de verbo signif.* glossantes dicuntur excommunicari: Quod non solidè probatur, & deinde per constitutionem Ioann. XXII. sublatum fuit.

2. Cap. *exiit qui seminat. de verbo. signif.* eadem constitutio glossari animo impugnandi prohibetur sub pœna excommunicationis. Deinde Ioann. XXII. eam prohibitionem sustulit in extrau. *quia nunquam de verbo signific.*

3 Paul. V. constit. 51. *facultatem.* Interpretantes facultates à sede Apostolica concessas ingrediendi sæpiùs claustra monialium, contra declarationem ibi appositam subiicit omnibus pœnis à Conc. Tridentino, & constitutionibus apostolicis contra violãtes clausuram monialium latis. Hæc porrò interpretatio debet esse practica, & non solum speculatiua opere subsequuto, vti monet Thesaur. 2. p. praxis. ✠. interpretationes. n. 3.

4. Pius IV. constitut. 73. *Benedictus Deus* excommunicat, alijsq; pœnis afficit Tridentini concilij glossatores, quocunq; prætextu id faciant. quæ tamen editio glossarum, annotationum, & scholiorum fieri debet ex proposito, & nõ tantùm incidenter & in ordine ad aliquam materiam tractandam, aut confirmandam: quod monent Suar. disp. 23. sect. 7. n. 42. Bonac. disp. 2. de censur. in particul. q. 2. par. 17. nu. 2. & Ferdinand. disp. 3. punc. 37. nu. 16. Sixtus tamen V. constitu. 74. *immensa.* congregationi Cardinalium fecit facultatem interpretandi Tridentini decreta circa mores, consulto summo Pontifice.

Intrusio in beneficium ✠. verbo beneficium. & ✠. gratia.

Iudex iudicium. 1. Iudices, & administratores sæcularium dignitatum, si ter moniti ab Episcopis, seu Ecclesiasticis viris, nempe iurisdictionem habentibus non obediuerint, *omni communione priuantur* à Ioann. VIII. c. *administratores* 23. q. 5. quam excommunicationem esse ipso iure latam agnoscit glossa ibid. ✠. *priuantur.* Barbosa de potestate Episcopo. allegat. 50. n. 170. Sayr lib. 3. cap. 34. num. 1. at verò Tolet. lib. 1. cap. 37. n. 1. Suar. disput. 23. sect. 2. num. 8. negant hanc excommunicationem esse in vsu, neque satis constare excommunicationem significari illis verbis *communione priuantur*: quod & nos hoc ipso opere monuimus. verum quidquid sit de ea controuersia requiretur trina monitio, eaque distincta ad eiusmodi excommunicationem incurrendam.

2. c. *clericis, ne clerici, vel monachi,* Alexand. III. prohibet ne quis sacerdos officiũ habeat vicecomitis, aut vicepræpositi sæcularis, alioqui si commonitus emendare se noluerit, excõmunicationi subiaceat; quam excommunicationem esse latæ sententiæ docent gloss. ibid. Caietan. ✠. excommunicatio cap. 76. Nau. cap. 27. numer. 117. Suar. disp. 23. sect. 3. n. 22. Sayr lib. 3. cap. 32. num. 6. Filluci. trac. 14. cap 7. quæst. 4. numer. 106. Bonac. disp. 2. quæst. 4. p. 5. num. 7. Ferdinand. disp. 3. punc. 32. numer. 3. contra Silu. ✠. excommun. 9 numer. 28. & alios apud Suar. l. cit. quia verbum *subiaceat* est imperatiuum, & indicat ipsa lege pœnam ferri: solos tamen sacerdotes comprehendit, & non alios clericos etiam sacris initiatos: quod Caietan. Sayr, Suar. Bonac. Filuci. Ferdinand. adducti docent. contra Panorm. in cap. citatum *clericis.* numer. 8. Angel. ✠. excommunicatio 7. casu. 18. Sylu. ✠. eod. 9. num. 88. Tabien. ✠. eod. 5. casu 24. quia licet nomen sacerdotis ad clericos in sacris constitutos aliquando extendatur in iure; id tamen nunquam fit, nisi aut exprimatur, aut ex subiecta materia necessariò colligatur, vt in cap. 2. de cohabitat. clericn. & mulier. (quod adducunt aduersarij) sic enim loquitur. *si quis sacerdotum, id est presbyter, diaconus, vel subdiaconus.* & in cap. 1. 15. q. 2. quem initio Stephanus Papa diaconum appellauit, in fine sacerdotem nominat. at verò in cap. *clericis*, de quo agimus non modo nihil est, quod nos cogat nomine sacerdotis significatos fuisse ab Alexandro clericos omnes sacris initiatos, sed etiam ex ipso textu contrarium omnino colligimus. duo enim constituit

constituit hoc loco Alexand. vnum ne clerici in sacris constituti iudicium sanguinis agitent. Alterum ne sacerdotes vicecomitis, & vicepræpositi sæcularis officia gerant: sanè si vtrumque istud omnibus clericis sacris initiatis prohibuisset, non vsus fuisset loquendi modo, & cùm aliunde lex ista sit pœnalis, quamuis Ecclesiæ sanctitati faueat, non debent ampliari, aut impropriari verba, vt sæpius monuimus, non incidunt autem isti in hanc excommunicationem, nisi moniti, non se emendauerint.

Hinc colligunt Nauarr. cap. 27. n. 117. Sayr. lib. 3. cap. 32. Bonac. disp. 2. de censur. in particul. quæst. 4. punc. 5. sequuti Panorm. in cap. *clericis. num.* 10. sacerdotes, & multò magis Episcopos grauiter peccare, si absque licentia Pontificis, munus vicecomitis, proregis, gubernatoris, vel præsidis prouinciæ, & Cancellarij gerāt, eo quod (cap. citato.) id illis interminata excommunicatione prohibeat Alexand. III. quod si aliud fiat in Hispania, id præsumunt fieri ex tacito consensu Pontificis, Henriq. lib. 14. cap. 5. num. 5. lit. q. Sayr. & Bonac. citati. Nobis certum est ab ipso ferè nascente imperio gallicano Reges Christianissimos, eam religioni, & Ecclesiæ venerationem detulisse, vt sanctissimos Pontifices in suum consilium adlegerent, & ad reipublicæ clauum sæpius sedere vellent, neque vllus id vnquam arguit, sed eximiam religiosissimorum principum pietatem commendauit.

3. Iudices conseruatores, qui limites suæ Iurisdictionis excedunt. Bonifac. VIII. c. *hac constitutione de officio Legati in 6.* suspendit per annum ab officio, nempe conseruatoris, quæ restrictio saltem nouo iure Gregorii XV. constitut. *sanctissimus in Christo pater.* quam integram refert Barbosa de potestat. allegat. 106. n. 55. hanc etiam pœnam non incurrunt conseruatores Episcopi, cùm in ea non fuerint nominatim expressi, ex regula generali alibi explicata, & tradita, cap. *quia periculosum.* de *sentent. excommunic. in 6.* excedunt porrò isti conseruatores limites sibi præscriptos, quoties immiscent se aliis, quàm manifestis iniuriis, ac violentiis repellendis, aut præcauendis. Pars autem quæ eiusmodi sententiam à conseruatore procurauerit, excommunicatur, absolui tamen poterit à quolibet confessario vbi parti satisfecerit.

4. Bonifacius VIII. cap. *mulieres de iudiciis in 6.* excommunicat omnes, qui fictione, vel fraude faciunt, vt Iudex veniat in domum mulieris, pro excipiendo eius testimonio, quamuis autem Iudex conscius sit istius fictionis, sed non illius causa venerit, verius est, illam non teneri hac excommunicatione; quia solus fictor, vel fraudator illi subiiciuntur à Bonifac. debuit verò opus esse positum, siue Iudex accessisse ad domum mulieris, vt sit locus huic excommunicationi. Vide Ferdin. disp. 3. de censur. punc. 33. n. 8. & disp. 4. punc. 10. §. 2. n. 9. qui alios dabit, atque Monetam de conseruatorib.

5. Iudices, vel domini temporales, qui præcipiunt suis subiectis, ne prælatis, clericis, aut personis Ecclesiasticis quidquam vendant, aut ab eis emant, bladum molant, panem coquant, aliaue communia obsequia præstent, excommunicantur cap. *vlt. de immunit. Eccles. in* 6. si hanc prohibitionem facerent per modum statuti, inciderent in excommunicationem bullæ Cœnæ capite 15. debent quoque hæc præcipere suis subditis, nam si aliis id iubeant, non percelluntur hac censura.

6. Innoc. IV. cap. *cum æterni.* 1. *de sentent. & re iudic. in* 6. Iudices Ecclesiasticos siue ordinarios, siue delegatos, qui contra conscientiam, & iustitiam in grauamen alterius partis aliquid fecerint per gratiam, vel sordes, suspendit per annum à die commissi criminis, ab omni executione officij, tum iurisdictionis tum ordinis: quare si durante suspensione se se damnabiliter diuinis ingesserint, fiunt irregulares: quod tradunt Nau. cap. 27. n. 157. Sayr. lib. 4. cap. 13. n. 3. Suar. disp. 31. sect. 3. n. 16. Bonac. disp. 3. quæst. 5. punc. 3. num. 8. Ferdinand. disp. 4. punc. 10. §. 2. num. 10. quibus præiuerat Geminian. in illud cap. *cum æterni.* ad hanc porrò suspensionem, requiritur vt grauamen, & iniustum sit, & simul contra conscientiam, quia illa duo non semper, & necessariò coniunguntur: nam Iudex iustam sententiam proferre potest ex odio, quo casu aget contra conscientiam, non contra iustitiam; si autem ex ignorantia probabili iniustè iudicet, aget contra iustitiam, & non contra conscientiam. 2. debet Iudex agere per gratiam, aut sordes. 3. hoc grauamen inferri debet in iudicio, & vi iudicij. 4. debet esse Iudex, non arbitrator tantùm, aut executor iudicij.

Iuramentum. Nicola. III. cap. 1. de iure iurand. in 6. damnat statuta, quibus canonici, prælati, officiales iubentur iurare obseruationem consuetudinum, & statutorum illarum vniuersitatum, & Ecclesiarum, intelligendo etiam de illicitis, & impossibilibus, quàm Nicolai constitutionem: ita confirmant Gregor. XIII. an. 1584. sua constitut. 93. *inter Apostolicos,* vt extendat id iuramenta contraria obseruationi decretorum Tridentini Concilij, & prætereà exigentes talia iuramenta illicita, & impossibilia, vel contraria iuribus Ecclesiasticis, si Episcopi sint, suspendit à diuinis; vniuersitates, earumque Ecclesias, & loca laicalia interdicit; personas singulares inferiores Episcopis excommunicat, & inhabilitat ad omnia officia, & beneficia obtinenda, horumque omnium absolutionem, & dispensationem sibi reseruat.

Iurisdictio 1. Sæpiùs variæ censuræ latæ sunt aduersus eos, qui causas à Iudicibus Ecclesiasticis auocant, & illorum iurisdictionem impediunt, aut turbant: nam in cap. *quoniam de immunit. Eccles. in* 6. excommunicantur qui in causis ad forum Ecclesiasticum impediunt directè, vel indirectè, ne litteræ Apostolicæ impetrentur, & litigetur corā Iudice Ecclesiastico; quique ea in re cōsilium, auxilium, & fauorem præstāt, neq; absolui possunt donec Iudici Ecclesiastico, & parti læsæ condignè satisfecerint.

2. Cap. *quicumque de sentent. excomm. in* 6. excommunicantur qui offendunt, vel offendendi licentiam faciunt, eos qui vel sententiam excommunicationis, au suspensionis tulerunt, vel quorum occasione eiusmodi censuræ latæ sunt, de qua excommunicatione diximus ✠. censura.

3. Cap. *vnico de his quæ vi, metusue causa fiunt in 6.* excommunicantur qui absolutionem alicuius censuræ à Iudicibus vi extorquent, de qua diximus ✠. absolutio. n. 9.

4. In bulla Cœnæ. cap. 14. excommunicantur omnes, & singuli, qui propria auctoritate, & facto causas spirituales, vel spiritualibus connexas à Iudicibus Ecclesiasticis auocant, vel eorum cursum, & litterarum Apostolicarum executionem impediunt, quarumcumque exemptionum, & litterarum Apostolicarum prætextu, quique ad id, consilium, auxilium, & fauorem præstiterint. Hæc igitur hoc canone prohibentur 1. auocare causas à Iudicibus

Iudicibus Ecclesiasticis, coram quibus pendent, & ad se trahere. 1. citando partes vt coram se compareant, aut causam prosequantur. 2. inhibendo iudicibus, corā quibus cœptæ erant, ne vlterius prosequantur. 3. inhibendo partibus ne amplius litigent.

2. Impedire earundem causarum cursum, & audientiam, atq; personas, capitula, conuentus, causas illas prosequi volentes, quod ita interpretantur Alter. li. 5. disp. 15. c. 2. & Bonac. disp. 1. q. 15. punc. 1. n. 14. vt velint hunc impedientem se interponere tanquam iudicem in illarum causarum cognitione, alioquin non fore locum excommunicationi, quod tamen necesse esse negat Ferdin. à Castro disp. 3. punc. 15. nu. 4. 4. interponere se tanquam iudicem in eis causis. 5. compellere partes actrices, quæ committi fecerunt eiusmodi causas, ad reuocandum aut reuocare faciendum literas in eis decretas. 6. compellere per statutum, aliaue ratione partes, ad curandam absolutionem à censuris, & pœnis latis in aduersarios, aut alios. vox autem compellendi, vim quandam significat denique in eis omnibus consilium, auxilium fauoremue præstare.

Debent verò hæc omnia, vt sint materia istius excommunicationis, fieri ex munere, authoritate, & officio publico, & non priuata duntaxat authoritate. ita enim euidenter colligitur ex ipso contextu à Sayr lib. 3. cap. 18. numer. 6. Suar. disp. 21. sect. 2. num. 75. Reginald. lib. 9. n. 335. Bonac. Duard. & Ferdinand in illum canonem bullæ.

Deinde oportet hanc auocationem, impeditionem, compulsionem, cæteraque eiusmodi actiones prætereas, fieri auctoritate laica, à quocunque iudice siue laico, siue Ecclesiastico fiant, quia Libertas Ecclesiastica, quam vnam integram volunt sua constitutione Pontifices, non offenditur quando hæc omnia fiunt authoritate Ecclesiastica. esto tunc offendatur sedes apostolica, vti argumentantur Nauarr. c. 27. n. 70. Suar. s. 2. citata. n. 76. Alteri lib. 5. disp. 15. c. 1. & qui Duard. Bonac. & alios dabit Ferdinand. punc. 15. citato. n. 6. 3. Suar. disp. 21. s. 2. n. 75. vult has actiones fieri à potestate laica, prætextu exemptionum, gratiarum, & priuilegiorum sedis Apostolicæ, quia id videtur exigere cōtinuatæ orationis pontificiæ filium; negant tamē Reginald. n. 336. & Alteri. disp. 15. c. . . se dinand. n. 7. id esse necesse & quocunq; animo, ac p ætextu fiant, incurri excommunicationem. quia in textu illi solùm eximuntur à censura, qui illas actiones præstant animo expresso supplicādi sedem apostolicam, & supplicationem corā illa prosequendi. ergo quocunque alio animo aliquis ea faciat, censuram incurret, etiam prætextu prohibendæ violentiæ, vt ibidē dicitur. 4. hoc canone prohibetur sola auocatio, & impeditio causarum pendentium corā iudice Apostolico, non autem corā iudice quocūq; Ecclesiastico: ita Alteri c. 1. citato. Ferdinand. nu. 8. Vgolin in illo canon. bullæ. contra Filluci. in eiusmodi . . . q. 7. n. 1. & Filuci. trac. 16 c. 10. num. 150. nam hic canon coincideret alioquin cum sequentibus, & superfluus foret. 5. causæ, quæ auocantur, aut impediuntur, debent esse vel spirituales, vel spiritualibus annexæ: aliæ enim quæcunque auocabuntur, aut impedientur impunè. Sexto denique necessarium est, vt nulla sit iusta ratio, propter quam iudex Laicus valeat absque culpa auocare istas causas à iudicibus Ecclesiasticis, eatumque cursum impedire, vel morari, vel omninò abrumpere. Quanam verò existant illæ causæ longioris, & implicatioris controuersiæ est, quam vt hoc loco possit definiri: alibi commodior se se dabit occasio, interim adi Ferdinand. à Castro Palao tract. 12. punc. 6. & 7. & disp. 3. de censur. punc. 15. num. 9.

6. Cap. 15. bullæ cœnæ excommunicantur trahentes vel trahi procurantes ad laicum tribunal personas Ecclesiasticas, præter iuris ordinem. Deinde condentes statuta, ordinationes, & decreta quibus læditur, aut diminuitur libertas Ecclesiastica, & denique eiusmodi decretis vtentes cum præiudicio iurium sedis Apostolicæ cæterarumve Ecclesiarum, quod postremum de condendis statutis libertati Ecclesiasticæ contrariis, damnatum quoque est excommunicatione cap. *nouerit de sentent. excommunic.* De his omnibus consule huius canonis bullæ commentatores.

7. Cap. 16. eiusdem bullæ cœnæ, excommunicantur qui quacumque ratione impediunt, ne Prælati, & iudices Ecclesiastici sua iurisdictione vtantur secundùm dispositionem canonum & maximè Tridentini Concilij. Quæ excommunicatio cum lata sit in defensionem iurisdictionis Ecclesiasticæ, eius violatio continebit sacrilegium. Quod idem, de proxima superiori prohibitione iam explicata, dicendum est. Ita Caietan. ✠. excommunic. c. 29. Sayr. lib. 3. cap. 20. n. 1. & alij expositores. Duo verò puniuntur hoc canone 1. impedire ne ordinarij sua iurisdictione vtantur. 2. recurrere ad sæculare tribunal, pro illius iurisdictionis vsus reuocatione. debet autem hoc impedimentum poni authoritate publica, & non solùm priuata. Nauarr. cap. 27. n. 69. & 70. Filluc. Suar. Bonac. Ferdinand. aliique in hunc canon. contra Vgolin. ibid. Alteri. lib. 5. disp. 17. c. 1. deinde debet impediri vsus iurisdictionis Ecclesiasticæ, non verò laicæ, & sæcularis, qua nonnunquam gaudet Ecclesia. 3. impediendus est vsus iurisdictionis ordinariæ, & non delegatæ. quia ibi dicitur, *impedientes ordinarios ne sua iurisdictione vtantur*, nomine tamen iurisdictionis ordinariæ intelligenda etiam est, quam Episcopis concessit Tridentinum tanquam sedis Apostolicæ Legatis, in quibusdam casibus: cum enim in perpetuum concessa sit ob dignitatē muneris Ordinarij induit naturam iurisdictionis ordinariæ: quod pluribus tradit Sanch. lib. 2. de matri. disp. 40. n. 14. & obseruant in hunc bullæ canonem Sayr. Suar. Filluc. Duard. Alteri. Ferdinand. Bonac. 4. ea iurisdictio ordinaria, quæ impeditur, debet esse secundum quod canones, sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, decreta conciliorum, maxime Tridentini statuunt: ita enim habetur in eo canone. Quare si ea iurisdictio competeret tantùm ordinariis ex consuetudine, aut constitutione Synodali, à generali Concilio non approbata non defenderetur hoc canone, quia nomine canonis, & cōstitutionis sacræ, intelliguntur solùm leges à Pontifice, aut concilio vniuersali latæ.

Quod attinet ad recursum ad tribunalia sæcularia, ille solùm prohibetur post sententias ab ordinariis latas, nam recursus ante sententiam eius timore, & auertendæ causa, neque punitur, neque prohibetur eo canone, qui disertè habet *post sententiam* neque nudus tantùm recursus ad tribunal sæculare, plectitur excommunicatione, nisi obtineatur inhibitio, seu mandatum contra iudices ordinarios Ecclesiasticos, illudque mandetur executioni, quod aliis allatis ostendit Ferdin. in hunc canonem, nempe disp. 3. punc. 17. n. 10. multo minùs autem punietur recursus ad curiam sæcularem pro ob-

tinenda confirmatione, aut executione sententiæ vel decreti iudicis Ecclesiastici, cum eo tecursu non lædatur, sed iuuetur, fortiorque reddatur iurisdictio Ecclesiastica.

8. can. 19. bullæ cœnæ, excommunicantur iudices sæculares, qui in causis capitalibus, & criminalibus clericorum se quomodolibet interponunt, potestate videlicet laica, non ecclesiastica: intendit enim Pontifex personas ecclesiasticas à laica. Potestate vindicare: quo passim obseruant expositores huius canonis. Modus autem, quo iudex laicus violat canonem, ibid. exprimitur, *procedendo, banniendo, capiendo, sententias proferendo, vel exequendo*: quare iudex clericum verbaliter citans, & ad suum adducens tribunal, ibique illum de crimine verbaliter examinans, quamuis incidat in censuram canonis nuper allatam, non tamen in istam, quia ea citatio, & examinatio non constituit processum, capturam, vel sententiam, quæ hoc tantum canone vetantur, vti Ferdinand. punc. 20. num. 4. disp. 3. cum aliis argumentatur, vbi & singulas eas actiones explicat, & de casibus, in quibus censetur à Pontifice concessa facultas Laicis, quidpiam horum faciendi, paucis agit, & fusiùs tract. 12. disp. vnic. punc. 6.

9. Canone 20. bullæ cœnæ. Excommunicantur qui supremam iurisdictionem Ecclesiæ Romanæ in quasdam ditiones competentem vsurpant, impediunt, aut perturbant: quod etiamsi fiat fide vacante damnari ostendit Ferdinand. disp. 3. punc. 21. vbi & hunc canonem fusiùs explicat.

10. Cap. *Inolita* 11. q. 1. & cap. *si diligenti. De foro competenti.* Clerici qui alios clericos relicto suo Pontifice, ad iudicia publica, id est laica traxerint, causam iubentur perdere, & à communione haberi extranei quod decretum confirmauit, & innouauit, ampliauitque Martin. V. constitut. 10. ad *reprimendas.* §. 3. vide Sanch. lib. 6. consil. cap. 1. dub. 1. n. 13. & dub. 6. num. 3. & Thesaur. 2. par. praxis ✠. curia. cap. 8.

L

Legatus. extrau. *vnic. de consuetud.* excommunicantur impedientes legatos sedis Apostolicæ, ne in regna, & prouincias, ad quas missi sunt ingrediantur, ibique liberè suum officium exerceant. Quæ excommunicatio reseruata non est, hac de re consule DD. citatos à Diana 1. p. tract. 2. de immunit. resolut. 67. & alios circa causas, quibus principes adducti recusare possunt eiusmodi legationes, eiusmodi enim controuersias decidere nostrum non est.

Leges. Contra libertatē Ecclesiasticam Leges, & statuta ferentes excommunicantur. c. *nouerit.* 49. *de sentent. excommunic.* & in *c. grauem eod.* & *cano.* 15. *bullæ cœnæ.* De quo nuper ✠. iurisdictio. n. 6.

Libri. 1. Gregorius Magnus c. *quidam maligni* 5. qu. 1. monitorium addidit contra quosdam, qui famosum libellum ediderant aduersus Castorium Notarium, & responsalem Papæ, vt se se prodere tenerentur, ad probanda crimina obiecta, vel retractanda. Interminata alioquin excommunicatione Alexand. IV. constitutione *ex alto.* excommunicat eos qui libellos famosos scribunt & cantilenas in infamiam ordinis Prædicatorum, & Minorum: quam excommunicationem sibi reseruauit. Caietan. ✠. excommunicatio. cap. 81. §. 3. Silu. ✠. eod 8. §. 48. Sayr. in claui l. 1. 2. c. 4. n. 3. quo priuilegio gaudent & alij plures religiosi per communicationem, vti monent Sayr. l. c. Filuci. tract. 15. n. 126. Bonac. de restitut. d. 2. q. 4. punc. 9. n. 9. qui alios dabit. debent verò hi libelli infamare non vnum aliquem religiosum singularem, sed ipsummet ordinem.

2. Libros hæreticorum hæresim tractantes sine Pontificis venia legens, retinens, imprimens, excommunicatur cano. 1. bullæ cœnæ. De qua etiam re extat constitutio Pij IV. 77. *Dominici.* de qua Becan. tract. de fide. cap. 15. q. 8. n. 4. & 5. est & alia eiusdem constitutio 82. *cum inter.* qua ferit legentes, retinentesque libros Catholicorum, quibus aliqua hæresis inspersa est, donec expurgati fuerint: sed hi libri iam debent esse prohibiti, vel notati, vt docet Suar. disp. 20. de fide sect. 2. n. 19. vide Filluc. tract. ib. num. 42.

3. Leo X. in Conc. Lateran. sessio. 10. decreto 3. & constitutione sua 12. *inter sollicitudines.* imprimentes, aut imprimi facientes libros sine approbatione, & licentia superiorum, ad quos pertinent, excōmunicatione & aliis grauibus pœnis damnat, quæ pœnæ postulant sententiam declaratoriam, excommunicatio non est reseruata. De ea constitutione vide Azori. 1. pa. lib. 8. c. 17. q. 2. initio quidē recepta non fuit: quod testantur Nauarr. c. 27. n. 3. & 148. Suar. dis. 23. de cens. sect. 7. fuit tamen renocata à Trident. sess. 10. de editione librorum, & regula 10. indicis lib. prohibito. Denique Vrban. VIII. constitut. 50. *Sanctissimus.* iis qui degunt in statu ecclesiæ prohibet libros à se compositos, aliò imprimendos mittere, aut deferre audentes, absque licentia magistri Palatij sacri, & Cardinalis vicarij, si Romæ sit, aut si alibi, ordinarij locorum, & inquisitoris, sub grauibus pœnis.

4. Libros manuscriptos vulgantes, & publicātes, aut antequàm probati & examinati fuerint, in easdem pœnas, & excōmunicationē incurrunt, atque si illos imprimeret absque approbatione, & licētia ex regula 10. indicis. vide Suar. & Filluc. locis citatis.

5. Libros etiam de rebus sacris sine nomine authoris, aut approbatione, & examine imprimentes, incidunt in excommunicationem latam à Concilio Lateran. ex decreto Tridentini de editione librorum sess. 4. vbi præterea requirit, vt regularium libri, præter approbationem ordinarij, licentiam suorum superiorum regularium habere debeāt. Hæc excommunicatio reseruata non est. Toler. lib. 1. cap. 41. Suar. disp. 23. de censur. sect. 7.

6. Edentes, & imprimentes libros impij Thalmud excommunicantur à Clem. VIII. constitut. 20. *cum Hebræorū malitia.* & à Iulio III. constitut. *cum sicut* suspenduntur, siue potiùs prohibentur ab ingressu Ecclesiæ Episcopi, qui Thalmud permittunt, & non comburunt.

7. Idem Clemens breui edito Maij 1602. de impressione breuiarij, eius impressionem, nisi cum ordinariorum licentia, & aliis cōnditionibus, sub pœna excommunicationis prohibuit.

Limina Apostolorum Episcopi olim adire tenebātur, alioquin pœnis arbitrariis puniebantur. c. *iuxta sanctorum* 93. dist. immò ante suam cōsecrationem, iurabant se limina visitaturos, cap. *Ego. de iureiurādo.* quare Sixtus V. constitut. 15. *Romanus Pontifex.* Episcopos qui nō visitauerint hæc limina tempore præscripto, & iuxta ibidem traditam formam interdicit ab ingressu Ecclesiæ, suspendit ab omni administratione, & priuat perceptione fructuū. vide Sayr. l. 4. c. 13. n. 53. Barbos. allegat. 113. de potestate Episcopi, Ferdinand. disp. 4. de censu. punc. 10. § 5. n. 15.

2. Episcopi Roman. siue ad limina Apostolorum latenter venientes, indeque absque Pontificis obtenta licentia recedentes, excommunicantur: quæ excommunicatio etiam ad eos, qui eiusmodi

modi Episcopos ita accedentes, aut recedentes receperint. Extrau. *vt prælatorum* 2. & extrau. 3. *etsi deceat. de minorit. & obedient.* dicuntur latenter venire, quandò sine licentia Metropolitani, aut eo absente antiquioris Episcopi veniunt. ex Trid. sess. 23. c. 2. de reformat. debent etiam accedere ad curiam prauo aliquo animo, vt constat ex extrau. 3. citata. & denique recedere sine licentia, nam si aliquod trium istorum desit, non incidunt in excommunicationem istam: ita Bonac. disp. 2. de censur. in particul. quæst. 6. punc. 4. n. 3. & Ferdin. disp. 3. punc. 35. n. 3. qui etiam obseruant receptantes istos Episcopos, vitare hanc excommunicationem, si moneant Pontificem antequam illos recipiant, si sciant, illos latenter venire, si enim id ignorent, satis fuerit monere vbi id enim resciuerint.

Ludus 1. clerici exercentes officium Parasiti, mimi, aut histrionis per annum, aut etiam breuiori tempore, si ter moniti non resipiscant, priuantur omni clericali priuilegio, quod tamen vbi se emendauerint, poterunt per Episcopi dispensationem, recuperare. cap. *vnic de vita, & honest. clerico. in* 6. vide Sanch. consilio. lib. 1. cap. 8. dub 33. nu. 5. & quos ibidem allegat.

2. Ludum agitationis taurorum, aliarumue ferarum ita prohibuit Pius V. Kalen. nou. an. 1567. edita constitutione *de salute gregis* vt Principes, & Dominos, etiã Regali, vel imperiali dignitate fulgentes, qui eiusmodi agitationem permiserint, anathemate, & excommunicatione ipso iure incurrenda percusserit. milites quoque, aliosque qui cum feris fuerint cõgressi, eadem pœna, atq; si in conflictu decesserint priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ plectit, & denique clericos siue regulares, siue sæculares beneficia obtinentes, vel in sacris constitutos, sub eadem pœna excommunicationis, eiusmodi spectaculis interesse vetuit; atq; iuramenta, obligationes, & vota, quæ prætextu colendi sanctos, circa hanc agitationem contracta, nulla, & irrita esse voluit, hanc constitutionem fusiùs examinat Gutierr. lib. 1. qq. canonic. cap. 7. eam deinde Gregori. XIII. temperauit 25. Aug. 1575. ne valeat in laicis, & equitibus ordinum militarium, modo non hat agitatio diebus festis, & prouisum sit aduersus omnia pericula. Sixtus V. an 1586. decretum edidit aduersus DD. Salmanticenses, qui & ipsi interant illis spectaculis, & docebant clericos in sacris constitutos, illis impunè interesse: quod decretum refert Gutier. citato. cap. 7. citato. num. 36. tandem Clemen. VIII. die 23. Iunij an 1596. ad instantiam Philippi II. omnes pœnas in constitutionibus Pij V. & Grego. XIII. latas sustulit in regnis Hispaniarum, & omnia reducit ad terminos iuris communis. monachis tamen, mendicantibus, & cuiuscunque ordinis regularibus assistentiã prohibet, & ne festiuis diebus fiant ea spectacula, atque caueantur quantum fieri potest omnia pericula. Circa hæc igitur spectacula.

Certum 1. est, illa ex natura sua, licita esse, modo ea diligentia, quæ necessaria est ad vitanda pericula, adhibeatur, alioquin neque Gregori. neque Clemens illa cum quibusdam conditionibus permitterent: ita Gutier. capite septimo citato. numer. nono, Nauarr. cap. 15. numer. 18. Rodriq. tomo 3. qq. regul. quæst. 68. art. primo Villalob. 2. p. trac. duodecimo diffic. 20. numer. sexto & Ferdin. à Castro disp. 3. de censur. punc. 37. nu. 21.

2. Edere ea spectacula festis diebus, peccatum mortale est, quia illud prohibuit magistratibus Pius V. sub excommunicationis pœna. cui constitutioni ea in parte neque Gregori. neque Clemens derogarunt, sed potiùs eam confirmarunt, vti aduertunt laudati DD. nomine festi intelligitur tum illud, quod ex iure communi, tum illud quod ex voto loci, aut consuetudine publicè celebratur: quod monent Villalob. & Ferdinand. neque placet, hanc agitationem remotis omnibus periculis quibus prouisum est, licitam esse diebus festis, eo quod non vetetur ea agitatio, nisi propter illa pericula. qua ratione communem sententiam temperant Nau. cap. 15. num. 19. Lopez in instructo. 1. p. cap. 70. & Bonac. disp. 2. de censur. in particula, q. 4. punc. 7. nu. 12. non placet, inquam, quia vti sapienter argumentantur Gutier. & Ferdinand. Gregori. & Clem. non permittunt eam agitationem nisi remotis omnibus periculis, & tamen diebus festis illicitam esse volunt, quod totum intelligendum est de agitatione, quæ fit in foro, aut circo, quo clauduntur feræ, alioquin per plateas, aut in agris, maximè si tauri sint pedes, & cornua ligati impunè agitantur, vt ijdem DD. fatentur.

3. Cum Clem. non derogauerit constitutionibus Gregorij, & Pij, nisi quoad Hispanias, in cæteris locis vim suam obtinebunt, si inibi receptæ, & promulgatæ fuerint. Ea præsentia, quæ prohibetur clericis, debet esse ex proposito, & non tantum ex aliquo occursu, aut in transitu, aut è longinquo, ita vt moraliter non possit quis dici ex communi omnium sensu interesse illi spectaculo; secùs si clericus mutato habitu, aut oppanso alicui fenestræ tenuiori velo adesset: quia licet ea assistentia non videatur probrosa statui clericali, cum ignoretur, assistentia tamen & præsentia vera est, illaq; absolutè prohibetur à Pontifice. quinam verò clerici prohibeantur assistere, & an omnes religiosi etiam non initiati sacris consule DD. allatos.

4. Qui in ludo torneamentorum ceciderit, etiãsi ei non denegetur viaticum, & absolutio, priuatur tamen Ecclesiastica sepultura. ab Alexandro III. in c. 1. & 2. *de torneam.* vide de his Barbosam in collectaneis ad illud c. Azor. 3. p. lib. 2. c. 15. & Sanch. lib. 1. consilio. c. 8. dub. 34.

M.

Matrimonium. 1. Religiosi, qui absque Parrochi licentia, matrimonia solemnizare præsumunt, excõmunicantur, à sola sede appostolica absoluendi, & ab ordinarijs publicandi sunt tanquam excommunicati. donec ipsis de eorum absolutione certa fides facta fuerit, neque vllum exemptionis priuilegium ipsis suffragatur. Clem. 1. *de priuileg.* solemnizare porrò matrimonium, est benedictionem nuptialem impendere, quia illa sola matrimonium solemne constituit. Itaque sola assistentia contrahendis nuptijs nõ prohibetur hac Clem. vt ait ibidem glossa. *v. solemnizare* Sayr. lib. 3. c. 29. n. 32. Bonac. disp. 2. de censu. in particul. q. 9. punc. 5. n. 13. & Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 25. n. 10. contra Barbosam de potestate Episcop. Allegat. 50. numer. 99. de licentia porrò Parrochi, & quomodo habenda sit vide Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 20. & sequ.

2. Parrochus, aliusue sacerdos regularis, aut sæcularis, qui alterius Parrochi sponsos, sine ipsius licentia

centia matrimonio iungere, vel benedicere fuerit ausus, suspenditur, donec ab ordinario illius Parochi, qui matrimonio assistere debebat, vel sponsos benedicere, absoluatur. ita Tridentin. sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim. edicit. quæ suspensione excommunicationem, de qua diximus n. superiori latam in Clem. 1. de priuilegiis sublatam esse existimant Henriq. lib. 13. cap. 39. n. 5. Sayr. lib. 4. cap. 15. n. 10. Fillnc. tract. 17. n. 102. Rebell. 2. p. lib. 4. sect. 2. n. 83. Bonac. disp. 3. q. 3. punc. 5. o. 6. ne vnum delictum duplici pœna puniatur, & quia pœna noua lege apposita alicui delicto, corrigit grauiorem iure antiquo latam ex communi DD. vti refert Sanch. lib. 3. de matrimo. disp. 48. n. 8. cum tamen hæ pœnæ ipso iure infligantur, & simul incompatibiles non sint, possitque vnum, & idem crimen pluribus pœnis inæqualibus puniri, nulla est ratio, quæ cogat nos asserere Tridentini decretum tollere pœnam impositam in clementina itaque docent Roderiq. tom. 1. sum. c. 219. n. 14. Ferdinand. disp. 4. cap. punc. 10. §. 2. n. 2. Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 48. n. 8. vbi aduertit vulgare dictum de noua pœna mitiori corrigente grauiorem, intelligendum esse de pœnis à iudice infligendis, quia vnica actione illas infligit, quæ verò à iure diuersis legibus infliguntur, aliam habent rationem.

3. Cap. *cum inhibitio, de cland. desponsat. impub.* suspenditur per triennium sacerdos siue sæcularis, siue regularis matrimonia clandestina non prohibens, aut illis assistens: quam suspensionem non esse ipso iure latam, sed ferendam, docent Couarr. in 4. decretal. 2. p. cap. 6. n. 13. Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 48. n. 6. Fillue. tract. 17. cap. 15. n. 102. Bonac. disp. 3. q. 3. punc. 5. n. 9. Ferdinand. disp. 4. punc. 1 n. §. 2. n. 3. contra Sayr. lib. 4. c. 15. n. 8. & Henriq. lib. 15. cap. 59. n. 3.

4. Suspenditur clericus secundas nuptias benedicens. cap. 1. *de secundis nuptiis.* quam suspensionem esse tantùm ferendæ sententiæ aduertit ibid. gloss. Couarr. in 4. decretal. 2. p. cap. 8. §. 11. n. 2. Henriq. lib. 13. cap. 39. n. 3. Sanch. lib. 7. disp. 81. n. 27. Sayr. lib. 4. c. 15. n. 4. Fillue. trac. 17. n. 105. Bonac. punc. 5. citato. n. 5. & Ferdin. §. citato. n. 4.

5. Raptores fœminarum, eisque auxilium, vel fauorem præstantes, excommunicantur à Trident. sess. 24. cap. 6 de reformat. quæ excommunicatio reseruata non est. de illa tract de matrim. vbi de impedim. raptus.

6. Eadem sess. cap. 1. excommunicantur qui dixerint clandestina matrimonia non esse vera, quandiù ea Ecclesia non irritat, aut parentes facere valida, aut nulla pro arbitrio liberorum matrimonia. de quo textu longæ lites alibi excutiendæ.

7. Similis excommunicatio fertur c. 9. illius sess. 24. aduersus eos, qui suos subditos, aut alios directè, vel indirectè cogunt ad matrimonium contrahendum: quæ coactio illicita, & iniusta esse debet. nam si quis v. g. recusaret Caio gratiam aliquam omninò ipsi indebitam, nisi Camillam duceret, non illum cogeret recusando quod ipsi non debet ex meraque liberalitate donabit deinde afficit solùm hæc censura Dominos temporales, & magistratus iurisdictionem temporalem habentes, quia de illis solis loquitur ibi Concilium, vel ostédnot Gutierr. lib. 1. Cano. qq. c. 20. n. 32. & tract. de matrim. cap. 79. n. 8. Molina tracta. 2. de iustit. disp. 176. Henriq. lib. 11. c. 6. §. 6. Sanch. lib. 4. de matrim. disp. 22. Ferdin. à Castro disp. 3. punc. 36. n. 5. Bonac. disp. 2. q. 2. punc. 6. o. 5. vbi alios refert. & tãdem Barbos. in collectaneis ad illud Trident. c. 9. ita declaratum fuisse refert à Gregor. XIII. quod certè ignorarunt, qui contrarium docuerunt Suar. disp. 23. de censu. sect. 7. n. 6. Filluc. trac. 14. n. 86. alijque relati à Sanche disp. 22. citata. n. 9. & sanè non aliud voluit concilium, quam Dominorum, & magistratuum violentiam castigare. quare sapienter monet Ferdin. cum Bonac. ne quidem Episcopum cogentem ad matrimonium huic excommunicationi subiici, nisi simul polleat iurisdictione temporali, contra quam velint Gutierr. Henriq. & Sanch. locis citatis. certum quoque est neque Regem, & Reginam, neque Imperatorem, & Imperatricem hoc decreto contineri, cum eorum nulla fiat expressa mentio, vti fieri omninò oporteret: quod obseruant quoque Gutierr. Sanch. Bonac. & Ferdinand.

8. Excommunicantur contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis affinitatis, & consanguineitatis. Clem. vnic. *de consang. & affinit.* quæ excommunicatio reseruata non est.

9. Eadem excommunicatione in eadem Clem. feriuntur, qui cum monialibus, nempe professis matrimonium contrahunt. deinde moniales, religiosi, atque clerici, in sacris constituti, qui matrimonium ineunt: qui omnes donec separentur, nuntiari publicè iubentur ab Episcopis; neque ante eiusmodi separationem absolui possunt, sed de hac materia fusiùs, vbi de matrimonio, & impedimento voti, atque ordinis.

Medicus. Si non monet infirmum, vt ante omnia confiteatur, tandiù ab ingressu Ecclesiæ arceatur, quandiù competenter satisfecerit. cap. *cum infirmitas de pœnit. & remissio.* quam constitutionem innouauit Pius V. sua constitutione 3. *supra gregem,* vetuitque medicis vltra tres dies visitare infirmum, nisi moniti confessi fuerint, aut illis confessarius tempus confessionis prorogarit, alioquin & pœnas capitis *cum infirmitas* incurrunt, & infames habentur, gradu medicinæ priuantur, & à collegio medicorum eiiciuntur. Vniuersitates neminem ad Doctoratum medicinæ admittant, qui iuramentum de hac seruanda constitutione non emittat, alioquin ius & facultatem Doctorãdi amittant. Hæc constitutio non est intelligenda, nisi in morbis periculosis, aut quos tales euadere posse medicus iudicat, vt notat Barbosa in collectan. ad cap. *cum infirmitas.* & Dian. 2. p. tract. 4. resolut. 93. quin immò si æger obstinatè nolit tunc confiteri, non debet illum deserere medicus, si absque graui eius periculo id facere nequeat: quod docent Suar. de pœnitent. disp. 35. n. 5. sect. 3. Sanch. lib. 3. in decalog. cap. 16. num. 12. communemque esse testatur Scortia in bullas pontific. Theorem. 215. vbi cum Caietan. & Nauarro aduertit, medicum suo muneri satisfacere, si Parrochum, vel alios qui ægroti curam gerunt, monet vt ad confessionem, illum parent, & hortentur.

Mutilatio. Quomodo ex membri mutilatione incurratur irregularitas, fusissimè disputauimus lib. de irregularitate vbi de homicidij irregularitate disputabamus.

Missa. 1. Congregatio Concil. Tridentini, decretum edidit de celebratione Missarum an. 1625. Iunij die 21. quod in bullario est cõstitutio 43. Vrbani VIII. quo inter alia cauetur ne deinceps accipiantur onera perpetua missarũ à sęcularibus, absq; proprij Episcopi licẽtia; à regularibus verò absq; Generalis, vel Prouincialis licẽtia in scriptis, & gratis concedenda

denda, alioquin sæculares interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, regulares verò inhabilitaté ad omnia officia, quibus eo ipso priuantur, sicut & iure omnis vocis actiuæ, atque passiuæ. In eodem quoque decreto fertur interdictum cótra accipientes eleemosynas anticipatas ad missas, quibus non nisi longo post tempore possunt satisfacere, aliaque plurima circa missas constituuntur, maximè circa reductionem Missarum ad minorem numerum, propter exiguitatem stipendij, quod non vacat hoc loco expendere. Consule interim Bonacin. disput. 4. de censur. in particul. quæst. 2. punc. 11. moneo duntaxat cum Ferdinand. à Castro Palao disp. 5. de censur. punc. 8. sub fin. hæc sacræ congregationis decreta, quamuis æquissima vim legis, saltem extra Italiam non obtinere, cum illis desit requisita publicatio, & communitaria acceptatio, & iurisdictionis à Pontifice in totam Ecclesiam concessio: quod obseruauit quoque Bonacina: punc. 11. citato.

2. in cap. *relatum de consecrat. dist.* 2. qui sacrificium celebrans à communione se suspendit, *ab ipsa, qua se indecenter priuauit gratia communionis, anno vno repulsum se nouerit*, quibus verbis significatur pœna latæ sententiæ: quænam verò illa sit, an excommunicatio minor, an maior, an, quod verius est, suspensio à communione in sacrificio, & consequenter à celebrando sacrificio, dissentiunt DD. apud Bonac. disp. 3. de censur. in particul. quæst. 3. punc. 3. inutilis mihi videtur ea controuersia: cùm enim illa sanctio sit duntaxat concilij prouincialis Toletani 12. cap. 5. non potest condere ius commune, & generale: quarè licet eiusmodi grauissimè peccet, vt qui non perficiat sacrificium, partemque eius vel integram, vel etiam essentialem ex plurimorum mente prætermittat, non tamen incurret hanc pœnam ipso facto extra Hispaniam; si in ea tamen canonis huius Toletani obseruatio non sit contrario vsu antiquata: tunc autem etiamsi vnam tantùm speciem sumat, cùm vtramque consecrarit, ab vtraque tamen deinde per annum participanda priuatur, quia nequit sacrificans vnam sine altera sumere. Ita Bonac. cit. Sayr. lib. 4. cap. 15. num. 2. Alteri. lib. 5. disp. 11. cap. 3. Ferdinand. à Castro. disp. 4. de censur. punc. 10. §. 2. n. 6.

3. Cap. *nullus Episcopus, de consecrat. dist.* 5. Episcopus vel presbyter ingressus ad Missarum solemnia celebranda, si præsumat recedere, vt ab alio Episcopo, vel presbytero Missarum solemnia suppleantur, nisi aliqua passione vrgente, à sacro corpore & sanguine D. N. Iesu Christi suspendatur, & *cap. nihil* 7. *q.* 1. similis casus plectitur excommunicatione, vnde aliqui cum Maiol. lib. 3. de irregula. cap. 16. existimant in vtroque casu ferri excommunicationem, eamque maiorem contra Archidiac. qui in cap. *nihil.* minorem tantùm agnouit, placet tamen cum Ferdinand. disp. 4. punc. 10. §. 2. citato. n. 5. in cap. *nihil.* ferri excommunicationem, vt ipse textus loquitur: at verò in cap. *nullus Episcopus.* ferri suspensionem ab officio celebrandi, quia sacerdos nequit separari à corpore, & sanguine Christi, nisi separetur à celebrandi munere, neque idem omninò casus in cap. *nullus.* & in cap. nihil continetur, sed duo distincti, quamuis admodum similes, quia in cap. *nihil.* plectitur sacerdos, qui quacumque ex causa culpabili sacrificium imperfectum reliquerit: at verò in cap. *nullus Episcopus.* punitur qui sacrificium imperfectum dimittit, vt ab alio suppleatur. Suspensio porrò ista, sicut & excommunicatio est tantùm ferendæ sententiæ: quod Ferdin. l. c. & Filluci. tract. 17. num. 503. affirmant, trahuntque in eam opinionem glossam, contra Sayr. lib. 4. cap. 15. num. 1. & Bonac. disp. 3. q. 3. punc. 2.

4. in cap. *Ecclesiastica* 23. *distinct.* sacerdos sine stola, & orario sacrificans, aut communionem sumens, excommunicatur. Verum cùm illud decretum sit Concilij prouincialis Braccarensis 3. cap. 3. non constituit ius vniuersale, peccabit tamen sacerdos, qui absque stola, alijsque ornamentis, ex recepto communi iure celebrabit: an verò aliquando excusari valeat, alterius loci erit inquirere. interim adi Suar. tom. 3. in part.... disputatione 82. sect. 3.

Monialis. 1. Conc. Trident. sess. 25. cap. 5. de regularit. quoscumque ingredientes monialium monasteria, absque licentia Prælati habita in scriptis, causa legitima intercedente excommunicat, qua de re fusissimè disputauimus in opere nostro de clausura regulari. disq. 1. & in hac ipsa synopsi attigimus. ℣. clausura. n. 4.

2. Trident. ead. sess. 25. cap. 8. de regula, excommunicat omnes, & singulos qui virginem, vel viduam, & aliam quamcumque mulierem inuitam coegerint ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad professionem emittendam, & qui ad id auxilium, consilium, & fauorem præstiterint, quique scientes mulierem aliquid istorum inuitam agere, ei actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem præbuerint, quæ omnia intelligenda monet Concilium, preterquam in casibus iure expressis. Hæc coactio grauis & cadens in constantem virum, & iniusta esse debet, quia leuis coactio nihili fit in iure: quod pluribus ostendit Sanch. lib. 4. in decalog. cap. 4. n. 4. iusta verò coactio dici nequit, neque digna vlla pœna est, de solis fœminis concil. loquitur; neque ea dispositio ad viros trahenda est impropriando verba: quod non fit in dispositione pœnali, sapienterque concili. de fœminis potiùs, quam de viris ita edixit, quia solent frequentiùs fœminæ ad monasterium detrudi, vide Sanch. lib. 4. in decalog. cap. 4. Suar. disp. 23. de censur. sect. 7. n. 8. Filluc. tracta. 14. cap. 6. num. 89. Bonac. disp. 2. de censur. in partic. q. 2. punc. 2. & Ferdinand. disp. 3. punc. 36. n. 8. quoad coactionem ad ingressum monasterij disputant DD. an qui cogit fœminam illud ingredi, non vt fiat religiosa, sed vt inibi educetur, & tempus habeat deliberandi, an religiosa fieri velit, aut non, incurrat hanc excommunicationem, negat Roderiq. tom. 2. sum. cap. 8. conc. 5. n. 10. & Bonac. punc. 2. citato. n. 6. quia conciliũ intendit suo decreto fauere libertati religiosi status, cui nulla fit vis, quando fœmina ad illum assumendũ non cogitur, quod sanè non fit, quamuis cogatur ad ingrediendũ monasterium, si id non fiat animo assumendi tandem religionem; communis sententia vult, quemcumque coactũ ingressum, & quocumque animo inferatur vis, prohiberi hac sanctione Tridẽtini, esseque materiam huius excommunicationis, Suar. citat. Nauarr. alijque, quos sequitur Barbosa in collectan. ad illud Trid. caput, quia cóc. de ingressu in monasteriũ, & de susceptione habitus, atq; professione religiosa disiunctiuè loquitur, deinde cùm excipit casus in iure expressos, nó agit nisi de ingressu in monasteriũ nullus enim casus reperitur in iure, in quo liceat aliquam

fœminam, aut virum cogere, ad emittendam religiosam professionem: reperiuntur verò plures, in quibus liceat detrudere aliquem in Monasterium, in eoque ipsum detinere Sanch. l. c. vt dissidia componat. interpretatur Concilium de animo principali, vt fœmina ibi habitum sumat: Ferdin. ait, ingressum tantùm vt fœmina inibi educetur, animo deinde illam matrimonio collocandi, non esse materiam censuræ, at verò ingressus, vt fœmina ibi educata, deinde eligat quem sibi iudicauerit commodiorem statum, matrimonij, vel religionis, si coactus sit eiusmodi ingressus, reuera hoc decreto prohibetur, quia est generalis saltem intentio cogendi ad religiosum statum, & periculum est nimiæ suasionis à monialibus, atque coactionis à parentibus. mihi videtur si sincera mens sit, relinquaturque plena libertas, atque optio fœminæ, quam tamen iustas ob causas educari expedit in monasterio, quia v.g. eius educationi parentes non possunt vacare, aut quibusdam ex causis domi non satis tuta est à periculis, non esse locum huic excommunicationi, quia ea coactio iusta omninò est, ac laude potiùs quàm pœna digna ad illam autem censuram incurrendam non sufficit conatus nisi opus fuerit positum, vti docent Sanch. Ferdinand. alijque nuper laudati, quos consule.

3. Trident. illo ipso decreto cap. 18. excommunicat impedientes absque iusta causa fœminarum professionem. qui tamen impediret, ne mulier faceret votum ingrediendi, non incurreret hanc excommunicationem, quia tunc non impediret professionem religiosam, cum & religionem ingredi, & in ea profiteri absque priori illo voto valeat: quod Suar. Sanch. Filluci. Bonac. docent. immò addit Ferdinand. punc. 36. citato. n.9. neque obnoxium esse huic censuræ, qui impediret susceptionem habitus religiosi, quamuis enim non possit sequi professio, nisi priùs habitu suscepto. quia tamen Tridentinum non loquitur nisi de impediente proximè, & immediatè professionem, alioquin expressisset impedientes ingressum, & habitus susceptionem; non debemus decretum Tridentini ad impedimentum remotum professionis extendere. hoc denique impedimentum absque legitima causa esse oportet, vide laudatos DD.

4. Præposita monialium, si Episcopum, eiusue Vicarium non monuerit mense ante professionem nouitiæ, vt illam examinet, tandiù suspensa manebit ab officio, quandiù Episcopo videbitur. ita edicit Tridentin. sess. 25. de regula. cap. 17. an hæc pœna suspensio sit, an non, disputant DD. eo quod subiectum suspensionis sint soli clerici. vnde Henriq. colligit lib. 13. cap. 31. n. 2. hanc pœnam, cùm censura non sit, non obligare in conscientia ante sententiam declaratoriam: quia tamen valdè similis censuræ est, neque admodum grauis, saltem ex vi mandati obligabit ante sententiam. itaque censet Thesaur. 2. p. praxis. ℣. monialis. cap. 2.

5. Monachæ matrimonium contrahentes excommunicantur. cap: *virginum* 27.

6. Monialis fornicata in aliud strictius monasterium, ad pœnitentiam amandari debet. Laicus qui cum ipsa peccarit, excommunicandus erit: clericus verò, ab officio depositus in monasterium detrudendus erit: Ita iubet Gregor. lib. 3. Ep. 9. & refertur cap. *si qua* 27. q. 1.

7. Denique de pœnis accedentium religiosorum ad monasteria monialium, ibique pernoctantium, aut refectionem sumentium, ex decreto congregat. regulari sub Sixto V. Clem. VIII. & Paul. V. diximus in nostro opere de clausura. cum enim hæ pœnæ non sint, & illa decreta non faciunt ius vniuersale, cum illis desit saltem publicatio in prouinciis facta, non debuerunt referri in hac synopsi.

Mons Pietatis. Leo X. constitut. 9. *inter multiplices* excommunicat omnes religiosas, Ecclesiasticas, ac sæculares personas, qui prædicationibus, disputationibus, scripto, aut verbis damnare, vel impugnare præsumpserint montes pietatis, iuxta formam ab eodem Leone præscriptam à qua censura excipiunt aliqui, sæculares laicos, cum Filluc. tract. 14. n. 122. quia solis Ecclesiasticis conuenit munus prædicandi, & disputandi. verius tamen docent Bonac. disp. 2. de censur. in particul. q. 4. punc. 2. n. 4. & Ferdin. disp. 3. punc. 37. n. 5. omnes etiam laicos comprehendi hac lege. eos enim designat Pôtifex nomine sæcularium personarum.

2. Pius V. constitut. 82. *onerosa*. officiales montium pietatis, qui illorum pecunias in alios vsus, quàm destinatos impendunt, si Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, aut Episcopi fuerint, suspendit ipso facto: si inferiores, excommunicat excommunicatione reseruata Papæ.

3. Vsurpantes bona quæcunque, iura, prouentus, & obuentiones montium pietatis, & impedientes ne ab illis percipiantur, à quibus percipi debent, incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam, si patroni fuerint, priuantur iure patronatus, si clerici beneficiis, & inhabilitatem ad illa incurrunt, & ex Tridentin. sess. 22. cap. 11. de reformat.

Munera. 1. Pius V. constitut. 83. *in omnibus rebus*, & constitut. 74. *in earum rerum*. prohibet officialibus sacræ pœnitentiariæ, aliquid præter stipendium etiam sponte oblatum, à partibus accipere siue pro expeditionis celeritate, siue pro alio extraordinario labore tam procurando, quàm scribendo, aut recognoscendo, & examinando; si secùs fecerint officio suo priuati, excommunicatione reseruata, eo ipso innodantur. hac excommunicatione non comprehenduntur maior pœnitẽtiarius, & alij pœnitentiarij minores, cum de his non meminerit Pius: quod monet Thesaur. 2. par. praxis. ℣. munera. cap. 2. neque etiam censura ista afficit eos, qui post expeditionem datam, aliquid omninò liberaliter, & gratitudinis causa datum acceperint: ita Nauarr. de datis, & promissis. notab. 13. n. 22. & notab. 19. n. 21. & Azor. 3. par. lib. 12. c. 13. q. 4.

2. Iudices Ecclesiastici, qui per sordes, & munera iniustam sententiam ferunt, suspenduntur per annum. in cap. 1. *de sentent. & re iudicata* de qua suspensione diximus. ℣. Iudex n. 6

3. Iudex delegatus Apostolicus gratis omninò suum officium exercere debet, & nihil à partibus accipere, alioquin ad illius restitutionem integram obligatur. cap. *statutum*. §. *insuper*. & §. *si quid autem. de rescriptis in* 6. aitque Layman. lib. 3. tract. de contract. cap. 4. num. 10. ad id obligari in conscientia ante omnem sententiam. ad delegatos quoque ordinariorum, (licet de pontificiis tantùm loquatur Pontifex) extendunt hoc caput Sayr. lib. 12. clauis. cap. 15. n. 13. Sanch. lib. 3. consili. c. vnic. dub. 2. esculenta tamen, & poculenta gratis oblata, si paucis diebus consumuntur, non prohiberi dixit glossa *in* §. *insuper*, *statum*. ℣. *paucis*. & Sanch. dub. 2. citato n. 2. immò neque sportulæ vbi cõsuetudo eas approbat vetantur

tantur ex Sayr.cap.13.citato.n.15.& Sanch. lib. 8. de matrim.disp.35.n.11.

4. Episcopus, qui ob quæstum, vel pecuniam acceptam, publicat, aut concedit indulgentiam, & facultatem absoluendi à reseruatis, interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, & à perceptione fructuum suspenditur, neque absolui potest, nisi præstita satisfactione. Ita edicit Pius V. constit. 99. *quam plenum.* Inferiores autem Episcopis ligantur excommunicatione reseruata.

5. Clem. VIII. constitut. 10. *pro commissa.* munera, seu largiones de bonis communitatum, & vniuersitatum status Ecclesiæ Romanæ, aut aliàs de bonis in commune collatis, fieri cuicumque etiam Cardinali quocumque prætextu prohibet; quod si fiat, tenebitur eidem communitati restituere, quod fuerat erogatum. 2. priuatur omnibus officiis honorificis, & perpetuò inhabilis efficitur, quæ, aliaque videbis in ea constitutione, quam examinat Filluc.tract.15.n.142. aliique.

6. Paul. II. constitutione 3. *munera.* quam deinde confirmauit Sixtus IV. constitut. 15. *etsi* prohibuit gubernatoribus, aliisque officialibus Romanæ Ecclesiæ, etiam Legatis, à ciuitatibus, aut terris, populisque, quibus præficiuntur, munua vllum præter esculenta, & poculenta, quæ intra triduum consumantur, accipere, alioquin tam dantes, quàm accipientes modo Cardinales non sint, incidunt in excommunicationem Papæ reseruatam, & duplum restituent, nempe id quod acceperunt, & prætereà tantundem, ad primum illud obligantur ante omnem sententiam, cùm eius dominium non acquisiuerint: ad duplum illud opus erit sententia saltem declaratoria, ne sint suæ pœnæ executores, priuando se dominio acquisito. Ita Ferdinand. à Castro disp. 3. punc. 29. n. 10. restitutionem porrò totius illius dupli faciendam esse pauperibus, & non donanti, existimat Bonac. disp. 2. de censur. in partic.q. 7. punc. 8. quia donans ob crimen commissum indignus est, cui res data restituatur. Filluc. tract. 15. cap. 9. q. 8. n. 210. & Ferdinand. loco citato contrarium docent: nam rem acceptam tenetur ante sententiam condemnatoriam reddere donanti, qui illius dominium retinuit, cum illud in donatarium transferre non potuerit prohibente lege, vt igitur iste donator priuetur dominio suo, opus erit sententia saltem declaratoria: illud autem tantundem quod cum re accepta reddere debet, pauperibus reddat oportet, quia cùm ad illud non obligetur, nisi per sententiam condemnatoriam illa pauperibus mulctam eam applicabit, non verò donanti, qui contra legem peccauit, alioquin proficeret ex sua iniquitate.

7. Munera non sunt recipienda à visitatoribus: sed de his vide ✠. visitatio.

8. Clem. VIII. constitutione 28. *religiosa congregationes,* plurima edixit religiosis circa munera, quæ ab illis fieri, nisi eo modo, quem ibidem præscribit, prohibuit, & secus facientes priuat omnibus officiis, muneribus, & dignitatibus, inhabilesque ad illa reddit, atque etiam mulctat omni iure vocis actiuæ & passiuæ, circa hanc constitutionem plura forent discutienda, quæ synopsis ista non patitur. Vide Dian. 1.p.tractat.6.toto. vbi resolut. 1. plures affert DD. qui testantur constitutionem eam non fuisse vsu receptam.

N.

Naufragantium Christianorum bona vel in mari, vel in littore subripiens excommunicatur, cap. *excommunicationi de raptoribus*, & in bulla Cœnæ can. 4. prior tamen illa excommunicatio reseruata non est, sicut posterior bullæ, deinde prior incurritur ob receptionem & retentionem iniustam, si cùm possint, & debeant ablata restituere, ea non reddiderint: at verò excommunicatio bullæ, propter solam iniustam retentionem, vnde colligunt Suar. disp. 21. sect. 2. n. 30. Filluc. tract. 16. num. 99. Duard. in hunc can. 4. quæst. 2. num. 10. & Bonac. disp. 1. de censut. in particul. q. 5. punc. 2. num. 5. subripientem hæc bona, & deinde non restituentem cùm possit, duplici excommunicatione ligari. Verùm cùm retentio non videatur hoc loco esse distinctum peccatum, à subreptione, sed vnum, & idem continuatum, siue prima subreptio continuata, non plectitur nisi vna censura, quamuis diuersis legibus ea infligatur, quia ex sola diuersitate, aut multitudine legum pœnalium, non multiplicantur solo numero censuræ, quandò vnum, & idem peccatum illis omnibus legibus plectitur, vti docuimus hoc ipso opere, si tamen contendas hoc loco, continuationem à prima subreptione moraliter distingui, ideoque noua excommunicatione affici posse, non pugnabo acriùs. 3. differunt excommunicatio c. *excommunicationi,* & excommunicatio bullæ, quia ista requirit subreptionem bonorum naufragantium fieri in mari, aut in littore, quarè si extra ea loca subripiantur illa bona, non incurritur excommunicatio bullæ, incurritur tamen excommunicatio citati illius capitis: quia ex diuersis legum istarum textibus id euidenter colligitur. Itaque sentiunt Duard. in exposit. bullæ, libro 2. in can. 4. quæst. 8. Reginald. lib. 9. num. 270. Filluc. tract. 16. num. 97. Bonac. disp. 1. de censur. in partic. quæst. 5. punc. 2. numero 6. Ferdin. à Castro disp. 3. punc. 5. num. 5.

Conueniunt verò hæ censuræ, quod vtraque requirat subreptionem, vel detentionem iniustam, & peccaminosam, nempe acquirendi sibi illa bona: nam si animo restituendi domino vbi comparuerit accipias, aliaque ex causa rationabili, cùm illa acceptio iusta, & licita sit, nequit excommunicatione puniri: quod Nauarr. cap. 27. num. 118. Caietan. ✠. excommunicatio. cap. 23. Bonac. q. citata. punc. 4. & Ferdin. num. 2. obseruant, at verò si vbi iustè primo accepisti, mutata deinde voluntate quærendi dominum, iniustè retines; incidis in excommunicationem cap. *excommunicationi.* de raptorib. quia bona naufragantium surripis, neque restituis cùm possis. Bonacina tamen putat, te non incidere in excommunicationem, quæ sola subreptionem iniustam, qualis non fuit ista, punit, de retentione verò non meminit. Rectiùs tamen Ferdinand. vtramque hanc excommunicationem contrahi dixit, quia prima illa acceptio, iniusta fit ex illa mutatione voluntatis sibi retinendi, estque iam vera subreptio, quæ punitur à bulla: quod autem tum cap. *excommunicationi*, tum bulla, vtantur voce *subreptionis*, non propterea damnant solam clancularium & occultam acceptionem iniustam, quæ est propria significatio huius vocis, l. *si debitor. D. de furtis*, & l. *qui naufragium*, *D. de incendio*,

ruina,

ruina, & naufragio. sed quamcumque iniustam acceptionem bonorum naofragantium, siue occultam, siue manifestam damnant: quia vt obseruant Duard. in illum can. 4.q.16.n.4.& Bonac punc.1. q.citatæ. ista excommunicatio fertur ad vitandum furtum,& iniustam horum bonorum acceptionem per se, & sublenandam miseriam naufragantium, & non tantum propter modum furti,quod vi,& palam fiat, aut clanculario.

2. Ad hanc quoque vtramque excommunicationem, oportet eiusmodi iniustam acceptionem, retentionemve, esse modi, & quantitatis alicuius notabilis, & non tantùm quæ sufficiat ad peccatum mortale constituendum, neque enim propter quodlibet mortale furtū infligitur excommunicatio:quod hoc ipso opere monuimus,nisi itaque res subrepta sit maioris alicuius momenti, non contrahetur excommunicatio quare hoc loco summam duorum aureorum excedere volunt Bonac.q.5 citata. punc 4. n 3 Sayr.lib.1. cap.9. n. 33. & Ferdinand. hoc punc. V. n.4.

3. Bona ista naufragantium debuerunt occasione naufragij iactata fuisse in mare, aut in littus; quare si ante naufragium subripiantur, non est locus excommunicationi, quia tenera non sunt bona naufragium passi: immò si periculo imminentis tempestatis bona iactentur in mare, quæ tunc subripias siue in naui posita, siue iam proiecta; non eris reus excommunicationis, quia vt dixi non sunt bona naufragium passi, sed periculum naufragij: quod fatentur Ferdinand. cit. Vgolin. in expo sit. huius Canon. cap.1.§.2.Duard. ibidem q. 7. Regnald. lib. 9.n.273. Graffis 6. p. decisio. lib.4. cap. 18. n. 62. Bonac. punc. 2. quod si post eam subreptionem succedat naufragium,& ea bona retineas, incidis in excommunicationem, quia eiusmodi retentio, est quoque iniqua acceptio bonorum naufragium passi, siue patientium; quæ damnantur in his constitutionibus.ita Ferdinand. qui sapienter quoque aduertit, nihil omnino interesse quacumque ex causa contingat naufragium siue vetustate nauis, aut illisione ad scopulum siue ventorum agitatione, siue gubernatoris imperitia, siue hostium impetu, aliave simili ratione.

4. Debent hæc bona esse adhuc in dominio naufragantiū, si enim proiecerint animo nunquam recuperandi,non fieret illis iniuria, si ab alio caperentur, verum id minimè præsumendum est, nisi validæ coniecturæ ad id cogant. Vide Bonac. q. 5. disputat. 1. punc. 5. num. 6. Sayr. lib. 3. cap. 8. n. 9.

Denique hi naufragantes debent esse Christiani, vt diserte habetur cap. *excommunicationi. de raptorib.*& in bulla Cœnæ. ideoque passim DD. volūt non modo Christianos, sed etiā Catholicos esse oportere, cum fidei hostes non voluerit sua constitutione tueri Ecclesia, quare bona naufragantium infidelium, hæreticorum,& piratarum subripientes,non feriuntur hac censura, etiamsi aliunde eiusmodi subreptione peccarent.

Qui isti subreptioni consilium, auxilium, & fauorem præstant, non ligantur hac excommunicatione,nisi ita cooperentur huic subreptioni,vt subreptores & ipsi dici queant, quia vt argumentatur Ferdinand. bulla non agit de consulentibus, mandantibus, ratum habentibus, auxiliantibus, sed de solis subreptoribus; neq; in lege pœnali verba impropriandа, aut amplianda sunt,absque vrgenti ratione: quare ex hac regula Generali rem totam facile fuerit definire.

Negotiatio. De illa clericis interdicta alius erit locus disputandi.moneo tantùm clericum in sacris constitutum, qui dimisso habitu negotiationi vacat, si ter monitus non resipiscat, amittere priuilegium Canonis.c.*audientia.*cap.*contingit.de sentent. excommunic.* & Clem. 1. *de vita, & honesta. clerico.* non possunt Ecclesiastici in morte disponere de acquisitis per negotiationem, eaque manent ipso iure applicata Cameræ, & veniunt in causam spolij,ex constitut. Pij IV. & Pij V.de quibus Nauarr. de spolijs §.8.n.8.Redoan.de spolijs q.2. n.3. Azor.2.pa.lib.8.c.2.q.1.& 2.Filluc.trac.43.c. 4.

Nouitij. Clem. VIII. constitut. 83. *regularis disciplinæ.* constituit ne religiosi mendicantium in Italia, & in insulis adiacentibus, quemquam ad habitum recipere possent, nisi in locis à sede Apostolica designatis, sub pœna priuationis officiorum, vocis actiuæ, & passiuæ, inhabilitatis ad illa omnia, & eiusmodi receptiones, atque inde consecutas professiones, nullas & irritas esse decreuit.

Deinde idem Clem. constitut. *sanctißimus*, ampliauit ad regulares etiam non mendicantes,excipit tamē Carthusianos,Minores, Obseruātinos,Capucinos, reformatos S.Dominici, Carmelitas discalceatos,Fulienses Camaldulenses,& Clericos regulares,Theatinos,Iesuitas,Somaschos, Barnabitas, & ministros infirmorum.

Clemente defuncto.Congregatio regula.an.1624. 21. Septemb. ex speciali facultate Vrbani VIII. constitutionem confirmauit,eamque ad omnia loca extra Italiam extendit,& tum suum decretum,tum Clementinam sanctionem bis singulis annis legi publicè in consessu regularium præcepit,transgressores iisdem pœnis subiecit, earumque dispensationem Pontifici reseruauit, & denique quidquid in contrarium gestum esset, irritum, & inane esse voluit. Hoc decreto maximæ turbæ inter religiosos concitatæ sunt, cum plerique existimarēt suam professionem nullam, irritam, vt pote non obseruata forma à Clemente præscripta factam, quos vt motus componeret Vrban. VIII.an. 1631.2. Aprilis. decretum edidit,quo voluit,professiones,quæ irritę prædicebantur,iterari, & confirmari,eodem modo, atque si tempore,quo emissæ sunt,validæ fuissent. &ann.1636.die 5.Ianuarij in sacra Congregatione Concili. Tridentin. plura alia constituit aduersus eos,quia ea de causa,contra inualiditatem suæ professionis,post elapsum quinquennium reclamarent, quos audiri noluit.

Nuntiantes. Infidelibus aliquid in præiudicium Christianæ reipublicæ,excommunicantur. Can.7. bullæ Cœnæ. de qua excommunicatione diximus. ℣. arma.

2. Donantibus, aut promittentibus aliquid iis, qui sibi nuntiatunt prouisiones Ecclesiarum in curia Romana factas, excommunicationem Papæ reseruatam imponit Gregori.XIII.contendit Filluci. tract. 15. cap. 5. q. 2.& Ferdinand, disp. 3. punc. 30.n.14.

O

Oblationes. 1. Damasus Papa. cap. *hanc consuetudinem.* 10.q. 1. pronuntiat anathematis vinculo colligatum laicum, qui oblationes intra Ecclesiam factas, ab Ecclesia vsurpare, seu detrudere præsumit. ad hanc igitur excommunicationem incurrendum,

currendam, vsurpans oblationes debet esse laicus, absque causa autem glossa vult etiam esse ciuem Romanum, & Romæ oblationes auferentem, cum in textu nihil omninò sit, vnde illud colligatur. vsurpatio quoque debet esse obligationum, quæ in Ecclesia factæ sunt, & in ea consistunt; nam si extra Ecclesiam positæ sunt, non erit locus excommunicationi: quod indicant illa verba. *Oblationes de sacris Ecclesiis auferre molitus sit*, esse tantùm ferendæ sententiæ dixit Filluc. tract. 34. cap. 3. q. 4. n. 48. & Ferdinand. disput. 3. punc. 31. n. 2. contra Bonac. & alios.

2. Clericus qui manifesti vsurarij oblationes receperit, vel eius corpus sepulturæ mandauerit, suspenditur ab officio, & oblationes acceptas reddere compellendus est. C. *quia in omnibus. de vsuris.* nomine manifesti vsurarij, intelligendus est denuntiatus, quique vitandus sit: Quod monent Suar. disp. 31. de censur. sect. 2. n. 6 Coninc. disp. 15. n. 41. Filluci. tract. 17. n. 100. Bonac. disp. 3. q. 3. punc. 6 & Ferdin disp. 4. punc. 10. §. 2. n. 1.

3. Clerici, qui de raptoribus Ecclesiarum eleemosynas acceperint, nondum facta ab ipsis satisfactione, *ordinis sui damnum irrecuperabiliter pati, & Ecclesiastico beneficio carere debent.* cap. *super eo de raptoribus.* quæ suspensio ferenda tantum videtur Ferdinando loco proximè citato. apud Tridentinum autem isti clerici etiam post integram satisfactionem, & absolutionem supendi debent arbitrio sui ordinarij sess. 22. cap. 11. de reformat.

4. Clericus admittens oblationes excommunicati à Pontifice, incurrit & ipse excommunicationem Papæ reseruatam, quia cum eiusmodi excommunicato participat in diuinis; quæ participatio damnatur tali excommunicatione. in cap. *significat. de sentent. excommunicat.* de quo multis fuit nobis sermo in hoc ipso opere, de effectibus excommunicationis disputantibus.

Obligatio. Cap. *si quorundam 2. de solutionibus.* clerici beneficium habentes, siue curam, & regimen alicuius Ecclesiæ, qui Ecclesiam alienis debitis grauant, seu litteras, vel sigilla alicui concedunt, quibus Ecclesia posset obligari, suspenduntur ab administratione spiritualium & temporalium ipso iure: & Ecclesia ad solutionem talium debitorum nulla ratione tenetur, nisi quatenus aliquid in eius rem versum fuerit. vide gloss. & Panorm. in illud cap. Suar. disp. 31. sect. 3. Filluc. trac. 17. cap. 6. quæst. 5. Bonac. disp. 3. quæst. 4. punc. 14. Ferdinand. disp. 4. punc. 10. §. 3. n. 4. ait cum Bonac. Angelo, & Silu. eam suspensionem non esse reseruatam Pontifici contra Suarem, & Filluc. cum nihil sit, ex quo ea reseruatio colligatur.

Ordo. 1. Qui scienter sacros ordines suscipit ab Episcopo, qui suo Episcopatui renútiauit, nempe quoad locum, iurisdictionem, officium, & vsum ordinis Episcopalis, eaque renuntiatio acceptata sit, suspenditur ab executione ordinis sic suscepti, neque absolui potest, nisi à Pontifice: Si tamen ignoranter ordo susceptus sit, tunc licebit Episcopo proprio cum illo dispensare. cap. 1. *de ordinat. ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopatui.* dixi sacros ordines, quia textus de his solum loquitur, quare ad minores ordines ea dispositio extendenda non est, vti aduertunt Sayr. libro quarto cap. 14. n. 8. & Bonac de censur. disputa. 3. quæst. 1. punc. 9. num. 11. dixi etiam scienter, nam seclusa scientia, aut ignorantia affectata, vel supina, non incurritur hæc pœna, vel censura; & sanè si cum ignorantia inuincibili, vel probabili ordo susceptus est, nulla culpa commissa est. nec proinde debet graui illa pœna puniri. Neque dicas concedi Episcopo proprio facultatem dispensandi cum sic ordinato, quandò adfuit ignorantia, nam ibi dispensatio sumitur pro permissione ordinis exequendi, & declaratione ab Episcopo facta, nullam inibi inesse suspensionem. itáque explicant Coninch. disp. 15. n. 32. Hurtado de suspens. diffic. 13. n. 34. & Ferdin. disp. 4. punc. 10. §. 1. n. 1.

2. Qui ordinem suscipit ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, irregulari, simoniaco, schismatico, suspenditur ab executione ordinis sic suscepti. cap. *Daibertum* 1. q. 7. & cap. 2. *de ordinat. ab Episcopo, qui renuntia.* & cap. 1. & 2. *de schismatic.* hi tamen omnes debent esse denuntiati, & non tolerati ab Ecclesia, alioquin retinent facultatem conferendi ordines in fauorem fidelium, vti aliàs diximus. ideoque recipientes ab illis suo iure vtuntur, & nulla suspēsione ligantur: quod obseruant Sayr. lib. 4. cap. 14. n. 4. Suar. disp. 31 sect. 1. n. 64. Bonac. de censur. in particul. disp. 3. q. 1. punc. 10. Ferdinand. disp. 4. punc. 10. §. 1. n. 2. ex quibus Suar. Sayr. & Bonac. dicunt etiam cum ignorantia probabili huius defectus in ordinante, incurri hanc suspensionem ab ordinato: quod ipsum tradiderat gloss. in cap. *si qui a simoniacis.* 1. q. 7. & *in cap. ab excommunicatis* 9. q. 1. & Couarru. in cap. alma mater. 1. p. §. 6. n. 6. sequutusque deinde fuit Alteri. l. 5. de censu. disp. 9. cap. 4. quia hæc priuatio executionis ordinis sic suscepti, non est propriè pœna delicti commissi, sed potiùs ordinantis quædam veluti execratio; ideoque nihil interest, quod scienter, aut ignoranter quis fuerit ab eiusmodi Episcopo ordinatus. veriùs tamen ignorantiam probabilem ordinati, eximere illum hac pœna dixerunt Coni. Hurtad. & Ferdinand. locis cit. secuti Innoc. in cap. 1. n. 4. *de schismaticis.* & Panorm. in cap. veritatis. n. 46. de dolo, & contumac. & Roderiq. in sum. tom. 2. c. 19. quia nihil est in iure, vnde colligatur, ignorantiam non excusare, sed potiùs contrarium, vti ostendit Ferdinand. estque hæc priuatio vera pœna, & censura: quare etiam illatum metum hoc casu excusare dixerunt Silu. v. irregularitas. §. 9. & Nauarr. cap. 27. num. 244.

3. Suscipiens ordines ligatus excommunicatione maiori, suspenditur ab executione ordinis ita suscepti. ex Innoc. III. definitione. cap. *cum illorum. de sentent. excommunicat.* vbi licèt quæstio proposita fuisset de sola excommunicatione, ob percussionem clerici incursa: responsio tamen, & decisio Pontificis vniuersalis est, & omnem excommunicationem complectitur, vti passim commentantur interpretes. & sanè nulla apparet ratio, cur excommunicatio propter percussum clericum, huic potiùs censuræ, quàm alia quælibet excommunicatio maior subiiciatur. maior inquam excommunicatio, quia vti aliàs obseruauimus nomine excommunicationis absolutè prolato in iure, maior intelligitur, non minor: quod verius est in decreto pœnali, vt pote strictiùs interpretando, & hoc casu, cum minor, etiam ob culpam venialem, contrahatur, qui cum illa susciperet ordines, non faceret magnam iniuriam religioni; neque tam graui pœna, qualis est suspensio, de qua agimus, puniri deberet,

hinc

hinc quoque sequitur, innodatum censura alia quàm excommunicatione, nimirum suspensione, & interdicto suscipientem ordines, non incurrere suspensionem, de qua agimus, vti sapienter monent Suar. disp. 31. sect. 1. n. 58. Auila de censur. 7. par disp. 1. dub. 6. Bonac. disp. 3. q. 1. punc. 6. n. 3. Ferdinand. dip. 4. punc. 10. §. 1. n. 3. contra Conarr. in cap. alma mater. 1. p. §. 6. num. 6. & Alteri. lib. 5. disp. 10. cap. 6. de sola quippe excommunicatione loquitur Pontifex; neque in decreto pœnali, ea vox ad quamlibet censuram amplianda est, sed in sua natura, & propria significatione retinenda.

Quod idem dico de voce ordinis, quare excommunicatus suscipiens primam tonsuram, non subiicietur huic pœnæ, quia prima tonsura dispositio est ad ordines, & non ordo: ita Nauarr. cap. 27. num. 241. Suar. Auila, & Ferdinand. citati, atque Filluci. tract. 17. num. 94. idem dico de excommunicato suscipiente consecrationem Episcopalem, si illa (vti plures probabiliter docent,) non sit ordo distinctus à sacerdotali deinde Episcopi non comprehenduntur suspensione, nisi de illis fiat expressa mentio, vti aliàs diximus. quare hanc nostram sententiam tuentur Filluci. Suar. Bonac. & Ferdinand. ll. cc. qui omnes ex contraria ratione dicunt, excommunicatum suscipientem ordines minores hanc suspensionem contrahere, contra Nauarr. & Auilam, quia minores ordines sunt Ecclesiastici ordines.

Excusat ab hac censura ignorantia probabilis vel excommunicationis, vel prohibitionis Ecclesiæ: quod docent Pannim. in cap. *cum illorum* num. 15. *de sentent. excommunic.* & in cap. *veritatis* num. 46. *de dolo, & contuma.* Silu. ℣ irregularitas 7. Nauarr. cap. 27. num. 241. Filluci. Suar. Bonac. & Ferdinand. locis citatis. contra Conarr. in cap. alma mater 1. p. §. 6. num. 6. Maiol lib. 4. de irregula. cap. 34. num. 4. & Alteri cap. 6. citato. dub. 2. quia cum illa ignorantia excuset hoc loco à culpa, excludit quoque omnem pœnam, quæ necessariò culpam, quam puniat, supponit.

4. Qui ordinem suscipit ab alieno Episcopo, absque licentia proprij, suspenditur ab executione, & vsu ordinis suscepti: quod passim DD. probant, ex cap. *illud quoque* 1. *dist.* 71. & cap. *si quis ausu. ead. dist.* quorum primum caput ex conc. Sardicensi alterum ex Nicæno desumptum est. illis tamen Canonibus non continetur censura latæ sententiæ, sed ferendæ vt ostendunt Suar. disputat. 31. sect. 1. num. 13. Sanch. lib. 7. consili cap. 1. dub. 28. aliique permulti apud Thesaur. 2. p. praxis. ℣. ordo cap. 16. hanc tamen suspensionem tulit Pius II. constitut. siue 2. siue 6. *cum ex sacrorum.* confirmauitque deinde Pius V. in suis constitutionibus Apostolicis sanctione 21. vt refert Corduba in suin. quæst. 114. habeturque in regula 21. cancellariæ. Leo quoque X. & Paul. III. eadem sanciuerunt, in cap. 1. *de temporib. ordinat. in* 6. Hispani, qui sine proprij Episcopi licentia, ad Italos ordinandi accedunt, suspenduntur. denique Trident. sess. 23. cap. 8. de reformat. sic ordinantem suspendit à collatione ordinum per annum; ordinatum verò ab ordinum sic susceptorum executione, quandiù eius proprio ordinario videbitur expedire: quod decretum cum vniuersalibus verbis vtatur, de omnibus ordinibus tum maioribus, tum minoribus accipiendum est. immò aliqui DD. ad primam tonsuram extendunt apud Bonac. disp. 3. de censur. in particul. q. 1. punc. 11. n. 18. & Thesaurum l. c. sed veriùs negant Tolet. lib. 1. cap. 44. Barbosa in collectan. ad illud Trident. caput. ab hac porrò censura excusat tum ignorantia probabilis, tum grauis metus, tum quidquid à culpa excusat: quod aduertunt Nauarr. cap. 27. n. 155. & in cap. *receptu. de restitut. spoliato.* proposit. 8. n. 32. Henriq. lib. 13. cap. 38. Suar. disp. 31. sect. 1. n. 15. Coninch. dis. 14. n. 36. Ferdin. disp. 4. p. 10. §. 1. n. 4. quinimmò Auila 3. p. de censur. disp. 5. dub. 7. & Salsedo in pract. cap. 26. existimant etiam ignorantiam culpabilem, modò affectata non sit, excusare ab hac censura: quia Pius II. vtitur verbo *præsumpseris* in sua extrauag. Denique excipiuntur in iure tres casus, in quibus fas est, ordines suscipere ab alieno Episcopo, absque licentia proprij. 1. quandò proprius Episcopus est notoriè suspensus ab executione ordinum, eo quod alienum subditum, absque ipsius Episcopi facultate ordinauerit, tunc enim subditis Episcopi ita suspensi conceditur, vt ab alieno Episcopo ordinentur. cap. *eos qui de temporib. ordinat. in* 6. vbi glossa, quam sequitur Rebuffus in praxi benefic. 1. par. de formula dimissoriarum. n. 19. Salcedo in practi. cap. 26. §. tribus tamen casibus. Suar. disp. 31. sect. 1. neque opus est, hanc suspensionem esse declaratam, sufficitque per euidentiam facti notoriam esse: quod ex cap. *eos qui.* colligunt Auila, & Bonac. citati.

2. Qui per triennium commoratur cum aliquo Episcopo tanquam eius familiaris, poterit ab illo ordinari, modò statim ab ipso omni fraude cessante beneficium accipiat: ita edicit Tridentin. sess. 23. cap. 9. de reformat. quod non requirit proprij Episcopi licentiam, sed absolutè loquitur. hic autem Episcopus non debet esse titularis duntaxat, sed Diœcesim & subditos actu habere, vt habetur in eod. Trident. sess. 14. cap. 2. de reformat. familiaris porrò ille dicitur, qui in eo loco cum Episcopo commoratur, non autem alibi, quamuis Episcopi sumptibus alatur. triennium commorationis debet esse continuum, quia quoties tempus ad aliquem actum assignatur, continuum intelligi solet: quod aduertit glossa in l. 3. & l. naturaliter. D. de vsucapionibus. neque tamen opus est, hoc triennium numerari, ex quo Episcopus aliquis creatus est, sufficiet enim cum Episcopo, triennio commoratum fuisse siue ante, siue post susceptum Episcopatum, vti notat Garcias de benefic. 2. p. c. 5. n. 83. debet præterea Episcopus ordinans statim ab ordinatione conferre beneficium ordinato, neque sub alia conditione potestas ordinandi suum familiarem, quamuis alterius diœcesis, illi commissa fuit: quare si maiorem anni partem differat hanc collationem, ex Garcia cap. 5. cit. n. 87. ordinatus tamen bona fide sub spe illius beneficij, immunis à culpa est, & ab omni censura, si etiam titulo pensionis, aut patrimonij fuerit ordinatus. non tenebitur Episcopus illi conferre beneficium, ex eod. Garc. num. 80. & Barbos. in collectan. ad illud cap. Tridentini. ex hac porrò facultate facta Episcopo ordinandi suum familiarem, concessa quoque censetur potestas dispensandi in interstitiis, & aliis impedimentis, in quibus Episcopus potest dispensare

dispensare. Ita Sà v. Episcopus, n. 36. Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 1. n. 25. & Ferdinand. disp. 4. de censur. punct. 10. §. 1. n. 4. contra Garc. & Salcedo, & Bonac. citatos.

3. Poterit Episcopus alienum subditum ordinare ex præsumpta ratihabitione proprij Episcopi: quod quondam fecisse Epiphanium circa Ioannis Chrysostomi subditum, dicitur cap. *Lugdunensis vlt. 9. q. 2.* ibique glossa, Reginald. lib. 32. cap. 69. Barbosa ad cap. 8. sess. 23. Trident. & alij, quæ tamen ratihabitio non est facilè admittenda, & in cap. *Lugdunensis citato*, non admittitur nisi ratione ordinantis, non autem ordinatorum, quibus aliqua pœnitentia imponitur in satisfactionem Ecclesiæ, quam offenderant; & deinde ex quadam miseratione recipiuntur in suo ordine.

4. Ordinatus ab Episcopo proprio, in aliena tamen diœcesi pontificalia exercente, suspenditur ab executione ordinum, & Episcopus ab exercitio pontificalium: quod passim DD. colligunt, ex cap. *Episcopum* 9. q. 2. & apertè traditur à Trident. sess. 6. cap. 5. quæ suspensio ratione Episcopi incurritur ex collatione etiam primæ tonsuræ, quia in ea Episcopus exercet Pontificalia, ratione vero ordinati non incurritur, nisi aliquem ordinem minorem, aut maiorem susceperit ab illo Episcopo, quia tonsura (vti iam monuimus) ordo non est, & nullum habet munus, à quo sic tonsuratus suspendi valeat. Ita Henriq. lib. 3. cap. 6. n. 6. & Ferdinand. à Castro disp. 4. p. 10. §. 1. n. 5.

5. Ante legitimam ætatem ordinatus suspenditur ab executione ordinis sic suscepti, & si tunc ministrarit, fit irregularis. Ita Pius II. in extrauag. *cum sacrorum.* quam deinde confirmauit Pius V. & Clem. VIII. quænam vero sit singulorum ordinum legitima ætas alibi traditur, ignorantia probabilis, vel legitimæ ætatis, vel legis indicentis suspensionem, excusabit ab illa; cùm enim sit culpa, pœnam omninò supponit, quam eiusmodi ignorantia tollit, monent tamen Suar. disp. 3. de censu. sect. 1. n. 23. & Garcia 2. p. de benefic. cap. 5. n. 51. etiam ignoranter promotum, ante legitimam ætatem, & absolutum à suspensione ea de causa incursa, non posse illum ordinem exercere ante legitimam ætatem, non propter impedimentum suspensionis, sed irregularitatis, de qua diximus lib. singulari de irregula.

6. Ordinatus extra tempora ab Ecclesia designata sine legitima dispensatione, suspenditur: quæ suspensio quondam erat tantùm ferendæ sententiæ, cap. *sanè*, cap. *cum quidam* cap. *consultationi. de temp. ordinat.* at verò hodie latæ sententiæ est, ex extrauag. *cum sacrorum. Pij II.* à qua suspensione excusat ignorantia probabilis, reseruata quidem fuit ea suspensio à Sixto V. extrau. *sanctum, & salutare:* sed Clem. VIII. pridie Kalend. Martij an. 1595. constitutione *Romanum Pontificem*, Sixtianam emendauit, & ad terminos iuris communis Pij II. & Trident. reduxit, quarè Episcopus poterit ab illa absoluere.

7. Qui non seruatis interstitiis ordines sacros suscipit, plures videlicet eodem die suscipiendo, suspenditur ab ordinis executione. Dixi sacros, quia vbique recepta est consuetudo, vt minores ordines simul eodem die, atque etiam vnà cum subdiaconatu suscipiantur ex Episcopi dispensatione, dixi eodem die plures ordines sacros suscipiendos esse, ad incurrendam hanc suspensionem, quia si violentur interstitia, quia suscipiuntur ordines non interiecto inter vtrumque ordinem tempore requisito, peccatur quidem, non tamē incurritur illa pœna, sed quando absque dispensatione Pontificis, plures sacri eodem die suscipiuntur ex cap. *litteras. de temporib. ordinat.* traduntque passim DD. contra Suar. qui disp. 31. sect. 1. nu. 41. negat ex eo capite satis euidenter colligi eiusmodi suspensionem, cum eo loco ad certum quendam casum sibi propositum respondeat Pontifex, non ferat autem legem vniuersalem de futuris casibus. Verum vt argumentatur Ferdinand. disp. 4. p. 10. §. 1. n. 8. idem aduersus omnia decreta casum specialem respicientia posset obijci, pendetque hæc quæstio ab illa altera, quam in nostra scientia canonica tractauimus, quandonam responsa Principum, & Pontificum constituant ius vniuersale.

8. Per saltum promotus non tantùm impeditur ab executione ordinis prætermissi, sed etiam ordinis sic suscepti: quod ex cap. *sollicitudo* 52. *dist.* & cap. vnic. *de clerico per saltum promo.* ac denique ex Trid. sess. 23. cap. 14. de reformat. colligunt vulgò DD. Sylu. v. irregularitas. q. 12. Sotus in 4. disp. 25. q. 2. A. 3. Nauarr. cap. 25. n. 71. & cap. 27. n. 244. Suar. disp. 31. sect. 1. n. 35. Auila 7. par. disp. 9. dub. 2. Bonac. Filluc. Barbosa, Sayr, Coninch. Hurtado, quos dabit Ferdinand. §. 1. citato. n. 9. quamuis Suar. Auila, ipseque Ferdinand. existiment, non esse improbabilem contrariam sententiam, quam tradiderunt Turrecremata, Archidiacon. Præposit. Angel. Armilla, & Dias relati à Ferdinando, eo quod textus allati non omninò cogant, & non ineptam explicationem aliam pati possint.

9. Suspenditur & irregularis euadit, qui contracto matrimonio, etiam nondum consummato ordines suscipit, extra casus, à iure permissos, extrau. Ioan. XXII. *antiquæ de voto, & voti redemptione.* quinam verò sint casus in iure permissi, alibi disquirendum erit; interim adi Ferdin. §. 1. citat. n. 10.

10. Qui sede vacante, non arctatus necessitate beneficij accepti, aut accipiendi intra annum ad sacros ordines promouetur cum litteris dimissoriis capituli, suspenditur: si verò minores tantùm acceperit, non suspenditur quidem, sed priuilegio clericali, præsertim in criminalibus nō gaudet. Ita Trident. s. 7. c. 10. de reformat. immò ne quidem primā tonsuram id temporis cum eiusmodi litteris dimissoriis capere potest, quamuis nulla in eum pœna statuatur, si secùs fecerit. Ita Nauarr. consil. 27. de temp. ordinand. Rodrig. tom. 1. sum. c. 14. n. 6. Garc. 5. par. de benefic. c. 7. n. 95. Ferd. d. 4. p. 10. §. 1. n. 11.

11. Qui ordinatur absque titulo patrimonij vel beneficij, & paciscitur cum ordinante aut præsentatore se non petiturum ab ipsis alimēta, suspenditur suspensione Pontifici reseruata, cap. *per tuas*, & cap pen. *de simonia*, neque ab ea suspensione excusat ignorantia, nisi omninò inuincibilis, & inculpabilis fuerit, vt docent Suar. disp. 31. s. 1. n. 34. Hurtad. disp. de suspens. difficul. 13. n. 37. Coninch. disp. 15. n. 58. Ferdin. §. citato n. 12. ordinans porrò talem, suspenditur à collatione ordinum, & præsentator ab executione, quod si Episcopus conscius sit inopiæ ordinati, obligabitur illum alere: ordinatus verò qui pactum de quo dicebamus non pepigit, non suspenditur, quia pœna illa, quæ ipsi imposita fuerat, cap. *neminem.* & cap. *sanctorum* 70. *dist.* reuocata fuit cap. *secundum Apostolum de prebendis*, & cap. *si Episcopus eodem titulo in 6.* neque innouata fuit per Tridentinum sessione vigesima prima, capite secundo, de reformat: qui

falsis probationibus titulum finxit, Episcopumque decepit, suspensionem incurrere dicitur ipso iure. probabiliùs tamen negat Ferdin. à Castro tracta. de ordine punc. 12. eo certè casu Episcopus ordinans cum nullam culpam commiserit, non tenetur ordinato alimenta ministrare.

12. Suspendi dicuntur, qui ordine vtuntur in loco interdicto idque colligunt ex cap. *tanta. de excessib. prælato.* glossa ibid. ✝. irritas. Silu. ✝. interdictum, 6. n. 3. Angel. ✝. eod. 7. n. 7. Armilla n. 58. alij prol ant ex cap. *Episcoporum. de priuil. in 6.* alij ex cap. *postulasti. de cleric. excomm. minist.* Alij ex cap. *is qui de sentent. excomm. in 6.* verum ex nullo istorum probari hanc suspensionem, ostendunt Filluci. tract. 7 cap. 15. q. 2. num. 98. & Ferdinand. disputat. 4. punc. 10. §. 2. num. 7. quare in re dubia immorandum non est.

13. Episcopus ex collatione ordinum sæpiùs incurrit suspensionem. 1. enim simoniacè ordinem conferens suspenditur, ex extrauag. 1. & 2. *de simonia.* & Pij V. constitut.

2. Conferens primam tonsuram infanti illiterato, coniugato, & non subdito, suspenditur per annum à collatione primæ tonsuræ. cap. *nullus Episcopus. de temporib. ordinat.* quod cap. cum agat de sola collatione primæ tonsuræ, extendi non debet ad collationem minorum Ordinum, quare si infanti illos conferat Episcopus, non propterea suspenditur à collatione minorum ordinum: si verò conferat non subdito, suspenditur quidem per annum à collatione ordinum, quos contulerit, non quidem ex cap. *nullus*, sed ex cap. *eos qui de temporib. ordinat.* & Trident. sess. 23. cap. 8. de reformat.

3. Ordinans aliquem absque litteris dimissorijs sui prælati, suspenditur per annum à pontificalibus. ex Trid. sess. 14. cap. 8. de reformat.

4. Eadem pœna plectitur ordinans vltramontanum, absque litteris dimissorijs sui Prælati, & approbatis in vrbe à Vicario Pontificis, aliis autem in locis à nuntiis, seu illorum collectoribus. ordinatus verò perpetuo suspenditur, à Trident. sess. 14. cap. 8. de reformat. & Vrbano VIII. an. 1624. constitutione *secretis æternæ prouidentiæ*.

5. Conferens ordines in aliena Diœcesi, suspenditur absolutè. Trid. sess. 6. cap. 5. de reformat.

6. Conferens ordinem bigamo, aut publicè pœnitenti, suspenditur per annum à Missæ celebratione. cap. *nullus pœnitentem.* 55. *distinct.* vbi tamen potiùs præceptum, quam suspensionem ferri aduertit Bonac. disp. 3. de censur. in partic. q. 6. p. 6.

7. Eidem pœnæ subiicitur, qui inuitum, & reclamantem ordinarit. capite. *Episcopus distinc.*

8. Ordinans indignum in sacerdotem, incurrit ipso iure suspensionem à collatione ordinis sacerdotalis, vti censet Sayr. lib. 4. cap. 12. 17. cum tamen Suar. disp. 40. sect. 8. n. 5. & Bonac. disp. 3. q. 2. p. 3. velint esse tantùm ferendam.

9. Qui promouet, & ordinat religiosum ante professionem, vel vota in religione approbata emissa, suspenditur per annum à collatione ordinis, quē illi contulit. ita Pius V. constitut. 75. *Romanus Pontifex* licet verò ordinare religiosū Societatis Iesu post vota simplicia in illa emissa, sicut professos aliorum Ordinum ipsiusque Societatis: quod edixit Gregor. XIII. cōstitut. edita ann. 1582. & obseruant Sayr. lib. 4. cap. 12. n. 21. Henriq. lib. 13. cap. 37. n. 1. Filluc. tract. 17. n. 141. Bonac. disp. 3. q. 2. punc. 10. Ferdinand. disp. 4. punc. 10. §. 5. n. 1.

10. Ordinans religiosum absque licentia sui prælati, remouetur à cōmunione aliorum Episcoporum. ex cap. *si quis. vlt. distinc.* an verò ea pœna sit suspensio, aut partialis quædam excommunicatio, diximus hoc ipso opere. vide Henriq. lib. 13. cap. 18. n. 3. Sayr. cap. 12. citato. n. 24. Filluc. tracta. 17. n. 144. Bonac. q. 2. citata. p. 7.

11. Ordinans accepto iuramento ab ordinato, nihil à se petiturum in sustentationem defectu beneficij, & patrimonij, quo vtroque caret, suspenditur per triennium à collatione ordinum, vt iam monuimus. ex cap. *si quis ordinauerit. de simonia.*

Denique conferens duos ordines eodem die, aut duobus continuato ieiunio triennio, suspenditur à collatione vtriusque ordinis: quod etiam monuimus cap. *litteras. de temporib. ordinat.* quam censuram non innouauit quidem Tridentinum, sed neque eam abrogauit sess. 23. cap. 13.

14. Religiosi ordinem sacrum in Apostasia recipientes, suspenduntur ab illius executione, suspensione Pontifici reseruata. cap. *consultationi vlt. de Apostatis.* vnde fit, vt ante solutam eam suspensionem, nequeant etiam cessante Apostasia ad superiorem ordinem promoueri ex regula à nobis hoc opere explicata, prohibita executione ordinis inferioris, prohiberi quoq; susceptionem superioris, itàque tradunt Suar. disp. 31. sect. 6. num. 3. Sanch. lib. 6. in decalog. cap. 8. num. 22. Filluc. tract. 17. num. 166. Bonac. disp. 3. q. 7. punc. 9. Ferdinand. disp. 4. punc. 10. §. 5. n. 1. An Apostatæ verò sint irregulares, diximus non esse ✝. *Apostasia*, vide Sanch. l. c.

15. Criminosus qui postulat promoueri ad ordines, si inciderit in crimen quod illum faciat irregularem, & de illo interrogetur ab Episcopo, debebit illud fateri, aut à susceptione ordinis desistere: quod pluribus ostendit Sanch. lib. 7. consili. cap. 1. dub. 46. debetque Episcopus illum reiicere, quem præuidet, declinandi iudicij causa, velle promoueri ad ordines, itàque iubet Tridentin. sess. 23. cap. 4. de reformat. de his omnibus vide fusiùs Thesaur. 2. p. praxis. ✝. ordo. per 32. capita.

P

Papa Romanus. Qui litteras Pontificis Romani legitimè electi, quamuis nondum coronati, impugnant, excommunicantur. extrauag. *quia nonnulli.* de sentent. excommunic. quæ censura nō est reseruata. Ratio huius censuræ est, quia coronatio non facit Pontificem, neque iurisdictionem confert. Dixi legitimè electi, quia si eas litteras impugnaret eo quod non sit legitimè electus, aut alia ex causa, quàm ex defectu coronationis, non incurreret hanc censuram, vti obseruant Nauarr. cap. 27. n. 147. Sayr. lib. 3. c. 35. n. 19. Tolet. lib. 1. cap. 40. n. 3. Suar. disp. 13. sect. 2. n. 1. Filluc. tracta. 14. n. 78. Bonac. disp. 2. q. 2. punc. 11. Ferdinand. disp. 3. punc. 35. n. 5.

Parrochus, & iura parrochialia. 1. extrauag. 2. de treuga & pace excommunicantur Germani religiosi, & Parrochi illius Prouinciæ, non seruantes inter ipsos, illa cadem extrauagante constituta,

constituta, neque absolui possunt, nisi de consensu partis læsæ, & præstita ipsi satisfactione. vide Bonac. disp. 2.q.8.p.15.

2. Religiosi qui clericis, vel laicis sacramenta vnctionis extremæ, vel Eucharistiæ, ministrare aut matrimonia solemnizare præsumunt absque speciali parochi licentia, incurrunt excommunicationem reseruatam Clem. *religiosi. de priuilegijs.* Eam explicuimus nuper. ✠. matrimonium. vbi & quid nomine religiosi, & solemnizationis matrimonij, atque licentiæ parochi, indicauimus. Nunc tantum moneo ex administratione baptismi etiam solemnis, vel confirmationis, ordinis, ac pœnitentiæ, non incurri hanc censuram, quia clementina meminit solius vnctionis extremæ, Eucharistiæ, & solemnizationis matrimonij, & pœnæ extendendæ non sunt. idque obseruant Glossa, & Ioann. Andr. in eam Clem. Sayr lib. 3. cap. 29. numer. 95. Suar. disp. 22. sect. quarta, numero 13. Filuc. trac. 15. cap. 8. numer. 168. Bonac. disp. 2. quæst. 9. p. 3. numer. 11. & Ferdinand. disp. 3. punc. 25. numer. 9. extrema verò necessitas excusat ab hac censura, vt ijdem DD. tradunt.

3. Clerici inferiores Episcopo, qui obtinent à Pontifice Ecclesias parochiales cum iuramento illis intra tempus personaliter inseruiendi, excommunicantur excommunicatione Pontifici reseruata, si iuramentum non impleant. Ita Pius IV. constitut. 87. *inter multiplices curas.* quam excommunicationem extendit aduersus eos, qui ea beneficia permutant, resignant, aut cedunt, quauis ex causa, vel ea permutata, resignata, aut cessa accipiunt, in ijsque omnibus consilium, auxilium, aut fauorem scienter præstiterint, siue laici, siue clerici fuerint. Hæc constitutio videtur vsu abrogata, cum neque in Bullarium relata sit, neque in prouisionibus pontificijs eiusmodi iuramentum exigatur: quod monent Bonac. disp. 2. q. 3. p. 1. & Ferdinand. disp. 3. punc. 29. n. 3.

4. De parrochis qui assistunt matrimonio aliorum, quàm suorum parrochianorum diximus ✠. *matrimonium.*

Patronus. Ius patronatus. 1. qui vacantium Ecclesiarum monasteriorum, aliorumue locorum piorum iura, custodiam, aduocationem, & quod inde sequitur iurispatronatum, ac denique regalia, siue tributum Regi aliàs debitum, & Ecclesiæ cessum vsurpare, atque vi eiusmodi tituli, illa bona, aut loca occupare præsumunt, excommunicantur. cap. *generali constitutione, de electione in 6.* quæ excommunicatio reseruata non est. Ad illam verò requiruntur duo, nempe vsurpare eiusmodi aliquod ius, & simul ratione illius bona, vel loca occupare. ita cum Gemini. & Panorm. Tolet. libro primo, capite 38. numero quatto. Caietan. ✠. excommunic. cap. 38. Sayr. lib. 3. cap. 34. numer. 10. Nau. cap. 27. num. 123. Suar. disp. 23. sect. 3. num. 6. Filuc. tract. 14. num. 56. Bonac. disp. 2. quæst. 2. p. 23. Ferdin. disp. 3. punc. 31. num. 4. est tamen alia quædam excommunicatio reseruata, aduersus quamlibet vsurpationem iurium, aut bonorum Ecclesiæ, de qua dicam ✠ *vsurpatio.* Excommunicatio porrò, de qua modo agimus, extenditur ad clericos, monachos, aliosue eorum locorum, qui hæc fieri procurant, id est positiuè concurrunt, vt hæc iura vsurpentur, & bona occupentur: qui verò non se opponunt, vt debent, & possunt, priuantur perceptione fructuum, ad quam tamen pœnam requirit sententiam declaratoriam Suar. & Ferdinand. contra Bonac.

2. Patronus præsentans scienter indignum, priuatur ea vice iure præsentandi. c. *cum in cunctis. de electione.* vide Barbos. in collectaneis ad illud c. n. 36. & Lambertin. de iure patronat. 1. p. lib. 2. q. 10. A. 4. non incurrit tamen in pœnam suspensionis, de qua agitur in illo cap. *cum in cunctis*: quod obseruant Tolet. lib. 1. cap. 48. §. 6. & Sayr lib. 4. cap. 15. n. 11. nempe si patronus est laicus: quia Ecclesiasticus præsentando dicitur eligere, ideoque pœnam eligentis indignum incurrere de qua diximus ✠. *electio.*

Pœnitentiaria. officiales sacræ pœnitentiæ, qui accipiunt vltra suum stipendium munera, excommunicantur excommunicatione reseruata à Pio V. constitut. 83. *in omnibus rebus.* de qua diximus ✠. munera.

2. Qui executionem literarum sacræ pœnitentiariæ iniustè impediunt, aut illi impedimento auxilium, consilium, & fauorem impendunt, ijsdem pœnis subijciuntur à Iulio III. constitut. 1. *rationi congruit.* quibus plectuntur in bulla cœnæ, qui literarum Apostolicarum exetutionem impediunt, hoc est excommunicatione reseruata. Sapienter tamen monent Ferdinand. disp. 3. punc. 30. num 7. & Bonac. disp. 2. q. 3. p. 19. nu. 6. eum qui potest absoluere ab omnibus censuris reseruatis, præterquam, bullæ cœnæ, posse nihilominus absoluere ab ista, quia non est excommunicatio bullæ cœnæ formaliter, sed extra illam, quamuis eius legis conditiones imitetur. exceptio verò, & restrictio priuilegij, extendi non debet, sed potius coarctari.

3. Pius IV. constitutione *in sublimi B. Petri solio*, quam integram refert Ferdinand. di. 3. punc. 37. n. 11. excommunicat maiorem pœnitentiarium, & officiales pœnitentiariæ se intromittentes in expeditionibus prohibitis ea constitutione.

Pensio Ecclesiastica. in litteris reseruationis pensionis, apponi solet clausula ex stylo curiæ, vt qui debitam pensionem non soluerit die ibi designato, sententiam excommunicationis incurrat: quod si reseruatio facta fuerit ratione resignationis, infligitur pœna priuationis beneficij, fitque resignanti potestas, & ius regressus, & accessus ad idem beneficium, vt per se vel per alium possessionem corporalem propria auctoritate possit apprehendere: sed de his alibi, consule interim Ferdinandum à Castro Palao trac. 13. disp. 1. punc. 7. Azor par. 2. lib. 8. c. 9. & de hac pœna Suar. disp. 20. de censur. sect. 2.

Peregrinatio. 1. qui Romipetas & limina Apostolorum visitantes ceperint, aut spoliarint *communione christiana carere debent*, donec satisfecerint. cap. *si quis Romipetas* 24. q. 3. quam esse excommunicationem, sed ferendæ tantùm sententiæ, docuit Molin. disp. 666. alijque. verum isti in excommunicationem reseruatam incidunt, in bulla cœnæ can. 10. de qua vide commentatores.

2. Accedentes ad sacrum sepulchrum deuotionis causa, absque venia Romani Pontificis, incurrunt excommunicationem ipsi reseruatam, vti refert S. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 30. non ex certo aliquo iure, sed ex libro pœnitentiariæ summi Pontificis; ex Antonino. Deinde acceperunt Nauarr. cap. 27. n. 110. Suar. disp. 22. sect. 6. n. 9. Sanch. in decalog. lib. 4. c. 13. n. 9. Bonac. disp. 2. q. 3. p. 39. & alij, qui censurarum indices texuerunt.

Piratæ. cap. 3. bullæ cœnæ excommunicantur, omnes piratæ, cursarij, & latrunculi maritimi

qui animo prædandi mare Pontificium infestant, eorumq; receptatores, ac fautores. Olim omnes piratæ excommnnicabantur, vti constat ex bulla Martini V. relata ab Antonino 3. p. tit. vigesimoseptimo cap. 72. & ex bulla Iulij II. Gregor. XIII. & Sixti V. posteriores vero Pontifices restrinxeruntad mare Pontificium in suis bullis. An verò ad hanc excommunicationem sufficiat mare infestare animu deprædationis, quamuis nulla adhuc sit commissa prædatio, dissentiunt DD. Communior sententia affirmat: negat verò Caietan. ℣. excommunica. cap. 18. Sayr. lib. 3. cap. 7. nu. 5. Ferdinand. disp. 5. punc. 4. num. 4 quia piratæ vox id sonat. Hæc autem deprædatio facta sit oportet Christianis, & fidelibus, nam si Turcarum v. g. naues deprædentur, immunes erunt ab excommunicatione, nisi ex ea deprædatione, fidelibus damnum contingat. vide Bonac. & Ferdin.

Prædicator. Leo X. in conc. Lateran. sess. 11. & in constitutione, *superna maiestatis.* excommunicat omnes sæculares, & regulares, qui sacram scripturam contra proprium sensum ab Ecclesia approbatum explicare, & prædicare præsumpserint, estq; ea excommunicatio reseruata.

2. Eadem excommunicatione ibi feriuntur, qui vel certum iudicij tempus, vel alia futura ex sacris litteris prædicere, & prædicare ausij fuerint. Aduertit tamen Ferdinand. à Castro Palao disp. 3. punc. 29. numer. quarto cum Caietan. ℣. excommunicatio cap. 8. Nauarr. cap. 27. num. 110. tum hanc, tum plures alias excommunicationes latas à Leone X. in conc. Lateran non fuisse receptas; neque multùm dissentit Suar. disp. 22. sect. 6. num. 8. Filuc. trac. 15. nu. 117. & Bonac. disp. 2. q. 6. punc. 2.

De prædicantibus aduersus decimas, diximus ℣. *decima.*

R.

Raptores fœminarum, eisque auxilium, & fauorem præstantes, excommunicantur à Trid. sess. 24. cap. 6. de matrimo. reformat. de impedimento raptus alius erit dicendi locus.

Religio Religiosi. 1. Martin. V. extrau. 1. *viam ambitiosæ. de regularib.* excommunicat ipso facto religiosos mendicantes, qui sine speciali licentia sedis Apostolicæ, cuiuslibet indulti prætextu transeunt ad aliquem ordinem monachorum (Chartusiensium excepto,) admittentes eidem censuræ subijcit; ingressum omniaque inde subsequuta, irrita reddit. ex vi igitur huius constitutionis non prohibetur simpliciter mendicantibus transitus ad aliam religionem, sed ad monachalem tantùm, non autem ad aliam mendicantem; sicut neque transitus de non mendicantibus ad mendicantes: quare singularum religionum priuilegia consulenda erunt.

Deinde transitus prohibetur vi alicuius indulti factus, quare si aliaquapiam de causa fiat, non incurretur ista excommunicatio, quod obseruant Sanch. lib. 6. in decalog. capite 7. numer. 110. Bonac. disp. 2. de censur. in partic. quæst. 9 punc. 1. numero quarto & Ferdinand. disp. 3. punc. vigesimoseptimo, numero sexto. Tertio excipitur ordo Carthusiensium, ad quem licuit omnibus mendicantibus transire, petita solius superioris licentia, quamuis non obtenta Paul. tamen V. 3. April. an 1610. interdixit omnibus Carmelitis sub pœna excommunicationis ipso facto, transire ad Carthusiam, nisi obtenta suorum superiorum licentia: quo priuilegio gaudet specialiter Societas Iesu, vt tradunt Sanch. loco citato. Bonac. 2. p. laudatæ quæstionis, & alibi fuerit disputandum. Consule interim Ferdin. à Castro. trac. 16. disp. 4. punc. 26. & quæ nos diximus in opere de clausura. disq. 2.

2. Ioann. XXII. extrau. *ad nostram. de regula* excommunicat omnes cuiuscumque ordinis religiosos, qui absque expressa suorum superiorum licentia, ad partes transmarinas, vbi pauci fideles sunt, se conferunt qua pœna etiam punit superiores qui eam licentiam alijs quàm literatis viris, prouidis, & expertis fecerint.

3. extrau. 1. *de simonia* excommunicantur, qui ob ingressum religionis ex pacto tacito, vel expresso, aliquid recipiunt. Clem. tamen VII. monialibus permisit conuentiones de dote. Verum hac de re fusiùs disputauimus opusculo de simonia. Vide eos qui de ea tractant atque huius censuræ expositores Suar. Ferdinand. Bonac. & alios.

4. Iulius II. constitut. *etsi ad vniuersos regulares.* excommunicat excommunicatione sibi reseruata, eos omnes qui vi & vexationibus impediuerint ingredi congregationem monachorum ordinis B. Mariæ montis Oliueti, si aliunde spectato iure communi religionem ingredi non prohibeatur.

5. Bonifacius IX. Eugen. IV. & Paul. IV. excommunicant eos, qui asserunt, vel defendunt ordines Franciscanorum & Prædicatorum non esse in statu perfectionis, ipsisq; non licere vitam eleemosynis sustentare, concionari, confessiones audire de licentia Pontificis, quique eos eijciunt ex vniuersitate Parisiensi, eorum locis vim attulerint, & in suis Ecclesijs fungi solitis muneribus impediuerint; eorum Apostatas fouerint, aut iuuerint, ne ad suum monasterium redeant; si vbi de præmissis ab ordinario loci moniti fuerint, ab his non desistant. & denique qui libellos famosos, & cantilenas aduersus eosdem ordines scripserint.

6. Gregor. XIII. constitut. 89. *ascendente Domino.* edita die 14. Iunij an 1584. excommunicat excõmunicatione sibi reseruata, eos qui institutum Societatis Iesu, vel eius constitutiones, vel suam illam bullam, aut aliquem illarum articulum, quouis quæsito colore impugnare fuerint ausi. Impugnat porro qui aduersus illa omnia argumenta tanquam efficacia proponit, & insoluta relinquit: secùs si ea diluat, tunc enim non impugnat, sed potius confirmat, vt ait Roderiq. tom. 1. qq. regula. quæst. prima A. 5. & Bonac. de censur. in particul. quæst. 3. p. 33. num. 3.

Sub eadem excommunicatione prohibet Gregori. ne quis absque Generalis, aut Præpositorum inferiorum licentia, notationes, declarationes, glossas, scholia vlla super præmissis scribere, legere, alijs tradere, aut apud se retinere possit. Qua prohibitione non continentur, qui aliquid incidenter, & alicuius alterius materiæ illustrandæ, aut explicandæ, siue confirmandæ causa, tractauerint.

7. cap. *non magnore.* cap. *super specula ne clerici vel monachi.* excommunicant religiosos qui ad audiendas leges, & physicam, id est medicinam, sua claustra deserunt, nisi ad illa intra duos menses redierint:

rederint: ea excommunicatio non est reseruata, debent igitur egredi è claustro ea intentione ad eam censuram incurrendam. Sayr. lib. 3. c. 33. 0. 3. Toler. lib. 1. c. 37. n. 9. Suar. d. 23. sect. 3. n. 15. Sanctarell. de Apostasia cap. 2. n. 16. Bonac. disp. 2. quæst. 8. p. 7. n. 4. Ferdinand. p. 32. n. 4. disp. 3. qui omnes addunt religiosum audientem eas Scholas non animo addiscendi, sed amicum sua præsentia cohonestandi, non subijci excommunicationi: si verò egressus è monasterio animum mutauerit, & vltra duos menses huic auditioni incubuerit, incurret excommunicationem, vti contra Bonac. Suar. Sayr. Ferdin. & Filluc. tract. 14. cap. 8. n. 127. docent: quia statim atque religiosus suscipit voluntatem manendi extra monasterium ad eas scientias audiendas, censetur ad eam auditionem egressus, quare sub dispositione legis comprehenditur. quod si egrediatur è monasterio animo audiendi has scientias, eas tamen non audit propter impedimentum, & intra duos menses definitos non redeat, negant subijci excommunicationi, Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 32. Caietan. ꝟ. excommunicatio cap. 50. & Filluc. trac. 14. n. 127. quia egressus non prohibetur nisi propter auditionem. at verò Suar. Sanctarell. Bonac. & Ferdin. contendunt ex communi sententia, hunc religiosum teneri excommunicatione, quia non auditio tantùm prohibetur, sed ipse egressus cum intentione auditionis. esto illa deinde non impleatur, alioquin spatium duorum mensium, de quo agit Pontifex, non à die egressus, sed auditionis computandum foret. fatentur tamen Ferdin. Sanctar. Suar. Sayr. & Toler. locis citatis, aduersus Bonac. illum, qui intra duorum mensium spatium, hanc auditionem, ad quam fuerat egressus, omisit, propter mutatam voluntatem, liberum esse ab excommunicatione, quia propter reuocationem, & cessationem prioris voluntatis non censetur egressus animo discendi, & audiendi illas scientias. denique consentiunt ijdem DD. non esse locum huic excõmunicationi, si quis exeat è monasterio animo docendi has scientias; quia Honorius III. in illo c. *super specula, ne clerici, vel Monachi* referens, & confirmans constitutionem Alexandri III. in conc. Turonensi factam & relatam cap. *non magnopere, eod. tit.* de sola auditione loquitur.

8. Gregorius X. cap. vnic. *de religiosis domibus.* excommunicat religiosos paupertatem in communi profitẽtes, qui aliquem ad professionem admitterent, aut nouam domum acquirerent, aut acquisitam alienarent, absque licentia sedis Apostolicæ. hanc excommunicationem nullius hodie efficaciæ esse monet Ferdinand. disp. 3. punc. 34. n. 10. cum ipsamet mendicantes excipiat, & alios ordines, qui post Grego. X. confirmati sunt minimè comprehendat, editaque sit ea constitutio aduersus quandam religionem, quæ hodie non extat, cuius quę meminisse videtur Ioann XXII. in extrau. *sancta de religiosis domibus.* ita Toler. lib. 1. cap. 38. n. 13. Suar. disp. 23. sect. 4. Filluc. trac. 14. n. 13 & Bonac. disp. 2. q. 8. p. 1.

Similis excommunicatio fertur Clem. *cupientes. de pœnis.* aduersus mendicantes nouas domus ad habitandum acquirentes, vel acquisitas alienantes. Verum hodie omnes mendicantes habent facultatem a sede Apostolica acquirẽdi domos, & Ecclesias atque monasteria transferendi, quare non est locus huic Clementinæ: quod monent Suar. disp. 23. sect. 5. n. 35. Toler. lib. 1. cap. 39. & alij apud Ferdinand. disputation. 3. punc. 34. num. 11.

9. Bonifaci. VIII. c. 2. *vt periculosa ne clerici, vel Monachi in 6:* excommunicat religiosos temerè dimittentes habitum suæ religionis: quæ excommunicatio reseruata non est. de illa habitus dimissione disputauimus l. de clausura disq. 2.

10. Ibidem Bonifacius simili excommunicatione percellit religiosos, qui ad quæuis studia accedunt sine licentia Prælati de consilio sui conuentus, nimirũ commorando extra claustra, alioquin non esset vagatio, quæ prohibetur hac constitutione, vti obseruant Sanch. lib. 6. in decalog. c. 8. n. 75. & 76. Suar. disp. 23. sect. 4. Toler. lib. 1. c. 38. n. 20. Sayr. lib. c. 33. n. 20. Sanctarell. de Apostasia c. 2. Bonac. disp. 2. q. 8. p. 8. n. 3. Filluc. trac. 14. n. 36. Ferdin. disp. 3. p. 33. n. 14. simili excommunicatione feriuntur magistri, & Doctores, qui religiosos habitu dimisso leges, aut physicã docent, vel in scholis suis præsumũt retinere: qua de re vide DD. allatos.

11. Excommunicantur religiosi vsurpantes decimas, vel impedientes earum solutionem. Clem. 1. *religiosi. de decimis.* si verò ille beneficium & officiũ habeat, ab administratione suspẽdit. section 12. in Clem. cupiẽtes. de pœnis. excõmunicantur religiosi, qui suis sermonibus à decimarum solutione auditores retrahere intendunt, aut qui negligentes fuerint in ea decimarum solutione suadenda pœnitentibus, suspẽduntur ipso facto; & si moniti à suis superioribus ausi fuerint prædicare non purgata negligentia, excõmunicationis sentẽtiam incurrunt. hæc autem negligentia debet esse mortaliter culpabilis. sed de his duabus postremis excommunicationibus diximus ꝟ. *decima.*

13. Clem. *ne in agro. §. quia vero. de statu Monachorum.* excõmunicãtur monachi, & clerici regulares, qui curias Principũ adeunt animo nocẽdi suis prælatis, aut monasterijs: de qua diximus ꝟ. *curia.*

14 eadem Clement. excommunicantur monachi tenentes arma intra septa sui monasterij de ea diximus ꝟ. *arma.*

15. Clem. *attendentes. de statu monacho.* excommunicantur impedientes visitatores monialium in suo munere, nisi moniti resipiscant: quæ monitio iuridica esse debet. vide Suarez disp. 23. sect. 5. n. 9. Nauarr. cap. 27. n. 140. & alios.

16. Clem. V. *de religios. domibus.* excommunicantur assumentes statum Beghinarum. Sed de Beghinis fusiùs disputauimus de clausura disq. 1. cap. 13. consect. 6.

17. Clem. 1. *ex frequentibus. de senten. excomm.* religiosi non seruãtes interdictum locale generale, vel cessationem à diuinis positã authoritate Apostolica, vel ordinarij loci excõmunicantur. necesse igitur est vt hoc interdictũ sit locale generale, toti videlicet prouinciæ, vel ciuitati impositũ, nõ vni alicui tãtum Ecclesię particulari. deinde vt seruetur ab Ecclesia Cathedrali, aut matrice, ne eius honor cõtẽnatur: quare licet interdictum foret inualidũ, si tamẽ ab Ecclesia matrice seruetur, à religiosis quoq; seruandum esse docẽt Toler. lib. 1. c. 39. Sayr. lib. 3. c. 33. n. 40. Bonac. disp. 2. q. 8. p. 1. n. 6. Ferdin. disp. 3. p. 34. n. 14. qui omnes sequuti sunt glossam in Clem. citata: ꝟ. *appellationibus.* 3. debet hoc interdictum esse prohibitum authoritate Apostolica, vel Episcopi ordinarij loci, vel à consilio prouinciali, vt dicitur ea Clementina; quæ tamen minimè derogat priuilegijs, quæ concessa sunt quibusdam regularibus, eo tempore diuina officia celebrandi in suis Ecclesijs quibusdam festiuitatibus

quibus tamen priuilegiis in hac parte derogasse Tridentin. sess. 25. cap. 12. existimarunt Nauarr. cap. 27. num. 190. & consil. 7. de Priuileg. Garci. 3. p. de benefic. cap. 2. n. 278. & 3. par. cap. 8. n. 87. vbi ait, Cardinales consultos ab Episcopo Abulensi respondisse Priuilegia ante Tridentinum concessa, reuocata fuisse illo decreto: veriùs tamen id negant Henriq. lib. 13. cap. 48. Roderiq. 2. qq. regula. quæst. 112. a. 1. & in bullam cruciatæ. §. 5. n. 15. Ionn. de la Cruz, de statu religioso. lib. 2. cap. 7. Sayr. lib. 5. cap. 13. n. 24. & 25. Ferdinand. disp. 3. punc. 34. sub fin. quia Tridentinum nullam eiusmodi reuocationis mentionem facit, vti tamen facere solet.

18. Ioann. XXII. extrau. *sancta Romana de religiosis domibus*. excommunicat eos, qui fictam religionem fratricillorum, Bizochorum, & Beguinorum profitentur, vel de nouo eam assumendo, vel in ea perseuerãdo & Prælatos, qui sine Põtificis facultate illos admittũt. Hanc excõmunicationem extẽdũt aliqui ad eos, qui sine sedis Apostolicæ licentia, nouam religionẽ instituerent: quod negant sapiẽter Caietan. ✠. excomm. c. 5. Suar. disp. 23. sect. 6. n. 4. & alij apud Ferdin. à Castro disp. 9. punc. 35. n. 2.

19. Leo X. constitut. *dudum per nos* excommunicat prædicantes, vel priuatim docentes, indulgentias B. Mariæ ad populum obtineri posse à sæcularibus visitãtibus Ecclesias religiosorum. Hæc constitutio non reperitur in bullario, vt obseruat Bonac. disp. 2. q. 8. p. 10. refertur tamen à Viuald. inter excomm. non reseruatas. n. 43. & Filluc. trac. 14. cap. 8. q. 11. eius tamen obligationem cessasse, non leuis coniectura est.

20. Leo X. vt refert Viuald. loco nuper citato. n. 42. ex minorum priuilegiis, excõmunicat fratres, & moniales S. Claræ vtentes bulla cruciatæ, aliisque confessoribus absque licentia suorũ superiorum: sed cum neque à bollario, neque ab aliis auctoribus texentibus excommunicationum indices, addocatur, eius obligatio cessasse videtur.

21. Leo X. in bulla vnionis, excommunicat Fratres reformatos S. Francisci transeuntes ad non reformatos, ipsosque recipientes, nisi capitulum prouinciale iudicet minus malum esse dimittere reformatum ad non reformatum, quàm illum inter reformatos retinere. ita Sorbus in additionib. ad collector. ✠. conuentuales n. 2.

22. Iul. II. constitut. *exponi*. excõmunicat. Fratres S. Francisci de Paula recipiẽtes religiosos Minores de obseruantia, absq; venia Pontificis. Paulus III. constitut. Romani. an. 1537. Iulius III. an. 1550. constitut. *officij*. Sixtus V. an. 1586. constitut. *pro ea* excommunicat Capucinos recipientes Minores de obseruantia, absque Pontificis facultate, vel suorum prouincialium in scriptis obtenta; comprehendit quoque minores ad Capucinos se transferentes, absque ea licentia.

23. Religiosi apostatæ ordinem sacrum in apostasia suscipientes, suspenduntur ab illius executione. cap. *consultationi, de Apostatis*. de qua suspensione ✠. *Apostasia, & suspensio*.

24. Cap. *non solum. de regularib. in 6*. religiosi ordinum Prædicatorum, & Minorum, qui admittunt aliquem ad professionem non completo nouitiatus anno, suspenduntur à receptione ad professionem, & pœnis, pro culpis grauibus vsurpari solitis in ea religione, puniendi sunt, quam censuram ad omnes mendicantes extendit c. *constitutionem. eod. tit. & lib*. vt ad posteriores etiam non mendicantes, qui Alexandri IV. & Bonifacij VIII. tempora sequuti sunt, extendunt Suar. disp. 31. sect. 6. n. 7. Henriq. lib. 13. cap. 4. n. 1. Sanch. lib. 5. in decalog. c. 4. n. 8. Filluci. tract. 17. n. 166. Bonac. disp. 3. q. 8. punc. 5. n. 12. Ferdin. à Castro Palao disp. 4. de censur. p. 10. §. 6. num. 2. Moniales hac lege non comprehenduntur, quia in pœnalibus fœmininũ non comprehenditur sub masculino. Deinde moniales sunt incapaces suspensionis, posset tamen illis imponi per modum pœnæ, ne quam accipiant ad professionẽ, eo quod in illa admittenda peccauerint: quamuis autem admissio ad professionem pendeat à conuentu, & non à singularibus religiosis, non suspenditur tamen conuentus, sed singulares religiosi, qui sua vota conferunt ad illam admissionem: quod ex ipsomet contextu ostendit Ferdin. aliis relatis. additque cum Sanch. contra Bonac. ll. cc. post Tridentin. decretum sess. 25. cap. 15. de regularib. irritans eiusmodi professionem, huic suspensioni non esse locum, quia illa ferebatur ne inducerent nouitiis obligationem, quam affert professio: quæ ratio cessat irritata eiusmodi professione.

25. De suspensione aduersus eos, qui bona monasteriorum ad lõgum tempus alienant, lata Clem. 1. *de rebus Ecclesiæ non alien*. diximus ✠. *alien. n. 5*.

26. De suspensione religiosis inflicta, ob sibi appropriatas, & suis familiaribus decimas. Clem. 1. *de decimis*. & Clem. *cupientes. de pœnis* diximus ✠. decimæ.

27. Clem. 1. §. *quibus. de priuileg*. suspenduntur religiosi, qui accepta propter excessus in illa Clementina enumeratos, non restituerint parti læsæ, intra mensem, postquam fuerint requisiti. Sunt autem isti excessus 1. in concionibus detrahere Prælatis. 2. laicos ab Ecclesiarum suarum præsentia, vel accessu retrahere. 3. auocare testatores à restitutionibus, debitis, & legatis, matrici Ecclesiæ faciendis. 4. indulgentias indiscretas pronuntiare. 5. legata, vel debita, vel ablata incerta sibi, aut conuentibus in aliorum præiudicium procurare. 6. à casibus Apostolicis, aut Ordinarij absoluere. 7. personas Ecclesiasticas coram iudicibus delegatis à sede Apostolica, suam causam prosequentes indebitè vexare.

28 Suspenduntur Clem. 1. §. *si quis autem de statu monachorum*. religiosi nigri non vtentes forma vestium ibid. præscripta, cui censuræ videtur vsus derogasse.

29. *In eadem Clem. §. eod*. variè suspẽduntur ijdem monachi nigri, qui venationi, aut occupationi clamorosæ assistunt. Vide Sayr lib. 4. cap. 13. n. 7. Suar. disp. 31. sect. 6. Filluci. trac. 17. n. 169. Bonac. disp. 3. q. 8. p. 15.

30. Antonin. 3. p. tit. 27. cap. 4. refert. Clem. IV. prohibere Fratribus prædicatoribus ad Episcopatum promotis, ne consecrationem suscipiant, antequam libros, aliaque omnia restituant ordini.

31. Qui religiosos peregrinantes sine patentibus litteris suorum superiorum admittunt in suis monasteriis, priuantur voce actiua, & passiua, officiis, gradibus, & dignitatibus, contrahuntque inhabilitatem perpetuam ad illa. ipsi verò religiosi his litteris carentes, subiiciuntur locorum ordinariis, qui illos carcere detinere possunt, donec de ipsis notitiam habeant, ex constitut. 71. Sixti V. *cum de omnibus*, qui alia constitutione: *ad Romanum*. extendit priorem illam ad religiosos qui ab

ab vno loco in alium intra eandem prouinciam peregrinantur.

32. Religiosi non possunt Romam accedere sine licentia protectoris, vel Generalis, vel prouincialis; iste verò non debet illam concedere, nisi ob bonum totius prouinciæ, alioquin accedentes puniuntur per biennium priuatione vocis actiuæ & passiuæ; eaque pœna à solo Pōtifice laxari poterit. Ita Clem. VIII. an. 1599. 25. Iunij edidit constitut. 60. *nullus omninò* §. 23. Trident. sess. 25. cap. 14. de regul. eundem accessum Romam sine licentia, prohibuit religiosis, nisi à suis superioribus vocati fuerint: aliàs verò tanquam Apostatas à locorum ordinarijs puniri voluit. Quod tamen non intelligendum est de iis qui causa grauaminis manifeste iniusti, cui aliter occurrere nequeunt, accedant Romam.

33. Religiosus extra claustra notoriè delinquens, puniri debet à suo superiore ad instantiam Episcopi, intra tempus ab ipso definitum, illumque de punitione facta certiorem reddere, alioquin officio priuandus erit à suo Prælato, & delinquens punietur ab Episcopo. Trident. sess. 25. cap. 14. de regula, quod decretum Clem. VIII. constitut. 39. *suscepti muneris* confirmauit, & superioribus illud non obseruantibus imposuit priuationem dignitatum, & officiorum ipso iure. Hoc porrò decretum aliqui extendunt ad religiosos etiam intra claustra scandalosè delinquentes, & in flagranti deprehensos: sed malè, vt videbis apud Dian. 1. par. tract. 2. resolut. 132. qui alios auctores dabit. Idem Trident. sess. 6. cap. 3. de reformat. edicit regularem extra claustra degentem, etiam de licentia sui superioris, si deliquerit, puniri, & corrigi posse ab ordinario loci, tanquam Apostolicæ sedis Legato.

34. Religiosus proprium habens, itaque decedens, priuatur Ecclesiastica sepultura, proiiciendus in sterquilinium cum sua pecunia, cap. *monachi cùm ad monasterium*, c. *super quodam de statu Monacho*. & religiosus deprehensus, & conuictus proprietarius, biennio priuatur voce actiua, & passiua à Trident. sess. 25. cap. 2. de regula, ad quod opus erit sententia saltem declaratoria, de his omnibus vide Sanch. lib. 7. in decal. cap. 20.

Reliquiæ. De mandato Pauli V. an. 1613. die 24. Augusti, Vicarius vrbis edixit ne quis intraret cryptas, catacumbas, cœmeteria, atque ex illis reliquias, vel earum minimas particulas extraheret, sub pœna triremium, & aliis vicarij arbitrio imponendis, atque etiam excommunicatione reseruata Pontifici, cui simile edictū ann. sequenti publicatū fuit. Extenditur ea excommunicatio ad cooperantes illi extractioni, auxilium, vel fauorem præstando, vel illam permittendo, in loco cuius curam habent, atque ad eos qui illi extractioni consenserint, & denique qui scientes illas, sic absque licentia Pontificis extractas fuisse receperint. Notarij verò & alij omnes etiam regulares, qui fidem publicam, vel priuatam de extractione fecerint, absque licentia vicarij, aut circa donationem, consignationem, translationem, aut quemlibet alium contractum, vel scripturam, in qua de reliquiis mentio habeatur, subiiciuntur priuationi officij, & aliis pœnis. Monet porrò Ferdin. à Castro, disp. 5. punc. 3. n. 22. probabile esse hac excommunicatione exteros Romam venientes, nisi ibi aliquandiu commorentur non comprehendi; quia lex priuata est Vicarij Romæ; quamuis contrariū ipse probabilius existimet, eo quod illa lex fuerit nomine Pontificis lata, non ipsius vicarij, qui tunc erat Cardinalis Mellinus: vnde hodie quoque perseuerare hanc legem, quia pontificia verè fuit, opinatur.

Repræsaliæ. cap. vnic. *de iniuriis in 6.* excommunicantur concedentes repræsalias, contra personas Ecclesiasticas, aut contra Laicos concessas ad Ecclesiasticos extendentes, si fuerint singulares personæ, excommunicantur (vt dixi) si vniuersitates interdicto subiiciuntur, nisi reuocauerint intra mensem à concessionis, vel extensionis tempore. Reuocationem porrò concessionis fieri debere integra re, antequam executioni mandetur, existimat Ferdinand. disp. 5. punc. 33. n. 19. cum glossa Franco. & Geminian. in illud cap. vnic. atque Sylu. v. excommunicatio 9. n. 63. & Tolet. lib. 1. cap. 38. num. 27. contra Suar. disp. 23. sect. 4. num. 50. Bonac. disp. 2. quæst. 2. p. 21. n. 24. & alios, quia concessio posita executione reuocari nequit, cùm iam habuerit suum effectum. Executio verò per restitutionem rei, & repositionem in eodem statu, in quo erat ante, emendari potest.

Residentia. 1. Trident. sess. 6. cap. 1. Episcopos non residentes per sex menses, priuat parte fructuum applicanda fabricæ Ecclesiæ, & pauperibus; si verò aliis sex mensibus abesse pergant, alia parte fructuum mulctat; quod si pergant in contumacia, iubetur illorum superior ipsos denuntiare intra tres menses Papæ puniendos; nempe Metropolitanus suffraganeos denuntiabit, Metropolitanum verò eius antiquior suffraganeus: qui hanc monitionem omiserit, incurret ipso facto interdictum ab ingressu Ecclesiæ. Deinde Trident. sess. 23. cap. 1. de reformat. hoc suum decretum etiam ad Episcopos Cardinales extendit, multaque alia edixit circa hanc Episcoporum residentiam. Vide Vrbanum VIII. cōstitutione sua edita an. 1634. 12. Decemb.

2. Ex cap. *extirpandæ*. §. *qui verò de præbend.* Parrochus non residens, ipso facto priuationem parrochiæ, quæ alteri conferri potest, incurrit. Disputant verò DD. apud Garciam 3. p. de benefic. cap. 2. n. 135. quomodo & an ipso facto incurritur hæc pœna. Verùm hodie ex conc. Trid. sess. 23. cap. 1. requiritur sententia, præuia citatione & monitione.

3. Porrò idē Tridēt. ibid. omnes pœnas tū eo loco, tū sess. 6. c. 1. de reformat. aduersus Episcopos non residentes, extendit ad Parrochos, aliosq; beneficia cum cura animarum habentes, permittit tamen vt abesse possint per bimestre relicto idoneo vicario causa cognita, atq; licētia in scriptis obtēta ab Episcopo, qui alioquin aduersus illos procedere poterit.

5. Canonici, & clerici collegiatarum, & cathedralium Ecclesiarū non interessentes diuinis officiis, nō faciunt suas quotidianas distributiones, c. vnic. *de cleric. non residem. in 6.* si verò non resideant in ciuitate, amittit etiam fructus præbendæ, c. *cū omnes 6. de constitut.* nisi absint pro vtilitate Ecclesiæ, c. *nō decens, de elect. in 6.* Trident. sess. 24. c. 12. trimestre absentiæ concedit, aliaque circa residentiam edicit, quæ alibi examinanda sunt.

4. Clericus in sua initiatione alicui Ecclesiæ ab Episcopo suo addictus, nequit inconsulto Episcopo aliò migrare, alioquin suspenditur. Trid. s. 23. c. 16.

5. De iuramento residētiæ in beneficio curato, quod in Romana curia aliquis obtinuit, vide v. Parroch.

Resignatio. Clem. 2. *de pœnis* Prælati qui procurant, vt clerici capiantur à potestate temporali, vt beneficia habita resignent, aut citati à iure, vel ab homine ad comparendum

in Romana curia, ad illam ire non possint, suspenduntur per triennium à perceptione fructuum suarum Ecclesiarum: clerici verò inferiores priuantur ipso facto suis beneficiis. quæ suspensio, ex communi DD. ipso iure lata est, & non solùm ferenda. nomine quoque Prælatorum, ipsi etiam Episcopi designantur ex Suar. disp. 31. sect. 5. n. 19. non feruntur porrò istæ pœnæ præcisè propter extortam resignationem, aut ad impedimentum citationis; sed quia ista fiunt media temporali potestate, opus verò est vt ista omnia sortiantur effectum ad has pœnas incurrendas. vide Ferdinand. à Castro Palao disp. 4. quæst. 10. §. 4. num. 7. & ab ipso relatos.

2. Pius V. constitutione. *quanta*. 58. formam quandam præscribit Episcopis, ordinariis, & patronis admittendi resignationes; quam si violent, suspenduntur à collatione, præsentatione, electione, confirmatione, institutione: quæ suspensio reseruata est, huicque subiiciuntur recipientes talia beneficia; quod si violent talem suspensionem conferendo, præsentando, & alia eiusmodi sibi vetita faciendo; si sint singulares personæ excommunicationem, si vniuersitates, & communitates suspensionem à diuinis incurrent: quæ censuræ sunt reseruatæ.

3. De publicandis resignationibus, & super eis prouisione sedis Apostolicæ, plurima constituit Gregorii. XIII. constitut. 5. *humano*. de quibus Garci. & alij allati à Thesauro 2. p. praxis ℣. resignatio cap. 4.

4. Innoc. VIII. constitut. 13. *sicut hominis*. excommunicat fictè resignantes, aut permutantes beneficia, nempe prætextu facultatis pontificiæ, quæ tamen nulla est: quæ excommunicatio comprehendit resignantes, & resignatarios Episcopo inferiores, Episcopis enim interdicitur Ecclesiæ ingressus. deinde admittentes eiusmodi resignationes. 3. Notarios instrumentum resignationis conficientes, denique testes huius resignationis, modò omnes isti conscij sint sceleris, & fictionis: quod sapienter monet Filluc. tract. 14. cap 7. q. 7.

Ritum Latini, vel Græci in sua ordinatione mutare non debent, alioquin qui ordinantur contra ritum ordinantis, vel ordinati, suspenduntur ab executione ordinis suscepti, vide cap. *cum secundum*. cap. *quod translationem. de temporibus ordinat.*

Roma, Romana Ecclesia. 1. Nicolaus IV. cap. *fundamenta. de electione in* 6. excommunicat omnes, etiam Imperatores, & Reges, qui sine licentia sedis Apostolicæ, se intromittunt in electione Senatoris, Patricij, aut Rectoris Vrbis Romæ: quæ excommunicatio reseruata est.

2. Eugeni IV. extrau. *diuina de priuilegiis*. excommunicationi, suspensioni, & interdicto subiicit Episcopos, aliosque Prælatos, qui venientes ad Romaná curiam causa negotiorum, beneficiis priuant, & aliis conferunt, & eisdem pœnis afficit recipientes. hæ pœnæ sunt reseruatæ: de his vide Ferdinand. disp. 3. punc. 13. & nos superiùs ℣. curia.

3. Sixtus IV. constitutione *cum proinde*. excommunicat omnes, qui ex Ecclesiis, seu basilicis Romanis lapides, vel ornamenta abstulerint, ablata habuerint, subreptioni fauerint, & non reuelauerint, hæc excommunicatio est reseruata, sed vsu abrogatam dixit Filluci. tract. 17. n. 126. Ferdinandus autem existimat comprehendi in bulla Cœnæ Can. 17. & Trident. sess. 22. cap. 11. & vlt. de reformat.

4. Gregori. IV. cap. *nulli fas est*. 19. *dist.* excommunicat eos, qui Apostolicis decretis, & Romanæ Ecclesiæ præceptis non obediuerint: quam excommunicationem tantùm esse ferendæ sententiæ dixit Ferdinand. p. 30. n. 1. disp. 3.

S

Sacramentum. 1. Omittens sacramentum annuæ confessionis, & communionis in paschate, attendus est ab ingressu Ecclesiæ, & sepultura Ecclesiastica priuandus, cap. *omnis vtriusque sexus de pœnit. & remissioni.*

2. Sacerdos iterans sacramentalem formam, & benedictionem super eadem materia iam sacramentata, ab officio, & beneficiis suspensus, mittendus est cum litteris ab ordinario ad sedem Apostolicam absoluendus. ex cap. 1. *de secund. nupt.* debet autem in hac iteratione fuisse mortale peccatum. est verò tantùm ferendæ sententiæ ista censura; neque ampliùs in vsu illa missio ad sedem Apostolicam, ad obtinendam absolutionem, potestque ab Ordinario, qui illum suspendit, absolui, vti docent Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 82. n. 16. & Barbos. in collectan. ad illud cap. 1. *de secund. nupt.* n. vlt. propter extrau. Ioanni XXII. *certiorationi.*

3. Sacramenta extremæ vnctionis, & Eucharistiæ, atque matrimonij, à religiosis ministrata, sine licentia parrochi. ℣. *matrimonium*, & ℣. *parrochus.*

Sal externum ementes in terris immediatè Ecclesiæ Romanæ subiectis, excommunicantur excommunicatione latæ sententiæ, & reseruata à Gregor. XIII. constitut. 49. *ex incumbenti.* sed reuocata fuit ea excommunicatio à Clem. VIII. constitut. 49. *frumenti.* quamuis in cæteris Gregorianam confirmarit.

Schisma. Schismatici excommunicantur cap. 1. bullæ cœnæ. 2. schismatici propter electionem Antipapæ, excommunicantur. cap. *licet, de electione summi Pontificis.*

3. Sectatores schismaticorum excommunicantur à Paol. IV. constitut. 29. *cum ex Apostolatus*, quæ excommunicatio reseruatur in cap. 1. bullæ Cœnæ.

4. Ordinatus ab schismatico, est ipso iure suspensus ab executione ordinum. cap. 1. *de schismaticis*, vide Sanch. lib. 2. in decalog. cap. 36. n. 20. debet autem ille schismaticus esse denominatim denuntiatus, vt monet Suar. disp. 31. sect. 1. n. 64. & alij, vide ℣. ordo.

Schola, Scholares, vniuersitates. 1. Clem. III. c. *ex rescripto: de locato & conducto.* innouat, & confirmat excommunicationem à duobus suis legatis latam aduersus Magistros, & Scholares academiæ Bononiensis, qui ante tempus conductionis finitum, aliorum magistrorum, seu scholarum hospitium conducere audent, in læsionem, vel præiudicium habitantium.

2. Pius V. constitut. *in sacrosancta*. excommunicat Doctores, vniuersitates, & alios habentes facultatem doctorandi, permittentes aliquem gradu Doctoris insigniri, vel Cathedram obtinere non præmissa fidei professione. Promoti autem pœnam nullitatis, gradus, & promotionis incurrunt. de his vide Sanch. lib. 2. in decalog. cap. 5.

Bonac.

Bonac. de censur. in particula. disp. 2. q. 10. p. 14. & nos nuper. ¥. fidei professio. num. 5.

3. Clem. 2. *de magistris*, Cancellarius vniversitatis, gradum Doctoris, vel Magistri, in qualibet scientia conferens, non exacto prius iuramento, à doctorando quod non insumet vltra tria millia Turonensium argenteorum, suspenditur à collatione doctoratus, seu magisterij per tres annos.

Sepulchrum, sepultura. 1. clerici & religiosi inducentes aliquè vouere, iurare, aut promittere se electurum, sepulturam, aut de iam electa, in propria ipsorum Ecclesia, excõmunicantur excõmunicatione reseruata. Clem. *cupientes* §. *sanè de pœnis*, nomine clericorum non intelliguntur hoc loco Parrochi, in quorum fauorem edita est hæc constitutio, & qui soli haberent ius, suum parrochianum sepeliendi. Deinde opus esse vt inducatur aliquis ad iuramentum, votum, vel promissionem de eligenda sepultura, non ad electionem tantùm sepulturæ, deinde agi debet de sepultura in propria Ecclesia, nam si de aliena sermo sit, non incurritur ista excommunicatio: quod notant Nauarr. capite 27. num. 103. Tolet. lib. 1. cap. 36. num. 4. Suar. disputatione 22. sectione 4. numero 25. Sayr. lib. 3. num. 22. Barbo. de potestate, allegat. 50. num. 100.

2. Extrau. *detestandæ de sepulturis*, excommunicantur qui cadauer exenterant, minutatim concidunt, & frusta consumenda dant, vt faciliùs aliò tumulandum deferant, quæ excommunicatio reseruata est, & solùm afficit eos, qui hæc præstabant in terris fidelium, vt disertè habetur in textu, quarè si quis ea in terris infidelium, ad faciliùs inde asportandum cadauer faceret, non incurreret censuram. Tolet. lib. 1. cap. 36. num. 6. Sayr. lib. 3. cap. 30. numero 2. Barbo. de potestate Episcop. allegat. 50. num. 103. Ferdinand. disp. 3. punc. 27. num. 3. qui addit cum Bonac. disp. 2. quæstione 3. p. 45. num. 6. hæc corpora oportere esse fidelium, & non infidelium. Præterea hæc omnia fieri debent ad tumulandum corpus, quarè si quapiam alia ex causa, vt ex vindicta, odio, ad maleficium, aut superstitionem fiant, non erit locus huic excommunicationi: quod laudati DD. docent cum Caietan. ¥. excommunicatio. cap. 70. & Nauarr. cap. 27. num. 105. quorum aliqui dicunt exenterationem ne fœteat, & corrumpatur, dum aliò inhumandum defertur, non comprehendi hoc casu, quia reuerà id non fit primò, & per se, ad tumulandum, sed ad impediendum intolerandum fœtorem. Denique obseruat Tolet. non sufficere solam exenterationem nisi addatur concisio membrorum, & carnium, atque etiam coctio, propter particulas copulatiuas, quibus vtitur Pontifex in sua constitutione. Iubet etiam Pontifex, eiusmodi corpus carere sepultura; ad quod requiritur sententia declaratoria delicti in illa concisione commissi, vt ait Suar. disp. 22. sect. 5. num. 4. non enim punitur cadauer, quod pœnæ incapax est, sed qui illud commisit, aut vt ait glossa in eam extrau. ipsemet defunctus, qui illam concisionem imperauit, vt in locum à se electum deferri commodiùs posset.

3. cap. 2. *de hæretic. in 6.* qui præsumpserit scienter, hæreticum tradere sepulturæ Ecclesiasticæ, excommunicantur donec satisfecerit, & proprijs manibus publicè extumulet, & proijciat illud cadauer, locusque ille perpetuò careat sepultura, vide de hac pœna Thesau. 2. p. praxis. ¥. sepultura, c. 4. & Ferdin. disp. 3. p. 33. n. 15. Mihi certum est hos hæreticos debere esse denuntiatos ex extrau. *ad euitanda*, de qua fusiùs in hoc opere dictum fuit.

4. Clem. 1. *de sepultur.* excommunicantur qui sepeliunt mortuos tempore interdicti in cœmiteriis, aut excommunicatos, aut vsurarios: neque possunt absolui donec ad arbitrium diœcesani satisfecerint eis quibus iniuria fuerat irrogata. Hoc etiam loco isti omnes debent esse nominatim denuntiati, & nomine sepelientium intelligere oportet non solùm qui suis manibus sepeliunt, sed etiam qui illi sepulturæ, quatenus Ecclesiastica est, cooperantur: sed de his omnibus vide Ferdinand. disp. 3. p. 34. n. 2. & DD. quos dabit.

Sequestrum, sequester. In bulla Cœnæ cand. 17. excommunicantur vsurpatores, & sequestratores, sine legitima superiorum licentia, redituum, fructuum, & prouentuum ad Pontificem, sedemque Apostolicam, vel alias personas Ecclesiasticas pertinentium, de qua excommunicatione vide bullæ commentatores. Attendere maximè oportet, casus in quibus, de iure sequestrium permissum est, qui ab hac excommunicatione excusabunt, sed hæc quæstio alterius loci est, vide intereà Ferdin. disp. 3. de censu. p. 18. num. 6. immò qui sequestrum impediunt in aliquibus eiusmodi casibus, excommunicantur, & absolui nequeunt, nisi post satisfactionem Clem. vn. *de sequestr. poss.* de qua vide Ferdin. disp. 3. p. 34. n. 1.

Seruitus. 1. Pius V. constitut. 199. *licet omnibus*, excommunicat excommunicatione sibi reseruata eos, qui Christianos in locis Turcarum inuentos cœperint, & in seruitutem redegerint, atque inuitos ad remigandum coëgerint, etiam mercede soluta, vel illorum bona abstulerint, eorum personas, liberos, vxores detinuerint, quam constitutionem etsi occasione belli, quod tunc aduersus Turcas gerebatur, emanatam, legem tamen esse perpetuam dixit Barbosa de potestate Episc. allegat. 50. numero 141. & Filluc. tract. 15. numero 121. quod negat Bonac. disputatione 2. quæstione 3. p. 46. numero 1. neque reiicit Ferdinand. disputatione tertia, p. 30. numero 13.

2. Quomodo seruus sit irregularis, & quibus conditionibus possit promoueri ad ordines, dixi lib. 1. de irregula.

Simonia 1. *extrau.* 2. *de simonia*, innouantur omnes pœnæ in antiquioribus canonibus aduersus simoniacos latæ quod de simonia reali, & non mentali tantùm, intelligendum est. Hinc tamen non fit, vt pœnæ quæ ex antiquis canonibus ferendæ erãt, nunc sint ipso iure latæ, quamuis Pontifex dicat, *quas ipso facto, eos incurrere volumus*. Significat enim tantùm velle se, vt incurrant facto simoniaco pœnas eo modo, quo à iure olim statutæ sunt, cùm autem in antiquo iure nulla sit pœna ipso iure lata, sed per Iudicem ferenda; illa vi huius extrauagantis non immutatur, alioquin non esset innouatio, & confirmatio antiquorum canonum, sed noua & distincta lex, atque distinctarum constitutionum promulgatio ita Nau. cap. 27. n. 111. Suar. lib. de simonia cap. 55. n. 8. & de censur. disp. 22. sect. 5. n. 12. Filluc. tract. 45. cap. 13. q. 1. Bonac. de censur. disp. 2. q. 3. p. 24. n. 19. Ferdinand. à Castro Palao, disp. 3. pag. 27. n. 15.

2. In illa ipsa extrau. simonia in beneficio & in ordine punitur excommunicatione ipso iure lata, extenditurque ad mediatores, & procuratores: de qua fusè diximus tract. de simonia.

3. Ibid. executio ordinis simoniacè suscepti punitur suspensione

suspensione, & irritantur omnia, quæ circa prouisiones, postulationes, electiones, confirmationes, dispositiones quascumque beneficiorum Simoniacè fiunt, additurque inhabilitas ad illa: de quibus omnibus eo loco egimus.

4. De simonia ob ingressum religionis diximos aliquid ỳ. religio, & fusiùs lib. de simonia. Vide interea Ferdinand. disputation. 3. pat. 27. num. 13.

5. P. IV. constit. 85. *Romanum decet.* confidentia in beneficiis ponitur irritatione eorum, quæ fiunt; restitutione fructuum, interdicto ab ingressu Ecclesiæ in Cardinalibus & Episcopis, quia ea ratione beneficia recipiunt: in aliis excommunicatione, quæ pœnæ sunt reseruatæ; & illæ aliæque infliguntur, & innouantur à Pio V. constitut. 8. *intolerabilis.* De quibus omnibus fusiùs egimus tracta. de simonia, vbi alia perplura circa simoniacas actiones, & diuersas materias eodem modo punitas disputauimus. Interea vide Thesau. 2. p. praxis. ỳ. simonia per plura capita.

6. Cap. *quidquid* 1. q. 1. Episcopus necessariam correctionem omittens contra simoniacos, in sacramentis, vel ordinibus, per duos menses, excommunicationis sententia innodatur: quam excommunicationem esse suspensionem ab officio, docet Ferdinau. disp. 4. p. 10. §. 5. num. 12. alios adducens.

Sodomia. Sodomitam siue publicum, siue occultum, suspensum esse ab officio existimant Couarr. in Clem. *si furiosus* 1. p. §. n. 6. & alij plures propter constitutionem Pij V. 7. *horrendum.* at verò commonior sententia DD. quos refert, & sequitur Ferdin. disp. 5. p. 10. §. 4. num. 6. nullam esse censuram ipso iure latam, sed ferendam tantùm, pronuntiant.

Superstitio. 1. c. *aliquanti.* 26. q. 5. diuinationem consulens; *ab Ecclesia habendus est extraneus*; vbi non latæ sed ferendæ sententiæ excommunicatio est. Vide Sanch. lib. 2. in decal cap. 38. n. 91. vbi idem dicit de anathemate, quod consulentibus Ariolos, aruspices, & incantatores, intorquetur. c. *si quis Ariolos. ead. causa, & q.* constitutio verò Ioann. XXII. qua excommunicantur qui in diuinationibus, abutuntur diuinis rebus, negat esse vsu receptam, aut sufficienter promulgatam. Idem dicendum est de bulla Leonis X. in conc. Lateran. de qua vide Toler. lib. 1. cap 41. n. 3. Filloc. trac. 14. 97. & alios. De constit. Sixti V. *cœli, & terra.* contra incantatores, & indiciarios. vide Ferdin. disp. 3. p. 37. n. 17.

T

Ecclesia Tholosana. Ioann. XXII. extrauag. *salvater. de prebendis.* Fert excommunicationem, suspensionem, & interdictum aduersus rebelles constitutionibus à se factis, circa Ecclesiam, & Episcopum Tholosanum.

Testimonium. Clericum periurij, & falsi testimonij infamatum suspendi ab executione, & susceptione ordinum colligunt ex cap. fin. *de temporib. ordinat.* DD. sed veriùs Ferdinand. disp 4. p. 10. §. 4. num. 4. aliis adductis. Ostendit esse tantùm repellendum ab Episcopo, non verò esse suspensum, cum nihil aliud ex eo iure colligi queat.

V

Vacantes Ecclesiæ. 1. Qui vsurpat sibi bona, & iura vacantis Ecclesiæ, vel beneficij, incidit in excommunicationem Papæ reseruatam; & si sint patroni, priuantur ipso facto iure patronatus. Clerici vero siue ea vsurpantes, siue vsurpanoni illi consentientes, præter eas pœnas priuantur suis beneficiis, & ad illa, aliaque fiunt inhabiles. Trident. sess. 22. cap. 11. de reformat.

2. Vsurpantes fructus, vel prouentus, vel iurisdictiones Ecclesiarum, vel bonorum, incurrunt excommunicationem bullæ Cœnæ. can. 17.

3. Qui ius guardiæ, & aduocationis, atque patronatus vacantium Ecclesiarum occupant, incurrunt excommunicationem, & alias pœnas. in cap. *generali.* 13. *de electio. in 6.* vide supra ỳ. patronatus.

4. Collegia, conuentus, & singulares personæ, quæ sede vacante bona Ecclesię Cathedralis, regularis, vel collegiatæ à prælatis ipsarum Ecclesiarum dimissa, vel vacationis tempore aliquo modo obuementia; quæque in vtilitatem dictarum Ecclesiarum expendi deberent, vel futuris successoribus reseruati, occupant, inter se diuidunt, subripiunt, dilapidant, dissipant, & consumunt in earum graue dispendium, & iacturam; ab officijs, ab beneficiis suspenduntur, donec plenè restituerint accepta. cap. *quia sæpe. de electio. in 6.* cui similis lex alia est in cap. *præsenti. de officio ordina. in 6.* extrau. vni. *ne sede vacante.* vide de his Suar. disp. 31. sect. 3. Bonac. disp. 3. q. 4. p. 15. & Ferdinand. disp. 4. p. 10. §. 2. num. 8. & Thesaur. 2. p. praxis. ỳ. vacantia. per plura capita.

Vectigalia. De excommunicatione aduersus eos, qui aliquod vectigal quocumque nomine vocetur, bonis, aut personis ecclesiasticis imponunt. cap *quamquam. de censibus in 6.* & in bulla Cœnæ Can. 18. diximus, quantum sufficit nostro instituto. ỳ. immunitas.

Visitatio. 1. Clem. *attendentes. de statu monacho.* impedientes visitatores monialium, ne suo munere fungantur, excommunicantur, nisi moniti resipiscant. Itaque hoc impedimentum poni, aut continuari debet post monitionem à visitatore; aut eius superiori iurisdictionem habente factam: oportet eam esse monitionem ioridicam. vide Suar. disp. 23. sect. 5. n. 9. & alios, qui etiam dicunt, sufficere monitionem esse generalem, neque necessariam esse specialem: additque Ferdinand. disputat 3. p. 34. num. 6. non requiri trinam.

2. Accipientes munera, & procurationes ob visitationem, excommunicatione affici videntur. sed de his dictum ỳ. munera & fusiùs Ferdin. disp 4. de censur. p. 10. §. 3. n. 11.

Vota. Sixtus IV. extrau. *etsi Dominici de pœnis.* excommunicat eos, qui prætextu quorumcumque priuilegiorumà se concessorum, vota quinque Pontifici reseruata commutare audent. cum autem hæc excommunicatio non feratur, nisi propter abusum priuilegiorum à Sixto concessorum, hodie non esse in vsu monent Suar. disp. 22. sect. 5. n. 28. Sanch. lib. 4. in decal. cap. 40. n. 16. & cap. 44. n. 3. alijque.

Vsura. De vsurationum pœnis plura diximus in nostro opere de vsuris, & commerc. lib. 1.

adi

adi etiam Thesaur. 2. p. praxis. ꝟ. vsurarius per plura capita. ad rem nostram modò facit cap. *quia in omnibus.* de vsuris. quod prohibet vsurarium admitti ad communionem altaris, oblationes, & ad sepulturam. admittentes verò ad oblationes, & sepulturam suspendit. vide ꝟ. oblationes.

2. Qui condunt statuta fauentia vsuris, excommunicantur Clem. vn. *de vsuris.* De ea vide Ferdin. disp. 3. p. 34. n. 10.

3. Qui manifestis vsurariis locum, & domus ad fœnus exercendum locant; si sint Episcopi suspenduntur; inferiores clerici excommunicantur, vniuersitates, & collegia interdicuntur, Laici variis censuris plectendi sunt, & compellendi. cap. 1. *de vsur. in 6.* vide Ferdinand. disp. 3. p. 33. num. 18. Obserua vero ibi tantùm loqui Gregorium X. de vsurariis alienigenis; neque qualibet conductio domus prohibetur, sed ad finem exercendi fœnoris. ita Suar. disp. 31. sect. 5. num. 14. Sayr. lib. 3. cap. 32. & Ferdinand. citat. qui Tolet. Bonac. & alios dabit. Hanc tamen constitutionem passim non esse vsu receptam tradit Less. lib. 2. c. 24. dub. 6. sub fin.



INDEX

INDEX RERVM ALPHABETICVS

A

Acquirendi.

INDEX.

Eun

M

N

S

INDEX.

T

V

FINIS.

